
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA
H 8
48 H
13

[illegible] Matteo

Pertinet ad Con.tu [illegible]

Regina Patriarcharum

THESAVRVS RELIGIOSORVM,

In quo de tribus votis solemnibus Obedientiæ, Castitatis, & Paupertatis accuratissimè disputatur.


AVTHORE

D. BARTHOLOMÆO A S. Fausto, aliàs Pirro Siculo, Platiensi, Monacho Congregationis B. MARIÆ Fuliensis, Ordinis Cisterciensis, & Priore Monasterij S. Ioan. Bapt. in Augusta Ciuitate Perusina.


Opus non solùm Regularibus, verùm etiam cunctis Sacrarum litterarum studiosis vtilissimum.

NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITVM,
Vnà cum Indice librorum & quæstionum totius operis.

LVGDVNI
SVMPTIBVS
CLAVDII LANDRY
M. DC. XXIIII.







Illustrissimo, ac Reuerendissimo

D. FRANCISCO BONCOMPAGNO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO, & augustæ Ciuitatis Perusiæ, ac totius Vmbriæ Legato à latere multis titulis meritissimo,

D. BARTHOLOMÆVS A S. FAVSTO, Monachus Fuliensis, & Prior Monasterij S. Ioannis Baptistæ eiusdem Ciuitatis, volens, lubénsque D D.



OFFERENDVM vniuersis meæ Congregationis Regularibus tractatum hunc de tribus votis, tuæ etiam Celsitudini nuncupare visum est, CARDINALIS AMPLISSIME, & te vnum patronum, & fautorem è cunctis Ecclesiæ Principibus, & Præsulibus, cuius speciatim nominis fulgore illustraretur, eligere, tum materia ipsa de sacris Regularium obseruantiis pertractans postulauit (quippe qui te communem omnium Patrem veneramur) tum etiam ratio ipsa nostras partes esse indicauit, vt quæ in hac celeberrima Ciuitate, cui meritò præes, & Apostolica legatione

 fungeris,

fungeris,elaborata essent, Illustrissimæ Dominationi tuæ persoluerentur. Iste enim fœtus alibi quidem conceptus, sedhic sub tuis fœlicibus auspiciis partus confestim in tuam clientelam sese dare, & te solum Patrinum, & Tutelarem eligere debuit, vt apud te magis, ac magis cresceret,tuáque benignitate foueretur: nam hoc moris esse apud homines quotidiana docet experientia,quod parentes ex vili, & per se ignoto genere, nulláque hominum commendatione oriundi, filios suos Magnatibus,nobilísque prosapia ortis tradant in baptismatis fonte tenendos,vt vel sic parua eorum soboles illustretur,ac deinceps eorum patrocinio,ac tutela promoueatur. Hoc idem mihi ex industria proposuisse fateor, CARDINALIS AMPLISSIME, vt istum meum partum ex tenuitate,& infirmitate ingenij mei prosilientem tibi fouendum,ac protegendum darem,vt tuo peculiari patrocinio securior in lucem prodiret, sese aliorũ oculis præsentare non erubesceret, & de tua Celsitudine nonnihil nominis, & splendoris acciperet; quod profectò votis meis cessurum spero, maximè cum nullum clariorem virtutibus, & genere patronum nancisci potuisse existimem. Quatuor enim nobilitatis species à Platone assignatas tibi multis nominibus deberi comperio. Nam prima,quæ est eorum qui ex viris frugi, & de castis, & sanctis moribus benemeritis prodierunt,iure quàm optimo tibi competit; tu enim ex probis parentibus, & omni genere virtutum imbutis prodiisti.Et secunda,quę est eorũ qui ex sacro Procerum,& Principum,& Potentum stipite oriuntur,tibi etiam est ingenita:tu enim progenitores Proceres, Principes, & potentes agnoscis. Et tertia,quæ est eorũ,qui ex clarissimis Auis, & Proauisemanarunt,in te adhuc magis relucet,tu enim Maximum illum,& Sanctissimum Pontificem Gregorium XIII. Auum habuisti, cuius fama, etiam nunc pulsat vtrumque polum, nec humili meo elogio, & præconio indiget, qui ad summum dignitatis fastigium per multos honorum,& dignitatum gradus euectus

in

in eminenti Apostolatus specula sedit vicé Christi, & sacram D. Petri hæreditatem, & principatum decem, & tribus annis æquissima animi lance, & sanctissimè est moderatus. Et demum quarta, in qua nõ solum Plato, sed & Socrates, Apuleius, & Quintilianus veram nobilitatem sitam esse commemorant, ad eos maximè spectat, qui eximio virtutum splendore, & animi magnitudine pollent; & hanc tuo iure tibi vendicare potes, quam etiam tibi omnes tribuunt, nisi forsan quispiam excelsi tui nominis impius oblatrator existat. Si enim præclaras animi tui dotes, virtutésque internas vellem attingere, modus epistolaris qui breuitatem vt plerunque sapere debet, in prolixam, & panegyricam orationem deflueret, quæ profectò redderetur auribus tuis molestior: non enim quæris auram humanam, sed potius gratiam diuinam; non gloriam terrenam moraris, sed magis ad cælestem festinas, tibique fœlicissimam immarcescibilis glorię coronam continuò texere pergis. Quæ profectò cum molirer animo, animum ipsum perterruerunt; nec mihimet ipsi tanti fui, vt dignè aliquid de tua celsitudine enarrare posse præsumerem. Haud enim adeò paruæ molis esse putarim laudum tuarum magnitudinem attingere velle, vt quid ausim dicere qui tuis virtutibus commendandis non me solum, sed quemuis eloquentissimũ semper fore imparem videã. At quorsum in virtutibus tuis enucleandis diuriùs vellem immorari, quas locus quem tenes, dignitas qua polles, & potestas quã accepisti satis per se comprobant, ipsæ enim sunt, quæ te purpura induerunt, sacro pileo insignierunt, & cæteris Illustrissimis Cardinalibus æqualẽ dignitate fecerunt, & posthac te magis, ac magis in gratiam summi Pontificis promouerunt, ac postremò iam te ad summũ, & Sacrosanctum legationis gradum extulerunt. Quis ergo audeat præsumere animo cõplecti tuas virtutes, quæ te in vna ex potioribus, & celebrioribus Italiæ Ciuitatibus Viceuicariũ Christi effecerunt: Quare nimio virtutum tuarum splendore perculsus retrocedendum

censeo,méque accingo ad exponendas alias rationes,quæ non parum contulerunt ad suadendum ad hoc, vt opus istud Illustrissimæ Dominationi tuæ commendaretur. Tanta enim est parentum tuorum in nostrum Ordinem beneficiorum turba, tantáque extant apud nos eorum pietatis, ac Religionis monumenta,vt omnes,& singulos nostræ Congregationis alumnos tibi, totíque clarissimæ tuæ stirpi mirificè deuinctos habeas. Extat in Alma Vrbe Monasterium D. Bernardi apud Thermas Diocletianas,pia,memorique Illustrissimæ tuæ Auiæ D. Catharinæ Sfortiæ Comitissæ Sanctæ Floræ liberalitate fundatum. Extant & alia duo Monasteria in terra Florentiolæ prope Ciuitatem Placentiæ, vnum Sancti Ioannis Baptistæ, aliud verò Sanctorum Felicis, & Tranquillini, Basilicæ Ducis nuncupatum, quæ multis prædiis, & redditibus dotata Illustrissimus Cardinalis Franciscus Sfortia tuus patruus mira liberalitate Congregationi nostræ donauit. Idcirco rem congruam officio meo fore putaui, si pro parte meæ Religionis munusculum istud tibi deferrem, quod grati animi pro acceptis à clarissima tua stirpe beneficiis, testimonium exhiberet. Præterea cum mihi perlatum fuisset te peculiari animi zelo, honore,ac pietate D.Patrem nostrum Bernardum colere,mihi facilè persuasi te munusculum istud ab omnium filiorum eius infimo, & indignissimo tibi oblatum serena, hilaríque fronte suscepturum: proindéque fore,vt hic liber deuotionem tuam erga Patrem nostrum,iteratis tibi vicibus ad memoriam reduceret,ipsámque augeret,auctamque diutius conseruaret. Quæ sanè deuotio non minimum prudentiæ tuæ est argumentum, quippe qui ex omnibus Sanctis, quos omnes peculiari honore,ac pietate veneraris,Bernardum nostrum in peculiarem Patronum tibi delegeris. Fortissimam arcem, & omnibus armis instructam conscendisti, cum Bernardum assumpsisti; ipse enim omnia inimicorum tela valebit retorquere, qui, multis suis laboribus pro Ecclesia Dei exantlatis, nomen Ecclesiæ

pro

propugnaculi sibi vendicauit; quod elogium tibi apponendum duxi, vt magis eius patrocinio innitaris, confidásque & gaudeas quòd fidelissimum, & potentissimum apud Patrem cœlestem, & Matrem nactus fueris Patronum. Omnino enim valde potens est in cœlis, qui tam magnus, & potens extitit in terris secundùm magnitudinem gratiæ, magnitudine gloriæ exaltatus; ausímque dicere, eum in nullis posse pati repulsam, cui adhuc viuenti in terris Christus suum sanguinem, & Maria lac sugendum dedit. Et ideò, ô Bernarde, mel, & lac sub lingua tua, quæ dum de laudibus Virginis agit, tua nectarea, & melliflua verba sic lectorum animos alliciunt, miráque suauitate demulcent, vt alumnus Virginis, & Citharista communi omnium ore nuncuperis. Quandiu ergo, CARDINALIS AMPLISSIME, curres in hoc spirituali stadio, ad comprehendendum brauium salutis, citharista noster citharam suam pulsabit in cœlis, quæ ita demulcebit animum Virginis, vt sicut aqua illius fontis Eleusini nuncupati, de quo meminerunt Aristoteles, & Solinus, ad sonum citharæ prosiliebat, ita ad sonum nostræ citharæ multas gratias ex hoc immenso, & limpidissimo gratiarum fonte tibi prosilire videas. Et sicut ad pulsum lyræ Dauid, Rex Saul à vexatione spiritus nequam extabat immunis, sic ad pulsum huius citharæ è mediis tentationum scopulis liber euades. Quæ cum ita sint, CARDINALIS AMPLISSIME, hoc à te magnoperè contendo, vt huic tuæ deuotioni erga nostram citharistam, vsque ad vltimam vitæ tuæ metam addictus semper & consecratus insistas, & nostram eius Congregationem tibi deuotam, quæ ex sacro Cisterciensis Ordinis gremio educta strictioris sibi vitæ normam præscripsit, toto cordis affectu complectaris. Irriga nouellas istas plantationes adhuc in iuuentute sua, vt sint tanquam ligna quæ plantata sunt secus decursus aquarum, & possint dare fructum in tempore suo, vt viridarij Fuliensis folium non defluat, in tempore siccitatis non sit solicitum, nec aliquan

censeo, méque accingo ad exponendas alias rationes, quæ non parum contulerunt ad suadendum ad hoc, vt opus istud Illustrissimæ Dominationi tuæ commendaretur. Tanta enim est parentum tuorum in nostrum Ordinem beneficiorum turba, tantáque extant apud nos eorum pietatis, ac Religionis monumenta, vt omnes, & singulos nostræ Congregationis alumnos tibi, totíque clarissimæ tuæ stirpi mirificè deuinctos habeas. Extat in Alma Vrbe Monasterium D. Bernardi apud Thermas Diocletianas, pia, memorique Illustrissimæ tuæ Auiæ D. Catharinæ Sfortiæ Comitissæ Sanctæ Floræ liberalitate fundatum. Extant & alia duo Monasteria in terra Florentiolæ prope Ciuitatem Placentiæ, vnum Sancti Ioannis Baptistæ, aliud verò Sanctorum Felicis, & Tranquillini, Basilicæ Ducis nuncupatum, quæ multis prædiis, & redditibus dotata Illustrissimus Cardinalis Franciscus Sfortia tuus patruus mira liberalitate Congregationi nostræ donauit. Idcirco rem congruam officio meo fore putaui, si pro parte meæ Religionis munusculum istud tibi deferrem, quod grati animi pro acceptis à clarissima tua stirpe beneficiis, testimonium exhiberet. Præterea cum mihi perlatum fuisset te peculiari animi zelo, honore, ac pietate D. Patrem nostrum Bernardum colere, mihi facilè persuasi te munusculum istud ab omnium filiorum eius infimo, & indignissimo tibi oblatum serena, hilaríque fronte suscepturum: proindéque fore, vt hic liber deuotionem tuam erga Patrem nostrum, iteratis tibi vicibus ad memoriam reduceret, ipsámque augeret, auctamque diutius conseruaret. Quæ sanè deuotio non minimum prudentiæ tuæ est argumentum, quippe qui ex omnibus Sanctis, quos omnes peculiari honore, ac pietate venerarís, Bernardum nostrum in peculiarem Patronum tibi delegeris. Fortissimam arcem, & omnibus armis instructam conscendisti, cum Bernardum assumpsisti; ipse enim omnia inimicorum tela valebit retorquere, qui, multis suis laboribus pro Ecclesia Dei exantlatis, nomen Ecclesiæ

pro

propugnaculi sibi vendicauit; quod elogium tibi apponendum duxi, vt magis eius patrocinio innitaris, confidásque & gaudeas quòd fidelissimum, & potentissimum apud Patrem cœlestem,& Matrem nactus fueris Patronum. Omninò enim valde potens est in cœlis,qui tam magnus, & potens extitit in terris secundùm magnitudinem gratiæ, magnitudine gloriæ exaltatus; ausímque dicere,eum in nullis posse pati repulsam, cui adhuc viuenti in terris Christus suum sanguinem,& Maria lac sugendum dedit. Et ideò, ô Bernarde, mel, & lac sub lingua tua, quæ dum de laudibus Virginis agit, tua nectarea, & melliflua verba sic lectorum animos alliciunt, miráque suauitate demulcent, vt alumnus Virginis, & Citharista communi omnium ore nuncuperis. Quandiu ergo, CARDINALIS AMPLISSIME, curres in hoc spirituali stadio, ad comprehendendum brauium salutis, citharista noster citharam suam pulsabit in cœlis, quæ ita demulcebit animum Virginis,vt sicut aqua illius fontis Eleusini nuncupati, de quo meminerunt Aristoteles,& Solinus,ad sonum citharæ prosiliebat,ita ad sonum nostræ citharæ multas gratias ex hoc immenso, & limpidissimo gratiarum fonte tibi prosilire videas. Et sicut ad pulsum lyræ Dauid, Rex Saul à vexatione spiritus nequam extabat immunis, sic ad pulsum huius citharæ è mediis tentationum scopulis liber euades. Quæ cum ita sint, CARDINALIS AMPLISSIME, hoc à te magnoperè contendo, vt huic tuæ deuotioni erga nostram citharistam, vsque ad vltimam vitæ tuæ metam addictus semper & consecratus insistas, & nostram eius Congregationem tibi deuotam,quæ ex sacro Cisterciensis Ordinis gremio educta strictioris sibi vitæ normam præscripsit, toto cordis affectu complectaris. Irriga nouellas istas plantationes adhuc in iuuentute sua, vt sint tanquam ligna quæ plantata sunt secus decursus aquarum, & possint dare fructum in tempore suo, vt viridarij Fuliensis folium non defluat,in tempore siccitatis non sit solicitum,nec aliquan

aliquando desinat facere fructum. Foue, & perfice vineam istam, quam plantauit fœlix dextera fœlicis admodum recordationis Ioannis Barrerij institutoris nostri, sectatoris bonorum operum, Maiorum nostrorum pij imitatoris, huius vineæ cultoris, ruinæque Cisterciensis resartoris egregij: totaque nostra Congregatio auet, vt qui iam virtutes Sanctissimi Pontificis tui Aui es æmulatus, eius etiam Spiritus, zeli, propensionum, & amoris erga nos hæres existas. Cum enim sub fœlicissimis eius auspiciis primus lapis huius Spiritualis ædificij iaceretur, zelo salutis animarum incensus literis suis Apostolicis piis cohortationibus refertis, & ad præfatum institutorem nostrum missis, cœptum hoc spirituale ædificium promouit: ita & tu Sanctissimis eius vestigiis instans, hanc eandem Congregationem tuis gratiis, & fauoribus irriga, tua ope promoue, tuóque patrocinio defende: quandiu ipsa, tui certè obseruantissima, Deum Optimum Maximum enixè deprecabitur, vt qui tot, ac tantis animi dotibus te donauit, incolumem etiam diu seruet, ac tueatur, quo semper de ecclesia, sicut hactenus, ita & deinceps optimè merearis: dúmque tibi offero munusculum istud pro parte meæ præfatæ Religionis, ipsa interim nunquam tibi cesset acclamare, quod olim D. Pater noster Bernardus amantissimo suo Gaufrido Cardinali acclamauit, *Faciat te Deus in magna domo sua vas in honorem.* Vale.

Datum in Monasterio Sancti Ioannis Baptistæ augustæ Ciuitatis Perusiæ, anno à Christo nato 1623. die verò primo mensis Maij.

Rene

Reuerendissimo in Christo Patri

D. IOANNI A S. FRANCISCO

Superiori Generali Congregationis reformatæ B. Mariæ Fuliensis, cæterisque Reuerendis Patribus, & charissimis fratribus eiusdem Congregationis,

D. Bartholomæus à sancto Fausto eorum collega, salutem & perpetuam fælicitatem à Deo precatur.

TRACTATVM *istum quem de tribus votis composui, iure mihi videor*, Reuerendissime Antistes, & Patres in Christo amantissimi, *nomini vestro, professioni, ac pietati dicare debuisse; omnes enim norunt, quanta Religiosis omnibus incumbat solicitudo pergendi ad perfectionem, & quomodo succinctis, obseruantia bonorum actuum, lumbis per ducatum Euangelij, debeant semper vlterius progredi in viam virtutis*, quæ, *vt dicit electum Dei organum, & summus spiritualis Doctrinæ Magister Bernardus*, finem nescit, tempore non clauditur, nec vnquam verus Religiosus arbitratur se comprehendisse, nũquam dicit, satis est, sed semper esurit, sititque perfectionem, ita vt si semper viueret, semper quantum in se est perfectior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. *Non enim ad annum, vel ad tempus instar mercenarij, sed in æternum diuino se mancipat famulatui: Dicit enim cum Propheta*: In æternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me. *Proinde* iustitia eius manet in sæculum sæculi: *& sempiterna Religiosi esuries sempiternam meretur refectionem; qui licèt* breui tempore consumatur, *pro virtutis tamen perpetuitate* expleſſe tempora multa iudicatur; *Semper ergo indefessum proficiendi studium, & iugis conatus ad perfectionem Religiosorum mentibus inhærere debet, nam, vt dicit idem noster mellifluus Doctor,* minimè pro certo est bonus, qui melior esse

non vult, & vbi incipit nolle fieri melior, ibi etiam desinit esse bonus. *Ex quibus profecto verbis colligitur, quomodo nobis proficere ex vinculo nostræ professionis incumbat; at nulla potiora media ad perfectionem assequendam Religio nobis suppeditare potest, quàm essentialia vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ, vt pulchrè ostendit D. Tho. 2.2.q. 186. ar. 7. Hi sunt enim tres claui, quibus Christi nos configimus cruci, non per tres horas, aut dies, sed toto vitæ nostræ curriculo crucifigentes corpus clauo paupertatis; concupiscentiam carnis, clauo castitatis; & voluntatem propriam, clauo obedientiæ: ita vt omnia ea obstacula quæ gressus nostros poterant præpedire quominus scopum perfectionis attingeremus, his tribus indissolubilibus votorum nodis alligata inueniantur. Bonorum enim cupiditas, quibus homines apertis faucibus videmus inhiare, voto paupertatis innodatur; effrenatæ libidinis stimuli, voto castitatis compescuntur; & praui voluntatis affectus voto obedientiæ pessundantur. Vel etiam dixerim, quod sint hæc tria pretiosa vasa, in quibus omnia quæ Religiosus cum Apostolis reliquisse gloriatur, inclusa esse comperimus. Ea enim bona, quæ mundus hominibus affluenter administrat, ad tria genera reducuntur; vel enim sunt diuitiæ, & hæ in paupertate; vel sunt delitiæ carnis, & hæ in castitate sepeliuntur; vel denique sunt alia bona, quæ pendent ex hominum arbitrio, & hæc in obedientia recondita Deo Optimo Maximo offeruntur. Quæ cum ita sint, consideranti facile erit animaduertere hæc tria vota esse media omnium potissima ad adipiscendam perfectionem: quorum tamen eximius splendor, quia ignorantiæ tenebris sunt inuoluta, nequaquam potest quorundam Religiosorum mentibus illucere, & sic ipsorum pretium in mediis tenebris delitescit. Atque ideo multi ea videntur paruipendere, quia bona ex illis promanantia non apparent, quantique sint momenti, non innotescit. Quæ profecto ignorantia non excusat, sed magis accusat apud Deum eos, qui eorum sunt imperiti, quæ scire, & possunt, & tenentur. Quapropter, vigilantissime Pastor, & venerabiles in Christo Patres, cum simus omnes membra capitis Christi, ex quo totum corpus Ecclesiæ compactum, & annexum existit, lac, & cibum nobis inuicem subministrare debemus. Ideoque opusculum istud multis vigiliis, & laboribus partum, vobis apponere non dubitaui, præsertim cum hanc materiam satis raram, & singularem existimem; quæ licet à paucis quidem fuerit pertractata, non tamen fortassis ita amplam diffusioribusque verbis, & argumentis inculcatam alibi reperietis: vnde nonnihil vtilitatis, & emolumenti ex hoc opusculo poteritis exsugere, in eo enim totam disciplinæ monasticæ rationem viuis, vt potui, coloribus depictam intuebimini. Quod certe opusculum tanto vobis gratius fore existimaui, quanto materia quam secum affert, est vtilior, ac dignior; cæteras enim (si fidei dogmata excipiatis) nobilitate, vtilitate, pretioque antecellere videtur, vtpote quæ tria vota Religionis Deo solemniter exhibita, & Religiosorum salutis essentialia complectitur. Quare vos omnes obtestatos, & obsecratos velim in Domino, quatenus tractationem istam non*

non quidem de tenuitate ingenij mei depromptam, nonnullo tamen meo labore ex immenso doctissimorum hominum oceano velut expiscatam, vobisque in hac mensa spirituali appositam intueri non grauemini. Quamuis enim multos ex vobis me peritiores, sapientioresque esse non diffitear, non omnes tamen ad hanc mensuram doctrinæ peruenerunt, vt documentis non indigeant. Sunt enim in amplis familiis docti nonnulli, qui, & Magistri possunt nuncupari, plures vero discipuli, & addiscentes, & plurimi adhuc noui, & tyrones, qui lectione librorum, & aliorum dogmatibus adiuuantur. Quamobrem nemini vestrum alienum, absurdumque videri debet, si tractatum istum Religiosis omnibus nostræ Congregationis nuncupare constitui; in hoc enim sic variarum quæstionum copia exuberat, vt licet non abundet, quod doctus comedat; abundabit fortassis quod delectet; abundabit etiam quod paruulus sugat: ibi enim est lacteus potus, quo tenera Religiosorum nutriatur infantia, sanctæque perfectionis accipiat incrementa: ibique prorsus ad salutem consulitur vniuersis, quos rerum omnium Dominus ad Religionem vocare dignatus est. Nam Monasteriorum Præpositi, qui animas susceperunt regendas, quibusque ex officio incumbit habenas disciplinæ Regularis semper habere præ manibus, hic poterunt intueri quomodo cum sua, tum subditorum vota persolui debeant, & in quibus possunt delinquere; vt sic salutaribus remediis assumptis, iam suborta vitia radicitus amputent, suboriundis obicem ponant, collabentes filios firmiter sustentent, collapsosque salubriter erigant. Audiant enim Diuum Patrem nostrum Benedictum in sua Regula minitantem, quod in tremendo Dei iudicio culpæ Pastoris imputabitur quidquid in ouibus Paterfamilias vtilitatis minus potuerit inuenire. *Ad vos vero potissimum Patres Reuerendi, & fratres desideratissimi, qui abrenunciantes propriis voluntatibus, Domino Iesu Christo vero Regi sub superioris clientela, & regimine militaturi obedientiæ fortissima, atque præclara arma assumpsistis, opusculum istud dirigitur, in quo de Monasticæ professionis obseruantiis, & de explanatione ipsorum, quæ coram Deo, & sanctis eius professi sumus, satis luculenter disputatur. Vtile iudicans futurum, si inter vos simplices, & rudes votorum suorum obligationem agnoscerent; sapientioribus enim qui exercitatos habent sensus, & altiora sapiunt, non me fugit, quin multo maiora debeantur. Et quamuis iidem de mensa sacræ Scripturæ comedant panem filiorum, non est tamen quod despiciant micas catellis largitas, vel ipsam petentem humiliter Cananæam: ausim enim dicere illud Prophetæ, quod* multi paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. *Quorum præsertim consideratio ad onus istud subeundum mihi (satis altoquin infirmo) animum, viresque suppeditauit, licet non inficias eam altam etiam rationem me impulisse: cum enim Admodum Illustriss. Dominus Ioannes Baptista Pentamus, stirpis Hieronymi Patris sui extremus, Monasterium B. Mariæ de orphanis nuncupatum Monialibus Capucinis construxisset, & dotasset, eadem pia munificentia*

ductus meæ Congregationi reformatæ B. Mariæ Fuliensis, Ordinis Cisterciensis aliud Monasterium sancti Ioannis Baptistæ, redditibus dotatum, propriis sumptibus fundauit. Quæ profectò opera ætatem suam iam decrepitam æterno coronant nomine, totámque suam stirpem magnopere commendant, licèt multis aliis titulis satis fuerit commendata, quæ tot viros graues, armis strenuos, pietate insignes, doctoresque eximios protulit. Nam, vt solum Guillelmum Patruum eius commemorem, ipse tali doctrina, prudentia, virtute, alijsque animi dotibus exornatus fuit, vt communi omnium consensu electus, dignusque iudicatus fuerit, qui legatus mitteretur ad sanctissimos Pontifices Clement. VII. Paulum III. & Iulium III. vt eis legationem nomine totius Ciuitatis exponeret, osculumque pacis à sanctitatibus suis reportaret. Ad quod accedunt & alia tum eius, tum etiam aliorum plena laudis, pietatis, ac prudentiæ opera, quæ breuitatis ergo silere cogor. Hæc duo tamen prædicti domini fundatoris nostri pietatis officia maiori gloria, ac commendatione totam stirpem dignam efficere non diffitẽdum. Cùm igitur tanto nos obligationis vinculo apud ipsum obstrictos videamus, officij mei fore duxi, si tanto beneficio nomine totius meæ dilectæ Religionis responderem. Idcirco opus istud in hac nobilissima Ciuitate Perusina, cuius ille ciuis existit, elaboratum typis mandandum dedi, vt perpetuæ nostræ in eum obseruantiæ, gratíque animi argumentum aliquod exhiberem, darémque pignus prouentuum, quos ex his nouis palmitibus expectare debet. Hæ ergo præcipuæ rationes ad me permouendum accesserunt, quò tertius hic vigiliarum, & laborum ingenij mei partus iam tandem egrederetur in lucem. Obtestans te, Reuerendissime Pastor, vosque omnes sodales mei perfectionis candidati, in quorum manibus, oculisque versari hoc opus contigerit, ne vos leuibus interdum maculis, aut næuis offendatis; sed, si quid ex his meis lucubrationibus vestro dignum studio inueneritis, illi acceptum referatis, à quo omne datum, & omne donum perfectum: *si quid verò minus sapienter, & cogitanter dictum occurrerit, mihi tribuatis. Valete. Dat. in Monasterio sancti Ioannis Baptistæ, Augustæ Ciuitatis Perusiæ, anno à Christo nato 1623. Die vero primo mensis Maij.*

CATA

CATALOGVS DOCTORVM OMNIVM, quorum teſtimonio Author innititur, òrdine alphabetico diſtinctus.

A

Auguſtinus ſanctus.
Ambroſius ſanctus.
Anſelmus ſanctus.
Antonius ſanctus.
Adrianus Papa.
Albertus Magnus.
Abulenſis.
Alexander Alenſis.
Alphonſus à Caſtro.
Alphonſus Vualdus.
Almaynus.
Angelus.
Armilla.
Archidiaconus.
Andreas Siculus.
Antonius Corſetus Siculus.
Auguſtinus de Anchona.
Antonius Gomeſius.
Ariſtoteles.
Auerroes.

B

Baſilius ſanctus.
Benedictus ſanctus.
Bernardus ſanctus.
Bernardinus ſanctus.
Bonauentura ſanctus.
Bernardinus ſanctus.
Beda venerabilis.
Bonifacius Papa octauus.
Bellarminus Card.
Bartholus.
Baldus.
Bellamera.
Bartholomæus Hugolinus.
Bartholomæus à Medina.
Bartholomæus Gomeſius.
Bartholomæus Ledeſmius.
Bañes.

C

Cyprianus ſanctus.
Chryſoſtomus ſanctus.
Caietanus Card.
Couarruuias.
Conradus.
Calderinus.
Coſmus Philiarchus.

D

Dionyſius Areopagita ſanctus.
Damaſcenus ſanctus.
Dionyſius Carthuſianus.
Durandus.

E

Emmanuel Roderiquez.
Emmanuel Sà.
Euſtachius à ſancto Paulo.

F

Felinus.
Franciſcus Toletus Card.
Franciſcus à Victoria.
Franciſcus Suarez.

G

Gregorius Magnus ſanctus.
Gregorius Nazianzenus ſanctus.
Gerſon.
Gutierrez.
Gregorius Lopez.
Gabriel Biel.
Gregorius Sayrus.
Gabriel Vaſquez.
Gregorius de Valentia.

Galenus.

H

Hieronymus sanctus.
Hugo de sancto Victore.
Hugo Cardinalis.
Honorius Papa.
Hostiensis.
Henricus Henriquez.
Hieronymus à Sorbo.

I

Isidorus sanctus.
Innocentius Papa.
Iason.
Ioannes de Imola.
Ioannes Maioris.
Iulius clarus.
Ioannes de Medina.
Iosephus Angles.
Iacobus de Graffiis.
Ioannes Azorius.
Ioannes Salas.

L

Leo Papa.
Lyranus.
Ludouicus Lopez.
Leonardus Lessius.
Ludouicus Molina.

M

Martinus Ledesmius.
Maiolus.
Mercatus.
Margarita Confessorum.
Melchior Canus.
Michael de Palatio.
Martinus Nauarrus.
Michael Salon.
Michael Medina.
Michael Vasquez.
Marcus Tullius.

N

Nicolaus de lyra.

O

Okam.
Origenes.
Ouidius.

P

Paulus Apostolus.
Pius Quintus.
Petrus Lombardus.
Petrus Paludanus.
Petrus de Palude.
Petrus à Soto.
Petrus de Castro.
Petrus Damianus.
Petrus de Ledesma.
Petrus de Aragona.
Pisanella.
Petrus Nauarra.
Palacios.

R

Richardus de sancto Victore.
Richardus de media villa.
Raimundus.
Rosella.
Rebellus.
Reginaldus.

S

Scotus doctor subtilis.
Sotus.
Stephanus Quaranta.
Summa Confessorum.
Speculum Confessariorum.
Syluester.
Supplementum Gabrielis.
Sanchez.

T

Thomas Aquinas Doctor Angelicus.
Tertullianus.
Turrecremata.
Tabiena.

V

Viguerius.
Vega.
Virgilius.
Valerius Maximus.

Z

Zabarella Cardinalis Zenzelinus.

Index.

INDEX LIBRORVM TOTIVS OPERIS.

Thesaurus Religiosorum continet libros octo.

FACVL

FACVLTAS REVERENDISSIMI PATRIS superioris Generalis Congregationis reformatæ B. Mariæ Fuliensis.

NOs Domnus Ioannes à S. Francisco Superior Generalis Congregationis B. Mariæ Fuliensis, ordinis Cisterciensis facultatem facimus, vt liber inscriptus *Thesaurus Religiosorum, In quo de tribus votis solemnibus obedientiæ Castitatis & Paupertatis accuratissimè disputatur, à Domno Bartholomæo à S. Fausto aliàs Pirro Siculo Platiensi monacho Congregationis B. Mariæ Fuliensis ordinis Cisterc. &c.* compositus in lucem edatur si superioribus quibus id competit ita placuerit in quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, sigillo nostro munitas dedimus in Monasterio nostro sanctæ Pudentianæ de Vrbe die 15. mensis Februarij anno Domin. Incarnat. 1623.

Fr. IOANNES *à sancto* FRANCISCO
Superior Generalis præfatus.

APPROBATIO


VEras quibus operam dare debent Religiosi diuitias, ex isto, quem Religiosus vir Bartholomæus à S. Fausto, Congregationis S. Mariæ Fuliensis proponit, thesauro, colligant, quibus scatet, & quas vt habeant, palam prodire licitè potest, imo debet, nihil enim vetat. Lugduni 20. Aug. D. Bernardo Fuliensium Patrono, sacra 1623.

Fr. ROBERTVS BERTHELOT
Episcopus Damasci.

ALIA APPROBATIO & permissio.

THesauros inquirunt permulti, Inueniunt perpauci; neque omnes qui Religionem vouent Thesaurum Religionis inueniunt, nisi exactè obseruent quæ in hoc Thesauro Religiosorum R. P. Bartholomæi à S. Fausto disputantur; quem librum à Doctoribus approbatum, vt in lucem edatur, permittimus. Lugduni die 29. Augusti 1623.

MENARD. Vic.Gen.subst.



DE VOTO SIMPLICI IN COMMVNI,

LIBER PRIMVS.

DE hac materia, quæ celebris est, cognitúque necessariissima, differunt Theologi cum Magistro in 4. dist. 38. D. Tho. 2.2.q.88. & Caiet. ibidem, & in summa verbo votum. Sotus lib. 7. de iust. & iure. Ban. 2.2. q. 13. Valent. 2.2. d. 6. q. 6. Arag. 2.2. q. 88. Roder. p. 2. sum. cap. 89. Cord. in sum. casuum casu 149. Less. lib. 2. de iust. cap. 40. Sanch. in libris de matrimonio per totum. Sayrus in claui Reg. lib. 6. Nauar. cap. 12. à n. 24. & Couar. in cap. quamuis pactum. Canonistæ in titulo de voto, & voti redemptione. Summularij vero vt Angelus, Syluester, Tabiena, Armilla, Pisanella, & supplementum verbo votum, & verbo religio.

Acturus (Deo dante) in hoc opere, maiori qua per me fieri poterit breuitate, ac perspicuitate de statu religioso; ac simul de tribus essentialibus votis, nempe paupertate, castitate, & obedientia, quæ vniuersis vtriusque sexus regularibus sunt accommodata, operæpretium duxi, antequam horum tractationem aggrediar, generatim, atque vniuersè de voto simplici disputare. Vt autem ea omnia, quæ authores in tota hac materia tradunt, manifesta fiant, obseruandum est primò, quòd votum aliquando sumitur à Latinis pro bono animi proposito, ac desiderio, etiam si nulla intercedat promissio; quia ea quæ maximè cupimus, adhibitis votis à Deo petere solemus. Vnde qui desiderij sui factus est compos, voti compos dicitur. Sic videtur sumi Prouerb. 31. *Quid dilecte mi, quid dilecte vteri mei, quid dilecte votorum meorum*, id est, desideriorum. Sic etiam exponi potest illud quod in canone Missæ dicitur: *Tibique reddunt vota tua*, id est, pia desideria, & fidei, ac deuotionis sacrificia, vt Durañ. lib. 2. de ritibus Eccles. cap. 34. exponit. Aliquando verò significat *promissionem* iuxta illud Ecclesiast. 5. *Si quid voueris Deo, memor eris reddere, displicet enim ei infidelis, & stulta promissio.* Et hoc modo accipitur hîc. Vnde votum dicitur à voluntate iuxta D. Tho. 2.2. q. 88. ar. 1. tanquam à primo mouente rationem ad

promittendum. Et sic votum idem est, quod *voluntaria promissio, non cuicunque facta sed Deo.*

QVÆSTIO I.

Quid sit Votum?

1 RESPONDEO, *quod est promissio deliberata facta Deo de meliori bono.* In qua definitione quinque particulæ continentur. Prima est, (*promissio*) quæ ponitur pro genere, ad denotandum, quòd non sufficit ad votum, desiderium, neque propositum absolutum, etiam deliberatum faciendi, nisi simul adsit animus promittendi, vt clarè constat ex scripturis Eccles. 5. Deuter. 23. &c. in quibus locis semper fit mentio promissionis, vbi de voto agitur; & tradit eleganter D. Tho. 2. 2. q. 88. ar. 1.

2 Secunda est (*deliberata*) quia subita, & impræmeditata promissio non sufficit ad votum, sed requiritur plena rationis aduertentia eius quod promittitur: & sufficit vt fiat cum eo rationis iudicio, quod in materia ad meritum, vel ad peccatum mortale sufficit, vt post D. Thom. explicuit Illustrissimus Caietanus 2. 2. q. 88. ar. 1. quia consentaneum est, eam considerationem, quæ satis est ad ligandum nos diabolo, sufficere posse ad obligandum nos Deo virtute promissionis. Et ratio est, quia votum est onus, quod quis sibi sponte imponit; nemo autem censetur velle onus sponte sibi assumere, nisi plenè aduertat quid agat, quidque illud, quod promittit. Hæc autem consideratio breuissimo tempore fieri potest, & vt Nau. cap. 12. n. 26. dicit, in momento. Quod etsi locum habeat in Angelis, qui sine discursu operantur, at in hominibus connaturali modo operantibus, id non contingit; quia sufficiens aduertentia, & deliberatio non habetur sine discursu, discursus autem in tempore fit. Et ideò optimè dixit Caietanus, hanc deliberationem interdum fieri imperceptibiliter, quia licet in tempore fiat, temporis tamen successio non percipitur.

3 Tertia est (*facta Deo*) quia promissio quæ fit homini, non est votum, nisi ipsi fiat Deo tacitè, vel expresè, immediatè, vel mediatè in Sanctis suis. Et ratio est, quia cùm religio sit virtus, quæ Deum respicit, etiam votum, quod est actus religionis soli Deo mediatè, vel immediatè fit, iuxta illud Isa. 19. *colent eum in hostiis, & muneribus, & vota vouebunt Domino, & soluent.*

4 Hinc, qui vouet Sanctis, finaliter censetur vouere Deo, quatenus ipse est in Sanctis, & ad ipsius honorem pertinent obsequia, quæ Sanctis ipsis deferuntur, tanquam iis, qui sunt per ipsum Sancti, & quodammodo deificati, & participatione indissolubili facti dij, & in quibus honoratur piè, sicut & laudatur, iuxta illud psalmi vltimi: *laudate Deum in Sanctis eius,* Et ideò promissio facta aliis hominibus viuis nondum beatificatis non potest dici votum, vt rectè docet Caiet. 2. 2. q. 88. ar. 4. sicut ergo cùm quis Sãctos orat, Deum principaliter orat, etiamsi proximè, & immediatè oret Sanctos ipsos: ita etiam, quando vouet Sanctis principaliter, etsi mediatè vouet Deo, à quo sperat se impetraturum per Sanctorum intercessionem, quod petit. Sicut blasphemans aliquem Sanctum, intelligitur blasphemare Deum in Sancto illo, quia blasphemia solius Dei est.

5 Hinc, qui votum facit alicui Sancto pro sanitate obtinenda, talis debet esse

esse eius intentio, vt illam principaliter à Deo, vt omnium bonorum largitore speret obtinere, intercedente sancto illo, vt rectè suo more D. Anton. 2. p. tit. 11. cap. 1. §. vlt. annotauit, qui addit laicos qui actualiter non ita dirigunt intentionem suam in votis Sanctorum, sed innituntur consuetudini fidelium, non esse statim in hoc condemnandos, sed piè interpretandam esse eorũ intentionem, prout sancta Ecclesia in huiusmodi fieri docet, & intendit.

6 Hinc, promissio quæ fit sancto, quatenus est quidam homo per se sumptus, non autem vt est Deus participatiuè, non est votum, nec religionis diuinæ actus, sed est actus singularis obseruantiæ, qua homo homini se astringit. Ita Caiet. 2.2.q.88.ar.5. & Valent. 2.2.d.6.q.11.p.5.

Hinc, promissio, qua quis promittit alteri se non amplius lusurum, aut bibiturum vinum, non est votum, sed simplex promissio. Ratio est, quia non est promissio facta Deo.

Hinc, vota quæ fiunt religionum Prælatis, principaliter censentur fieri Deo, quatenùs ipse est in Prælatis secundùm dignitatis participationem,
7 & potestatem, quam habent, secundùm quam gerunt vicem illius. Vnde promissio facta sanctis, vel Prælatis cadit sub voto materialiter, in quantùm s. homo vouet Deo se impleturum quod sanctis, vel Prælatis promittit secundùm D. Tho. 2.2.q. 88.ar.5.ad 3. quo etiam modo iurare licet per creaturas, referendo iuramentum saltem implicitè ad Deum, prout ipse in eis relucet. Votum igitur Deo fit; in præsentia tamen Sanctorum, & Prælatorum, qui vt testes ad maiorem reuerentiã, vel tanquam aduocati, & Patroni exhibentur, quibus cupimus ea cordi esse, vt gratiam ad exequenda promissa nobis impetrent.

Quarta est (*de bono*) ad insinuandum, quod promissio de re mala non est votum, sed comminatio.

Quinta, & vltima particula est (*meliori*) quæ ponitur non solùm ad significandum, quod votum regulariter fit de his quæ sunt de consilio, quæ comparatione eorum, de quibus sunt data præcepta, proculdubio meliora sunt bona: verùm etiam ad denotandum, quòd votum faciendi, vel omittendi aliquid, cuius oppositum secundum se est melius, nibil valet: non enim acceptat Deus obligationem sibi factam rei impedientis maius suum obsequium, cuiusmodi esset votum de ineundo matrimonium. 8

Ex qua definitione colligitur, quinque esse de essentia voti. Primum est, deliberatio voluntatis. 9

Secundum, propositum seu intentio obligandi se Deo.

Tertium, promissio.

Quartum, vt ea promissio fiat Deo.

Quintum, & vltimum, vt sit de meliori bono. Quæ omnia non est necessarium tempore distingui, vt s. prius homo deliberet, postea proponat, & tandem promittat; sed sufficit simul ista facere, promittendo liberè, & spontaneè Deo: nam in hoc omnia includuntur, vt rectè suo more aduertit Caiet. 2.2.q.88.ar.1. qui addit posse hæc omnia imperceptibiliter fieri.

QVÆSTIO II.

An votum sit opus per se bonum, & ad vitæ perfectionem conducens?

RESPONDEO esse per se bonum. Ratio est, quia scriptura hortatur

nos ad vouendum Psalm.65. *reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Psalmo 69. *redde altissimo vota tua.* Psalm.75. *vouete, & reddite Domino Deo nostro.* Eccles. 15. dicitur, *vota iustorum placabilia.* Isa. 19. *in illo die*, id est tempore gratiæ, *colent Deum hostiis, & muneribus, & vota vouebunt Domino, & soluent*: quod non faceret, nisi votum esset ex se bonum, & honestum. Vnde Matth. 19. dicitur, *sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum*; *qui potest capere, capiat*; excitans ad id præstandum, & laudans facientes, vt ibi D. Chrysostomus annotauit. Et D. Aug. dicto Psal. 75. ait, *non sitis pigri ad vouendum, non enim viribus vestris implebitis*, & Psal. 131. *qui te hortatur vt voueas, ipse adiuuat vt reddas.*

QVÆSTIO III.

An opus factum ex voto sit melius, quàm sine voto?

1 RESPONDEO, esse melius. Ratio est, quia consilium est de meliori bono: sed Deus consulit facere votum, vt patet ex dictis; ergo opus factum ex voto est melius, quam sine voto.

Tum quia votum est actus religionis, quæ inter virtutes morales est præstantissima: quod autem fit nobiliori virtute, est melius.

Tum quia opus factum ex voto est actus virtutis, ad quam pertinet res voto promissa, & religionis, cuius actus est votum: opus vero factum sine voto est actus virtutis tantùm.

2 Et confirmatur, homo per opus factum ex voto implet præceptum, & cõsilium, per opus verò factum absque voto consilium tantùm implet.

Tum quia qui agit ex voto, agit ex proposito firmiore, magisque immutabili: at facere aliquid ex voluntate firmata in bonum ad virtutis perfectionem pertinet, vt docet Aristoteles 2.eth.cap.4. ergo est melius.

Tum quia vouens plus se subiicit Deo, quàm non vouens; ille enim subdit se Deo non solùm quo ad actum ipsum, sed etiam quo ad potentiam, & facultatem operandi, cùm de cætero non possit contrarium facere, sicut teste D. Anselmo lib. de similitud. cap.84. plus donat qui arborem cum fructu, quàm qui solos fructus donat: at talis est, qui se, & sua Deo donat vouendo, ad differentiam illius qui dat sine voto; ergo.

Tandem, omissio operis voto promissi est maius peccatum, quàm si non esset promissum; ergo etiam facere illud, est maius bonum. Quia oppositorum eadem est disciplina: & quia maior malitia priuat maiori bonitate.

Ex quo sequitur, opus factum ex voto cæteris paribus esse magis meritorium quàm sine voto. Ratio est, quia bonum opus si procedat ex gratia, est meritorium; ergo quo melius fuerit, si cetera sint paria, erit magis meritorium. 3

QVÆSTIO IV.

An solum propositum absolutum etiam deliberatum faciendi aliquid ad honorem Dei, absque vlla promissione tacita, vel expressa sufficiat ad votum?

DOCTORES iuris Pontificij communiter tradunt ad votum sufficere solum propositum voluntatis absque promissione, maximè quando opus iam est inceptum. Vnde dicunt quòd si aliquis habeat propositum vouendi 1

vouendi religionem, illud erit sufficiens vt maneat voto astrictus, maximè si ipsum habitum suscipiat.

Súntque isti canonici Iuris periti in duas classes diuisi; quidam enim putant tale propositum voluntatis cum habitus susceptione, habere vim
2 voti solemnis; adeò vt talis non possit postea contrahere matrimonium.

Alij vero affirmant huiusmodi propositum voluntatis æquipollere voto simplici, adeò vt qui intraret religionem cum proposito manendi in ea, & habitum susciperet, teneretur in illa, vel alia religione professionem emittere: non quia propositum sit votum, sed ex præcepto Ecclesiæ ita præcipientis.

3 Cæterùm concors est omnium Theologorum sententia, ad votum non sufficere propositum etiam deliberatum, sed requiri vlterius promissionem. Sic D. Tho. communiter receptus in 1.2.q.88.ar.1. Pro quo.

Primò dico, quòd qui habens propositum vouendi religionem, ipsum habitum suscipit, non tenetur illud implere ex præcepto Ecclesiæ. Ratio est, quia tale præceptum nullibi in toto iure reperitur, ergo non est asserendum.

Secundò dico, quòd propositum voluntatis, etiam si sequatur habitus susceptio, non est votum solemne. Ratio est, quia votum solemne fieri non potest sine consensu Prælati ad professionem admittentis; vt constat ex cap. ad Apostolos de regul. Sed Prælatus tribuens alicui habitum religionis, non consentit in illius professionem, sed tantum vult experiri Nouitij mores, ergo quamuis habeat popositum vouendi, & habitum suscipiat, non erit voto soléni astrictus.

4 Tertiò dico quòd propositum voluntatis, quantumcumque tempore deliberatum, aut cōtinuatum, quamuis sequatur operis incæptio, non est votum simplex, sed vltra hoc requiritur promissio. Probatur primo ex scripturis, in quibus votum appellatur promissio. Deut. 23. dicitur. *Si quid vouisti Domino, redde, quia promisisti: displicet enim Deo stulta, & infidelis promissio:* ergo ad rationem, voti vltra propositum voluntatis requiritur promissio.

Secundò probatur ex cap. literarum de voto, vbi Alexander Papa III. expressè definit solum propositum ingrediendi religionem non obligare aliquem ad religionis ingressum. 5

Tertiò, quia Conc. Trident. sess. 25. cap. 15. & 16. concedit Nouitiis annum probationis, & toto eo tempore vult illos esse liberos, vt si inueniant statum illum, quem suscipiunt, sibi non conuenire, liberè possint egredi: ergo solo proposito Concilium censet hominem non ligari.

Obiicies, cap. statuimus 23. de regular. vbi Gregor. Nonus dicit: *Nouitios posse liberè ad sæculum intra annum redire, nisi euidenter appareat eos absolutè voluisse vitam mutare, & in religione perpetuò Domino seruire.* Hoc idem habetur in cap. consuluit 20. eod. tit. & in cap. non solum de regular. in 6. ergo solum propositum mutandi vitam cum habitus susceptione sufficit ad votum solemne. 6

Respondeo hæc, & alia iura, quæ contra hanc nostram sententiam adduci possunt, intelligi non de nudo proposito mutandi vitam, sed de proposito promissione vallato, aut cum intentione se obligandi. Vndè dispensationes quas D. Anton. 2. p. t. 11. c. 2. testatur se vidisse à summo Pontifice datas, ad scrupulos potiùs tollendos, quam quòd voti obligationem habuerint, concedebantur. 7

8 Dices, qui habet propositum aliquid faciendi, & postea mutato proposito oppositum facit, mentitur, quia tenetur verificare suum propositum, ergo mutando propositum, peccat.

Respondeo, propositum cùm sit actus voluntatis volentis aliquid facere in futurum, non est affirmatio, vel negatio alicuius rei, sed tantùm consensus voluntatis, qui exprimitur hoc verbo *faciam*. At promissio, cùm sit actus intellectus, importat affirmationem, vel negationem. Vndè qui habuit propositum aliquid faciendi, & postea non facit, non peccat, quia potuit mutare propositum: & sic licet falsum dixerit, non tamen mentitus est: quia tunc tantum dixit, quod putabat facere: nec postea mutando propositum peccat, quia nulla lege diuina, vel humana tenetur non mutare propositum. At qui promittit aliquid facere, & postea non facit, peccat, quia mentitur, cùm faciat contra veritatem illius propositionis, *faciam hoc*, quam promisit semper facere veram.

9 Dices, qui meliora agere deliberat, & postea deliberata non facit, inconstans est, ergo peccat, ac proinde tenetur in proposito perseuerare. Vnde in cap. 4. qui bona 17. 9. 1. dicitur *qui bona agunt, si meliora proposuerunt, in conspectu Dei ceciderunt.*

Respondeo esse aliquam inconstantiam, ac proindè peccatum veniale, si sola animi leuitate quispiam propositum melioris boni deserat. Secùs autem si aliqua iusta causa ab incæpto proposito desistat, vt quia videt opus illud sibi non conuenire.

***

QVÆSTIO V.

An vt votum sit validum, necessaria sit formalis deliberatio in instanti, in quo emittitur; an verò virtualis sufficiat?

ANGLES in floribus 2. p. q. de voto art. 1. diff. 3. c. 2. tenet necessariam esse formalem deliberationem, neque virtualem sufficere. 1

Sed multò verius existimo sufficere virtualem deliberationem. Ducor, quia illa deliberatio requiritur, & sufficit ad valorem voti, quæ sufficit ad obligandum nos diabolo per peccatum mortale. Sed deliberatio virtualis sufficit ad obligandum nos diabolo, vt constat; ergo & ad vouendum. 2

Deinde intentio virtualis sufficit ad sacramentum conficiendum, & recipiendum: item ad orandum, immò ad impetrandum, ergo & ad vouendum erit sufficiens.

Hinc, qui deliberauit votum emittere, aut profiteri, postea verò tempore quo votum emittit, ad alia rapitur, talis professio est valida. Quia 3
ea distractione non obstante, censetur operari cum virtuali deliberatione, ac proposito vouendi. Et ideò ita tenent Caiet. 2. 2. q. 88. ar. 1. Nau. cap. 12. nu. 26. Lop. p. 1. c. 43. & Arag. 2. 2. q. 88. ar. 1.

QVÆSTIO VI.

An promissio quæ ad rationem voti requiritur sufficiat, vt sit implicita?

RESPONDEO, sufficere implicitam, quæ censetur fieri, dum id agitur, 1

agitur, in quo illa continetur inclusa, qualis est illa quæ cernitur in recipiente ordines sacros: & hoc ex Ecclesiæ latinæ constitutione, quæ ordini sacro solemne castitatis votum copulauit, vt rectè docet D. Thom. 2.2.q.88. ar.11. Vnde qui sacris initiatur, absque alia promissione explicita, eo ipso quòd ordines sacros suscipit, voto castitatis constringitur. Quod est verissimum, quamuis ignoret inuincibiliter votum illis annecti: posito enim quòd sacris initiari velit, necessariò censetur velle etiam continentiam vouere, sicut vult obligari ad recitandum officium diuinum, quod similiter est onus ordini sacro annexum. Ita Caiet.opusc.to.1.tract. 27.de d. matrim. Sot.lib.7.q.4.art.2. Tolet.lib.4.c.17.nu.21.Nau.c.22. nu.52.Arag.2.2.q.88.ar.11. Henriq. lib.10.de sacram.ord.cap.14.num.7. Ban.2.2.q.12.ar.1.& Bellarm. in suis controuer.lib.1.de matrimonio c.21.

QVÆSTIO VII.

An ad rationem voti verba exigantur.

1 ET quidem vt votum simplex apud Deum obliget, manifestum est sufficere internum vouendi consensum, nullis verbis, aut signis expressum, cùm Deus cor, & mentem intueatur.

Sed totum cõtrouersiæ diffidium consistit de voto solemni. An, 5. ad eius rationem verba exigantur, an potius signa sufficiant?

Quidam quos tacito nomine refert Couar.de pactis 1.p. initio nu.4. tenent verba esse omnino necessaria.

Alij idem sentiunt in valentibus loqui: secùs in non valentibus.

Cæterùm absque dubio dicendum est verba non requiri, sed sufficere signa vocum indicantia. Ratio est, 2 quia matrimonium carnale Solis nutibus contrahitur etiam à potentibus loqui, vt latè probat Sanch.libr.2. de matrimonio disput.31. num.5. ergo & votum solemne, quod est quoddam matrimonium spirituale, solis signis emitti potest: quamuis ad maiorem voti solemnis firmitatem regulariter, verba, testes, & scriptura illi adiungantur, vt non solùm Dei metus, verum etiam humanus pudor nos firmiores reddat ad voti obseruationem.

QVÆSTIO VIII.

Quot modis votum diuidatur?

RESPONDEO multipliciter. 1 Primò diuiditur in votum simplex, & solemne. *Est* autem *votum simplex, cùm quis animo deliberato corde, vel voce sine solemnitate aliquid promittit. Votum* autem *solemne est, quando tali promissioni subsequitur personæ traditio realis in alterius potestate.* Votum enim solemnizatur per acceptationem Dei, quæ fit per superiores, & Prælatos ipsius nomine. Est autem inter vtrumque triplex differentia.

Primò differunt, quia votum simplex est generale, comprehendens multam materiam, fit enim de casti- 2 tate, religione, ieiuniis, eleemosynis, peregrinationibus, & multis aliis.

Solemne autem est particulare, non enim fit nisi de castitate in ordine sacro, & de religione per sedem Apostolicam approbata. Hæc enim duo, ordo sacer, & professio religionis sunt solemnes quidam actus, à quibus votum

votum solemne dicitur. Vndè votum dicitur simplex, quia omni solemni iuris formula, & qualitate caret. sicut solemne dicitur, quia illam habet.

Dixi notanter, ***approbata***, quia votum factum in non approbata, etiam in tertia regula Sancti Dominici, & Sancti Francisci non solemnne, sed tantùm simplex nuncupatur.

3 Secundò differunt, quia votum simplex castitatis, & religionis impedit matrimonium cõtrahendum; non tamen inualidat, nec dirimit contractum, id est, qui habet votum simplex ingrediendi religionem, assumendi ordinis-sacri, non ineundi coniugij, vel de castitate seruanda factum, non potest vxorem ducere: si tamen ducat, mortaliter peccat, tenet tamen matrimonium. Votum verò solemne castitatis, ac religionis, quod in traditione consistit, impedit, & dirimit: id est qui habet votum solemne religionis, vel est in sacris constitutus non potest matrimonium contrahere; si tamen contrahit, matrimonium est nullum.

Tertiò differunt, quia qui post votum solemne vxorem ducit, non solùm peccat mortaliter, sed etiam excommunicationem maiorem in-

4 currit. Qui autem post votum simplex castitatis vxorem ducit, licet contrahendo peccet mortaliter, non incurrit tamen excommunicationem, sed aliis afficitur pœnis.

Primò, post contractum tale matrimonium, tenetur seruare votum ex parte sua in quantum potest; & ita non potest petere debitum post consummatum matrimonium.

Secundò, antequam matrimonium consummet, tenetur sub mortali intrare religionem, & ibi votum seruare.

Cæterùm multò verius est hunc non teneri religionẽ ingredi; ac proinde minimè delinquere matrimoniũ consummando, reddendo debitum: Et ratio est: quia ingredi religionem non est medium proportionatum, sed longè difficilius, & altioris ordinis, & nemo tenetur rem inferioris ordinis compensare cum re superioris onerosissima: vt qui debet pecuniam, quam absque vitæ, aut famæ detrimento restituere nequit, excusatur. At talis est religio respectu continentiæ promissæ.

Et confirmatur, nam qui debet centum, quæ soluendo non est, nisi se in seruum vendat, ad id minimè tenetur. At religio est perpetua quædam seruitus, non ergo cum tanta iactura tenetur votum castitatis seruare. Et hoc ita tenet Sot. in 4. d. 38. q. 2. ar. 1. 5

Tertiò peccat mortaliter, quoties ante dispensationem debitum petit.

Quartò, mortuo coniuge, superstes matrimonium amplius contrahere non potest, quia tenetur seruare votum. Ratio est quia votum per matrimonium non erat ablatum, sed executio voti suspensa. Vide Suar. to. 2. de religione lib. 2. cap. 12. n. 1. 6

QVÆSTIO IX.

Sed non modica difficultas est, in quonam essentialiter consistat, hac voti solemnitas? Hoc est, quidnam sit illud, propter quod votum solemne dirimat matrimonium contractum; & ideò differat à voto simplici: & quo iure sit in Ecclesia introducta?

IN hac proculdubio graui, & perdifficili quæstione tres inuenio opinio

opiniones. Prima est Canonistarum in cap. Rursus qui clerici, asserentium voti solemnitatem essentialiter consistere in quadam personæ spirituali benedictione, quæ fit in religione: & in consecratione, quæ fit in sacri ordinis susceptione. Huius opinionis videtur esse D. Thom. 2. 2. q. 88. ar. 7. & 13. vbi dicit *solemnitatem voti attendi secundùm benedictionem, & consecrationem.* Et quia hæc benedictio, & consecratio tantum est de iure pontificio, consequenter dicunt voti solemnitatem esse de iure pontificio.

Sed hæc opinio falsa est, quia in deuota Societate IESV, & in religione
2 ne Sancti Dominici, & in aliis promissio solemnis professionis, absque ea benedictione fit.

Tum quia professio tacita est vera, ac legitimis votis solemnibus tacitè emissis cõstat, & tamẽ in ea nulla benedictio adhibetur. Nec D. Tho. est huius opinionis, sed vult eam benedictionem esse cæremoniam quandam accidentalem.

Secunda opinio est D. Thom. in 4. d. 18. q. 1. ar. 3. & in addit. ad 3. p. q. 53. ar. 2. Arag. 2. 2. q. 88. art. 7. Sot. in 4. d. 38. q. 2. art. 2. Valent. 2. 2. d. 6. q. 6. p. 5. Henriq. lib. 2. de matrim. cap. 5. §. 6. & 7. Couar. p. 2. de sponf. cap. 7. §. 4. num. 7. & aliorum dicentium solemnitatem voti, cuius ratione matrimonium dirimitur, consistere in actuali traditione sui ipsius in manum Dei, & eorum qui vicem Dei tenent. Et quoniam huiusmodi traditio de iure diuino & naturali talem personam inhabilem reddit ad tradendum se alteri per matrimonium, consequenter dicunt voti solemnitatem esse de iure naturali, & diuino.

3 Ex quo inferunt Romanum Pontificem in voto solemni dispensare non posse.

Tertia verò opinio est Scoti in 4. dist. 38. in fine §. ratio igitur Caiet. 2. 2. q. 88. art. 7. Med. lib. 4. de contin. cap. 23. Azor. lib. 12 c. 6. q. 1. & 2. & aliorum tenentium voti solemnitatem essentialiter consistere in solo statuto, & constitutione Ecclesiæ præcipientis, vt professi in religione approbata, & in sacris constituti inhabiles sint ad matrimonium contrahendum: & quia hæc Ecclesiæ constitutio est de iure positiuo, consequenter dicunt, voti solemnitatem solùm esse de iure positiuo Ecclesiastico. Ex quo colligunt Romanum Pontificem posse iusta de causa in voto solemni castitatis, & religionis dispensare. Et hæc opinio mihi videtur verior, atque tenenda. Ducor, quia qui emittit tria vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ in religione non approbata, non est ligatus voto solemni, sed solùm voto simplici, & non alia ratione, nisi quia deest authoritas Ecclesiæ, ergo ex ea sola voti solemnitas dependet. Vnde fœminæ, quas Beatas vocant, licèt voueant, & se tradant superiori, in cuius manibus vouent, non emittunt votum solemne, quia Ecclesia ea vota tanquam solemnia non approbat. Et si Ecclesia statueret, vt quodcunque votum coram duobus testibus, vel alia cæremonia emissum fieret solemne, esset vtique solemne.

Tandem est conclusio definita à 4
Bonifacio VIII. in cap. vnico de voto, vbi decernit Põtifex voti solemnitatem ex cõstitutione Ecclesiæ esse inuẽtam. Idem docet Greg. Papa XIII. constit. 102. quæ incipit, Ascendente Domino, Ann. à Christo nato 1584. 8. idus Iunij. Quam iuris constitutionem D. Thomas, cæterique veteres Theologi videre non poterant.

Ex quo colligitur, per solemne professionis votum non dirimi matrimonium sequens ex natura rei, sed

sola constitutione Ecclesiæ. Atque idem dicendum est de solemni paupertatis voto, id enim solo iure ecclesiastico reddit professum inhabilem ad acquirendum alicuius rei dominium, vt Vasqu. 1.2.q.96. ar. 4.d. 165.c.7.num.73.& Azor. lib.12.c.6. q.4.tenent.

5 Dices, dato solemnitatem voti sola Ecclesiæ constitutione esse inuentam, in quonam hæc voti solemnitas consistat?

Scotus, Caiet. & alij supra citati, dicunt hanc solemnitatem in eo consistere, quòd per votum solemne matrimonium subsequens dirimatur, non autem per votum simplex.

6 Sed hæc opinio non placet, quia votum castitatis emissum post biennium in Societate IESV est simplex, & tamen per illud dirimitur subsequens matrimonium vt ex extrauag. Greg. XIII. constat.

Tum quia id soli castitatis voto competit, cùm tamen alia etiam similiter solemnia sint.

Tum demùm, quia votum paupertatis coadiutorum Societatis IESV est simplex, & tamen eos reddit incapaces ad acquirendum alicuius rei dominium, vt ex eadem extrauag. Ascendente, constat.

7 Alij verò rectiùs docent de solemnitate voti eodem modo Philosophandum esse, ac de aliis contractibus, qui in iure dicuntur solemnes. Vnde sicut testamentum dicitur solemne, quia solemnitatem iure requisitam habet, nimirùm tabellionem, & certũ testium numerum, &c. & in iis eius solemnitas consistit; ita votum dicitur solemne, quia fit cum cæremoniis, & solemnitatibus ab Ecclesia præscriptis: Ita Vasq. 1.2. q.96. art.4.d.165.cap.8. num.83. & Azor. lib.12.cap.6.q.2.

QVÆSTIO X.

Dices, quænam sint illa cæremoniæ, in quibus ea voti solemnitas consistit?

RESPONDEO eas esse, vt vota emittantur in professione religionis à sede Apostolica approbatæ, & in susceptione ordinis sacri cum traditione, & acceptione ex vtraque parte perpetuis.

QVÆSTIO XI.

An votum simplex, & solemne sint eiusdem speciei?

DOCTOR Angelicus in 4.d.38. 1
& qui eius doctrinam sequuntur, tenent esse diuersæ speciei. Ex quo inferunt eum qui post votum solemne castitatis rem habet cum muliere, suæ conscientiæ non satisfacere, dicendo in confessione, se peccasse contra votum castitatis, sed tenetur dicere se peccasse contra castitatem solemniter professam: quia circunstantia, quæ mutat speciem, est necessariò confitenda.

Cæterùm nullatenus placet mihi hæc sententia, sed existimo votum solemne, & simplex esse prorsus eiusdẽ speciei, & sola extrinseca accidentali differentia inter se distare: quia vt diximus, Ecclesiæ tantùm decreto
distinguntur: at Ecclesia rei naturam 2
non mutat, sed vim, & robur adiungit. Et ita vtrumque per se, & suapte natura æqualis est vinculi, & tamen per accidens magis obligat solemne ex Ecclesiæ institutione. Et hoc est, quòd dixit Cælestin. Papa c. rursus qui clerici, vel vouentes, *votum simplex*

plex non minùs obligare apud Deum, quàm solemne.

Tum quia in quolibet voto etiam simplici est etiam traditio, cùm per illud voluntatis libertas statim Deo tradatur, ac alligetur ad illud obsequium in posterum ipsi præstandum. Et proinde non differunt, nisi sicut traditio perfectior, & minùs perfecta, quæ specie non variant.

Tum denique, quia traditio vouentis, & acceptatio Prælatorum inuenta in voto solemni, & ad id requisita, sunt accidentaria voti differentia, & solo iure canonico petita, & ita non constituunt specificam, & substantialem voti differentiam. Et ideò hanc partem sustinent Caiet. 2. 2. q. 88. art. 7. & Vasq. 1. 2. q. 96. art. 4. d. 165. c. 7. num. 73.

3 Ex qua doctrina colligitur primò votum solemne esse totum quoddam per accidens, sicut corpus album: componitur enim ex voti substantia, & qualitate extrinseca, quæ est solemnitas, vt rectè annotauit Med. lib. 4. de contin. cap. 38.

Secundò colligitur, vinculum voti solemnis esse arctius, quàm vinculum voti simplicis; non quidem per se, & ex natura voti, sed Ecclesiæ statuto, quo factum est, vt solemne religionis votum certos effectus habeat, quos non habet simplex.

Tertiò, & vltimò colligitur, peccata contra votum simplex, & solemne esse eiusdem speciei. Ratio est, quia specifica differentia actuum desumitur ex obiecto: at cùm idem sit vtriusque voti obiectum. s. continentia, erunt actus eiusdem speciei. erit tamen peccatum contra votum solemne grauius ratione perfectioris status.

4 Secundò diuiditur votum in absolutum, & conditionatum. Absolutum est illud, quod simpliciter, & sine conditione, vel determinatione temporis fit. *vt voueo religionem*, & talis tenetur id statim, id est, quam primum commodè potest, implere. Conditionatum vero est illud, quod cum aliqua conditione fit, vt cùm quis vouet peregrinationem, *si ab infirmitate sanetur:* & talis non obligatur, nisi extante conditione.

Tertiò, votum cōditionatum subdiuiditur in votum pœnale, & non pœnale seu purum. Pœnale est, quod 5 in pœnam alicuius peccati fit, vt cùm quis vouet dare eleemosynam si luserit. Quod potest fieri bifariam.

Primò, si solùm voueat pœnam peccati, non autem liberationem, *vt voueo religionem si lusero.* Et hoc est simplex votum pœnale. Vndè si lusi, non sum reus voti, sed solum ingredi religionem teneor.

Secundò, si non solùm voueat pœnam in euentum peccati, sed etiam liberationem peccati, *vt voueo non amplius blasphemare, alioquin dabo certam eleemosynam.* Hoc votum non est simplex, sed virtute duplex, quia duo vota continet; vnum absolutum de non blasphemando, alterum conditionatum pœnale de danda eleemosyna: vndè si blasphemaueris, reus eris voti absoluti, & insuper eleemosynam donare teneris.

Votum autem conditionatum non pœnale, sed purum est illud, in quo ponitur conditio non vt pœna, sed vt mera conditio, vt *si pater voluerit, si conualuero ex infirmitate,* ingrediar religionem. Et hoc votum impleta conditione omnino æquiparatur absoluto. 6

Quartò diuiditur votū in perpetuum, & temporale. Tēporale dicitur, quod ad certum, & præfixum tempus durat, vt si voueas te ieiunaturū feria sexta per annum. Perpetuum verò quod ad vitam promittentis perma-

net, vt si voueas perpetuam castitatem. Vndè si hic de morte ad vitam reuocaretur, huic voto non obligaretur, quia factum fuit tantum vsque ad mortem.

Quintò diuiditur votum, in expressum, & tacitum. Expressum est, quod verbis disertis exprimitur. Tacitum est, quod censetur fieri eo ipso, quod voluntariè aliquid suscipitur, cui ipsum annexum est. Tale est votum eorum, qui sacris ordinibus initiantur, & qui gestant habitum professorum, expleto anno probationis.

7 Sextò, & vltimò, votum diuiditur in personale tantum, reale tantum, & ex vtroque mixtum. Personale tantum est illud, quod actionem personalem ipsius vouentis tangit, vt votum religionis, castitatis, ieiunij, &c.

Reale est quod pecuniam, vel aliquid pecunia æstimabile comprehendit, vt votum eleemosynæ, &c.

Votum vero mixtum, id est, partim reale, & partim personale est, quod ad rem, & personam spectat, vt votum peregrinationis, quod & realibus sumptibus, & personæ opere expletur: & hoc votum est per se vnum, & formaliter personale, licet virtute sit reale. Quia quod formaliter promittitur, solùm est actio personalis: quæ si fieri posset sine sumptibus, quantum est ex vi voti, licitè etiam ita fieri posset, quia sumptus non cadunt directè sub voto, sed actio promissa illos secum affert. Vndè in voto hoc non potest auferri onus reale, relicto personali, quia est illi intrinsecè annexum: & ob eandem rationem è conuerso, ablato voto personali, tollitur reale, quia sequitur principale tanquam accessorium.

8 Vndè sub generali concessione circa personalia comprehẽdi mixta, etiamsi in indulto nulla fiat mentio realium votorum, quia hæc reuera sunt formaliter personalia.

QVÆSTIO XII.

An qui vouet sine animo vouendi vel promittendi, tali voto teneatur?

RESPONDEO non teneri. Ratio est, quia exterior promissio est signum promissionis interioris, ergo quando homo interiori actu voluntatis non intendit vouere, vel promittere, promissio nulla est, sed fictio tantùm promissionis, ac proinde nullam inducit obligationem coram Deo: sicut non tenetur, qui dicit rem donare, sine animo eam alienandi, quia quando actui apponitur expressè aliqua conditio contra eius substantiam, ille actus destruitur, efficitúrque irritus, & nullus per talem resistentiam expressam. Itaque qui vouet sine animo vouendi, vel promittendi, re vera non vouet, sed fingit vouere externa specie verborum; quandoquidem dicens voueo, mentitur, quia loquitur contra mentem, qua interiùs contradicit, ac proinde peccat. Vnde in cap. humanæ aures 22.q.5. dicitur, *in actibus humanis non sunt tantùm consideranda verba, sed voluntas, & intentio, cum non intentio verbis deseruire debeat, sed verba intentioni.* 1

Dixi notanter (*coram Deo*) quia qui coram aliis vt fit in voto solemni religionis, sine animo promittendi vouet, votum seruare tenetur, non quidem ratione voti, quia fuit nullum, sed ratione scandali, quòd ex violatione voti sequeretur: poterítque Ecclesia sic vouentem ad præstandum votum compellere, quia cum Ecclesia non iudicet de occultis, 2

non

non tenetur illi credere, etiam si iuret intentionem vouendi non habuisse, quia dicens se mentitum Deo, meritò iudicatur mentiri quoque hominibus; si enim mentitus est, quando liberè vouit, quomodo credetur ei, quando contra suam voluntatẽ cogetur exequi ea quæ vouit? fraus enim, & dolus nulli debent patrocinari.

3 Tum quia aliàs magna sequeretur perturbatio in Ecclesia; nam religiosi, ac moniales statim ac aliquid triste illis accideret, dicerent se non habuisse animum vouendi. Item clerici, & coniugati dicerent, se non habuisse animum ordines assumendi, & matrimonium contrahendi. Vnde regulares, & Sacerdotes, laici efficerentur, & matrimonia omnia facilè dissoluerentur: ergo dicendum est, Ecclesiam posse tales cogere, & ipsos teneri ei obtemperare, non quidem vi voti, sed ex præcepto Ecclesiæ propter vitandum scandalum.

Hinc, si talis potest fugere, & abire in prouinciam, in qua votum ipsius non sit votum, non tenetur tale votum seruare, cùm ex se sit nullum, & tantùm obliget ratione scandali.

4 Si verò in eadem prouincia permaneat, tenetur facere secretè professionem; aliter enim non erit monachus, & dum falsò monachatum repræsentat, est in statu æternæ damnationis, cum non habeant Prælati in eum authoritatem ligandi nec soluendi à peccatis, cum non sit religiosus, nec Nouitius, sed merus sæcularis Episcopo loci subiectus; & si in capitulo ad electiones officiorum concurrat, cùm voce actiua, & passiua careat, peccat mortaliter; quapropter vel recedat à loco, & sine scandalo habitum deponat, vel secretò intra se votum religionis emittat, iuxta Caiet. 2.2.q.88.ar.1.

QVÆSTIO XIII.

An qui vouet sine animo vouendi, vel promittendi, peccet?

ET quidem certum est, hunc peccatum committere, quia mentitur. 1

QVÆSTIO XIV.

Sed dubium est, an peccet mortaliter?

IN qua re etiam constat, in votis solemnibus, eum qui sic vouet, peccare mortaliter, quia in ea fictione magnam facit iniuriam religioni, & consequenter Deo, & Ecclesiæ; & vix potest quis hoc facere absque grauissimo scandalo, nisi grauis causa vrgeret ad sic fictè vouendũ, vt metus, vel sedare magnum scandalum, tunc enim erit solùm peccatum veniale. 1

Tota igitur quæstio versatur in votis simplicibus.

Less. lib.2. c.40. dub.1. tenet eum peccare mortaliter, quia in re graui mentitur.

At multo veriùs existimo, per se loquendo, & quantum ad substantiam actus non peccare nisi venialiter. Ratio est, quia qui sic vouet, nullum diuinum attributum euertit, nec grauem Deo contumeliam infert. 2

Tum quia nolle vouere, per se nullum peccatum est, ergo velle proferre verba vouendi, cum nolitione vouendi, vel se obligandi; non infert grauem irreuerentiam Deo, nec hominibus grauem iniuriam per se loquendo, ergo per se non peccat, nisi venialiter.

Dixi notanter (*per se*) quia per ac-

cidens ratione circunstantiæ potest peccare mortaliter in tribus casibus.

Primò, si id facit intendendo fallere Deum: quia tunc errorem in fide, atque adeò blasphemiam includeret.

Secundò, si id facit ex contemptu, aut cum graui scandalo, vt si votum emitteret in illius derisum, aut cum aliorum graui scandalo.

Tertiò, si inde fieret, vt aliquis graue damnum iniustè pateretur.

QVÆSTIO XV.

An qui vouet animo quidem vouendi, non tamen se obligandi per votum, quin potius positiuè habet animum non se obligandi, tale votum sit validum, & obligatorium?

1 ILLVSTRISSIMVS Caiet. 2. 2. q. 88. ar.4. Sot.lib.7.q.1.ar.2.& Arag. 2.2. q.88. art.1. affirmant tale votum valere.

At verò Scotus in 4. dist. 38. Syluest.verbo metus,q.8.& verb.pactum nu.4. Medina C.de restitutione q.23.
2 Nauar. in Manuali cap.12.nu.27.citans Caiet.2. 2. q. 88. ar.1. Leonard. Less.lib.2.de iust.& iure cap.40.dub. 1.Sanch.lib.1.de matr.d.9.Val.2.2.d. 6.q.6. p.1. Azor. lib.11. c.41.q.2. & multi alij negant. Pro quo.

Primò dico, quòd votum, sicut & iuramentum ex natura sua habet obligare ad sui obseruantiam. Ratio est, quia votum sicut & iuramentum est de iure naturali, & diuino iuxta illud Psal. 75. *vouete, & reddite*, &c. ergo votum ex sua natura, & non ex intentione vouentis habet inducere obligationem.

Secundò dico, quòd vt votum sit verũ votũ, non necessariò requiritur, vt vouens habeat formalem intétionem se obligandi. Ratio est, quia vo- 3
tum ex sua natura est obligatorium, ergo qui vult vouere, virtualiter vult se obligare.

Hinc, qui sciens, ac volens emittit votum, nihil tamen cogitans an se voto obliget, an non, tali voto tenetur. Ratio est, quia ex ipso voto obligatio nascitur, ac profluit.

Tertiò dico, quòd regulariter probabilis est eorum opinio, qui dicunt eum qui habet animum vouendi, quamuis interius nolit se obligare, adhuc manere voto astrictum. Ratio est, quia votum in sua ratione formali vim habet obligandi, & non ex voluntate vouentis, ergo qui habet animum vouendi, quamuis careat proposito se obligandi, adhuc manet voto astrictus.

Tum quia quamuis sit in hominis potestate votum emittere, non potest tamen efficere, vt non habeat vim obligandi, postquam est emissum: queinadmodum ducere vxorem pen- 4
det ex nostra voluntate; ea tamen supposita, ex natura rei oritur obligatio reddendi debitum vxori: ita etiam quamuis in nostra potestate sit vouere, qui tamen vouere vult, & vouet, velit, nolit, ex naturali quadam consequentia voto obligatus manet.

Et confirmatur, nam qui vult antecedens, vult necessariò consequens: sicut qui dat formam, subindè dat consequentia formam; sed obligatio consequitur promissionem, ergo qui vult promissionem, necessariò vult obligationem.

Dixi notanter (*regulariter*) quia qui credẽs ex ignorantia votum nullam vim obligandi habere, vel putans bona fide opinionem Scoti esse verum, emitteret votum, habens quidem animum vouendi, non autem se obligandi

gandi per votum, tali voto non tenetur. Ratio est, quia tunc nec explicitè, nec implicitè vult obligari, eo quòd facit actum, quo putat nullam obligationem contrahere.

5 Quartò, & vltimò dico, quòd probabilior est sententia eorũ, qui tenent eum qui habens propositum vouendi, non intendit tamen se obligare per votum, non manere tali voto obligatum. Ratio est, quia sicut lex non obligat, si legislator non habet intentionem obligandi subditum: ita nec votum quod est veluti lex quædam, quam quis sibi imponit, vim habet, si vouens intendit non se obligare: cùm actus agentium ex libera voluntate, non operentur vltra intentionem eorum.

Tum quia qui vouet cum expressa intentione non se obligandi, reuera non vouet, sed fingit se vouere.

Tum quia quando actui apponitur aliqua conditio, quæ est contra substantiam actus, ille actus est nullus; vt cùm quis duxit vxorem, nolens se obligare ad reddendum debi-

6 tum. At hic apponitur talis conditio voto, saltem tacitè, ergo votum est nullum. Et ideo hanc partem sustinendo ad argumenta in contrarium adducta oportet nunc respondere.

Et ad primum, distinguo antecedens; quando promissio est vera, fateor; secùs quando non est vera, vt contingit, quando deficit animus se obligandi.

Ad secundum dico, quòd volens efficaciter antecedens, vult consequens: at qui absque animo se obligandi vouet, minimè vult efficaciter vouere, sed simulat.

7 Hinc fictè promittens, ex vi promissionis non tenetur nisi ad pœnitendum de fictione, quia radix obligationis. s. voluntas obligandi se, defuit, tenetur tamen ad seruandum promissum ratione scandali, vel damni, si alicui ob non seruatam promissionem obueniret.

QVÆSTIO XVI.

An votum sine animo se obligandi emissum, sit validum, & obligatorium, si iuramento firmetur?

1 CAIET. gloria Thomistarum in 2.2.q.89.ar.7. Sot. lib.8.q.1.ar. 7. Lop.p.p.inst. conf. cap.42. Roder. p.2.sum.cap.94.nu.7. Arag.2.2.q 89. at.7. & Couar. de pactis 1. p.§.5.nu. 2. censent tale votum obligare.

Mihi vero aliter videtur dicendum, nimirum non obligare ex vi iuramenti, nec esse votum. Probatur eisdem rationibus quibus in præcedenti quæstione id probauimus de voto: vtraque enim obligatio procedit ex spontanea hominis voluntate sibi legem imponentis: & colligitur ex cap. *Humanæ aures* 22.q.5. vbi ha- 2
betur: *Deum intueri cor, & intentionem iurantis, non verba.* Et ideò ita sentiunt Angel. verb. iuramentum 5.nu. 8. Sylu. verb. iuramentum 4. q. 7. & 17. Rosel. verb. iurare, nu. 29. Armil. verb. iuramentum nu. 14. Gutier. de iuram. 1.p.cap.57. nu.20. Med. C. de confess. quæst. de dispensat. in reuelanda confessione. Philiarch. de off. Sacerd. tom.1.p.2.lib.3. c.16. Sanch. lib.1. de matrim. disp.9.nu.9. & videtur esse expressa sententia D.Thom. lib.3. dist. 39. q.1.ar.3. quæstiuncula 3. vbi ait, *iuramentum ex ipsa iuramenti, vt iuramentum est ratione, non obligare, nisi iuxta iurantis intentionem.*

QVÆST.

QVÆSTIO XVII.

An qui vouet animo quidem promittendi, & se obligandi, non tamen implendi, tali voto teneatur?

1 GREG. de Valent. 2.2. d.6.q.6. p. 1. censet hunc ad id non teneri. Et probat, quia D.Tho.2.2.q.88. ar.1. docet promissionem procedere ex animo exequendæ rei promissæ: vbi supponit non stare veram promissionem cum animo non implendi promissum. Immò addit Valent. hanc esse communem sententiam.

Ego verò nullum alium authorem inueni huius sententiæ. Quare ea reiecta tanquam omnino falsa, dicen-
2 dum est, eum tali voto teneri. Ratio est, quia hic verè promittir, & sese Deo obligat: nam ex promissione verè facta, sequitur obligatio tanquam naturalis effectus eius. Neque peruersum illud propositum non implendi, eximit ab ipso voti vinculo.

Tum quia, non est de essentia promissionis, vt quis animum habeat præstandi promissum, sed solùm vt habeat animum conferendi ius aliquod ad eam exigendum, & ad obligationem sibi imponendam.

Tum demùm, quia qui iurat se aliquid facturum, tenetur etiam si dum iurat, careat animo faciendi: ergo qui Deo aliquid promittit, tenetur, etiam si dum promittit non habeat animum implendi promissum. Antecedens per se patet. Consequentia verò probatur, quia vtriusque eadem est ratio. Et ideò huius sententiæ sunt Caiet. 2.2.q.88. art.1. Sot. lib.7. q.1. art.2. Nau.c.12. nu.38. Tolet.lib.4.ca.17. Mar.lib.11.c.13.q.9. Arag.2.2.q.88. art.1. Lop. p.p. cap.43. Roder. p. 2. sum. cap.94.nu.7. Cord.de casib.conscientiæ q.145. Suar.to.2. de religione lib.5.cap.1. & alij communiter.

Dices, secundùm D. Tho.2.2. q. 88. art.1. tria necessariò requiruntur ad votum. s. deliberatio, propositum voluntatis faciendi, & promissio, ergo. 3

Respondeo ista tria necessariò requiri vt votum rectè, & absque peccato fiat.

Tum quia D.Thom. solùm refert, quod communiter euenit, nempè promissionem ex proposito rei faciendæ oriri.

Hinc, si quis alteri promisit soluere certam pecuniæ quantitatem, persoluere tenetur, etiam si intentionem habuerit non præstandi promissum, sed promittendi tantùm, & decipiendi. Quare videant, quando vo- 4
uent equites Melitæ: quia licet dicant, se non habuisse intentionem seruandi castitatem, quam promiserunt, sufficit ad hoc, vt teneantur ad illam in conscientia, quòd teneanrur voto, quod verè fecerunt.

Fateor tamen oppositum esse etiam probabile, quia qui habet animum non faciendi, non seriò, sed ioco promittit; nec verè vult obligari, sed fingit externa specie verborum, ergo tali voto non tenetur.

QVÆSTIO XVIII.

An qui verè, & ex animo vouet, sine proposito adimplendi illud, peccet mortaliter?

RESPONDEO cum ex suo genere peccare mortaliter. Ratio 1
est, quia cum id sit verè votum, si materia voti legitima est grauis, peccabit mortaliter, si autem est leuis, venialiter. Erit autẽ duplex mortale in

in materia graui, alterum mendacij in re graui, quod est mortale ex obiecto, alterum verò fractionis voti, quod vouens intendit transgredi in materia, quæ obligat vouentem ad mortale. At in materia leui duplex simile veniale.

QVÆSTIO XIX.

An votum sine plena, & matura deliberatione emissum, sit validum, & obligatorium?

NOTANDVM est, in homine triplicem esse motum voluntatis. Primus est ita celer, vt nullo pacto sit in hominis potestate illum cohibere; & iste dicitur motus primò primus, in quo nec est peccatum, nec meritum. 1

Secundus motus est, qui impediri, & cohiberi potest, imperfectè tamen, & non plenè: & in isto motu potest, esse ratio meriti, & peccati, sed non plena, quia imperfectè liber est, & non sufficit ad peccatum mortale, sed solùm ad veniale, & dicitur iste motus, secundò primus.

Tertius vero est, in quo est perfecta, deliberata, & plena libertas, vt homo possit emittere, & non emittere, & in hoc inuenitur plena ratio culpæ mortalis. Quo præmisso.

Primò dico, quod votum quod fit ex subitò, & impræmeditato motu, & vt dicunt Theologi motu primò primo, non est validum, nec obligatorium. Ratio est, quia votum debet esse voluntarium. At motus primò primus nulla ratione est voluntarius, sed naturalis, ergo.

2 Hinc, si ebrius, aut iracundus impræmeditato, & subito passionis motu iuret, aut voueat se daturum certam eleemosynam pauperi, si iterum ludat; non perpendens sitne bonum, aut malum tale votum facere, si posteà votum non impleat, non peccat. Ratio est, quia cùm primus motus non sit liber, quia non est in hominis potestate, votum tunc factum non valebit.

Secundò dico, quod deliberatio, quæ sufficit solùm ad peccatum veniale qualis est illa, quæ à Theologis motus secundò primus dicitur) ad votum non sufficit. Ratio est, quia cùm votum debeat esse ita deliberatum, vt obliget ad sui obseruantiam sub mortali, & motus secundò primus tantum est culpa venialis, non potest esse inductiuus talis obligationis; ergo nec talis motus voluntatis secundò primus, in quo tantum est culpa venialis, erit sufficiens ad votum. 3

Et confirmatur, votum suapte natura obligat ad mortale, ergo petit deliberationem ad mortale requisitam. 4

Tum quia per motum voluntatis, in quo solùm culpa venialis inuenitur, non frangitur votum, vt omnes concedunt: ergo nec talis motus sufficiens erit ad inducendam voti obligationem. Patet consequentia ex paritate rationis.

Tertiò dico, quòd ad voti obligationem non est necessaria deliberatio illa, qua homo cuncta considerat, quæ illum cohiberent à vouendo, sed ea solùm necessaria, & sufficiens est, qua iudicat quid sit id quod facit, & quæ satis est ad peccandum mortaliter. Ratio est, quia talis deliberatio sufficit ad tradendum se diabolo, ergo etiam sufficit ad obligandum Deo, cùm æqua sit vtriusque ratio. Vnde si iracundia accensus, dummodo sit rationis compos, potest votum frangere, & mortaliter peccare, ità eadem passione dominante, potest per votum

Deo se obligare, non enim maior libertas ad vouendum, quàm ad votum frangendum requiritur.

5 Hinc valida sunt vota illa, quæ quis benè potatus facit; nisi is ita ebrius sit, vt rationis vsu orbatus sit; tunc enim non tenerēt. Sicut etiam qui calore libidinis commotus iurat vxorē ducere, cogitur eam ducere. Et sicut iratus, aut benè potatus occidens hominem, non excusatur à toro, quin peccet mortaliter, ex quo non sic fuit extra se, quin sciret quid faceret, licet statim postea pœniteat, & nollet fecisse: quia statim pœnitere de peccato, arguit quidem illud non esse factum ex habitu, non tamen arguit, quin sit factum ex electione, licet passione turbante iudicium rationis.

Quartò, & vltimò dico, quod vota ex repentina deliberatione, sufficienti
6 tamen ad votum, secum afferunt causam, vt in illis Prælati facilè dispensent. Ratio est, quia huiusmodi vota facta ex passione, vel timore quodammodo sunt inuoluntaria, & consequenter secum afferunt causam vt dispensentur, vt docet Caiet. 2. 2. q. 88. ar. 1. & Sot. lib. 7. q. 2. ar. 2.

Ex qua doctrina colligitur, quænam deliberatio sufficiens sit ad votum, illa s. qua homo iudicat quid sit, quòd facit, hæc enim, cùm efficiat
7 actum simpliciter, & in se voluntarium, & non solùm in sua causa, sufficiens est ad hoc, vt homo possit per votum se obligare.

Hinc, qui sciens, & volens se inebriat, cognoscens quod ebrius solet vouere, si postea deficiens mente voueat, talia vota non valent. Quia non sunt in se voluntaria.

Dices, libertas in causa sufficit ad peccatum mortale, ergo sufficere debet ad constituendum votum.

Respondeo negando consequen-
8 tiam. Ratio negationis est, quia vt quid sit peccatum, sufficit quicunque defectus: vt verò sit bonum, est necesse, quòd careat omni defectu: *bonum enim* teste D. Dionis. cap. 4. de diuin. nomin. *non nisi ex integra causa consurgit, malum verò ex singulari defectu*: vndè cum votum sit quoddam bonum, exigit vt in se formaliter, vel virtualiter sit volitum; at peccatum cum sit malum, satis est, vt in sua causa sit volitum.

Tum quia cùm homo teneatur vitare peccatum, eo ipso quòd sciens in ebrietate solere illa committere, & cùm possit, non curat ea vitare, indirectè, & virtualiter ea vult. At non tenetur homo vitare vota: ergo non censetur voluntas virtualis circa illa.

Hinc valida sunt vota illa, quæ 9
fiunt ob metum mali repentini, & mortis, tam naturalis, vt in grauiter infirmo, quàm accidentalis, vt patet de votis mulierum in partu, & virorum in periculis naufragij, incendij, &c. si enim habuerunt intentionem obligandi se Deo, cogitantes de causa; quæ mouebat eos ad vouendum. s. de infirmitate, vel periculo, & de fine. s. euasione periculi, ea adimplere tenentur, etiam si in angustiis, & periculis emissa sint. Cap. sicut de regular. lib. 6. vbi clericus ex definitione Innoc. Papæ III. qui nimia ægritudine impulsus religionem vouit, iubetur ingredi. Et tamen probabile est, in nimia ægritudine non fuisse admodum maturam illam deliberationem. Et cap. qui opes 17. q. 4. vbi quidam, qui tumultuario mentis impulsu opes quasdam Ecclesiæ contulerunt, de temeritate quidem reprehenduntur, sed sacrilegi iudicantur, si donationem reuocent.

Hinc, falsa est Regula quàm tra- 10
dunt Angel. verb. votum 1. §. 6. Tabien. verb. votum. 1. q. 1. & Supplem. Gabr. in 4. d. 38. q. 1. ar. 1. ad cognoscendum

scendum an votum sit validum; nec ne; dicunt enim quòd si post emissum votum, hominem transacta angustia statim pœniteat illius, vel vt ipsi aiunt, est male contentus, signum est votum fuisse indeliberatum, & nullum. Est inquam falsa, quia illa displicentia non arguit defuisse requisitam deliberationem, & proinde non obligare: quia sæpe eorum quæ ex magna deliberatione gesta sunt, facientem pœnitet. quanti enim sunt, qui contrahunt matrimonium, aut ineunt contractus, quos statim pœnitet?

Tum quia licet pœnitentia post peccatum sequatur, non est signum,
11 peccatum non fuisse mortale, sed ad summum iudicatur non fuisse ex habitu, sed ex passione, vel repentina occasione.

Hinc falsa est Regula, quàm adducit Panorm. cap. si verò de iureiur. num. 7. ad cognoscendum, an votum fuerit indeliberatè, & ex surreptione factum, an non; dicit enim, quòd si secluso iracũdiæ calore votum emissum non fuisset, signum est quod votum non fuit deliberatè factum. Est, inquam, falsa. Quia calore iracundiæ multa fiunt deliberatione sufficienti ad culpam læthalem, quæ eo calore secluso minimè admitterentur, & nihilominus sunt valida. Nec enim passio non indicat fuisse omnino perturbatam rationem, sed ad summum indicat indiscretum, vel imprudens iudicium.

QVÆSTIO XX.

An peccet, qui sine debita, & matura deliberatione vouet?

1 RESPONDEO, peccare. Ratio est, quia votum est grauissimus actus religionis, & grauem inducit obligationem; ergo postulat prudentiam, & magnam considerationem vt rectè fiat; ergo qui præcipitanter, & absque matura consideratione vouet, peccat.

Tum quia facilè vouet, facilè etiam votum infringit, ergo peccat.

Tum quia Eccles. 5. non solùm infidelis promissio reprehenditur, verum etiam stulta, qualis est, quæ ex leui deliberatione procedit. Et in hoc omnes Doctores conueniunt.

QVÆSTIO XXI.

Sed dubium est, An sic vouens peccet mortaliter?

RESPONDEO, regulariter hunc solùm peccare venialiter, quia vt plurimùm votum magnam deliberationem non exigit, vt rectè docet D. Tho. 2. 2. q. 189. ar. 10. 1

Dixi (*regulariter*) quia interdum potest peccare mortaliter, vt si attenta vouentis propensione, votum est 2
adeò de re difficili, vt moraliter loquendo timeatur fore, vt sæpe violet: tunc enim ratione periculi, cui vouens se exponit, erit peccatum mortale sic vouere. Quod intelligitur, si periculum aduertatur, vel facilè aduerti possit, vt contingit, quando homo expertus est ex tali facilitate vouendi similia incommoda solere incurrere.

Potest tamen sic vouens esse sine culpa, vt quando votum est de re minima, vt de dicendo quinque *Pater noster*, quia in re modica matura deliberatio non requiritur. 3

***

QVÆSTIO XXII.

An qui attentis omnibus circunstantiis est dubius: an votum cum debita, & matura deliberatione emiserit, ad illius exequutionem teneatur?

1 RESPONDEO teneri. Ratio est, quia semper præsumitur debitam deliberationem adfuisse: nam rarò contingit, vt in tantum calor iracundiæ exardescat, vt rationis vsum auferat: sicut rarissimè occidens alterum ex vehementi iracundia excusatur à mortali, & ideò ex communiter accidentibus præsumitur maturam considerationem adhibuisse.

QVÆSTIO XXIII.

An qui dubitat, an votum vouerit, an non, ad illud obseruandum teneatur?

1 SOTVS lib.7. q.3. art. 2. Barth. Med.lib.1.c.14.§.7.Lop.p.1.cap. 45. & alij negant hunc ad id teneri, ducunturque, quia in dubio melior est conditio possidentis.

Contrariam tamen tenent D.Th. in 4. d.38.q.1.art.3. quæstiuncula 1. ad 6.Ang.verb.votum 1.nu.12. Tab. verb.votum 3.nu.2. Sylu.verb.Religio 2.q.16. & 17. Nauar.lib.1.conf. conf.26.Cord.in sum.casuum q.147. Gabr.Vasq.1.2.d.65.ca.3.Azor.to.1. lib.11.ca.15. q.2. Satyr.in claui Reg. lib.1. c.13.n.36.Salas 1.2.q.21.tract. 8.d.vnica sect.17. n.162. & sect.25. n.252.& 253.& alij. Quia in dubio facti tutior pars est eligenda, sed dubiū voti, est dubiū facti, ergo. Pro quo.

2 Primò dico, quod qui iudicat probabiliter se non vouisse, & si rationes habeat probabiles, quæ contrarium suadeant, tali voto non tenetur. Ratio est, quia cum probabilitas sit in vtramque partem, licitum est homini, quā maluerit sequi. Immò quamuis contrariam partem probabiliorem existimet, adhuc integrum est minus probabiliorem amplecti: quia sequendo opinionem probabilem, periculum peccati euitatur.

Secundò dico, quod qui iudicat probabiliter se emisisse votum, nec habet in oppositum probabilia motiua, sed solùm coniecturas insufficientes ad ferendum iudicium, tali voto tenetur. Ratio est, quia probabilitas facit certitudinē moralē, quando 3
non est alia similis in contrarium.

Tum quia in rebus humanis non est maior certitudo exigenda, cum vix aliquid per infallibilem euidentiam cognoscamus.

Tertiò dico, quod, qui in dubio negatiuo anceps animi est, id est qui neutram in partem habet rationes probabiles, non potest salua conscientia facere contra votum, antequam diligentiam adhibeat ad veritatem cognoscendam. Ratio est, quia stante tali dubio, euidenti periculo exponeret se committendi peccatū mortale.

Quartò, & vltimo dico, quòd si 4
is qui eodem dubio negatiuo anceps animi est, post sufficientem adhibitam diligentiam sciendi veritatem, adhuc est dubius, vtrum emiserit votum, nec potest iudicium ferre, quod emiserit illud, non tenetur ad talis voti obseruationem. Ratio est, quia ex Reg.65.iuris in 6.in dubio melior est possidentis conditio, sed in hoc dubio voluntas possidet suam libertatem, cum de vinculo contracto dubitetur, ergo in hoc dubio pro libertate iudicandum est: ac proindè si hæsitet, an quippiā vouerit, iurauerit, promiseritve, tutò iudicare potest se non vouisse, neque iurasse, aut promisisse.

misisse. Et ita docent Sot. lib. 7. q. 3. ar. 2. Barth. Med. lib. 1. sum. cap. 14. 8. 7. Henriq. lib. 10. de matr. c. 11. nu. 5. & lib. 8. de Euch. cap. 45. nu. 3. Lop. p. 1. c. 45. Suar. to. 5. in 3. p. d. 40. sect. 5. nu. 15. Sà verb. dubium n. 2. & verb. votum in principio nu. 2.

Et ad fundamentũ contrariæ opinionis respõdeo, Axioma illud, in dubio tutiorem partem esse eligendam,
5 intelligendum est non de præcepto, sed de consilio, nam vt multi nobiles Doctores tradunt, satis est sequi partem tutam. Vel dic, quod in dubio eligendum est tutius, quando cætera sunt paria, id est, quando ex neutra parte intercedit ius possessionis.

Hinc, quando ex intentione vouentis, vel ex verbis, quibus emissum est votum, comprehendi non potest, quidnam sit de quo votum emiserit, liberum est illi, ex his, de quibus dubitat, probabiliter eligere quod maluerit. Nec enim tunc tenebitur amplecti id quod est rigorosius, quia non magis ad illud, quàm ad hoc de quo dubitat, obligatur. Sic Suar. tract. 6. de Relig. lib. 4. c. 8. nu. 5.

6 Hinc, qui vouit, & æquè est in vtramque partem incertus, voueritne castitatem absolutè, an tantùm castitatem coniugalem, aut voueritne Religionis ingressum ad eam experiendam, an ad profitendam in ea, potest eligere partem minus onerosam, quando vtraque est æque incerta. Et ratio est, quia nemo censetur renunciare iuri suo, nec discedere à iure communi, nisi certo constiterit id intendisse. Immò vota secundum ius commune sic sunt interpretanda in casu dubij.

Hinc, qui sine limitatione suæ intentionis vouit aliquid quod potest tũ maius, tũ minus esse, satisfacit præstando illud quòd est minus, v. g. dare in eleemosynam nummum aureum, cum tamen omnis talis nummus non sit eiusdem valoris, sed alius plus valeat, alius minus, potest quem velit dare.

Hinc, qui vouit dare alicui Ecclesiæ, vel pauperibus annuatim vnam mensuram frumenti, quæ in vsu est diuersæ quantitatis, nec constare potest, quam determinauerit vouendo, potest eam quam vult eligere, vt expressè definitur in cap. ex parte de censibus. Et ratio est, quia in dubiis vnusquisque præsumitur minus seipsum voluisse grauare, quàm potuerit: ergo nisi aliundè magna sit præsumptio, interpretatio facienda est in fauorem vouentis, ita vt minus grauetur. 7

Hinc, non est audiendus Syluest. verb. votũ 2. q. 15. vbi ait in eo euentu teneri vouentem eam quantitatem dare, de qua cogitauit cùm vouit, vel quam determinasset, si cogitasset. Non est, inquã audiẽdus, quia ad inducendam obligationẽ non sufficit cogitasse de tali quantitate, nisi re vera illam vouerit, sæpè enim habetur cogitatio sine intentione obligandi, vt patet. 8

Tum quia licet homini sit certum, quid determinasset, si cogitasset, tamen parum refert ad obligationem, si homo de facto illam quantitatem non determinauit, quia nemo obligatur, sicut nec meretur, nec demeretur, ex his quæ determinasset, si cogitasset, sed ex his, quæ postquam cogitauit, determinauit: & ideò, si mensura non fuit determinata, potest illam nunc determinare, prout vouens voluerit, & sic eligere minorem, etiam si probabiliter videatur. quòd si tempore voti determinationem fecisset, maiorem mensuram elegisset.

Hinc, qui vouit ingredi aliquam Religionẽ, nec constare potest, quòd Monasterium elegerit, ob eandem rationem liberum est ei ex Monasteriis illius Religionis eligere, quod velit, 9



velit, dummodo in eo essentialia Regulæ seruentur. Ratio est, quia cum huiusmodi votum fuerit ab initio gratuitum, benignius est eligendum.

Hinc, qui vouit Religionem, non satisfacit tali voto, si eligat Monasterium, in quo religiosè non viuitur, nec professio seruatur. Ratio est, quia vouere Religionem idem est, ac vouere statum in quo religiosè viuitur.

Hinc, qui vouit Rosarium, tenetur eligere locum, in quo possit id facere cum attentione. Ratio est, quia attentio pertinet ad substantiam orationis.

10 Hinc, qui vouit audire Missam, eo ipso obligatur illam attentè audire, quòd si non ita audiat, non implet votum, etiam si de attentione tempore voti nihil cogitauerit, aut intenderit, quia in ipso actu audiendi Missam attentio intimè includitur.

QVÆSTIO XXIV.

An qui vouit peregrinari, nec determinauit in voto, an pedester, vel equester peregrinaturus sit, possit equester peregrinari?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia cum votum strictè interpretandum sit, ita vt in quantum fieri possit, minus obliget, vt quam maximè sacrilegæ transgressionis occasio, & peccati periculum vitetur, & cum equestri saluetur peregrinationis natura promissæ, non est id votum de difficiliori pedestri peregrinatione intelligẽdum. Quod est verùm etiam si dum vouit, habuerit animum eundi pedester, non tamen eam vouit. Quia non omnis intentio tunc concepta obligat sub voto, sed quæ sub illo comprehensa est.

QVÆSTIO XXV.

An qui est certus, se emisisse votum, dubitat autem an animum vouendi, vel se obligandi habuerit, tali voto teneatur?

RESPONDEO teneri? Ratio est, quia ibi est maxima præsumptio, quæ humano modo esse potest de veritate voti, & sufficiens motiuum ad probabiliter iudicandum tale votum factum esse cum intentione vouendi, quia verba de se sunt sufficientia signa animi vbi contrarium non constat; & nullus præsumitur dicere quòd in corde non habet, vt delicti præsumptio euitetur; ergo vbi constat de voto, dubitatur autem de animo se obligandi, præsumptio, & possessio est pro animo se obligandi verbis voti id significantibus. 1

Deinde obligatio naturaliter sequitur naturam voti, ergo si de voto constat, & dubitatur de animo contrario, præsumptio & possessio est pro obligatione. 2

Tandem probato facto, præsumitur interuenisse omnia ad facti substãtiam necessaria, vt probat Panorm. in cap. 1. de his quæ vi, &c. nu. 9. Sed hîc constat de voto, ergo in dubio præsumitur animus vouendi, vel se obligandi ad eius valorem requisitus. Ita Sot. lib. 8. q. 1. ar. 4. Couar. 4. decret. 2. p. ca. 3. §. 5. num. 5. & Cord. in sum. q. 147.

QVÆSTIO XXVI.

An si vouens sit anceps, an dum votum emisit, vsum rationis habuerit, tali voto teneatur?

RESPONDEO si is qui vouit septennium attigerat tempore voti 1

voti emissi, præsumitur in ea ætate vsus rationis, ac proindè votum valebit.

Et confirmatur; nam ius censet sponsalia post septennium ætatis facta, esse valida, ergo præsumit vsum rationis in illa ætate: quia sine vsu rationis nullus contractus potest esse validus.

Tum quia nemo ante legitimum illud tempus tenetur Ecclesiasticis legibus Sacramentorum, & ieiuniorum, ergo nec votis, nisi clarè constet, esse doli capacem. Si autem non attigerat, præsumitur vsus rationis defuisse, quia iura in ea ætate non præsumunt vsum rationis, nisi de contrario constet, & sic non valebit
2 votum. Quod si dubium sit, an septennium attigerit, necne, credo in fauorem voti præsumendum. Quia de illo constat, excusatio autem est dubia.

Tum quia ante septennium nunquam, aut raro emittuntur vota, ergo ex his, quæ vt plurimum contingunt, in dubio præsumitur id votum post septennium emissum.

QVÆSTIO XXVII.

An qui est certus de voto, dubitat autem an illud emiserit ex calore iracundiæ, &c. tali voto teneatur?

1 RESPONDEO teneri. Ratio est, quia solus calor iracundiæ regulariter non ita absorbet vsum rationis, ita vt tollat libertatem sufficientem ad peccatum mortale: & ideo non videtur inde oriri sufficiens dubium, quòd obligationem voti impediat.

Et confirmatur, nam licet interdum huiusmodi passio omninò vsum rationis absorbeat, rarò tamen id contingit: quæ autem rarò eueniunt, non præsumuntur, nisi sufficienter probentur, ergo.

QVÆSTIO XXVIII.

An qui est certus de valore voti ex parte sua voluntatis, dubitat autem an materia voti sit licita, tali voto teneatur?

SOTVS lib.7.q.1.ar.3. negat. 1
Alij vero rectiùs affirmant hunc ad id teneri. Ratio est, quia ad valorem voti duo necessariò requiruntur, primum, vt homo velit se obligare. Secundum est, vt Deus acceptet: quando ergo quis est dubius de honestate materiæ, non est dubius de valore voti ex parte suæ voluntatis, sed est dubius ex parte Dei acceptantis; ergo cùm homo de voluntate sua sit certus, tenetur procurare vt de diuina acceptatione certior fiat; ergo tenetur consulere Christi vicarium in eo dubio, vt vel dispenset, vel interpretetur. Et ideò ita videtur sentire D.Tho. 2.2.q.88.ar.2, ad 3.vbi ait in hoc dubio consulendum esse superiores.

QVÆSTIO XXIX.

An votum quod est irritum ob defectum vsus rationis, vel animi vouendi, aut ob aliam causam, reddatur validum, si postea ratum habeatur?

RESPONDEO quòd sic, si hic ratum habens sciat prius votum 1
fuisse nullum, & ex nunc velit illo ligari

gari per reg. ratihab. de reg. iuris in 6. Quod si dubitet, an tunc meminerit prioris voti, aut an illius nullitatem scierit, non obligabit votum, quia cum sit sola prioris voti ratificatio, nulla est possessio pro voto. Ita Azor. lib. 11. c. 15. q. 8.

QVÆSTIO XXX.

An qui est certus de voto, dubitat autem an illud impleuerit, teneatur illud seruare?

1 RESPONDEO hunc ad id teneri. Ratio est, quia in hoc casu debitum est certum, & solutio est dubia, & ideò possessio est pro creditore.

QVÆSTIO XXXI.

An vouens dare centum Ecclesiæ pro anima sua, & postea noceat proximo in tantumdem, nec potens est vtrique obligationi satisfacere, teneatur potius ad votum?

1 RESPONDEO hunc ad id votum non teneri. Ratio est, quia cùm obligatio iustitiæ præponderet obligationi religionis, idcirco tenebitur prius compensare damnum proximo illatum, deinde votum exequendo dare illa centum Ecclesiæ.

QVÆSTIO XXXII.

An qui vouit confiteri tali mense, si in eodem mense incidat obligatio præcepti Ecclesiastici confitendi, teneatur eodem mense bis confiteri?

1 RESPONDEO non teneri. Ratio est, quia verisimile est vouentem voluisse se conformare obligationi Ecclesiæ, cui per vnicam actionem satisfacimus, vt contingit in duplici festo, & duplici ieiunio eodem die occurrentibus.

Hinc, qui vouet audire Missam die festo, non intelligitur vouere aliam Missam, præter eam, quam ex præcepto audire tenetur, nisi expressa intentione id determinet. Quia ex 1
vi talis materiæ, id non sequitur: quia de ratione Missæ non est, quod sit, vel non sit præcepta.

Hinc, qui vouit se daturum eleemosynam alicui pauperi & posteà eam dat Titio in extremis constituto, suo voto satisfecisse censetur, quia intentio vouentis interpretari debet fuisse dare eleemosynam pauperi, siue is esset in extremis, siue non. secùs 2
si animus vouentis fuit eleemosynam dare solùm iis, quibus aliàs tantum de consilio, ac pietate erogare tenebatur.

QVÆSTIO XXXIII.

An si confessarius alicui in pœnitentiam iniungat, vt certam eleemosynam largiatur, hic confessario satisfecisse censeatur, si eleemosynam quam voto erogare tenebatur, pauperi tribuat?

RESPONDEO non satisfecisse. 1
Ratio est, quia cum confessarij pœnitentias imponunt pœnitentibus, intelligunt de iis quæ non sunt aliàs sub præcepto.

QVÆSTIO XXXIV.

An qui vouit tot missas in honorem Beatæ virginis, satisfaciat voto, si Sacerdotem gratis eas facere volentem inueniat?

RESPONDEO satisfacere, etiam si 1
dum vouit animum erogandæ eleemo

eleemosynæ pro missis habuerit;non tamen eam vouit. Ratio est, quia ille solùm Missas vouit, non autem eleemosynam. Quod est verum, etiamsi promisisset erogare eleemosynam, quia intentio principalis vouentis est, vt sacra fiant, & eleemosyna tantum ponitur, quasi accessoria,& medium pro illis faciendis,ergo eis celebratis,siue gratis,siue eleemosyna largita huic voto satisfacit. Quod si non vt accessoriam, sed æquè principaliter vouerit eleemosynam, non satisfaceret,gratis illis factis.

QVÆSTIO XXXV.

Sed quid si vouens eleemosynam illam æquè principaliter promissam Sacerdoti celebranti traderet,& ille sponte sua eam remitteret?

1 RESPONDEO, si hic vouit se daturum eleemosynam Sacerdoti, satisfaceret voto, si realiter absque tamen pacto retro donandi eleemosynam illam ei traderet, & ille liberè ei iterum eam donaret. Quia reuera ille eleemosynam largitus est.

QVÆSTIO XXXVI.

Quænam sit propria materia voti?

1 RESPONDEO bonum. Ratio est, quia votum est promissio facta Deo, sed nihil est Deo acceptum nisi bonum, ergo solum bonum est propria materia voti.

QVÆSTIO XXXVII.

Quotnam requirantur, vt bonum possit esse legitima materia voti?

1 RESPONDEO tria. Primùm,vt sit actus humanus, id est, vt sit in nostra potestate vt fit, vel vt non fit.

Hinc, votum de re simpliciter necessaria,vel impossibili, vt moriendi, vel non moriendi, volandi, vel non volandi, sydera manu tangendi, &c. non tenet. Quia est de re, quæ non est in nostra potestate.

Secundùm, vt sit opus bonum secundum rectam rationem, vtpotè quod debet esse gratum Deo. 2

Hinc,votum de re illicita seu peccato est irritum,& nullum. Ratio est, quia promissio semper est de re,quam quis in alterius gratiam pollicetur: sed omne peccatum est contra Deum, ergo de nullo peccato potest fieri votum. Vnde Isid. lib.2. de synonymis, & refertur in decret.22.q.4.in cap.in malis,dicit: *In malis promissis rescinde fidem. In turpi voto muta decretum. Quod incautè vouisti, ne facias. Impia est promissio,quæ scelere adimpletur.*

Hinc, votum de nimiis corporis macerationibus, non valet quo ad excessum, quo limites prudentiæ excedit,quia tunc non sunt actus virtutis sed vitij: secundùm D. Tho.2.2. q.88.ar.2. 3

Dixi (*quo ad excessum*)nam quo ad partem moderatam obligaret vtique, nisi ea esset intentio vouentis, vt si aliqua pars non valeret, non teneretur ad reliquas.

Tertium,& vltimum,vt huiusmodi opus non sit maioris boni impeditiuum. Et ratio est, quia omnis promissio fit,vt alteri gratificemur, ergo debet esse de eo, quod illi est gratius. Hinc votum de contrahendo matrimonium non valet. Quia oppositum magis Deo placet.

Ex quo colligitur, non quemcunque virtutis actum esse legitimam materiam voti: sed illum solùm, qui perfectius bonum continet.

QVÆSTIO XXXVIII.

Quænam sit potissima materia voti?

1 RESPONDEO esse bonum supererogationis,& consilij.Ratio est, quia votum est promissio boni voluntarij, atqui bonum supererogationis & consilij est omnium maximè voluntarium, & Deo gratissimum. Ita D.Tho.2.2.q.88.ar.2.

QVÆSTIO XXXIX.

An qui vouet peccatum mortale, vt occidere inimicum, peccet mortaliter?

1 RESPONDEO eum peccatum mortale committere duplici ratione. Primò propter malam voluntatem, quam habet occidendi inimicum. Secundò propter contumeliam,quam per tale votum Deo irrogat,dum ei consecrat rem, quam ille maximè abhorret. Vnde vtramque hanc malitiam necessariò tenetur in confessione explicare. Similis blasphemia erit, si eodem animo illud votum impleat.

QVÆSTIO XL.

An si hic voueat peccatum mortale sine animo se obligandi, & faciendi,etiam peccet mortaliter?

1 ANGLES in materia de voto tenet hunc non peccare mortaliter. Quia voluntatem peccandi non habet,sed venialiter tantum,quia tale votum est otiosum.

Sed ista ratio solum probat eum non peccare mortaliter in propria
2 materia actus promissi.At contra Religionem videtur peccare mortaliter ex duplici capite, nam & infidelis,& stultus promissor est in re graui.

Tum quia si grauis contumelia est minari graue malum Regi, etiam si id fiat sine animo illud malum inferendi, aut se obligandi,quanto magis hoc contumelia censeri debebit, respectu Dei, ob verborum temeritatem? Quare secluso etiam animo faciendi, & se obligandi, sola voluntas proferendi talia verba grauis blasphemia mihi videtur esse.

QVÆSTIO XLI.

An votum quod fecit Iephthe Iud. 11. quo promisit se immolaturum Deo, quidquid sibi reuertenti cum pace à filiis Amon,& à cæde Amonitarum primùm de foribus domus suæ occurreret, fuerit validum, & obligatorium? Perinde est,ac si quæreretur: An Iephthe verè vnicam filiam suam virginem per mortem temporalem Deo immolauerit?

NICOLAVS de Lyra in Iudic. XI. putat Iephthe verè nō occidisse filiam suam per mortem temporalem,sed ciuilem, & spiritualem, recludendo eam quasi in Monasterium Sanctimonialium, vt ibi quoad viueret,vitam cælibem ageret. 1

At Patres communiter tenent Iephthe verè, & propriè filiam occidisse. Sic D.Chrysost.hom.14.ad populum Antioch. & hom. de Iephthe. Tertullian. libro tertio contra Marcionem.Ambr.libro 1.de off.cap.50. Hier. in Hieremiam cap.7. D.Thom. 2
2.2.q.88.ar.2.ad 2.Azor.to.1.lib.11. cap.13.q.2.& alij.

Ex

Ex quo sequitur votum Iephthe non fuisse validum, nec obligatorium, nisi ad immolandum animal occurrens immolatitium, & quo ad hoc fuit licitum, & placens Deo, prout victoria subsequuta ostendit. Vnde secundum Hieronymum occidendo filiam suam impius fuit, sicut vouendo stultus. Quod verò ibidem dicitur, Spiritū sanctum fuisse super Iephthe,
3 vel intelligendū est secundum S. Tho. quia fides, & deuotio eius, ex qua motus est ad vouēdum, fuit à Spiritu sancto; vel vt notat Sotus, quia ex zelo diuino animatus Amonitas Dei hostes adorsus est. Nec ex eo quod inter iustos antiquæ legis numeratur ab Apostolo Hebr. 11. fit consequens, illum non peccasse, quia recenset etiam Samsonem, & Dauidem, quos tamen constat nonnunquam peccatores fuisse, & quia probabile valde est, eum pœnituisse de facto iniquo, sicut multi alij pœnitentiam egerunt.

QVÆSTIO XLII.

An qui vouet peccatum veniale, vt mentiri iocosè, vel proferre verba otiosa peccet mortaliter?

1 NAVAR. cap. 12. num. 38. Sot. lib. 7. q. 1. ar. 3. Tolet. lib. 4. cap. 17. num. 5. & Arag. 2. 2. q. 88. ar. 2. censent eum peccare venialiter, & probant, quia bonitas, vel malitia alicuius actus desumitur ex obiecto: sed obiectum illius voti tantùm est peccatum veniale, ergo & qui illud vouet, peccat tantùm venialiter.

Tum quia qui implet tale votum, non peccat nisi venialiter; ergo, & qui facit, non peccabit nisi venialiter.

Tum quia qui iurat facere aliquod peccatum veniale, non peccat, nisi venialiter, ergo & qui illud vouet. Consequentia patet, quia votum, & iuramentum quantum ad hoc æquiparantur.

At Illustrissimus Caiet. in summa verb. votum, Less. lib. 2. de iust. c. 40. dub. 7. & plerique alij docent eum peccare mortaliter. Et meritò quidem, quia si is qui ita vouet, scit esse peccatum, & nihilominùs Deo id vouet, grauem ei infert contumeliam, quia quantum in se est, destruit infinitam Dei bonitatem, quæ non patitur secum approbationem alicuius peccati: & est peccatum blasphemiæ, quia dum sciens, & prudens promittit Deo quod scit esse peccatum, insinuat Deo placere tale peccatum, eóque coli, & honorari, atque ex consequenti Deum non esse summè bonum. Vnde non excusatur in hoc casu à mortali ob leuitatem materiæ, sicut non est immunis à mortali, qui iurat mendacium, quantumuis minimum: quia qui illud iurat, infallibilitatem in Deo euertit, quod est ingens blasphemia. 2

Hinc, qui votum de committendo peccatum veniale implet, peccat mortaliter. Ratio est, quia idem est opere ipso Deum colere peccatis, & eodem animo per votum se obligare ad faciendum peccatum. 3

Posset tamen hic à mortali excusari ex inconsideratione inuincibili, qua quis non aduertit ad id quod facit, nesciens an promittat Deo, necne; aut saltem non aduertit tali suo voto, aut illius exequutione significare eiusmodi opus placere Deo.

QVÆSTIO XLIII.

An qui vouet peccatum veniale cum proposito exequendi, duplex peccatum committat?

RESPONDEO duplex peccatum committere, quia vltra pecca- 1

 tum

tum illud veniale, quod committit habendo propositum exequendi rem illam venialem, ipsum quoque votum peccatum est, & quidem mortale, quia grauis est iniuria religioni illata velle Deo vouere rem, quæ illi maximè displicet.

QVÆSTIO XLIV.

An votum rei bonæ potentis malum euentum habere, sit validum?

1 RESPONDEO esse validum, vt votum obediendi Prælato in omnibus, quamuis ille aliquando rem malam præcipere possit. Ratio huius est, quia huiusmodi votum absolutè emissum, tacitam conditionem habet ex communi vouentium intentione, & vouendi formula, vt intelligatur in rebus licitis, & honestis: non enim est credibile velle vouentem peccare, intelligendo etiam in casu illicito. Ita tenet Sot.lib.7.q.1.ar.3.

QVÆSTIO XLV.

An votum emissum de opere meliori ob malum finem, sit validum & obligatorium?

1 AD hoc primò dico, quod votum emissum de opere meliori ob malum finem, ita vt malus finis siue mortalis, siue venialis, sit finis ipsius rei promissæ, vt si voueas eleemosynam propter inanem gloriam, vt. s. ex ipsa largitione eleemosynæ gloriam humanam comparare queas, non est validum, nec obligatorium. Ratio est, quia materia huius voti est mala formaliter, ergo votum de ea emissum non est validum. Consequentia est per se nota. Antecedens verò probatur: nam materia huius voti non est eleemosyna absolutè, sed cum ordine ad malum finem, ergo est mala formaliter, & indebita materia voti.

Secundò dico, quod votum emissum de re meliori propter malum finem, ita vt malus finis siue mortalis, siue venialis sit finis non ipsius rei promissæ, sed causa ad vouendum excitans, & aliquod bonum vouetur, vt si voueas religionem vt luxuriosè viuas, est validum, & obligatorium. Ratio est, quia obiectum huius voti est bonum formaliter, ergo votum est validum. Consequentia est per se nota. Antecedens verò probatur, nam obiectum huius voti est vita religiosa, nec libido est finis religionis, sed causa quæ ad vouendum compellit, quæ votum relinquit in sua natura, quod est bonum formaliter. 2

Hinc qui vouet se futurum presbyterum, vt obtineat beneficium, intendens eo abuti, tale votum est validum. Ratio est, quia sacerdotium est bonum, & Deo acceptum, quamuis intentio vouentis sit praua.

Tertiò dico, quod votum emissum de opere meliori propter malum finem, ita vt prauus ille finis, siue mortalis, siue venialis sit finis ipsius voti, referendo id votum ad Deum pro eo malo fine obtinēdo, aut gratiis agēdis pro obtento, vt si voueas te daturum Deo censum vt victoriam iniustā tibi concedat, & castrum non tuum cōsequaris, vel ad aliquod maleficium patrandum, sit patronus, non est validum, nec obligatorium. Ratio est, quia iniquus ille voti ordinandi modus naturam voti penitus destruit, cum de voti ratione sit, vt res per illud oblata acceptari à Deo possit: Deus autem cum sit summè bonus acceptare nequit aliquid sibi oblatum 3

vt

vt author peccati sit,nec in gratiarum actionem,quasi illius author fuerit.

Dices, victoria iniusta quantum ad substantiam actus est à Deo,ergo votum pro ea emissum est validum.

Respondeo votum non emittitur pro victoria absolutè,nec pro substantia illius, sed pro victoria belli iniusti, quæ in genere moris est intrinsecè
4 mala. Si tamen aliquis distingueret in malo actu, id quod est substantiæ ab eo quod habet tortuositatis,ratione cuius est peccatum, & solum pro eo quod est substantiæ seu entis emitteret votum,illud esset validum,vtpotè factum pro beneficio à Deo accepto.

5 Quartò, & vltimo dico, quod votum emissum de re meliori ob malum finem, ita vt malus finis siue mortalis, siue venialis, sit finis solius voti relati ad obtinēdum illum aliundè quam à Deo, vel ad obtinendum à Deo bonum ex re mala consurgens, gratias agendum pro illo obtento, est validum, & obligatorium. Ratio est, quia quando malus ille finis aliunde intenditur, quam à Deo, non est rei promissæ finis,manet ipsa res promissa à mali finis contagione libera, & sic grata Deo, quamuis in ipso vouendi actu peccetur ratione illius mali finis. Quando autem votum refertur ad bonum ex malo consurgens, non refertur ad Deum id malum, sed bonum naturale inde consurgens, quod vtique ipsius beneficium est.

Hinc,qui vouit se daturum aliquid in eleemosynam,si filius ex meretrice nascatur,tale votum est validum.Ra-
6 tio est, quia votum non cadit super illicitum coitum, sed super natum filium,præsupposito illicito coitu.Non debet tamen retinere meretricem, vt faciat quod in se est, ad implendum votum, quia præsuppositum est intrinsecè malum & illicitum.

Hinc validum est votum, quo quis rem illicitam exercens, vouet se aliquid facturum, si illud eueniat, vel non, tali illicito pendente, vt si fur dum est in furto voueat se dicturum virgineam coronam, si non deprehendatur in delicto. Ratio est, quia tale votum non cadit super furtum, sed super euasionem suspendij, quod est donum Dei.

Hinc validum est votum, quo Rex 7
dum est in bello iniusto, vouet se daturum censum pauperibus, si suus exercitus incolumis euaserit. Ratio est, quia quamuis victoria iniusta sit mala, tamen incolumitas exercitus donum Dei est. Hinc validum est votum,quo quis in duellum descendens vouet aliquid Deo pro vita, & incolumitate sua, si exinde saluus euadat. Ratio est, quia quamuis duellum sit malum,incolumitas tamen bona est.

Hinc meretrix quæ Deiparæ pollicetur se daturum dimidium turpis
lucri,tali voto tenetur. Ratio est,quia 8
licet causa lucri sit turpitudo, lucrum tamen est licitum.

Hinc validum est votum,quo quis ludens ludo illicito,promittit se daturum pauperibus partem lucri. Ratio est, quia licet ludus sit illicitus, lucrum tamen ex ludo illicito, est licitum,& honestum.

QVÆSTIO XLVI.

An qui vouet ob malum finem peccet mortaliter?

ARMILLA in sum. verb. votum 1
nu.2.& Angl. in flor.4.Sent.de voto, tenent eum peccare mortaliter.

Mihi tamen distinguendum sic videtur. Quando votum emittitur ob prauum finem, tale peccatum committit qui sic vouet,qualis est finis:ac proinde si finis rei promissæ est mor-

talis peccabit mortaliter, si venialis, venialiter. Ratio est, quia ea res promissa efficitur mala mortaliter, vel venialiter iuxta finis appositi qualita-
2 tem. At qui vouet rem mortalem, peccat mortaliter, & qui vouet rem venialem, peccat venialiter. Quod intelligitur, quando votum est simplex; si enim sit votum solemne religionis, peccabit mortaliter, etiãsi finis sit venialis, quia ratione talis finis redditur irritum, & nullum. Si vero vouens dirigat id votum in finem prauum assequendum aliunde quam à Deo, tale peccatum committet, qualis fuerit finis. Quod est verum etiamsi sit votum solemne, quia eo fine votum non irritatur.

QVÆSTIO XLVII.

An qui vouet ob prauum finem, duplex peccatum committat?

1 RESPONDEO duplex peccatum committere. Ratio est, quia præter malitiam prauæ intentionis vt vanę glorię, ambitionis &c. peccat etiam contra reuerentiam Deo debitam; est enim irreuerentia Dei, illi aliquid vouere, intendendo malam intentionem, & ita abutendo voto, quod ad eius cultum, & honorem faciendum est, tanquam medio ad prauum illum finem consequendum. Existimo tamen hanc malitiam contra Religionem venialem esse, etiamsi contingat motiuum vouentis ex obiecto esse mortale. Vt si quis profiteatur religionem animo indignè obtinendi prælaturas, peccabit quidem mortaliter propter prauum illud motiuum, tamen contra religionem in malè vouendo, non peccabit nisi venialiter. Quia in ordine ad virtutem religionis non videtur grauem iniuriam continere, nisi contingat prauum motiuum esse contrarium obligationi voti, vt si quis religionem profiteatur animo luxuriandi: istud enim motiuum redundaret in voti perfidiam, quod esse peccatum mortale diximus supra.

QVÆSTIO XLVIII.

An votum non fornicandi nisi cum berta, sit validum, & obligatorium?

RESPONDEO esse validum, si amore castitatis seruandæ id votum emittat, excipit autem bertam, quia valdè propensum ad fornicandum cum illa expertus, non vult se ad integram continentiam obligare. At, si eo voto se adstringit eo fine, quia turpi illius fœminæ amore captus, intendit ab aliis se abstinendo, potentiorem esse ad fornicandum cum illa, vel quo illi placeat, illud votum emittit, tunc distinguendum est: si ille prauus finis sit finis rei quæ vouetur, tunc votum est irritum, & nullum; si autem is prauus finis sit solius voti finis relati ad obtinendum illum, aliunde, quam à Deo, est validum, & obligatorium. Ratio est, quia tunc res promissa manet bona, nec votum ordinatur ad malum à Deo obtinendum, sed ab ea fœmina. 1

QVÆSTIO XLIX.

An votum de re indifferenti emissum sit validum & obligatorium?

ET per rem indifferentem intelligo eam, quæ ex se nec habet rationem boni, nec mali, & cuius assecutio non magis est vtilis ad hono- 1
rem

rem Dei, aut salutem animarum, quam eius priuatio: sicuti est fricare barbam, rescindere vngues in tali die, leuare festucam, non adire ad talem domum, non transire per talem vicum, aut quid simile. Quo posito.

Primò dico, quod votum emissum de re indifferenti, quatenus est indifferens, id est, quæ ex se nec bona est, nec mala, est irritum & nullum.
2 Ratio est, quia promissio in gratiam alicuius facta debet esse de re grata illi, & acceptarat res indifferens quatenus talis non est grata Deo, quia vt sic nil boni, vel mali præsefert, ergo votum de ea emissum est irritum, & nullum.

Tum quia votum cum sit actus religionis, desiderat materiam cultui diuino deseruientem. At res indifferens non est huiusmodi: nil enim ad Dei cultum refert illam sic vel aliter fieri, ergo de ea non potest fieri votum.

Secundò dico, quod votum emissum de re indifferenti, quatenus per
3 rationem ordinatur ad aliquem finem honestum, vt si quis voueat non ingredi talem domum, quia ibi sibi offertur occasio peccandi, est validum, & obligatorium. Ratio est, quia huiusmodi res indifferens, quando fit propter aliquem bonum finem, est actus virtutis, ergo de ea potest fieri votum. Quod intellige dummodo ipsa res indifferens per ordinationem vouentis ad bonum finem efficiatur bona, nam si adhuc post illam relationem, remanet indifferens, votum non erit validum.

Dixi notanter (*per ordinationem vouentis*) quia si voueret quispiam se
4 non transiturum per talem vicum, in quo moratur mulier, quæ attrahit ad malum, at nullatenus eam spectaret, nec causa fornicationis vitandæ voueret, votum esset nullum: quia cum res illa indifferens minimè fine illo honesto ex vouentis intentione vestiatur, remanet adhuc indifferens, ac proinde inepta materia voti. Quare vt votum vim habeat, non sufficit rem voto promissam posse ordinari in bonum finem, sed opus est, vt ad id tacitè, vel expressè à vouente dirigatur.

Hinc, qui vouet non ludere cum certa persona, vel in certa domo, quæ vouenti peccandi occasionem præbent, at vouens id non intendit, sed solum vindictam de illo sumendam, tale votum non tenet.

Hinc, vota quæ à mulieribus communiter fiunt de non filando, vel de non pectendo caput in die Sabbathi ob cultum & venerationem Mariæ Virginis, sunt nullius valoris. Ratio est, quia hæc adhuc relata ad illum bonum finem, remanent in sua indifferentia, cum nihil conducant ad honorem Dei, & æternam vitam non filare, nec pectere caput in die sabbathi, si in aliis operibus seruilibus se exerceant. Vnde huiusmodi vota potius sunt deridenda, quam obseruanda, & sunt secundum Syluest. verb. votum 1. q. 4. sortilegia, & reliquiæ quædam gentilitatis. Secus autem esset, si votum fieret de cessando ab omni opere seruili, vt hac ratione vouens expeditior esset ad recitandum sæpius Rosarium, tunc enim votum esset validum, quia in tali casu datur aliquid quod ad honorem Dei conducit.

Hinc, votum de non edendis ca- 5
pitibus animalium in honorem S. Ioannis Baptistæ, eo quod illi caput amputatum sit, est nullius valoris. Ratio est, quia hoc in eius honorem non cedit, cum integrum sit vouenti vesci aliis animalium partibus. Ita Sot. lib. 7. q. 1. ar. 3.

Hinc, votum de non edendis carnibus

nibus igne affis in die S.Laurentij ob eius cultum, & honorem est irritum, & nullum. Ratio est, quia ad eius honorem nil hoc confert, cum vouens carnes coctas edere valeat. Ita Caiet. 2.1.q.88.ar.2.& Nau.c.12.n.37.

6 At ego existimo huiusmodi vota valere quando specialiter vouenti saperent carnes illæ, quarum esum sibi per votum interdixit, vt eo sapore se in honorem alicuius sancti priuaret; quia in his adest specialis circunstantia cum esum ex se indifferentem honestans. Secus quando abstinentia ab illo esu promisso nil speciale respectu vouentis haberet præ cæteris animalium partibus: tunc enim votum esset nullum, vtpotè quod est de re quæ ex se nil boni vel mali præsefert.

7 Hinc, votum abstinendi ab omni genere carnium in honorem cuiuscumque sancti, vt hac ratione liberius, & expeditius vacaret rebus diuinis, est validum, & obligatorium. Ratio est, quia id in Dei honorem cedit, cum sit magna virtus his omnibus cibis priuari. Quod si easu accideret, vt huiusmodi abstinentia esset aliis scandalosa, eo quod vouens redderetur suspectus de iudaismo, dicunt Syluest. verb. votum 4. q. 7. & Angel. ibidem 4. fine. id votum esse in aliud opus commutandum. Sed nihilominus dicẽdum est nulla opus esse dispensatione, aut commutatione talis voti, vtpotè quod nullam obligationem inducit: sed non omnino extingueretur voti obligatio, sed suspensa maneret durante ea causa, qua cessante reuiuisceret.

8 Hinc votum abstinendi ab omni cibo igne condito in die Sabbathi in honorem Beatæ virginis, est validum, & obligatorium. Ratio est, quia est magna abstinentiæ virtus ab his omnibus cibis abstinere, solósque arborum fructus edere.

Hinc votum agitandi tauros in honorem alicuius Sancti est inualidum. Ratio est, quia id ad eius cultum minimè spectat.

9 Hinc, votum nunquam ingrediendi mare, eo quod vouens in eo passus est tempestatem: vel non equitandi super mulam, eo quod ab ea cecidit, sed sic super equum, vel nunquam negotiandi, quia negotiando ei accidit aliquid ingratum, non est validum, nec obligatorium. Ratio est, quia huiusmodi res nullius mali sibi sunt occasio, nec ab eis abstinere ei seruit ad aliquod bonum.

10 Hinc, votum non loquendi cum persona determinata, vel non ludendi determinato ludo, quando solum fit, quia colloquium, vel ludus vouenti sunt molesta, non est validum. Ratio est, quia id ad bonum finem relatum non pertinet ad honorem Dei; secus autem esset, si fieret, quia ex huiusmodi actibus vouenti datur occasio peccandi, vel dilapidandi pecuniam, quia tunc esset validum, & obligatorium. Quia tunc res illæ non essent indifferentes, sed bonæ, & gratæ Deo.

Hinc, qui vouet non ludere cum determinata persona, vel in tali loco, quia concipit personam esse fortunatam, & locum illum esse sibi infelicem, tali voto non tenetur. Quia hæc prorsus vana, & superstitiosa sunt.

Hinc, votum adeundi Romam causa solius Ciuitatis inuisendæ, non est validum. Ratio est, quia hoc nihil ad 11 honorem Dei cedit. Secus si causa adorandi reliquias Sanctorum id faceret, quia tunc votum obligaret, vtpote quod de re religiosa est. Ita Nau. cap.12.nu.28.

Hinc, non sunt audiendi D.Anton. 2.p.tit.11. cap.2.§.4. Angel. verb. votum 1.nu.5. & Syluest. verb. votum 1.q.4 qui dicunt in his casibus tutius esse,

esse, talia vota non frangere sine dispensatione superioris. Quia cum huiusmodi vota ex defectu materiæ legitimæ sint nulla, ac subinde nullam obligationem pariant, vouens nulla indiget dispensatione, aut commutatione vt illis contraueniat.

QVÆSTIO L.

An votum vestiendi se veste alba ob honorem Beatæ Virginis sit validum?

1 CAIET. in sum. verb. votum cap. 2. negat valere, quia id nil ad eius honorem pertinere putat.

Alij verò vt Sotus lib. 7. q. 1. ar. 3. & Mor. lib. 11. cap. 14. q. 5. tenent valere, & meritò quidem, quia hoc est opus virtutis, cùm sit memoriale quoddam castitatis, & innocentiæ Beatæ Virginis.

QVÆSTIO LI.

An votum induendi se veste vili, & aspera sit validum?

1 RESPONDEO valere. Ratio est, quia talis amictus ad humilitatem, & pœnitentiam incitat.

Hinc, votum vtendi vestibus honestis est validum, quia hoc ad honorem Dei, & æternam salutem conducit.

Hinc, votum vtendi scapulari veste Beatæ Virginis, est validum, quia id in cultum, & honorem Beatæ Virginis cedit.

QVÆSTIO LII.

An votum nunquam ingrediendi talem domum, nulla causa adiecta honestante, obliget, si deinde contingat ibi habitare mulierem, quæ præbet occasionem peccandi?

NAVAR. cap. 12. num. vltimo putat obligare. 1

Mihi vero longè probabilius videtur contrarium. Et ratio est, quia cum votum ab initio fuerit nullum, eo quod vouens nulla causa honestante adductus, occasio subsequens minimè à vouente spectata non sufficit ad valorem voti iuxta Regulam 18. iuris: *Non firmatur tractu temporis, quod de iure à principio non subsistit.* 2

Hinc, qui vouit Deo se nunquam transiturum per talem vicum, quia ibi datur occasio fornicandi, sublata tali occasione, potest illuc pertransire. Quia cessante illa occasione mali, opus ad suam redit indifferentiam, & ideò votum de eo emissum non ligat amplius. Si postea eadem occasio redeat, rursus eadem obligatio insurget, vt rectè docet Caietan. 2. 2. q. 88. art. 2. 3

QVÆSTIO LIII.

Quid si id votum fuerit ab initio ob aliquem bonum finem, & postea illa boni ratio mutetur in aliam, vt si voueas non ingredi talem domum ad vitandum periculum incontinentiæ, postea sublata ista occasione, succedit periculum furti. An in hoc casu possit vouens illuc ingredi?

NONNVLLI negant. Quia periculum peccati manet, & abstinere à tali domo est semper Deo gratum, & acceptum. 1

Ego tamen credo proculdubio con

contrariam opinionem esse veriorem. Quia id votum fuit solum emissum ad euitandum periculum incontinentiæ, ergo eo cessante, cessabit obliga-
2 tio voti. Secus si votum fieret in genere ob periculum peccati, eo quòd ibi personæ parum timentes Deum inhabitare soleant; tunc enim votum obligabit, cùm quæuis persona talis conditionis eam occasionem præbeat.

QVÆSTIO LIV.

An votum non peccandi v. g. cum Berta, relicta facultate peccandi cum aliis sit validum?

1 MVLTI Doctores putant, valere. Quia etsi non peccare cum Berta sit bonum, at non peccare potius cum illa, quam cum alia, nil ad Dei cultum confert.

Tum quia tale votum non fit Deo, in gratiam ipsius, sed in odium illius mulieris, eo quod sit deformis, &c.

Tum demum, quia eadem est ratio de voto non ludendi, vel nón loquendi cum aliquo, quod diximus esse irritum, & nullum.

Sed tenendum est, tanquam multò probabilius, id votum esse validum, & obligatorium, si is finis siue mortalis, siue venialis non sit finis rei pro-
2 missæ, sed solius voti, etsi nullo alio fine honesto abstinentia ab illo concubitu vestiatur. Nec est simile de ludo, & colloquio cum aliquo, quia id ex se, nec habet rationem boni, nec mali: ac proinde fine extrinseco honestante indiget. At abstinentia à quacunque re illicita, est de se honesta, ergo est legitima materia voti.

QVÆSTIO LV.

An in dubio, an res de qua fit votum, sit indifferens an non, obliget votum?

IN qua re duæ extant Doctorum 1
opiniones. Prima sustinet tale votum non obligare: quia ad voti valorem requiritur vt materia promissa sit suo contrario melior: at quando dubitatur, an res sit indifferens, non est suo contrario melior, ergo votum de ea re emissum non tenet. Ita videtur sentire Sot. lib. 7. q. 1. art. 3. dum ait, timorati animi esse, tunc dispensationem procurare, & ita videtur tenere, id tantum esse de consilio.

Secunda vero opinio, quam se- 2
quor, tenet tale votum obligare. Ratio est, quia quando de voti verbis constat, & dubia est excusatio, stat possessio pro voti valore, & vt votum valeat, præsumitur in eo dubio materiam esse bonam, & sic suo contrario meliorem. Quando verò sunt opiniones, an materia sit indifferens, ac proinde an obliget votum, fas est quamcumque amplecti etiam minus probabilem: nam sequendo opinionem probabilem, periculum peccati euitatur.

QVÆSTIO LVI.

An semper peccet, qui rem indifferentem voueat?

RESPONDEO semper peccare, ni- 1
si inaduertentia, vel ignorantia excusetur. Et ratio est, quia vouet materiam indebitam.

Tum quia facit contra reuerentiam Deo debitam, nam offert ei aliquid, quod ei placere non potest, quod

quod est illi quodammodo illudere. Et in hoc omnes conueniunt.

QVÆSTIO LVII.

Sed dubium est, An peccet mortaliter?

QVIDAM existimant eum peccare mortaliter.

1 Mihi sanè non placet hæc sententia, sed opposita, quæ docet hunc non peccare, nisi venialiter. Et ratio est, quia etsi res indifferens non sit apta materia voti, iniuriosa tamen, & contumeliosa Deo non est; nec illam vouens, significat aliquid de Deo repugnans ipsius bonitati, sicut vouens aliquod peccatum, vt censeri debeat tanquam blasphemus peccare mortaliter. Nam Deus potest esse author actus indifferentis, & velle illum; solum ergo deficit, quia promittit rem inutilem, vel quia in promittendo omittit bonum finem, quem debuisset adhibere, vt promissio esset valida: hic autem defectus leuis est, ex leuitate materiæ.

QVÆSTIO LVIII.

An votum non ludendi sit validum, & obligatorium?

1 IN qua re conuenit inter omnes, votum non ludendi ludo, in quo peccatur mortaliter, vel solùm venialiter, esse validum & obligatorium, quia per se, & simpliciter est de meliori bono.

Sed tota difficultas versatur de ludo honesto, qui exercetur ratione alicuius iustæ delectationis, recreandi animi gratia.

Roder. p.1.cap.189. nu:10. negat valere, quia est contra bonos mores, cum ludus honestus sit actus virtutis Eutrapeliæ, & dicit hanc opinionem esse D.Tho.2.2. q. 168.ar.2.& Nau. c.20.nu.2.

2 At ego veriùs existimo, omnique remoto dubio opinor id votum esse validum, & obligatorium: ducor, quia licet ludus honestus sit actus virtutis, ac proinde meritorius, at continet accessum ad creaturam, mentisque euagationem: quam ob rem gratius Deo est, carnem domare, à recreatione hac honesta abstinendo. Sicut valet votum de abstinendo à matrimonio, quod tamen res bona, & Sacramentum est, quia vt rectè prospexit Palud.4. dist.38.q.1.nu.22. priuatio boni, qualis est hæc, quæ includit bonum maius, non est mala, sed melior, & ideò est legitima voti materia.

3 Posset tamen opinio Roderici defendi in casu, quo à tali ludo abstinere, esset contra propriam salutem, vel contra necessariam vrbanitatem; tunc enim poterit esse, vel in præcepto, vel in consilio, & sic non erit legitima voti materia.

QVÆSTIO LIX.

An votum non ludendi, nisi tali ludo sit validum?

1 RESPONDEO valere. Ratio est, quia in honorem Dei cedit tot ludis se priuare, ac conducit multum, ne vouens nimium ludis vacet, fortassis enim non inueniet volentē eo ludo ludere, & is sæpe molestia afficiet, cogetque vouentem à ludo cessare.

QVÆSTIO LX.

An votum non ludendi ob solum finem non amittendi bona temporalia, sit validum?

RESPONDEO esse validum. Ratio est, quia non prodigere per ludum.

dum bona temporalia, est actus virtutis, melior suo opposito, ergo votum de eo emissum est validum.

QVÆSTIO LXI.

An qui vouit non ludere, possit tradere alij nummos, vt nomine ipsius ludat?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia propriè hoc non est ludere.

QVÆSTIO LXII.

An qui vouit non ludere, possit ludere nomine alieno?

1 RESPONDEO si animus vouentis in hoc casu fuit, ne iacturam temporis faceret, tenetur ex vi illius voti non ludere per semetipsum, etiam si alieno nomine ludat. Quia hic dicitur verè ludere, eamdémque iacturam temporis facit. Si finis fuit vitare iacturam pecuniæ, potest ludere nomine alieno, quia cum tunc nullam propriè pecuniæ iacturam faciat, mens & voluntas vouentis non fertur ad hunc casum. Si animus vouentis fuit vitare peccata blasphemiæ, vel iræ, potest ludere nomine alieno, quia hæc vitia ex dolore concepto ob propriæ pecuniæ iacturam oriuntur. Si autem eius intentio fuit recreatione ludi se priuare, ne aliis malum exemplum præberet, nec nomine proprio, nec alieno potest ludere, quia eadem est recreatio, & idem malum exemplum. Et in casu dubij, an animus vouentis ad vtrumque se extenderit, diiudicandum est, posse hunc nomine alieno ludere. Quia vt diximus votum est semper restringendum vt minus obliget.

Tum quia mala, quæ ex ludo oriri solent, & quæ vouentes non ludere intendũt regulariter vitare, nõ oriuntur quoties quis nomine alieno ludit.

QVÆSTIO LXIII.

An votum ob bona temporalia assequenda sit inualidum?

INNOCEN. cap. scripturæ num. 1. de voto censet id votum esse simoniacum, ac proinde non valere. 1

Communis tamen tam Theologorum, quam Canonistarum sententia habet id votum esse validum. Quia hoc non est temporalia spirituali voto emere, aut cum illo commutare, sed rem aliquam voto promissam Deo offerre, si ille temporalia concedat, quod est licitum, vt constat, quia eo ipso Deum authorem illorum bonorum esse fatetur, ac proinde res illa voto promissa conducit ad Dei honorem, & erit legitima voti materia. Et in hoc omnes conueniunt. 2

Totum ergo huius controuersiæ dissidium consistit, quando votum fit de rebus temporalibus obtinendis, quæ ex se indifferentes sunt, nec vouens eas dirigit ad alium altiorem finem, sed in illis sistit, an tale votum sit validum?

Angel. verb. votum 1. nu. 4. Syluest. ibidem 1. q. 4. Palud. in 4. dist. 38. disp. 1. & Rich. in 4. dist. 38. q. 2. ar. 1. tenent valere, quia existimant votum rei bonæ non vitiari propter finem indifferentem. 1

At ego distinguendum existimo. Si res illa indifferens sit finis materiæ per votum promissæ, eo quod hæc materia solum dirigatur ad finem illum obtinendum, votum est irritum, & nullum. Et ratio est, quia cùm res morales specificentur ex fine, talis 2

est

est res, qualis est eius finis: vnde sicut si finis illius rei promissæ esset malus, ipsa quoque mala esset: ita si finis sit indifferens; ipsa quoque indifferens erit. At votum de re indifferenti, quatenus indifferens est, nullam obligationem parit. Vnde si voueas ieiunium, & illud dirigis vt sumptibus parcas, tale votum non est validum, quia est de re indifferenti. Si autem sit finis rei promissæ, dirigendo illam ad agendum Deo gratias pro illa re indifferenti obtenta, aut sit finis solius voti, ordinando illud, vt eam rem indifferentem assequatur, aut pro prædicta gratiarum actione, votum erit validum; vt si vouens ieiunium, non illud dirigat ad prædictum finem assequendum, sed pro gratiarum actione pro eo fine indifferente obtento, tenet votum. Tandem si omnibus hinc inde pensatis, res manet in æquilibrio, & æquè dubia, an res sit indifferens; vel si constet esse indifferentem, dubitatur tamen, an talis res indifferens sit finis rei promissæ, ita vt votum irritet, an potius sit finis ipsius voti, ita vt non reddat illud nullum, iudicandũ est in fauorem valoris voti, vt diximus de dubio, an res sit indifferens, quod multò magis in hoc casu locum habet, cum constet materiam voti esse bonam, & legitimam.

QVÆSTIO LXIV.

An qui vouit dare certam pecuniam pauperi ita vt velit per nullam aliam satisfacere voto, tali voto teneatur?

1 ABVLEN. cap. 30. Nau. q. 54. affirmat hunc teneri ad dandam eam, vel æquiualentem.

Contrarium tamen est proculdubio affirmandum. Et ratio est, quia hic eleemosynam absolutam non vouit, sed superstitiosam, ergo tali voto non tenetur. Quod est intelligendum 2
cum hac limitatione, nisi vouens speciali illius pecuniæ amore afficeretur, vt quia est aurea, &c. Et vt illa inordinata affectione in honorem alicuius Sancti se priuaret, voueret se illammet pecuniam pauperibus erogare.

QVÆSTIO LXV.

An votum de rebus negatiuè oppositis consiliis Euangelicis, vt non ingrediendi religionem, non dandi eleemosynam, non ieiunandi nisi in diebus ab Ecclesia praeceptis sit validum?

HOST. in summa tit. de voto 1
num. 3. ait votum esse temerarium, esse tamen validum, & obligatorium. Probatur, quia quod licitum est facere, licitum est vouere: sed licitum est, non sequi consilia Christi, puta non ingredi religionem, non mutuare, non fide iubere, &c. ergo etiam licitum erit idem vouere. Com- 2
munis tamen, & vera sententia docet, huiusmodi votum esse regulariter irritum, & nullum. Ratio est, quia votum cùm sit promissio facta Deo, necessariò debet esse de re grata illi, ea verò quę sunt contra cõsilia, non sunt grata Deo, ergo votũ de illis emissum nõ est validum, nec obligatoriũ. Vnde etsi integrum sit cuiuis ea perfectionis cõsilia non amplecti, puta non ingredi religionem, non dare eleemosynam, &c. at non est integrum, se voto ad ea non obseruanda obligare, id enim Deus non acceptat. Quare nulla opus est commutatione, aut dispensatione ad contraueniendum huic voto, quia defectu materiæ est penitus irritum, & nullum.

3 Hinc votum non mutuandi, aut non fideiubendi non valet. Quia mutuare & fideiubere est consilij Euangelici, atque religionis actus.

Dixi notanter *(regulariter)* quia potest dari casus efficiens vt opus, quod ex se est consilij, tale non sit, & tunc valeret votum abstinendi ab eo, vt si in aliquo Monasterio obseruantia essentialis Regulæ non vigeret, validum esset votum non ingrediendi illud, quia in hoc casu, melius est non ingredi, quàm ingredi.

4 Hinc, si quis ita esset leuis, & inconstans, vitiisque carnis procliuis, vt viri prudentis iudicio, illi salubrius esset, non promoueri sacris ordinibus, validum esset votum non ascendendi ad illos durante ea ineptitudine.

Hinc, si quis gratia ingentis parentum necessitatis subleuandæ, teneretur manere in sæculo, validè voueret, se nõ ingressurum religionem, quamdiu in eis talis necessitas duraret.

Hinc, si irregularis voueret se ad sacros ordines non ascensurum, tali voto teneretur, durante ea irregula-
5 ritate. Ratio horum omnium est, quia in his casibus votum non est contra consilia, immo saluberrimum consilium est, seruare materiam illam voto promissam.

Hinc, votum religionis aut castitatis, aut non contrahendi matrimonium non tenet in eo qui cognoscit se fragilem, ac frequenter carnis tentationibus succumbentem experitur. Ratio est, quia attenta illius peculiari fragilitate, salubrius est nubere, quàm in statu cœlibatus permanere, vt rectè docet Valēt. 2. 2. d. 6. q. 6. p. 2.

Hinc, si quis voueat se non mutuaturum, vel nõ fideiussurũ indiscrimi-
6 natim pro omnibus, tale votum & licitum & validum est. Quia etsi mutuare absolutè sit consilium, & similiter fideiubere, tamen omnibus indiscriminatim mutuare, aut pro omnibus fideiubere, non est consilium, cùm aliquando expediat non mutuare, vel non fideiubere.

QVÆSTIO LXVI.

An qui vouit se nunquam suscepturum ordines, tale votum sit validum & obligatorium?

HOST in Sum. lib. 3. tit. de voto §. quod sint. affirmat valere. 1

Mihi sanè non placet hæc sententia, sed opposita, quæ docet id votum esse inualidum. Et ratio est, quia votum suscipiendi statum clericalem est validum, vt Theologi communiter, 2
ac iuris vtriusque Doctores fatentur, ergo est de meliori bono; ergo votum non suscipiendi ordines non potest esse de meliori bono, ac proinde erit nullum.

Deinde status clericalis est res sacra, & susceptio illius est actio diuini cultus, & de se non impedit maius bonum, ergo tale votum non est validum.

Tandem susceptio ordinum de facto includit votum castitatis, si ordo 3
sit sacer, vel est via ad illud, si ordo sit minor, ergo tale votum ex se impedit maius bonum. s. votum castitatis, ergo est nullum.

QVÆSTIO LXVII.

An qui vouit se nunquam futurum Episcopum, vel Prælatum, tali voto teneatur?

SYLVEST. verb. iuramentum 4. 1
q. 1. affirmat non teneri. Quia status Episcopi est status perfectionis, ergo

ergo votum non assumendi statum illum, est impeditiuum maioris boni.

2 Alij verò Doctores non minoris nominis docent eum ad id votum teneri.

Sed vt vtramque sententiam conciliem, sic distinguendum existimo: si hic vouit simpliciter se nunquam futurum Episcopum, tale votum non tenet. Quia potest occurrere casus, in quo sit melius, vt ille Episcopatum suscipiat, & votum non est impeditiuum maioris boni. Si autem tale

3 votum emisit ex consideratione periculi, imbecillitatis, & inhabilitatis suæ, sic votum est sanctum, & validum, quia de se est valde vtile ad spiritualem profectum, occludit enim viam ambitioni, & refrænat affectum honoris, & dignitatis, & aliunde non impedit maius bonum. Quia licet status Episcopi dicatur perfectionis, quia supponit perfectionem in eo, qui ad talem gradum ascendit, non est tamen de se adeò aptus ad acquirendam propriam perfectionem, quin potius de se est multis periculis expositus.

Huic fauet mirabiliter quod habetur in Const. Greg. XIII. quæ incipit, *Ascendente Domino.* Vbi pro-

4 fessores deuotæ Societatis IESV ad omnem ambitionis occasionem excludendam, votum simplex emittunt de non procurando directè, vel indirectè aliquam Prælationem, vel dignitatem intra, vel extra Societatem, nec de præbendo assensu, quantum in eis fuerit, vt extra Societatem, ad aliquam dignitatem, aut Prælationem eligantur, nisi coacti obedientia eius qui id ipsis possit sub reatu peccati iubere.

***

QVÆSTIO LXVIII.

An votum non quærendi indulgentiam sit validum?

RESPONDEO non valere. Ratio est, quia velle, quam citius esse cum Christo maioris amoris indicium est, quam paratum esse multo tempore pœnas purgatorij perferre. 1

QVÆSTIO LXIX.

An votum de non ingrediendo strictiorem Religionem sit validum?

RESPONDEO non valere. Ratio est, quia id votum melius, & maius impedit bonum. 1

QVÆSTIO LXX.

An votum de ingrediendo laxiorem Religionem sit validum?

RESPONDEO valere. Ratio est, quia Religio etiam laxior bonum est præstantius, Deóque gratiùs quàm sæcularis vita. 1

Dices: talis ingressus est impeditiuus ingressus perfectionis religionis: ergo.

Respondeo negando antecedens, nam religionem laxiorem ingressus, potest, si vult, ad religionem arctiorem, & perfectiorem ascendere. 2

QVÆSTIO LXXI.

An votum de seruiendo in perpetuum alicui hospitali, sit validum?

QVIDAM existimant id votum esse irritum. Quia aliud maius bonum 1

bonum impedit, nimirum ingressum religionis.

Sed oppositum est pro certo tenendum. Quia materia huius voti ad consilium euangelicum pertinet; estque multò melior quàm suum contrarium: nam melius est, seruire perpetuò hospitali, quàm non seruire. 2

Tum quia per hoc votum, via ad altiorem statum non præcluditur: nam relicto illo hospitalis seruitio, potest ad religionem transire.

QVÆSTIO LXXII.

Sed quid, si in tali voto præcluderetur via ad altiorem statum, vt si voueas te in seruum venditurum, vt pretio captiuos redimas?

1 RESPONDEO adhuc tale votum tenere. Ratio est, quia materia huius voti est actus charitatis, estque multò melior, quàm suum oppositum.

Tum quia, diuersa est ratio de voto status coniugalis assumendi, quia non solùm non tenet, quia viam ad perfectiorem gradum præcludit; sed etiam quia ita præcludit, vt constituat vouëtem in statu imperfectiori, quàm est ille, quem tunc vouens habebat, nimirum descensum à cælibatu, ad statum coniugij.

Ex quo colligitur, quod vt aliquid sit legitima materia voti, non requiritur, vt sit simpliciter optimum, &

2 bonum melius; sed satis est, quod sit bonum conducens, & iuuans ad salutem æternam, & non excludens simpliciter bonum magis Deo acceptum. Nam si quis certam peregrinationem voueat, tale votum tenet, licet alia res gratior sit Deo, & peregrinatio hæc incompatibilis sit cum præsenti religionis ingressu.

QVÆSTIO LXXIII.

An votum de non ingrediendo aliam religionem nisi hanc sancti Dominici sit ratum?

NOTANDVM, hunc vouendi modum, nullam in conscientia obligationem inducere; sed liberum vouenti manet ingredi, & solum adstringit ad ingrediendum hanc, sub conditione, nempe si religionem ingredi velit. Quo posito. 1

Nonnulli existimant tale votum esse irritum, quia est impeditiuum maioris boni.

Cæterùm, oppositum est verius, atque tenendum, quia materia illa promissa conditionalis melior est, quàm suum contrarium; nam melius est huic, ligatum esse obligatione conditionali huius religionis, quàm omni prorsus obligatione esse liberum. 2

QVÆSTIO LXXIV.

An votum de contrahendo matrimonium sit validum, & obligatorium?

IN qua reconuenit in primis inter omnes, votum de contrahendo matrimonium ex genere suo esse irritum. Ratio est, quia votum cùm sit promissio facta Deo, debet esse de rebus gratis illi: atqui non est gratum Deo, quòd homo voueat se nunquam sequuturum consilia Euangelica, ergo nec quòd voueat contrahere matrimonium, quod natura sua impedit cæliba 1

cælibatum, ac statum religiosum.

Et confirmatur nam status coniugatorum respectu status continentium est descensiuus; cùm ergo non debeat homo disponere descensiones, sed ascensiones in vita spirituali iuxta
2 illud Psal. 83. *Beatus vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit*, fit, vt non sit Deo acceptum emittere tale votum de contrahendo matrimonium, quia est descendere à cælibatu ad matrimonium, & votum debet esse de meliori bono.

Obiicies, matrimonium est sacramentum à Christo institutum; ergo est res bona, & Deo accepta; ac proinde de eo potest fieri votum.

Respondeo, licet matrimonium sit res bona, quia tamen eius oppositum est melius iuxta illud Pauli 1. ad Cor.
3 7. *Qui matrimonio iungit virginē suam bene facit, & qui non iungit melius facit*, ideo votum de eo emissum non tenet.

Dices, iuramentum de contrahendo matrimonium valet; ergo & votum de eo emissum tenet. Valet consequentia, quia votum non magis obligat, quam iuramentum. Respondeo voti, & iuramenti disparem esse in hac re rationem: quia enim votum fit Soli Deo, cui magis placet cælibatus, quàm matrimonium, fit, vt qui matrimonium vouit, non maneat voto adstrictus: at vero iuramentum quia fit homini, cui magis placet matrimonium, quam cælibatus, fit, vt qui tale fecit iuramentum, teneatur illud adimplere, ne faciat iniuriam illi, cui facta est promissio. Quamuis Sotus lib. 7. q. 1. ar. 3. teneat, quod non obstante iuramento, liceat religionem ingredi, quia tale iuramentum intelligitur factum, nisi voluerit ad meliorem frugem transire.

4 Sed totum huius controuersiæ dissidium consistit de eo qui cognoscit se labilem, & difficilè se potest continere, & nisi nubat casurum in multa peccata, & ex altera parte nullam in seipso procliuitatem, & inclinationem videt ad religionem: An si talis votum nuptiarum emiserit ob vitandam fornicationem, illud sit validum, & obligatorium?

Sot. lib. 7. q. 1. ar. 3. Arag. 2. 2. q. 88. ar. 2. & plerique alij negant id votum valere. Quia semper tale votum manet impeditiuum maioris boni.

At communissima, atquē multo 5
verior sententia habet, tale votum esse validum, & obligatorium. Ratio est, quia votum debet fieri de meliori bono, & huic *melius est nubere, quam vri* vt Apost. 1. Cor. 7. docuit, ergo est validum, & obligatorium.

Et confirmatur: matrimonium vt remedium libidinis, & ad peccata, & peccatorū pericula vitanda, est à Christo institutum: at vnicuique fas est, vouere id, quod est remedium ad peccata vitanda: ergo. Vnde D. Hieron. in Apologia contra Iouinianum, *Si autem*, inquit, *se continere non possunt, & ardorem libidinis, non tam continentia volunt, quam fornicatione restringere, melius est nubere, quam vri, id est, melius est maritum ducere, quam fornicari.* Et ideò ita sentiunt Caiet. 2. 2. q. 88. ar. 2. Nau. cap. 12. nu. 43. Lop. 1. p. inst. conf. cap. 44. Sanch. lib. 1. de Sponf. disp. 4. nu. 7.

Dices, qui habet tale votum, potest 6
sine dispensatione religionem ingredi; ergo illud votum erat nullum.

Respondeo negando consequentiam. Ratio negationis est, quia ratio cur hic non obstante tali voto, possit absque dispensatione ad religionem transire, non est quia votum de matrimonio fuerit nullum, sed quia posito, quod hic mutato proposito, velit religiosus fieri, talis materia desinit esse apta materia voti, cùm incipiat

esse impedimentum maioris boni, nimirum ingressus religionis.

QVÆSTIO LXXV.

An votum nubendi, firmissimo animo ingrediendi, & profitendi religionem ante matrimonij consummationem, sit validum & obligatorium?

1 NONNVLLI putant id votum valere: Quia est de re bona, vt de Sacramento, eiúsque gratia recipienda.

Tum quia non præcludit viam ad maius bonum, cùm ante matrimonij consummationem, possit vouens religionem ingredi, idque in animo habet, ergo.

At Palud. in 4. dist. 38. q. 1. nu. 22. Sot. lib. 7. q. 1. ar. 3. & Sayr. in clau. reg. lib. 6. c. 1. nu. 33. docent non valere.

2 Et ratio est, quia ducere vxorem eo animo est regulariter illicitum, vt inferiùs amplius dicemus.

Tum quia est votum de re inutili, & contra matrimonij naturam, quod propter copulam, & consummationem illius institutum est.

Tum quia quamuis matrimonium sit sanctum, ac gratiam conferat, votum illius non est Deo acceptum, eo quod eius oppositum est melius.

QVÆSTIO LXXVI.

An qui vouit se meretricem ducturum, vt eam liberet à malo statu; vel virginem pauperem, cuius virginitas periclitatur, vt ei subueniat, tali voto teneatur?

1 RESPONDEO teneri. Ratio est, quia supposito quod vouens nolit religionem ingredi, vel vitam cælibem seruare, melius est hanc mulierem ducere, quam aliã. Si tamen eam voluntatẽ reassumat, desinit obligatio voti; quia absolutè melius est nullam ducere. Ita Henriq. lib. 11. de matrim. c. 6. nu. 5. Philiar. de off. Sacerd. to. 1. p. 2. lib. 3. c. 17. nu. 3. & Sanch. lib. 1. de matr. disp. nu.

QVÆSTIO LXXVII.

An quando matrimonium est sub præcepto, possit esse apta materia voti?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia in hoc casu, melius est ad Dei honorem ducere vxorem, quàm non ducere: vt si ex eo matrimonio speraretur maxima totius Reipublicæ vtilitas, vt pax inter Principes Christianos, bellorúmque sedatio, vel copiosa ad fidem conuersio. 1

QVÆSTIO LXXVIII.

An qui vouit non contrahere matrimonium, & postea contraxit, possit licitè debitum reddere, & petere?

ILLVSTRISSIMVS Caiet. 2. 2. q. 88. ar. 3. negat: quia putat votum non nubendi æquipollere voto castitatis. Alij vero rectius posse affirmant. Ratio est, quia votum non nubendi non est votum castitatis. 1

Hinc, si qui tale votum fecit, cum muliere commisceatur, non committit duplex peccatum, vnum fornicationis, & alterum sacrilegij, vt Caiet. falsò opinatur, sed vnum tantum simplicis fornicationis peccatum: cum tale 2

le votum non æquetur voto castitatis. Vnde tale votum non est reseruatum Papæ, sed Episcopus potest in eo dispensare.

QVÆSTIO LXXIX.

An qui vouit ob finem, qui est cõtra consilia Euangelica, tali voto teneatur? Vt si voueat ieiunare ad finem, vt Deus concedat matrimonium.

1 RESPONDEO teneri. Ratio est, quia cùm status coniugalis sit bonus, & à Deo institutus, ordinetúrque ex se ipso ad bonum finem, nimirum ad prolem procreandam, aut concupiscentiam reprimendam, nullus malus, aut indifferens finis adiicitur, qui ineptam bonam voti materiam efficiat; ergo tale votum est validum, & obligatorium. nec id includit descensum ad imperfectiorem statum, quia votum non est de contrahendo matrimonium, sed de opere supererogationis ordinato ad eum finem, à Deo obtinendum.

QVÆSTIO LXXX.

An votum non vouendi sit validum?

1 RESPONDEO non esse validum. Ratio est, quia id votum cum Dei consilio pugnat; nam vouere sub consilio est, sicut vota seruare sub præcepto iuxta illud Psal. 75. *Vouete, & reddite Domino Deo vest. o.*

QVÆSTIO LXXXI.

An qui vouet se ampliùs non voturum nisi in scriptis, tale votum sit validum, & obligatorium?

RESPONDEO esse validum. Ratio est, quia hic non vouet absolutè, se in posterum non voturum, sed non facturum votum sine eius expressione in scriptis, quod diuini consilij est, ne deinceps temerè, & præcipitanter aliquid voueat. 1

QVÆSTIO LXXXII.

An qui vouet, se in posterum non voturum nisi in manu sui confessarij, tali voto teneatur?

RESPONDEO teneri. Ratio est, quia per tale votum non retrahitur quis ab opere consilij, sed sibi cauet, ne illud temerè faciat, quod ad prudentiam, & diuinum consilium spectat. 1

QVÆSTIO LXXXIII.

An si is qui tale votum emisit, postea huius voti memor, sine voti expreßione in scriptis, vel sine consilio sui confessarij voueat, tale votum sit validum?

SVNT qui censent id posterius votum non seruatis prædictis circunstantiis emissum, esse irritum, quando ob vehementes scrupulos salubrius est illi non vouere absque illis circunstantiis, quàm vouere. Quia tunc votum est de minori bono. 1

Aliorum tamen omnium opinio est, id esse validum. Ratio est, quia est de materia licita, & capaci obligationis, vt supponitur, & licet homo malè faciat, mutando intentionem;

2 factum nihilominus tenet, quia per priùs votum non se reddidit inhabilem, nec se priuauit potestate se obligandi aliter, licet se obligarit ad id non faciendum.

Tum quia matrimonium contra votum castitatis contractum validum est, vt constat ex *cap. vnico de voto in 6.* licet is qui ita contrahit, peccet mortaliter.

Tum quia qui vouet se daturum aliquid Deo, non statim illius rei dominium à se abdicat, ergo eius donatio tenebit, non obstante voto.

Tandem, qui vouit non acceptare donationem sibi factam, & postea ac-
3 ceptat, quamuis peccet mortaliter acceptando, factum tamen tenet, vt per se constat: ergo.

Nec obstat ratio in contrarium adducta; Quia, si aliquid valeret, probaret omne votum absque matura consultatione factum esse nullius valoris, quia cùm hic vouens peccet, melius est illi non vouere, quam sic vouere. Quare vt votum sit validum sufficit, vt id quod vouetur, sit melius suo contrario, etsi ratione modi vouendi, melius sit non vouere, quam sic vouere.

4 Specialis autem difficultas est de eo, qui immemor prioris voti sic conditionati, posterius hoc emisit absque prædictis conditionibus.

Sayr. *in clau. reg. lib. 6. c. 3. num. 27.* censet id posterius votum non vale-
5 re. Quia in tali casu non præsumitur habuisse intentionem vouendi contra votum prius emissum, ac proinde ex defectu intentionis necessariæ ad vouendum, æstimandum est tale votum nullam obligationem inducere.

At ego existimo, posterius votum emissum cum prioris obliuione tunc solùm esse irritum, quando vouens
6 in priori eam expressam intentionem habuit, nullo alio voto se obligandi in posterum, nisi illis circunstantiis adhibitis, ita vt velit expressè, vt nullatenus valeat votum à se aliter factum. Dum enim ea voluntas non retractatur, explicando se velle vt votum valeat, non obstante quacunque priori intentione, posterius votum absque illis circunstantiis emissum non valebit. Quamuis enim votum iure naturali, & diuino vim habeat; at id est dependenter à vouentis voluntate. Sicut si legislator declaret mentem suam non esse obligare per legem, nisi tale verbum addiderit, lex postea generaliter edita absque illo verbo, non valebit. Ita Pet. de Ledesm. *2. 10. sum. tract. 10. c. 2. dub. 5.*

QVÆSTIO LXXXIV.

An votum non petendi dispensationem, irritationem, vel commutationem voti, sit validum?

SYLVEST. *verb. votum. 2. q. 14.* putat valere, quia est de re grata Deo, & ex suo genere bona, nimirum velle rigidiùs suum votum adimplere. 1

Verùm omnino dicendum est, id votum non valere. Et ratio est, quia votum generaliter emissum, quod in quibusdam casibus aptum est, & vtile, in aliis autem est ineptum, & inutile, non tenet: qua ratione probauimus votum de non mutuando, & de non fideiubendo generaliter emissum non obligare, quamuis sint casus, in quibus non mutuare, & non fideiubere sint consilij. Et eadem ratione ostendemus votum de nunquam peccando, esse irritum etiam ad vitanda peccata possibilia. 2

QVÆSTIO LXXXV.

An votum non petendi dispensationem, commutationem, aut irritationem absque iusta causa, sit validum?

1 RESPONDEO valere. Ratio est, quia in omni euentu melius Dei obsequium est, velle quempiam ita se voto adstringere, vt ea obligatione liberari absque legitima causa nequeat. Si autem absque iusta causa petatur, ea voti irritatio teneret, quamuis petens peccaret, quia vouens nequit potestatem irritandi superiori competentem coarctare. Nec peccaret superior irritando, vtpote qui iure suo vtitur, nec inferior postea vtendo illa. Quia votum fuit tantum de non petendo irritationem, quod sola petitione violatur; vsus autem cum illo voto non pugnat.

QVÆSTIO LXXXVI.

An qui vouit se non petiturum dispensationem, vel irritationem, possit petere puram commutationem?

1 RESPONDEO posse, quando non constat de contraria vouentis intentione. Ratio est, quia cum longè minor sit commutatio, vtpote quæ voti obligationem non tollat, sed in aliam materiam transferat; non censetur prohibita interdictis, dispensatione, & irritatione: quæ maiora sunt, & voti obligationem ex toto dissoluunt. E contra tamen si vouit se non petiturum commutationem, non potest petere dispensationem, vel irritationem. Quia qui sibi interdicit commutationem, quæ voti obligationem non dirimit, sed in aliam materiam transfert, à fortiori irritationem, & dispensationem, quæ voti vincula tollunt, videtur sibi interdicere. Si verò vouit se non petiturum irritationem, non est ei integrum petere dispensationem, nec è contra. Quia mens, & intentio vouentis est, obligare se ad conseruandum illud votum, & se eo non liberandum: at nihil refert, siue dispensatione, siue irritatione liberetur, cum vtroque modo voti vinculum omnino dissoluatur.

QVÆSTIO LXXXVII.

An votum non petendi dispensationem, vel commutationem ab alio, quàm à Romano Pontifice, sit validum, & obligatorium?

RESPONDEO esse validum. Ratio est, quia velle vouentem ita se ad aliquod diuinum obsequium adstringere, vt ea obligatione liberari nisi à Romano Pontifice nequeat, nil mali continet, immo cõsilium Euangelicum est. Quod si in tali casu ab inferiori dispensatio petatur, ea voti dispensatio tenet, etsi peccet obtinendo, quia illi non est ablata dispensandi facultas. Et ideo ea obtenta non teneretur hic ad Romanum Pontificem adire, quia votum fuit tantum de non petendo dispensationem ab alio quàm à Romano Pontifice, quod per solã petitionẽ violatur. 1

QVÆSTIO LXXXVIII.

An peccet, qui contra consilia vouet?

RESPONDEO peccare. Ratio est, quia rem, quæ Deo displicet, 1

pollicetur. Et in hoc omnes Doctores conueniunt.

Controuersia igitur tota est, an peccet mortaliter?

1 Sotus *lib.7.q.1.art.3.* putat solum peccare venialiter propter paruitatem materiæ.

Alij verò contra affirmant, eum peccare mortaliter. Pro quo.

Primò dico, quod si vouens non mutuare, vel non dare eleemosynam: ita vouet, vt velit se obligare, etiam quando hæc obligant sub mortali,
2 peccat mortaliter. Ratio est, quia dare eleemosynam, vel mutuare sæpè, sæpiùs est in præcepto. s. in articulo extremæ necessitatis, & qui tali animo vouet, peccat mortaliter; non solùm quia habet propositum non seruandi præceptum, sed etiam quia per tale votum contumeliam Deo irrogat, dum ei consecrat rem, quam ille maximè abhorret.

Secundò dico, quod sciens opposita consiliis displicere Deo, ea vouet eo animo, vt ei sic consulenti displiceant, peccat mortaliter. Ratio est, quia talis intentio continet directè odium, vel formalem contemptum
3 Dei, ac subinde magnam inordinationem voluntatis erga ipsum, vt rectè docet Caiet. 2.2.*q.88.ar.2.*

Quod dictum limitat Nauar. *cap. 12. nu.35.* quando intentio vouentis esset ita per tale votum displicere Deo quemadmodum displicet pec-
4 cans mortaliter. Secus si animus esset in tantum displicendi, in quantum displicet peccans venialiter.

Sed hæc limitatio displicet, quia quamuis peccatum veniale sit, materialiter eligere, quod Deo venialiter displicet, at id eligere animo sic displicendi Deo, est mortalissimum, ac charitati Dei directè oppositum.

Tertiò dico, quod si is qui contra consilia vouet, satis quidem aduertit, quid facit, se nimirum tribuere Deo, quod ei minimè conuenit (quale est eiusmodi votorum vincula acceptare) & nihilominus sciens, & 5
prudens vult se illis adstringere, grauè blasphemiæ peccatum committit, vt putà quia tribuit Deo, quod est abeo alienum.

Quartò dico, quod qui de industria, & veluti in despectum religionis, talia vota emittit, vt quasi velit vt Deus ea acceptet in contemptum consiliorum, peccat mortaliter. Ratio est, quia hoc est deludere Deum.

Quintò, & vltimò dico, quod regulariter loquendo, qui vouet non mutuare, vel non fideiubere extra necessitatis articulum non peccat nisi venialiter. Ratio est, quia regu- 6
lariter hoc fit non ex contemptu Dei, & vt rem ingratam ei offerat, sed solùm vt se in illo proposito confirmet. Et idem dicendum est, si quis huiusmodi propositum iuramento confirmet. Immò tanta potest esse apud nonnullos ignorantia, vt nullum peccatum committerent. Ita Caiet. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 2. Nau. *cap.* 12. *num.* 29. Sot. *lib.* 7. *quæst.* 1. *art.* 3. & Suar. *tom.* 2. *de relig. lib.* 5. *tract.6.cap.2.*

QVÆSTIO LXXXIX.

An votum de rebus positis sub præcepto, vt de non furando, de non occidendo, &c. sit validum, & obligatorium?

TABIEN. *verb. votum 1. nu. 2. Supplem. Gabr. in 4. dist.38.q.1.art.3.* Et multi alij negant. 1

Ex quo inferunt, eum, qui vouet rem debitam ex præcepto, & contrarium facit, non plus peccare, quàm

quàm si votum non fecisset.

Hoc idem videtur sentire D.Tho. *in 4.d.38.q.1.art.2. quæstiuncula 1.ad 3.*vbi ait fractionem voti de rebus ad salutem necessariis,non inducere nouum peccatum.

Communis tamen, & vera opinio docet tale votum esse validum, & obligatorium. Probatur primò ex praxi, & consuetudine eorum qui in Ecclesia religionem vouent, aut sacros ordines suscipiunt. Tales enim
2 nouo vinculo voti obligantur abstinere à fornicatione,& adulterio, quæ tamen lege diuina & naturali prohibentur.

Secundò, Res quæ sunt sub præcepto,sunt Deo gratissimæ,& vlteriùs sunt absolutè & simpliciter liberæ quantum ad executionem, & solum secundùm quid necessariæ, nempe necessitate præcepti; ergo de illis potest fieri votum. Vnde *Gen.*28.Iacob votum vouit Domino,se illum solum culturũ pro Deo,si eum præseruaret à malo, ad quod tamen antea ex lege naturali,& diuina obligabatur.

Tertiò, iuramento possumus nos obligare ad præstãdum ea,ad quæ tenemur,vt si iures te daturum centum in eleemosynam pauperi in extremis
3 constituto vt habetur 1. *Esdræ* 10. vbi legimus populum iurasse seruare legem Domini, & Dauid *Psal.* 118. dicit, *Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.*

Et est conclusio expresse definita in *Cap. si quis Episcopus* 27.*q.* 1. vbi sacrilegæ appellantur mulieres, quæ post votum emissum, fornicationem committunt. Ex quo sequitur eas duplex peccatum commisisse, vnum incontinentiæ, contra ius naturale, & diuinum: alterum sacrilegij, contra virtutem religionis, vt rectè docet Nau.*cap.*12.*nu.*25.

4 Ad authoritatem D.Tho. respondeo. Verum est,fractionem voti de re præcepta non inducere nouum peccatum,quia non est, nisi vnicus actus duplicem malitiam habens, quarum quælibet necessariò debet in confessione explicari.

Dices: Ad opera posita sub præcepto, iam ante obligamur, eáque obligatio est sufficiens,frustra igitur homo sibi inducit vinculum voti. 4

Respondeo etsi obligatio rerum sub præcepto sit absolutè sufficiens ad inducendum nos ad earum executionem,sæpe tamen expedit vinculum voti superinducere, vt tepidam voluntatem nostram in bono firmemus, & à præcepti fractione auertamur. Tum vt plus mereamur, dum duplici de causa facimus,duplicémque virtutis rationem intuemur. 5

QVÆSTIO LXXXX.

An votum emissum de rebus necessariis, necessitate præcepti, sit verè, & propriè votum?

RICH.*in 4.dist.*38.*q.*2.*ar.*3 Angel. *verbo votum* 1.*nu.*1. & Tab. *ibidem* 1.*nu.*3. negant. Hoc ipsum videtur sentire D.Tho. cum *in* 2. 2.*q.*88. *art.* 2. asserit id esse verè & propriè votum, quod cadit supra opus supererogationis, & *in* 4. *dist.*38.*q.*1.*ar.*2. *quæstiuncula* 1. docuit votum de præceptis non habere perfectam rationem voti: vnde appellat illud votum commune, quasi impropriè, & abusiuè votum. 1

At verissima & communis sententia est, votum de rebus sub præcepto esse verè, & propriè votum, quamuis votum propriissimè sit de rebus cõsilij. Et ratio est,quia promissio de opere posito sub præcepto est vera, & propria promissio, distinctam habens obligationem, ab ea quæ exurgit ex 2

præcepto;

præcepto; ergo est verum, & proprium votum.

Deinde qui emittit votum de opere sub præcepto, vt de non furando, vel occidendo, & deinde furatur, vel occidit, non solùm peccat contra iustitiam, sed etiam peccato sacrilegij se maculat, vt constat *ex cap. Impudicas, & ex c. Sacrilegij* 27. *q.* 1. sed hoc non esset, nisi illud esset verum, & proprium votum: ergo. Maior propositio patet. Minor verò probatur; nam illud opus non esset actus virtutis religionis, nisi esset verè, & propriè votum.

Hinc, omissio voti facti de bono supererogationis vnum tantum est peccatum, quia vnam tantum habet
3 deformitatem, sed transgressio voti de re præcepta, duplicem deformitatem habet: & consequenter duplex peccatum constituit.

Nec obstat dictum D. Tho. quia quando asserit opus supererogationis esse propriè votum, ideò dicit, quia tale non solùm ex parte formæ, sed etiam ex parte materiæ est propriè votum, cùm materia illius sit propria voti, & nulla ratione cadat sub præceptum. At verò votum quod est de opere præcepto, quamuis sit verè, & propriè votum, materia tamen illius non est propria voti, sed communis illi, & præcepto. Et hoc est quod voluit dicere S. Tho. quando asseruit, votum de rebus positis sub præcepto, esse commune votum.

QVÆSTIO LXXXXI.

An Christiani in baptismo emittant votum seruandi legem Euangelicam?

1 MAG. Sent. quem veteres Theologi sequuntur *in* 4. *dist.* 38. tuetur partem affirmatiuam. Eiusdem sententiæ videtur esse D. Tho. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 2. *ad* 1. vbi ait, quod sub votum baptizatorum cadit abrenũtiare pompis diaboli, & fidem Christi seruare.

Sed contraria sententia est verissima, quam tenent Illustriss. Caietan. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 2. Sot. *lib.* 7. *q.* 1. *ar.* 2. Nau. *c.* 12. *num.* 32. Valent. 2. 2. *d.* 6. *q.* 6. *p.* 2. Mor. *lib.* 11. *c.* 14. *q.* 3. Arag. 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. Et alij communiter. Ratio est, quia in verbis quæ dicit baptizandus, 2
nulla promissio continetur, quæ est de essentia voti, Solùm enim dicit per se, vel per patrinum, *abrenuntio, volo, credo*, quæ verba nullam promissionem significant.

Tum quia in Sacramento pœnitentiæ, quæ est secunda tabula post naufragium, pœnitens renuntiat operibus diaboli, & vult suscipere pœnitentiam, ac etiam credit, & tamen nullum votum emittit, immo Ecclesia confessariis prohibet, ne huiusmodi vota à pœnitentibus exigant, hac sola ratione, ne ipsis nouus laqueus, & causa grauioris lapsus, absque necessitate tradatur.

Tum quia, in baptismo patrinus promittit pro altero, nullus autem alium voto ligare potest.

Tum quia, vouere est opus consilij, & baptizari opus præcepti: ergo fieri non potest, vt vnum in altero contineatur ex natura rei, quamuis ratione baptismi in baptizatis, oriatur obligatio seruandi legem Christi.

Tum quia alioquin omnia peccata Christianorum essent sacrilegia, quia contra voti religionem: & duplicem peccati speciem continerent, quia contra legem, & contra votum, quod est contra communem hominum sensum.

Hinc, Christianus qui furatur, aut 3
aliud peccatum committit, non peccat duplici peccato. s. contra præceptum, & contra votum, sed vnum solum.

solum committit, quamuis sit grauius, quàm infidelis, propter notitiam veritatis quam habet ex fide, & propter sacramenta quæ peccando contemnit, vt patet ad Hebr. 10. *Quanto putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit.*

Et ad D. Thom. respondeo quod loquitur de voto largo quodammodo, & impropriè dicto, id est, de proposito mutandi vitam, quod interdum vocatur votum, quia speciem promissionis habet.

QVÆSTIO LXXXXII.

An pœnitentes qui in confessione promittunt se ampliùs non peccaturos mortaliter, voueant?

1 RESPONDEO eos non vouere, quia solum suum firmum propositum confessario patefaciunt. In dubio autem an fuerit propositum, vel votum, quatuor regulæ solent à Doctoribus assignari. Prima est; si statim, postquam quis statuit aliquid facere, dubitat an voluerit voto ad id se adstringere, an tantùm proponere, potest probabiliter credere se non vouisse. Nam huiusmodi votorum non solent homines tam citò obliuisci.

2 Secunda regula. Quando quis pro comperto habet se non habuisse animum adimplendi promissum, potest probabiliter credere, se non habuisse animum vouendi. Quia vt plurimum qui habent animum vouendi, ac se obligandi, habent etiam propositum præstandi promissum.

Tertia regula. Quando verba quæ quis ore vel mente pronuntiauit non indicant suapte natura promissionem, sed solum propositum, vt *faciam, dicam*, potest probabiliter existimare se non vouisse. Quia cum verba non indicent promissionem, nulla in dubio pro voto est possessio.

Quarta regula. Quoties quis pro certo habet verba exteriùs, vel interiùs probata suapte natura esse promissoria, sed est anceps, an animum se obligandi habuerit, tali voto tenetur. Ratio est, quia verba sunt naturaliter signa intentionis, & nullus præsumitur mentiri, vt peccati præsumptio vitetur: ergo vbi quis certus est de promissionis verbis, sed est dubius de intentione, præsumptio, & possessio est pro intentione se obligandi. Si autem sint circa hoc opiniones probabiles, integrum est adhærere minus probabili, reputando se ad id votum non teneri. 3

QVÆSTIO LXXXXIII.

An votum de re simpliciter necessaria, vel impossibili, sit validum, & obligatorium?

RESPONDEO non valere, sed esse stultum, & insanum. Vt si quis voueat se moriturum, aut non volaturum, aut sydera, aut arenam maris numeraturum, aut cœlum ipsum manu tacturum, &c. Et ratio est, quia votum est promissio voluntaria, sed necessitas, vel impossibilitas tollit voluntarium; ergo votum de re absolutè necessaria, aut impossibili non est validum, nec obligatorium. Nec tenetur ad aliquid loco horum præstandum, quia votum non obligat vltra intentionem vouentis, quæ non est obligandi se ad aliud, quam ad id quod vouet. Et in dubio, an materia promissa sit possibilis moraliter, an non, iudicandum est in fauorem voti, vtpotè quod possidet. 1

QVÆSTIO LXXXXIV.

An votum nunquam peccandi absolutè, sit validum, & obligatorium?

1 RESPONDEO non esse validum. Ratio est, quia est de re simpliciter, via ordinaria, impossibili, etiam cum gratia Dei, quæ de lege ordinaria datur iuxta illud Ioan. p. suæ Can. c. 1. *Si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quod intelligitur de impossibilitate morali, quia si metaphysicè, ac de potentia logica agamus, cùm nulla detur contradictio, non est negandum omnia euitari posse.

Tum quia id votum respicit omnia peccata sub vna ratione peccati generica, nec illa obligatio potest commodè diuidi, ita vt comprehendat vnam speciem, vel partem peccati, magis quam aliam: non enim potest assignari ratio, quæ magis obliget vouentem ad vitãdum potius hoc, quàm illud peccatum; & sic cum materia voti sit indiuidua quoad obligationem, & per consequens promittatur per modum vnius, quod est impossibile; necessariò consequitur, nullam oriri obligationem, cùm impossibilium nulla sit obligatio. Sic enim tenent Sot. *lib.* 7. *q.* 1. *art.* 3. Arag. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 2. Val. 2. 2. *d.* 6. *q.* 5 *p.* 2. Nauar. *c.* 11. *nu.* 65. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 27. *nu.* 10. Azor. *lib.* 11. *c.* 14. *q.* 4 Roder. *p.* 2. *c.* 96. *nu.* 4 & alij communiter.

QVÆSTIO LXXXXV.

An votum nunquam peccandi mortaliter sit validum?

1 NAVAR. *cap.* 12. *num.* 65. insinuat non valere, quia est de re nimis difficili.

Palud. *in* 4. *dist.* 38. *d.* 1. dicit forsan hoc votum non obligare.

Nonnulli alij volunt in viro constanti id votum valere, secus in fragili. Quam opinionem censent esse probabilem Petr. de Ledesm. 2. *tom. sum. tract.* 10. *cap.* 2. & Sanch. *lib.* 4. *decalogi cap.* 5. *nu.* 6. 2

His tamen non obstantibus, dico longe verius, atque probabilius esse, affirmare tale votum esse simpliciter validum Ratio est, quia licet perdifficile sit omne peccatum mortale per totam vitam vitare, non tamen est moraliter impossibile: potest enim quis cum gratia Dei, quam omnibus conferre paratus est, omnia ac singula peccata mortalia cauere iuxta Conc. Trid. *sess.* 6. *c.* 5. Cum igitur tale votum sit de bono obiecto, & possibili moraliter (quòd enim per amicos possumus, simpliciter posse censemur) proculdubio validum, & obligatorium esse, existimandum est. Quamuis ob rei difficultatem & periculum, expediret huiusmodi vota non fieri, & si fiant, esse sufficientem rationem, vt in tali voto dispensetur. Ita Sot. *lib.* 7. *q.* 1. *art.* 3. Arag. 2. 2. *q.* 88. *art* 2. Roder. *p.* 2. *c.* 96. *nu.* 5. Tolet. *lib.* 4. *c.* 27. *nu* 6. Azor. *lib.* 11. *cap.* 14. *q.* 4. & Emman. Sa *verbo votum num.* 20.

QVÆSTIO LXXXXVI.

An homo fragilis peccet, id votum emittendo?

RESPONDEO eum peccare venialiter, quia imprudenter agit. 1 at tanta posset esse imprudentia, & temeritas ratione nimiæ fragilitatis vouentis, vt ratione periculi, cui se exponit peccaret mortaliter: adhuc tamen votum esset validum: quia huiusmodi periculum non nascitur ex ipso voto,

voto, sed aliundè ex hominis negligentia, aut malitia.

QVÆSTIO XCVII.

An votum nunquam peccandi venialiter, sit validum?

1 IN qua re conuenit inter omnes, tale votum non expedire, neque esse consulendum regulariter, quia est parum vtile, & potest esse occasio grauiùs peccandi, quia rari sunt homines qui diuinæ gratiæ ita cooperantur, vt nunquam deliberatè venialiter peccent.

QVÆSTIO XCVIII.

Sed dubium est: An tale votum sit validum?

1 SVAR. *to.2. de relig.tract.6.lib.2.c.3.nu.4.* putat valere.

Verùm contraria sententia est communis, & certa. Et Ratio est, quia nemo obligatur ad impossibile prout habet Regula iuris *in 6.* impossibile est autem moraliter homini in hac vita ab omnibus venialibus abstinere, etiam cum eo diuinæ gratiæ munere, quod de lege ordinaria nemini denegatur, vt habetur ex Conc. Trid. *sess.6.can.23.*

QVÆSTIO XCIX.

An votum de nunquam committendo certum peccati venialis genus, vt mendacia iocosa, sit validum?

1 RESPONDEO esse validum. Ratio est, quia est de re honesta, & possibili cum auxilio Dei ordinario. Sic Caiet. 2.2.*q.*88.*art.*8. Sot.*lib.7.q.1.ar.*2. Nau.*cap.12.nu.65.* Arag.2.2.*q.*88.*ar.*2. Tolet.*lib.4.cap.*17. & Azor.*lib.11.cap.14.q.4.*

Hinc, qui votum vitandi tale, vel tale peccatum veniale, vt mendacium officiosum violat, duplex solum peccatum veniale committit, alterum contra votum, alterum vero contra 2
naturale non mentiendi præceptum, quia id votum non aliter obligat, quam præceptum naturale vitandi illius venialis: quod tantum obligat sub veniali. Ita Nau. *cap.12.num.65.* & Sot. *lib.7.q.2.ar.1.*

QVÆSTIO C.

An votum, quo quis pollicetur se nunquam peccaturum in cogitationibus luxuriæ, vel iudicij temerarij, vel infidelitatis, vel in cibo & potu sumendis sit validum?

RESPONDEO non valere. Ratio est, quia hæc omnia venialia vitare est moraliter impossibile. 1

QVÆSTIO CI.

An qui vouit absolutè se amplius non peccaturum, teneatur saltem ex vi voti, ab his peccatis abstinere, quæ saltem vitare potest, v. g. ab hoc, vel illo, quod in particulari vitare potest.

ANGLES *in floribus q. de voto ar.* 1
*1 diff.*8. putat teneri. Sicut qui promittit dare centum Ecclesiæ, & postea tot aureos reddere non potest, saltem tenetur dare quantum commodè valet, putà quinquaginta: ergo eadem ratione, qui absolutè vouet à peccatis abstinere, tenetur saltem ea euitare, quæ ordinario Dei auxilio potest.

At verissima sententia est, hunc non teneri ex vi voti ab aliquo eorum abstinere. Ratio est, quia tale
2 votum est de toto illo obiecto impossibili per modum vnius integræ materiæ, cuius partes non intenduntur, nisi vt totum componunt.s.integram innocentiam, & carentiam culpæ.

Tum quia non est maior ratio de vno peccato vitando, quam de alio, nec inter illa potest fieri moralis electio; & ideo talis venialiter vel mortaliter peccans, non magis peccat, quàm si votum non fecisset. Nec est simile de illo eleemosynæ voto. Quia cùm materia illa sit secundum se moraliter possibilis, & per accidens huic impossibilis, intelligitur id votum obligare ad partem possibilem. At quando quis expressè vouet omnia peccata vitare, votum cadit super totam materiam simul sumptam, quæ cum sit secundum se moraliter impossibilis, ipsum votum reddit irritum, & nullum. Et ideo hanc partem sustinent Sot.*lib.7.q.1.ar.3.* Nau. *cap.12.num.65.* Valent.2.2.*d.6.q.6.p.2.* Roder.*p.2.cap.96.art.4.* Tolet. *lib.4.cap.17.num.6.* Emman. Sa *verb. votum num.*20. Arag.2.2.*q.*88.*art.*2. & Azor.*lib.*11.*c.*14.*q.*4.

3 Dices; Qui vouet confiteri omnia peccata, ex vi voti tenetur saltem confiteri ea, quæ potest: ergo eadem ratione, qui absolutè vouet à peccatis abstinere, tenetur saltem ea vitare, quæ ordinario Dei auxilio potest.

Respondeo negando consequentiam, & ratio negationis est, quia qui vouet confiteri omnia peccata, censetur vouisse se confessurum omnia peccata, quæ moraliter memoriæ occurrunt, quando confessionem facit, quod votum præstare potest. Quod secus contingit in voto nunquam peccandi, quia voti illius obiectum est secundùm se moraliter impossibile.

QVÆSTIO CII.

Sed quid, si intentio vouentis esset, non se obligare ad vitandum omnia peccata, sed solùm ad specialem diligentiam, tale votum valerétne?

Respondeo valere. Et ratio est, quia ex vi talis voti non teneretur vitare omnia peccata, sed solùm specialem diligentiam apponere ad vitanda singula peccata occurrentia, quod cum auxilio Dei ordinario est moraliter possibile. Quare hic satisfaceret voto: quando adhibita ea speciali diligentia succumbens tentationibus præ fragilitate peccaret. Quia ex vi voti ad nullum peccatum vitandum tenetur, sed ad eam solam specialem diligentiam adhibendam. 1

QVÆSTIO CIII.

An votum fatendi omnia venialia teneat?

Respondeo non tenere. Ratio est, quia est de obiecto homini in hac mortali vita impossibili: quia peccata præsertim venialia quæ cogitatione admittuntur, non facilè cognoscuntur. Si tamen intenderet se obligare ad confitendum omnia peccata non absolutè, sed quæ mediocri adhibita diligentia memoriæ occurrunt in actu confessionis, eatenus esset validum, & obligatorium, vtpote quod de re moraliter possibili est. Ita Sotus *in 4.d.18.quest.1.art.3.* Arag. 2.2.*q.*88.*art.*2.& Azor.*lib.*11.*cap.*14.*quest.*4. 1

QVÆST.

QVÆSTIO CIV.

An qui vouet se facturum confeßionem omnium peccatorum suorum, & post factam confeßionem aliorum meminerit, teneatur ex vi voti illa confiteri?

1 AZOR. *lib.* 11. *cap.* 14. *q.* 4. ait hunc ad id non teneri, quia censetur vouisse se tantum confessurum omnia peccata quæ in mentem, & memoriam venerint tempore confessionis.

Verùm Sententia hæc (pace tanti viri sit dictum) mihi displicet, quia si
2 intelligit, vt non teneatur statim illa confiteri, rectè dicit, quia votum hoc obligat instar præcepti Ecclesiastici de confitendis mortalibus, quod ad statim fatenda oblita non obligat, sed satis est, ac sufficit tempore alterius confessionis ea confiteri. Si autem intelligat eum non teneri fateri ea peccata oblita: si tempore alterius confessionis eorum recordetur, reuera fallitur quia huiusmodi votum obligat instar præcepti de fatendis mortalibus, quoad oblita fatenda non statim, sed tempore alterius confessionis obligat.

QVÆSTIO CV.

An votum factum ex metu, quantumuis graui ab intrinseco illato, sit validum, & obligatorium?

1 PRO resolutione huius difficultatis permaximè scitu necessariæ, breuiter hoc loco obseruandum est primò, metum alium dici grauem, vtpote grauis mali, & qui virum constantem terret. Vt mors, mutilatio, &c. Alium leuem, qui in virum constantem non cadit.

Secundò est obseruandum, metum, alium incuti ab intrinseco, vel à causis naturalibus, vt à morbo, tempestate. Et dicitur ab intrinseco, quia non incutitur per actum liberum, sed per modum naturæ, vt rectè docet Sot. *in* 4. *dist.* 29. *q.* 1. *art.* 3. Alium verò ab extrinseco, id est à causa libera, vt ab homine. Qui rursus est duplex, quidam incussus ad extorquendum votum: alter verò ob aliam causam. Item alium iustè incuti, vt cum quis comminatur malum graue, quod iustè inferre potest, vt iust un delicti accusationem. Et alium iniustè, vt si id malum iniustè inferre velit.

His sic declaratis, Respondeo id 2
votum esse validum. Ratio est, quia talis metus quamuis extenuet libertatem, non tamen tollit illam, sola enim vis est quæ libertatem aufert.

Et est conclusio definita *in cap. sicut de regular.* vbi clericus qui nimia ægritudine statum religiosum vouit, religiosus esse compellitur.

Hinc, qui ad vitandum mortis periculum in mari, vel in bello votum emittit, tali voto tenetur. Ratio est quia cum hoc malum non inferatur ad votum extorquendum, si illud fiat, validum erit, nec dicetur ex metu ab extrinseco incusso emitti.

QVÆSTIO CVI.

An votum factum ex metu graui, ab extrinseco puta ab homine incusso ob alium finem, quam ad extorquendum votum, sit validum & obligatorium?

RESPONDEO esse validum, vt 3
si quis in vincula, & carcerem

coniectus, aut ad mortem condemnatus, voueat, vt ab illo periculo liberetur. Ratio huius est, quia vouens in tali periculo constitutus non compellitur ad vouendum; sed sponte sua eligit votum, tanquam medium, quo, Deo propitio periculum euadat.

Hinc, si qui timens hostem persequentem ipsum iniustè, vouet ingres-
2 sum religionis, vt Deus illum liberet de manibus inimici, tenet tale votum. Quia metus hic non est directè causa voti, sed solùm occasio, qua quis voto vtitur tanquam medio ad depellendum malum, quod timet.

Tum quia qui vouet, non facit hoc, vt satisfaciat voluntati inimici, neque in eius gratiam illud exhibet, vt sit veluti pretium, quo cesset ab iniuria, sed illud offert Deo, vt ab eo impetret auxilium. Sicut cum quis iniustè oppressus à tyranno, promittit aliquid alteri, vt eum adiuuet, tenetur promissum præstare. Immò si animus incutientis metum, sit, vt alter emittat votum, eo tamen animo non significato vouenti, nec per ipsum cognito, is religionem voueat, vt ex eo periculo liber euadat, votum tenebit. Ratio est, quia cum vouens prauam illius intentionem ignoret, non cogitur ex eo metu ad vouendum, sed sua sponte illud vt medium suæ liberationis eligit, & sic perinde est, ac si ob aliam causam, metus incuteretur. Ita Valent. 2.2.*d.6.q.6 p.*4.

QVÆSTIO CVII.

An votum emissum ex metu graui, & ab extrinseco, puta ab homine per iniuriam incusso, gratia extorquendi votum, sit validum & obligatorium? vt si dicas, occidam te, nisi votum religionis emiseris.

RESPONDEO non valere. Ratio 1
est, quia votum debet esse voluntarium, atqui ignorantia, vis, atque metus tollunt voluntarium vt ait Arist. 3. *Eth.* ergo votum ex tali metu emissum non est validum, nec obligatorium.

Et confirmatur; Matrimonium ex tali metu celebratum est nullum; ergo & votum. Consequentia tenet ex paritate rationis. Antecedens verò habetur expressè 33.*q.*3.*cap.notificasti.*

Et est conclusio definita *in cap.* 2
Perlatum 1.*de his quæ vi, metúsve causa fiunt*; vbi mulier quæ coniugis metu votum religionis emiserat, absoluitur. Et ita tenent Sot. *lib.*7.*q.*2.*ar.*1. Arag. 2.2.*q.*88.*ar.*3. Nauar.*c.*12.*nu.*52. Val. 2.2.*d.*6.*q.*6.*p.*4. Roder.*p.*2.*cap.*95.*nu.*1. Tolet. *lib.*4. *c.*17. Et communis, à qua tamen recedit Syluest.*verb.metus q.* 8. vbi ait votum ex tali metu emissum, censeri nullum, quia præsumitur vouentem non habuisse animum vouendi.

Sed hæc opinio Syluestri falsa, est,
& contra communem sensum Eccle- 3
siæ, quæ semper habuit irritum votum ob talem metũ emissum, etiamsi vouens fateatur se habuisse animum vouendi, vt colligitur ex *cap.*1.*de his quæ vi, metúsve causa fiunt*, & tradit Nauar.*Tom.*2.*de regul.nu.*13. *Lop.p.p. inst.conf.c.*45. Emman. Sa *verbo metus num.*2.*& verb.votum nu.*8.

QVÆSTIO CVIII.

An votum factum ex metu graui iustè incusso ab homine ad extorquendum votum sit validum, & obligatorium? Vt si vir comminetur mortem vxori in adulterio deprehensæ via iuris infligendam, nisi religionis ingressum voueat?

LOP.

1 LOP. *p.p. instruct. conf. cap.* 45. Roder. *p.* 2. *cap.* 95. *num.* 3. & Vega 2. *tom. sum. cap.* 129. *casu* 17. negant valere.

Contra tamen, & meo iudicio probabiliùs sentiunt Sot. *lib.* 7. *q.* 2. *art.* 1. Med. *lib.* 1. *c.* 14. §. 6. Less. *lib.* 2. *de iust.*
2 *cap.* 40. *dub.* 1. & Eman. Sa *verbo votum n.* 8 nimirum id votum esse validum, & obligatorium. Ratio est, quia qui iustè cogitur, non censetur inuoluntariè cōsentire: quia volūtariè causam metus, & coactionis dedit: vnde timor ille mali non censetur incuti ab extrinseco, sed ab intrinseco, nempe à propria voluntate, qua perpetratum est delictum, ac proinde consensus inde sequutus non censetur inuoluntarius, cum sit omnino voluntarius in sua causa. Quare id malum minans non censetur metum inferre, sed potius merum iam ex delicto conceptum auferre, offerendo immunitatem, si voueat.

Tum quia eiusmodi pœna illi debebatur à iure, & illam mauult adultera effugere, quàm libertatem pristinam retinendo in sæculo remanere, & sic voluntariè, & non coactè religionem vouisse dicitur.

3 Hinc, qui contraxit sponsalia cum muliere, potest iure cogi vt contrahat matrimonium cum ea. *Cap. ex literis* 2. *de sponsal.* Et qui vi, dolo, vel fraude virginem stuprauit, compellitur eam ducere, vel dotare. Et qui promisit aliquid, ne accusaretur de crimine in iudicio, tenetur promissum præstare. Et Ratio est, quia si hi contractus essent irriti, & nulli, id esset ratione iniuriæ, quæ abest, quando metus iustè incutitur.

3 Hinc, si vir priuata authoritate minetur mortem vxori in adulterio deprehensæ, nisi votum religionis emittat, non tenet tale votum, vtpotè metu iniustè incusso extortum, non enim potest illam iure priuatim occidere. Si autem minetur, eam Iudicis authoritate occidere, aut eam accusare in iudicio, votum est validum, quia iure potest id facere.

QVÆSTIO CIX.

An votum quod ex metu graui per iniuriam incusso est irritum, etiamsi postea iuramento confirmetur, adhuc sit nullum?

RESPONDEO adhuc esse nullum. 1
Ratio est, quia votum necessariò debet esse voluntarium, iuramentum autem sortitur naturam eius, quæ à principio inest actui, in quo præstatur. Cum igitur votum cui adhæret iuramentum debeat esse voluntarium, quod deesse censetur in casu posito, consequenter iuramentum ipsum, ipsi adhærens erit nullum; iuramentum enim defectum consensus non supplet. Ita Couar. *p.* 2. *de matr. cap.* 3. §. 5. *nu.* 3. *Cosm.* Philiar. *de off. Sacerd. p.* 2. *lib.* 2. *c.* 7. & Roder. *p.* 2. *c.* 95. *num.* 4.

QVÆSTIO CX.

An votum ex metu graui extortum sit iure diuino & naturali irritum?

SCOTVS *in* 4 *dist.* 29. *q. vnica ar.* 2. 1
tenet huiusmodi votum esse nullum iure diuino naturali. Et probat; quia cum ad votum ex iure diuino naturali libertas requiratur, & ille metus tollat voluntarium; sit vt iure diuino naturali votum annullet.

Tum quia nullum violentum est perpetuum. Atqui votum ex se habet vt sit perpetuum: ergo. Hoc idem videtur

detur

coniectus, aut ad mortem condemnatus, voueat, vt ab illo periculo liberetur. Ratio huius est, quia vouens in tali periculo constitutus non compellitur ad vouendum; sed sponte sua eligit votum, tanquam medium, quo, Deo propitio periculum euadat.

2 Hinc, si qui timens hostem persequentem ipsum iniustè, vouet ingressum religionis, vt Deus illum liberet de manibus inimici, tenet tale votum. Quia metus hic non est directè causa voti, sed solùm occasio, qua quis voto vtitur tanquam medio ad depellendum malum, quod timet.

Tum quia qui vouet, non facit hoc, vt satisfaciat voluntati inimici, neque in eius gratiam illud exhibet, vt sit veluti pretium, quo cesset ab iniuria, sed illud offert Deo, vt ab eo impetret auxilium. Sicut cum quis iniustè oppressus à tyranno, promittit aliquid alteri, vt eum adiuuet, tenetur promissum præstare. Immò si animus incutientis metum, sit, vt alter emittat votum, eo tamen animo non significato vouenti, nec per ipsum cognito, is religionem voueat, vt ex eo periculo liber euadat, votum tenebit. Ratio est, quia cum vouens prauam illius intentionem ignoret, non cogitur ex eo metu ad vouendum, sed sua sponte illud vt medium suæ liberationis eligit, & sic perinde est, ac si ob aliam causam, metus incuteretur. Ita Valent. 2.2. *d.6.q.6 p.4.*

QVÆSTIO CVII.

An votum emissum ex metu graui, & ab extrinseco, puta ab homine per iniuriam incusso, gratia extorquendi votum, sit validum & obligatorium? vt si dicas, occidam te, nisi votum religionis emiseris.

1 RESPONDEO non valere. Ratio est, quia votum debet esse voluntarium, atqui ignorantia, vis, atque metus tollunt voluntarium vt ait Arist. 3. *Eth.* ergo votum ex tali metu emissum non est validum, nec obligatorium.

Et confirmatur; Matrimonium ex tali metu celebratum est nullum; ergo & votum. Consequentia tenet ex paritate rationis. Antecedens verò habetur expressè 33.*q.3.cap.notificasti.*

Et est conclusio definita *in cap. Perlatum 1. de his quæ vi, metúsve causa fiunt*; vbi mulier quæ coniugis metu votum religionis emiserat, absoluitur. Et ita tenent Sot. *lib.7.q.2.ar.*1. Arag. 2.2.*q.*88.*ar.*3. Nauar. *c.*12.*nu.*52. Val. 2.2.*d.6.q.6 p.*4. Roder. *p.*2.*cap.*95.*nu.* 1. Tolet. *lib.*4. *c.*17. Et communis, à qua tamen recedit Syluest. *verb. metus q.* 8. vbi ait votum ex tali metu emissum, censeri nullum, quia præsumitur vouentem non habuisse animum vouendi. 2

Sed hæc opinio Syluestri falsa est, & contra communem sensum Ecclesiæ, quæ semper habuit irritum votum ob talem metū emissum, etiamsi vouens fateatur se habuisse animum vouendi, vt colligitur ex *cap.* 1. *de his quæ vi, metúsve causa fiunt*, & tradit Nauar. *Tom.*2. *de regul. nu.*13. *Lop. p. p. inst. conf. c.*45. Emman. Sa *verbo metus num.*2. *& verb. votum nu.*8. 3

QVÆSTIO CVIII.

An votum factum ex metu graui iustè incusso ab homine ad extorquendum votum sit validum, & obligatorium? Vt si vir comminetur mortem vxori in adulterio deprehensa via iuris infligendam, nisi religionis ingressum voueat?

LOP.

1 LOP. *p.p. instruct.conf.cap.*45. Roder. *p.2.cap.*95.*num.*3.& Vega 2. *tom.sum. cap.*129. *casu* 17.negant valere.

Contra tamen,& meo iudicio probabiliùs sentiunt Sot. *lib.*7. *q.*2.*art.*1. Med.*lib.*1.*c.*14.§.6.Less.*lib.*2.*de iust.*
2 *cap.*40.*dub.*1.& Eman.Sa *verbo votum n.*8 nimirum id votum esse validum, & obligatorium. Ratio est, quia qui iustè cogitur, non censetur inuoluntariè cōsentire:quia volūtariè causam metus, & coactionis dedit: vnde timor ille mali non censetur incuti ab extrinseco,sed ab intrinseco,nempe à propria voluntate, qua perpetratum est delictum, ac proinde consensus inde sequutus non censetur inuoluntarius, cum sit omnino voluntarius in sua causa. Quare id malum minans non censetur metum inferre, sed potius metum iam ex delicto conceptum auferre, offerendo immunitatem, si voueat.

Tum quia eiusmodi pœna illi debebatur à iure, & illam mauult adultera effugere, quàm libertatem pristinam retinendo in sæculo remanere, & sic voluntariè, & non coactè religionem vouisse dicitur.

3 Hinc, qui contraxit sponsalia cum muliere,potest iure cogi vt contrahat matrimonium cum ea. *Cap. ex literis 2.de sponsal.* Et qui vi,dolo,vel fraude virginem stuprauit, compellitur eam ducere, vel dotare. Et qui promisit aliquid, ne accusaretur de crimine in iudicio, tenetur promissum præstare. Et Ratio est, quia si hi contractus essent irriti,& nulli, id esset ratione iniuriæ, quæ abest, quando metus iustè incutitur.

3 Hinc, si vir priuata authoritate minetur mortem vxori in adulterio deprehensæ, nisi votum religionis emittat,non tenet tale votum, vtpotè metu iniustè incusso extortum, non enim potest illam iure priuatim occidere. Si autem minetur, eam Iudicis authoritate occidere, aut eam accusare in iudicio,votum est validum, quia iure potest id facere.

QVÆSTIO CIX.

An votum quod ex metu graui per iniuriam incusso est irritum, etiamsi postea iuramento confirmetur, adhuc sit nullum?

RESPONDEO adhuc esse nullum. 1
Ratio est, quia votum necessariò debet esse voluntarium,iuramentum autem sortitur naturam eius,quæ à principio inest actui, in quo præstatur.Cum igitur votum cui adhæret iuramentum debeat esse voluntarium, quod deesse censetur in casu posito,consequenter iuramentum ipsum,ipsi adhærens erit nullum; iuramentum enim defectum consensus non supplet. Ita Couar. *p.*2. *de matr. cap.*3.§.5.*nu.*3.*Cosm.* Philiar.*de off.Sacerd.p.*2.*lib.*2.*c.*7. & Roder. *p.*2.*c.*95. *num.*4.

QVÆSTIO CX.

An votum ex metu graui extortum sit iure diuino & naturali irritum?

SCOTVS *in* 4 *dist.*29.*q.vnica ar.*1. 1
tenet huiusmodi votum esse nullum iure diuino naturali. Et probat; quia cum ad votum ex iure diuino naturali libertas requiratur, & ille metus tollat voluntarium, fit vt iure diuino naturali votum annullet.

Tum quia nullum violentum est perpetuum. Atqui votum ex se habet vt sit perpetuum:ergo. Hoc idem videtur

detur sentire Sotus *lib.*7.*q.*2.*art.*1.& *lib.*8 *q.*1.*ar.*7.

2 Contrarium tamen est proculdubio asserendum cum Syluest. *verb. metus q.*8.Henriq.*lib.*1. *de matr. cap.*9. *num.*1.*&* 3.Valent.*tom.*4.*d.*10.*q.*3.*p.*2. Arag. 2.2.*q* 88.*art.*3. Nau.*cap.*22.*nu.* 50.& Azor.*lib.*11. *cap.*15.*q.*6. Et ratio est, quia stando in iure naturæ ea libertas quæ sufficit ad peccatum lethale, sufficit etiam ad vouendum. At hæc inuenitur in metu graui. nam si puella ex metu tali, stupro consentiret, proculdubio peccaret mortaliter vt rectè docet D.Thom.1.2.*q.*6.*ar.*6. ergo stando in iure naturæ,& diuino, si ex illo metu fiat votum, illud erit validum.

Tum quia matrimonium tali metu extortum iure naturæ est validum, vt Theologi communiter, ac iuris vtriusque Doctores fatentur. Similiter & iuramentum *cap.si vero de iureiur.* cum tamen ita voluntaria sint, atque vincula perpetua, ac votum: ergo etiam & votum simili metu emissum eodem iure erit validum.

Nec obstant contrariæ opinionis argumenta. Nam ad primum dicimus falsum esse metum tollere voluntarium, quamuis illud minuat admiscendo aliquid inuoluntarij, vt rectè docet Aristot.3.eth.

Ad secundum. Respondeo, quod est simpliciter violentum non potest esse perpetuum: secus de violento secundum quid, quale est metu extortum.

QVÆSTIO CXI.

An votum ex metu graui extortum sit irritum saltem iure Ecclesiastico?

1 SYLVEST. *verb metus q.*8. negat tale votum esse ipso iure nullum, sed esse Ecclesiæ authoritate irritandum: sicut iuramentum eo metu extortum est validum, relaxandum tamen per Ecclesiam.Ducitur,quia tale votum est voluntarium.

Suar. *to.*2. *de religione tract.* 6.*lib.*1. *cap.*8. *num.*5. opinatur solum votum solemne tali metu emissum esse ipso iure irritum,non autem simplex. Ducitur, quia vnicus textus votum sic per metum extortum irritans reperitur,qui est *cap.*1. *de his qua vi*, &c. At de solo voto solemni professionis loquitur.

Nos tamen contrariam sententiam, vt magis communem, & veriorem sequendam esse arbitramur, irritari eo metu omne votum, siue simplex, siue solemne. Hæc est expressa sententia Soti *lib.*7.*q* 3.*ar.*2. Nau.*cap.* 12.*num.* 52. & Comment. 1. *de regul. num.*13. Med. *lib.*1.*sum. cap.*14. §.6. Arag.2.2.*q.*88.*art.*3.Tolet.*lib.*4.*c.*17. *num.*5.Valent. 2.2. *d.*6.*q.*6. *p.*4. Lop. *p.p.cap.*45. Roder. *p.*2.*cap.*95.*num.*1. Azor.*lib.*11.*c.*15.*q.*7. Emman.Sa*verb. metus num.*2.& *verb. votum num.*8. & Philiar. *de off.Sacerd.tom.*1. *p.*2. *lib.*3. *cap.* 18. Et ratio est quia in dicto *cap. Perlatum de his qua vi, metúsue causa fiunt*, per summum Pontificem declaratur professionem mulieris, quæ metu mortis à marito incusso religionem vouerat, ac professa fuerat, esse ipso iure nullam. Et quamuis ibi non sit sermo de voto simplici, at communis Theologorum,& Iurisperitorum sententia eandem decisionem extendit ad votum simplex: vtpotè quod est supererogationis opus, & suam perpetuitatem habet. Quod est verum etiam si vouens, dum vouit se habuisse eo voto animum obligandi, affirmet. Quoniam Ecclesia eum consensum, vt non omninò liberum, inefficacem reddit ad valorem voti: sicut consensum clandestinum

num irritat, ne ex eo obligatio matrimonij oriatur. Si tamen cessante metu, vouens sciens prius votum esse nullum illud ratum habeat, incipiet tunc valere.

3 Hinc, vota eo metu graui emissa ab infidelibus, sunt valida & obligatoria. Ratio est, quia vota tali metu extorta, solo iure Canonico irritantur, cui illi non subiiciuntur.

4 Hinc, qui metu mortis, aut mutilationis, sacris initiatur, ad votum castitatis ordini annexum non tenetur, quamuis characterem ordinis suscipiat. Ratio est, quia vt diximus, votum tali metu extortum non valet. Vnde poterit sine vlla dispensatione ad nuptias transire, si nolit in ordinis sacri vsu permanere. Quare Ecclesia coget eum, aut vt votum castitatis denuò emittat, aut ab vsu Sacrorum ordinum abstineat. Quòd si semel ordine suscepto vsus sit, ad votum continentiæ tenebitur, quia est ordinis suscepti ratificatio.

5 Dices; iuramentum metu graui extortum est iure Pontificio validum, ergo est votum.

Respondeo disparem esse vtriusque rationem; nam voti obligatio pendet ex pura voluntate vouentis, & ideò metus qui tollit voluntarium, tollit eius obligationem: obligatio autem iuramenti non ex voluntate iurantis, sed ex iuramenti natura dependet: nam honor diuini nominis hoc requirit, vt nunquam homo falsum esse sinat, quod iurat, Ita Sot. *lib. 7. q. 3. artic. 1.*

QVÆSTIO CXII.

An metus sufficiens ad reddendum votum nullum, vouentem etiam ab eius executione liberet? v. g. vouit quis ieiunare, & postea ei metus mortis incutitur, nisi ieiunium frangat, an tunc comedendo peccet?

RESPONDEO non peccare. Ratio est, quia vouens intentionem obligandi se ad seruandum votum cum tanto detrimento non habuit. 1

Tum quia votum non obligat, nisi ad instar legis, lex autem Ecclesiastica ad ieiunium non eo rigore compellit, vt velit nos subire mortem pro sui ieiunij obseruatione: nisi in fidei, aut Christianæ religionis contemptum, & Ecclesiæ contumeliam tyrannus eam minaretur, quia tunc potius deberet subire mortem, quàm votum violare. Quòd, si votum esset de re aliqua posita sub præcepto diuino, & naturali, vt de non adulterando, quod vt dicemus obligat cum eo mortis periculo, adhuc existimo adulterantem solum peccare contra id præceptum, non autem contra votum, quod cum tanto rigore non obligat, vt illius semper gratia mortem optemus; adeò vt quando metus incutitur in fidei odium, & contemptum ad legem Ecclesiasticam transgrediendam, & si teneatur quis eam non violare, non tamen tenetur ex vi legis illius Ecclesiasticæ non obligantis cum tanto rigore, sed ex vi legis diuinæ obligantis ad tuendam fidem, & religionem cum mortis periculo. Sot. *lib. 7. q. 2. art. 1.* Rodet. *p. 2. cap. 95. num. 4.* & Emman. Sà *verb. votum num. 23.*

Hinc, Sacerdos qui metu mortis à tyranno compellitur celebrare coram excommunicato, vel comedere carnes in diebus ab Ecclesia prohibitis, celebrando, vel comedendo, non peccat, dummodo talis compulsio à tyranno in Ecclesiæ contumeliam non fiat, vt faciunt hæretici, quia præce- 2

ptum de tuenda vita est naturale diuinum.

QVÆSTIO CXIII.

An metus sufficiens ad liberandum aliquem ab executione voti, à culpa transgressionis Legis diuinæ aut naturalis excuset?

1 RESPONDEO non excusare. Ratio est, quia obligatio legis diuinæ non ex nostra voluntate, sicut in voto, sed Dei præcipientis oritur, atque ita in omni euentu obligat. Vnde si puella metu mortis in stuprum consentiret, non excusaretur à culpa mortali, cùm nec ob mortem peccatum veniale committendum sit.

QVÆSTIO CXIV.

An metus leuis, qui in virum constantem non cadit, irritum reddat votum in foro conscientiæ, si per iniuriam gratia extorquendi votum incussus sit?

2 NAVAR. *cap.17.nu.15.& cap.22. nu.51.* & Com.2. *de regul. num. vltimo* & Roder. *p.1.c.8.nu.10.* affirmant, ducti eo fundamento, quia sæpe metus leuis non minùs perturbat hominem, & impellit nolentem ad consensum, quàm metus grauis cadens in virum constantem, ergo si hic irritat votum, etiam ille.

2 Contra tamen, & meo iudicio probabiliùs sentiunt Sot. *lib.7. q.2. art.1.* Arag.2.2.*q.88.art.3.* Lop.*p.1.c.45.* Valent.2.2.*d.6.q.6.p.4.* Azor. *lib.11.c.15. q.6.* Emman. Sà *verb. metus num.3.* & Cosm.Phil. *de off. Sacerd.to.1.p.2.lib.3. cap.18.* nimirum metum leuem qui in virum cõstantem non cadit, non reddere votum irritum. Et Ratio est, quia talis metus non tollit voluntarium: ergo votum tali metu emissum est validum.

Et confirmatur, metus non irritat votum quia quomodocumque voluntarium tollit, sed quia prudenter, & rationabiliter aufert, eligendo rem tam grandem, vt est votum ratione illius timoris vitandi; quod non contingit quando metus est leuis, sed imprudenter, & irrationabiliter agitur.

Et videtur esse conclusio definita *in l.metum ff.quod metus causa*, vbi dicitur, *metum vani hominis non esse spectandum, sed eum, qui in constantissimum cadit*. Quando autem omnibus pensatis anceps res est, an metus sit grauis vel leuis, existimo diiudicandum esse in fauorem voti, vt non irritet. Quia cùm constet de voto; & excusatio sit dubia, stat possessio pro voto. 3

QVÆSTIO CXV.

An votum ex errore factum, sit validum?

AD hoc respondeo, quod si error sit circa substantiam voti, sitque causa vouendi, tunc votum est irritum vt communiter Doctores restantur. Censetur autem esse circa substantiam voti multis modis. 1

Primò, cùm erratur circa vim voti, vt si credens votum non obligare sub peccato, voueat, talis enim ignorat naturam voti, quod facit. Debet tamen error esse causa actus, alioquin non reddet illum irritum. 2

Secundò, cum erratur circa personam, vt si voueas dare eleemosynam Tirio, quem existimas esse tuum cognatum, & sit extraneus.

Tertiò, cum erratur circa partem notabilem rei promissæ, vt si voueas adire 3

adire Hierosolymam, putans eam propè esse, & quod absque nauigio possis illuc proficisci, cum tamen res longè aliter se habeat, voto non ligaris, cum ignorantia tollat voluntarium, quod est de essentia voti. Secus si deceptio sit circa aliquas conditiones, vel impertinentes, vel leuioris momenti, tunc enim valeret votum, quia parum pro nihilo reputatur.

Quartò, cum erratur circa materiam voti, vt si voueas certam pecuniam, quam putas argenteam, cum sit aurea: vel voueas ingredi certum cœnobium, putans in eo Regulam quoad essentialia seruari, cùm tamen non seruetur.

Quintò, & vltimò, cum erratur circa causam finalem ob quam quis vouit, vt si voueas Rosarium pro salute patris, quem putas ægrotare, cùm non ægrotet. Et ratio est quia non extante causa finali, deficit intentio vouentis, quia deficit proprium, ac principale motiuum eius.

Tum quia ille finis est quasi obiectum intrinsecum talis actus; & ideo eo cessante, cessat eius obligatio.

4 Hinc, qui vouit dare singulis diebus, certam pecuniam Titio propter eius paupertatem, nunc autem factus est diues, non tenetur amplius ad votum. Quia eius indigentia, quæ fuit causa finalis sui voti, cessauit.

5 Hinc, qui vouit peregrinationem pro salute filij, & filius moriatur ante inchoatam peregrinationem, non tenetur amplius peregrinari. Quia eius causa finalis cessauit.

Hinc, qui promisit redimere Titium captiuum, & ante quàm possit suum votũ explere, ipse fugam ineat, non tenetur amplius voto. Quia causa finalis illum redimendi cessauit.

6 Hinc, qui vouit religionem ingredi principaliter in tali Monasterio, & & postea in eo non recipitur, ex vi voti ad nihil aliud tenetur. Quia proprium motiuum sui voti cessauit.

Hinc, qui fingendo sanctitatem, legatum obtinuit, tenetur in conscientia illud restituere. Quia vt suppono, sanctitas quæ fuit causa finalis talis donationis, non extat.

Hinc, qui fingendo paupertatem, multam pecuniam comparauit, tenetur in conscientia illam restituere. Quia paupertas fuit causa finalis talis donationis, qua cessante non tenebit donatio. 7

Hinc, qui falsò existimans se à Deo recepisse aliquod insigne beneficium, aliquid vouit in gratiarum actionem, votum non tenet Quia causa finalis 8
voti cessauit. Secus si etiam tunc vouisset, & proinde fuit causa impulsiua, vel inductiua ad vouendum, quia cessante tali causa, cum permaneat principale motiuum, non est cur cesset obligatio voti. Quòd si votum duplicem habeat causam impulsiuam, quamuis vna cesset, obligabit votum, nisi intendat vouens aliter non se obligare, nisi illa duplici causa existente. In dubio autem vtrum causa cessans sit finalis, aut impulsiua, iudicandum est, causam esse finalem, ac proinde obligare votum.

Ex quo colligitur, errorem circa 9
voti substantiam, non solùm ipsum votum quoad eius substantiam irritare, sed etiam quoad circunstantias accidentarias illi substantiæ accessorias. Vt si existimans domum Lauretanam non habere iter nisi vnius diei, cum sit sex, voueas illam, indutus sacco visitare, sicut non teneris ob errorem ire domum Lauretanam, ita nec indui sacco, in quo non errasti. Ratio est, quia destructo principali, corruit etiam accessorium.

Regul. *Cum principalis ff. de reg. iuris.*

QVÆSTIO CXVI.

An finis voti cadat sub votum?

1 RESPONDEO minimè, nisi fortè expressè vouentis intentio sit, se obligare ad votum ex certo bono fine seruandum. Ratio est, quia commune proloquium est, *finem præcepti non cadere sub præceptum*, at votum est veluti quoddam præceptum, quod vouens sua sponte sibi iniungit, ergo etiam votum non obligat ad finem, sed ad solam materiam promissam.

Hinc, qui vouit dare eleemosynam, vt satisfaciat pro suis peccatis,
2 non censetur violare votum, si ipsum executioni mandet quidem, non tamen illo ipso fine, quo vouit. Quia non eo ipso quod quis aliquo fine motus est ad aliquid vouendum, censendus est vouisse, id ipsum promissum suum exequi ex eodem fine.

Hinc, qui vouit ieiunium eo fine, vt corpus affligatur, ex vi voti non tenetur ieiunare ad hunc finem: vnde
3 si debitam ciborum qualitatem, & formam ieiunij seruet, licet excedat in mensura, seruat votum, sicut seruat præceptum ieiunij, quia ex vi talis voti, solùm ad ieiunandum se obligauit.

QVÆSTIO CXVII.

An modus implendi votum cadat sub votum?

1 RESPONDEO minimè. Et ratio est, quia ex vi voti non obligatur homo nisi ad id quod formaliter, vel virtualiter promisit; sed modus actus non promittitur, nisi vel ad substantiam actus promissi pertineat, vel formaliter, vel virtualiter promittatur: ergo extra hos casus modus non cadit sub votum.

Hinc, qui vouit ministrare sacramenta, si ille administret in mortali, licet peccet contra ius diuinum, non tamen contra votum. 2

Hinc, qui vouit orare, tenetur ex vi voti, attentè orare. Quia modus est de substantia orationis.

QVÆSTIO CXVIII.

An votum factum de meliori bono, obliget vouentem ad eius obseruantiam sub peccato?

RESPONDEO votum ex genere suo obligare ad sui obseruantiam sub peccato. Ratio est, quia non stare promissis est vitium contra virtutem veritatis, & fidelitatis vt docet D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 3. 1

Tum quia promissio bona fide facta homini in conscientia obligat: ergo & promissio Deo facta obligationem inducit. Quia vtriusque eadem est ratio.

Et est conclusio definita in multis scripturæ locis. Prouerb. 20. dicitur: *Ruina est homini vota retractare.* Super quem locum D. Hieronymus, *damnationem* (ait) *eum incurrere, qui votum violat.* Et Deut. 23. *Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, obseruabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo loquutus es.* Ex quibus verbis manifestè colligitur in hominis potestate esse, vouere; post emissum autem votum, teneri sub præcepto ad illud obseruandum quod vouerat. Et satis 2
id

id probant verba illa Eccles. 5. *Displicet enim illi infidelis, & stulta promissio:* quod enim Deo displicet, peccatum est. Item verbum illud, *reddite* Psalm. 75. verbum præcepti est; sicut vouere est consilij, vt definiuit Innoc. III. *in cap. Magnæ de voto.* Atque ita bene docet D. Thom. *opusc.* 18. *cap.* 12. *& quodlib.* 3. *art.* 12. vbi ait oppositum esse hæreticum.

QVÆSTIO CXIX.

An votum obliget ad sui obseruantiam sub mortali?

1 RESPONDEO votum ex genere suo obligare ad sui obseruantiam sub mortali. Ratio est, quia redditio voti pertinet ad fidelitatem, quam homo tenetur Deo seruare: sed hæc ex genere suo obligat ad mortale: ergo.

Et confirmatur: Qui fidem homini datam sine iusta causa violat, grauiter eum offendere censetur: ergo multò magis offendit Deum, qui per perfidiam irreligiosam, votum ei sanctè factum infringit.

Deinde ponderari potest, quod in Psal. 75. post illa verba, *Vouete, & reddite Domino Deo vestro,* subiungit Dauid: *Terribili, & ei qui aufert Spiritum Principum, terribili apud Reges terræ.* Quibus verbis exaggerare voluit grauitatem peccati non reddendi Deo votum ex diuina Majestate, & potestate.

2 Tandem est conclusio definita *in cap. Ananias* 17. *q.* 1. vbi habetur voti transgressionem dignam esse morte: pro vt constat ex eo quod gestum est

Act. 5. in Anania, & Saphira, qui subita morte à Deo puniti sunt; quorum peccatum fuit voti transgressio erogandi omnia pauperibus, vt ex contextu colligitur. Et *in cap. licet de voto, & voti redemptione,* vbi Innoc. iij. dicit, *Post votum non licere alicui sine proprio salutis dispendio resilire.* Et in prima ad Timoth. 5. vbi viduæ quæ castitatem vouerunt, volentes nubere, dicuntur *damnationem sibi acquirere, quia primam fidem irritam fecerunt:* non dicitur autem habere damnationem, nisi qui mortaliter peccat. Et in cap. 5. Eccles. vbi habetur, *Si quid vouisti, non moreris reddere: displicet enim Deo infidelis, & stulta promissio.* Vbi sunt ponderanda ly *displicet*, & ly *stulta*, & ly *infidelis*, quæ grauem quandam Dei offensam significant. Atque hinc ortum est illud D. Hieronymo attributum 17. *q.* 1. *c.* 2. *Vouentibus virginitatem non solùm nubere, sed etiam velle nubere damnabile est.* & habetur in Augustino *de bono viduitatis cap.* 9. Vnde, *cap.* 11. subiungit, *grauius esse violare castitatem contra votum, quàm adulterare.*

QVÆSTIO CXX.

An violatio voti sit aliquando venialis?

IN qua re conuenit inter omnes, violationem voti posse esse venia-
lem ex surreptione, seu indeliberatione. Nam hic modus extenuandi culpam etiam in grauissimis peccatis infidelitatis, desperationis, odij Dei, locum habet; & in peccato periurij vt vniuersi fatentur. 1

Tum quia propter indeliberationem potest interdum omnis culpa etiam venialis excusari, vt patet si ex obliuione naturali votum non impleatur: ergo pari ratione poterit impediri culpa mortalis, & relinqui ve-
nialis: quia potest esse aliqualis negligentia, quæ ad culpam leuem, non tamen ad grauem sufficiat. 2

QVÆSTIO CXXI.

Sed dubium est, An violatio voti sit aliquando venialis ob leuitatem materiæ, etiam si cum sufficienti deliberatione fiat?

1 IN qua difficultate etiam conuenit inter Doctores, modicam quantitatem in quacunque materia respectu totius nunquam obligare ad mortale; vt si voueas Rosarium, & postea omittis vnam, aut alteram salutationem angelicam; vel si voueas dare centum in eleemosynam, & omittis soluere vnum solidum. In his,& aliis casibus, non est plusquàm veniale;quia respectu totius est transgressio in minima quantitate. Et ratio est, quia transgressio cuiuscumque præcepti ratione paruitatis materiæ,id est, parui nocumenti, solum obligat transgressores ad veniale,minimo enim nocumento charitas Deo & proximo debita non destruitur; & violatio voti, transgressio diuini præcepti est,quemadmodum & furti, & homicidij, quapropter, ratione modicitatis materiæ fractio voti, seu alterius præcepti erit tantùm venialis.

QVÆSTIO CXXII.

Sed totum huius controuersiæ dissidium inter Doctores consistit: An fractio voti de re leui, quæ res leuis est tota materia voti, sit peccatum mortale? Vt si voueas recitare semel orationem angelicam, & illam omittas.

1 ILLVSTRISSIMVS Caietan. 2.2.q. 89. *art.* 7. Armil. *verb.iuramentum num.*12. Tabien.*verb.iurare q.*10. & Cosin.Philiar. *de off. sacerd. p.*3.*cap.*3. existimant semper esse mortale. Huius opinionis olim fuit Nauar. vt testatur *in Manuali cap.*12 *n.*10.& 40.

Communis tamen Recentiorum sententia, quam tenendam censeo, docet solùm esse veniale, etsi materia parua, sit tota materia voti. Ratio est, quia promissio rei leuis facta homini non obligat ad sui obseruantiam sub mortali, quamuis ipsa res leuis, sit tota materia promissionis; ergo nec facta Deo: Antecedens est manifestum. Consequentia vero probatur; nam Deus non est rigidior exactor suarum promissionum, quàm homo.

Tum quia votum est quædam lex, 2 quam vouens ex propria voluntate sibi imponit; ergo non debet magis obligare, quàm si esset lex Ecclesiastica, vel diuina: sed lex diuina, & Ecclesiastica in re leui non obligat nisi sub veniali, ergo similiter & votum.

Tum quia fractio iuramenti promissorij in re parua est tantum venialis, vt ipsemet Caietan. fatetur. *in summa, verbo iuramentum*, ergo & voti. Patet consequentia ex paritate rationis.

Obiicies, qui in hoc casu frangit votum de re leui, frangit illud in totum, & notabiliter, quemadmodum contigit nostro primo parenti Adamo in paradiso terrestri.

Respondeo, non omne totum esse 3 quid notabile; immo aliquando paruum, cuius furtum non inducit peccatum mortale.

Dices:in peccato hæresis, desperationis, odij Dei, & in periurio paruitas rei à mortali non excusat: ergo neque in transgressione voti.

Respondeo: malitia hæresis repugnat primæ veritati Dei, propriæ; desperatio infinitæ Dei misericordiæ,

ricordiæ; odium Dei, infinitæ ipsius bonitati; & periurium ipsius summæ perfectioni, qua nec mentiri, nec vlli iniquitati cooperari potest: At transgressio voti consistit in infidelitate, qua quis promissionem Deo factam frangit; quod tantum ostendit nequitiam hominis, nec pugnat directè, tanquam ex diametro oppositum, cum aliquo diuino attributo.

4 Dices: mendacium de peccato veniali si tota materia confessionis sit, est peccatum mortale, non tamen si solùm sit pars materiæ, vt vniuersi tradunt; ergo similiter quando aliquando est tota materia voti, si violetur, erit peccatum mortale.

Respondeo disparem esse rationem, ideò enim tale mendacium est peccatum mortale, quando est tota materia confessionis, quia reddit Sacramentum irritum, & nullum, quod non contingit in vóto, cùm iam præterierit, sed solùm agitur contra obligationem eius remanentem, idque solum in re leui. Et ideò huius sententiæ sunt Sot. *lib.* 7. *q.* 2. *art.* 1 Nauar. *c.* 12. *nu.* 40. Arag. 2. 2 *q.* 88 *art.* 3. Lop. *p.* 1. *c.* 32. Roder. *p.* 1. *cap.* 101. *num.* 1. Henriq. *lib.* 5. *de pœnit. cap.* 20. *num.* 4. Azor *lib.* 11. *c.* 15. *q.* 4 & multi alij.

QVÆSTIO CXXIII.

Quomodo cognosci poßit paruitas, aut magnitudo materiæ in voto, vt inde culpa mortalis, aut venialis censeatur transgreßio?

1 RESPONDEO si sit aliquod præceptum de illa materia, vel si de illa præceptum imponeretur, quantitas quæ reputatur magna, aut leuis in illius præcepti transgressione, reputatur talis respectu voti: in quocumque autem præcepto paruitas, & magnitudo materiæ spectatur in ordine ad immediatum præcepti finem, in quem peccatur. Cum ergo immediatus voti finis sit honor Dei, & vtilitas spiritualis vouentis: quantitas materiæ promissæ spectanda erit penes proportionem ad illa.

Hinc, vota vnius ieiunij, aut audiendi vnius sacri, vel semel Eucharistiæ suscipiendæ obligant ad mortale. Quia hæc ratione dignitatis rei promissæ, & vtilitatis spiritualis inde consurgentis reputantur materia grauis obligans sub mortali respectu præcepti Ecclesiæ. 2

Hinc, votum celebrandi vnam Missam obligat sub mortali. Quia hoc in magnum Dei honorem cedit, & magis, quàm recitare semel coronam.

Hinc votum faciendi confessionem, obligat ad mortale, etiam si hic sola venialia habeat. Quia confessio hæc in magnum Dei honorem & maximam vouentis vtilitatem cedit. 3

QVÆSTIO CXXIV.

An vouens in materia graui, poßit se ad solam culpam venialem obligare?

IN qua re constat inter omnes hanc quæstionem non habere locum in voto solemni: Si enim quispiam vellet religionem profiteri cum intentione se obligandi ad solam culpam venialem, mortaliter peccaret, & professio esset nulla, teneretúrque votum cum absoluto, & legitimo consensu iterare. 1

QVÆSTIO CXXV.

Tota igitur difficultas consistit de voto simplici.

SOTVS egregius Thomista *lib.* 7. *q.* 2. *ar.* 1. Cord. *in sum. q.* 188. *p.* 1. & Vasqu.

Vasqu.1.2.*d.*158.*c.*4.*num.*34. negant, quia non est in vouentis arbitrio situm, sub reatu mortali, aut veniali se obligare, sed culpæ qualitas ex quantitate, & necessitate obiecti perpendenda est.

At multò verius est, vouentem in quacumque materia graui posse se tantum sub veniali obligare. Ratio est, quia legislator potest imperare in materia graui, obligando tantum sub veniali vt rectè docent Nauar.*c.*23. *num.*49. & Castr.*lib.*1. *de lege pœnali cap.*5. Sed votum est quædam lex priuata; ergo idem poterit facere vouens, dum sua sponte sibi talem legem imponit.

Tum quia vouens in re graui, potest se ad solam pœnam obligare, vt docet Henriq.*lib.*2.*de pœnit.c.*21.*nu.*5. ergo & ad solam venialem culpam. Probo consequentiam, quia facilius est minuere culpam, quàm omnino auferre.

Tum quia licet obligatio sit de essentia voti, tamen obligatio sub mortali non est de essentia: ergo per intentionem vouentis poterit minui illa obligatio.

Et confirmatur, nam actus agentium non operantur vltra intentionem eorum; Sed obligatio voti est ex morali actu hominis: ergo non potest excedere intentionem eius. Ita docet Henriq. *lib.*2.*de pœnit.cap.*21.*num.*5.

QVÆSTIO CXXVI.

An vouens in re graui possit se ad solam pœnam obligare?

1 SANCH. *lib.*1.*de sponſ.disp.*9.*dub.*1. *num.*9. negat.

Sed contrarium mihi videtur verius cum Henriq. *lib.* 2. *de pœnit. cap.* 21. *num.* 5. Et ratio est, quia lex non aliter obligat, quam is qui legem tulit, obligare intendit. At votum est lex priuata, quam vouens sua sponte sibi imponit, ergo non plus, nec minus, obligat, nisi in quantum vouens ipse vult se obligare, ergo potest se obligare ad solam pœnam.

Et confirmatur, nam potest dari lex purè pœnalis, non obligans in conscientia, vt in materia de legibus multi nobiles Authores tradunt; ergo & votum.

2 Tum quia obligatio ad solam pœnam vera obligatio est, & inter homines locum habet sine reatu culpæ: ergo etiam in promissione ad Deum,

Hinc, si quis generaliter proponat se nunquam per votum obligaturum, nisi ad solam culpam venialem, vel pœnam, & deinde non retractata ea voluntate, quamuis eius intentionis immemor voueat, non amplius quàm ad id voto obligabitur.

QVÆSTIO CXXVII.

An vouens in re leui possit se obligare ad mortale?

1 IN qua re constat apud omnes, votum in re leui de se non obligare ad mortale.

Sed quod in dubium vertitur, est: An adiuncta saltem speciali intentione vouentis se grauiter obligandi, inducat cum effectu talem obligationem.

2 Sayr. *in clau. Reg.lib.*6. *c.*6.*num.*7. affirmant posse. Quia vnusquisque potest sibi hanc legem imponere.

Suar. *to.*2.*de relig.tract.*6. *lib.*4.*c.*5. *num.*20. est dubius.

Mihi vero longè probabilius videtur contrarium. Ducor, quia tale votum esset stultum, cùm nec Prælatus possit in re parua obligare ad mortale, vt rectè Sot.*lib.* 7.*q.*2.*art.*1.

Cord.

Cord. *in sum.q.*188.*p.*1. Vasqu. 1.2.*d.* 158.*d.*1. *num.*34. Et plerique alij docent. Vnde talis obligatio videtur excedere potestatem vouentis, quia non potest se obligare Deo, plusquam Deus ipse velit, vel quam materia patiatur: sicut non potest homo homini obligare se sub obligatione graui in materia leui, quia excedit materiæ capacitatem.

QVÆSTIO CXXVII.

An qui centies idem votum repetit, & confirmat, centuplicem obligationem contrahat?

1 RESPONDEO eum qui votum semel factum sæpius repetit, & confirmat, nullam obligationem distinctam suscipit, sed veterem tantum renouat, ac confirmat: & consequenter qui votum centies, ac millies confirmatum negligit, vnum solum peccatum committit, cum omne vinculum, quod per tale votum induci potest, iam priori voto sit inductum, sicut qui multa conficit instrumenta eiusdem obligationis, non plus adstringitur, quàm vnico confecto instrumento. Et eadem ratione idem est dicendum de iuramentis multiplicatis circa eandem rem. Erunt tamen duo peccata necessariò in confessione exprimenda, si votum, & iuramentum de eadem re facta violentur. Quia hæc duo vincula diuersa ratione pertinent ad religionis virtutem: nimirum votum ob fidem datam Deo seruandam; iuramentum autem ne Deus adducatur in testem falsi. Ita tenet Med. 1. 2. *q* 72. *art.*6. *lib.*11. *cap.*14.*q.*1. Henr. *lib.*5.*de* 5. *nu.*6. Roder. *p.*1. *sum.cap.*23. *tract.*6. *de relig. lib.*2. *cap.* 6.

..., qui in duabus religionibus regularium bis votum solemne emisit continentiæ, quamuis grauiùs peccet, incontinenter viuendo, vnum tamen solum peccatum committit.

Hinc, cautè legendus est Angel. *de voto diff.*9. qui dicit *grauiùs peccare illum, qui frangit rem, quam sæpius deuouit, quam illum qui semel eam solùm deuouit.* Quia debet intelligi de grauitate non mutante speciem peccati, cùm non ducat secum distinctam malitiam, quàm si semel sit vota res. 3

QVÆSTIO CXXVIII.

An qui votum violat, vnum speciale peccatum committat?

SVNT quidam qui tenent, hunc duo specialia peccata committere, quia contra duas virtutes peccat, nimirum contra fidelitatem, & contra Religionem. 1

Alij verò sentiunt, eum vnicum sacrilegij peccatum committere contra religionem, quia etsi voti transgressio sit contra fidelitatem, non est tamen distincta à peccato contra religionem; vna enim & eadem religionis virtus præscribit, vt ob Dei honorem res promissa, fideliter præstetur. Pro quo. 2

Primò dico, quod qui votum de opere supererogationis. s. ieiunij non positi sub præcepto frangit, vnum speciale peccatum committit. Quia vnius specialis virtutis rectitudinem. s. religionis infringit. Ita Caietan. 2. 2. *q.*88. *art.*5. Sot. *lib.*7. *q.*2. *art.* & Valent. 2.2. *d.*6. *q.*5. *p.*4. 3

Secūdò dico, quod qui votū de opere posito sub præcepto. s. de non occidēdo, &c. violat, duplex speciale peccatū cōmittit, vnū contra præceptū de non occidendo; alterum cōtra votum, quæ ambo necessariò sunt in confessione sacramentali explicanda. Ita.

 Nau.

detur sentire Sotus *lib.7.q.2.art.1.*& *lib.8 q.1.ar.7.*

2 Contrarium tamen est proculdubio asserendum cum Sylvest. *verb. metus q.8.*Henriq.*lib.1. de matr. cap.9. num.1.& 3.*Valent.*tom.4.d.10.q 3.p.2.* Arag. *2.2.q 88.art.3.* Nau.*cap.22.nu.50.*& Azor. *lib.11. cap.15.q.6.* Et ratio est, quia stando in iure naturæ ea libertas quæ sufficit ad peccatum lethale, sufficit etiam ad vouendum. At hæc inuenitur in metu graui. nam si puella ex metu tali, stupro consentiret, proculdubio peccaret mortaliter vt rectè docet D.Thom.*1.2.q.6.ar.6.* ergo stando in iure naturæ,& diuino, si ex illo metu fiat votum, illud erit validum.

Tum quia matrimonium tali metu extortum iure naturæ est validum, vt Theologi communiter, ac iuris vtriusque Doctores fatentur. Similiter & iuramentum *cap.si vero de iureiur.* cum tamen ita voluntaria sint, atque vincula perpetua, ac votum: ergo etiam & votum simili metu emissum eodem iure erit validum.

Nec obstant contrariæ opinionis argumenta. Nam ad primum dicimus falsum esse metum tollere voluntarium, quamuis illud minuat admiscendo aliquid inuoluntarij, vt rectè docet Aristot.3.eth.

Ad secundum. Respondeo, quod est simpliciter violentum non potest esse perpetuum: secus de violento secundum quid, quale est metu extortum.

QVÆSTIO CXI.

An votum ex metu graui extortum sit irritum saltem iure Ecclesiastico?

1 SYLVEST. *verb metus q.8.* negat tale votum esse ipso iure nullum, sed esse Ecclesiæ authoritate irritandum: sicut iuramentum eo metu extortum est validum, relaxandum tamen per Ecclesiam.Ducitur,quia tale votum est voluntarium.

Suar. *to.2.de religione tract. 6.lib.1. cap.8. num.5.* opinatur solum votum solemne tali metu emissum esse ipso iure irritum,non autem simplex. Ducitur, quia vnicus textus votum sic per metum extortum irritans reperitur,qui est *cap.1. de his quæ vi,* &c. At de solo voto solemni professionis loquitur.

Nos tamen contrariam sententiam, vt magis communem, & veriorem sequendam esse arbitramur, irritari eo metu omne votum, siue simplex, siue solemne. Hæc est expressa sententia Soti *lib.7.q 3.ar.1.* Nau.*cap.12.num.52.*& Comment. *1. de regul. num.13.* Med. *lib.1.sum. cap.14. §.6.* Arag.*2.2.q.88.art.3.*Tolet. *lib.4.c.17. num.5.*Valent. *2.2. d.6.q.6.p.4.* Lop. *p.p.cap.45.* Roder. *p.2.cap.95.num.1.* Azor.*lib.11.c.15.q.7.* Emman.Sa *verb. metus num.2.*& *verb. votum num.8.*& Philiar. *de off.Sacerd.tom.1.p.2. lib.3. cap.18.* Et ratio est quia in dicto *cap. Perlatum de his quæ vi, metúsue causa fiunt,* per summum Pontificem declaratur professionem mulieris, quæ metu mortis à marito incusso religionem vouerat, ac professa fuerat, esse ipso iure nullam. Et quamuis ibi non sit sermo de voto simplici, at communis Theologorum,& Iurisperitorum sententia eandem decisionem extendit ad votum simplex: vtpotè quod est supererogationis opus, & suam perpetuitatem habet. Quod est verum etiam si vouens, dum vouit se habuisse eo voto animum obligandi, affirmet. Quoniam Ecclesia eum consensum, vt non omninò liberum, inefficacem reddit ad valorem voti: sicut consensum clandestinum

num irritat, ne ex eo obligatio matrimonij oriatur. Si tamen cessante metu, vouens sciens prius votum esse nullum illud ratum habeat, incipiet tunc valere.

3 Hinc, vota eo metu graui emissa ab infidelibus, sunt valida & obligatoria. Ratio est, quia vota tali metu extorta, solo iure Canonico irritantur, cui illi non subiiciuntur.

4 Hinc, qui metu mortis, aut mutilationis, sacris initiatur, ad votum castitatis ordini annexum non tenetur, quamuis characterem ordinis suscipiat. Ratio est, quia vt diximus, votum tali metu extortum non valet. Vnde poterit sine vlla dispensatione ad nuptias transire, si nolit in ordinis sacri vsu permanere. Quare Ecclesia coget eum, aut vt votum castitatis denuò emittat, aut ab vsu Sacrorum ordinum abstineat. Quòd si semel ordine suscepto vsus sit, ad votum continentiæ tenebitur, quia est ordinis suscepti ratificatio.

5 Dices; iuramentum metu graui extortum est iure Pontificio validum, ergo est votum.

Respondeo disparem esse vtriusque rationem; nam voti obligatio pendet ex pura voluntate vouentis, & ideò metus qui tollit voluntarium, tollit eius obligationem: obligatio autem iuramenti non ex voluntate iurantis, sed ex iuramenti natura dependet: nam honor diuini nominis hoc requirit, vt nunquam homo falsum esse sinat, quod iurat, Ita Sot. *lib. 7. q. 3. artic. 1.*

QVÆSTIO CXII.

An metus sufficiens ad reddendum votum nullum, vouentem etiam ab eius executione liberet? v. g. vouit quis ieiunare, & postea ei metus mortis incutitur, nisi ieiunium frangat, an tunc comedendo peccet?

RESPONDEO non peccare. 1 Ratio est, quia vouens intentionem obligandi se ad seruandum votum cum tanto detrimento non habuit.

Tum quia votum non obligat, nisi ad instar legis, lex autem Ecclesiastica ad ieiunium non eo rigore compellit, vt velit nos subire mortem pro sui ieiunij obseruatione: nisi in fidei, aut Christianæ religionis contemptum, & Ecclesiæ contumeliam tyrannus eam minaretur, quia tunc potius deberet subire mortem, quàm votum violare. Quòd, si votum esset de re aliqua posita sub præcepto diuino, & naturali, vt de non adulterando, quod vt dicemus obligat cum eo mortis periculo, adhuc existimo adulterantem solum peccare contra id præceptum, non autem contra votum, quod cum tanto rigore non obligat, vt illius semper gratia mortem optemus; adeò vt quando metus incutitur in fidei odium, & contemptum ad legem Ecclesiasticam transgrediendam, & si teneatur quis eam non violare, non tamen tenetur ex vi legis illius Ecclesiasticæ non obligantis cum tanto rigore, sed ex vi legis diuinæ obligantis ad tuendam fidem, & religionem cum mortis periculo. Sot. *lib. 7. q. 2. art. 1.* Roder. *p. 2. cap. 95. num. 4.* & Emman. Sà *verb. votum num. 23.*

Hinc, Sacerdos qui metu mortis à tyranno compellitur celebrare coram excommunicato, vel comedere carnes in diebus ab Ecclesia prohibitis, celebrando, vel comedendo, non peccat, dummodo talis compulsio à tyranno in Ecclesiæ contumeliam non fiat, vt faciunt hæretici, quia præce- 2

prum de tuenda vita est naturale diuinum.

QVÆSTIO CXIII.

An metus sufficiens ad liberandum aliquem ab executione voti, à culpa transgressionis Legis diuinæ aut naturalis excuset?

1 RESPONDEO non excusare. Ratio est, quia obligatio legis diuinæ non ex nostra voluntate, sicut in voto, sed Dei præcipientis oritur, atque ita in omni euentu obligat. Vnde si puella metu mortis in stuprum consentiret, non excusaretur à culpa mortali, cùm nec ob mortem peccatum veniale committendum sit.

QVÆSTIO CXIV.

An metus leuis, qui in virum constantem non cadit, irritum reddat votum in foro conscientiæ, si per iniuriam gratia extorquendi votum incussus sit?

2 NAVAR. *cap.17. nu.15. & cap.22. nu.51.* & Com.2. *de regul. num. vltimo* & Rodet. *p.2.c.8. nu.10.* affirmant, ducti eo fundamento, quia sæpe metus leuis non minùs perturbat hominem, & impellit nolentem ad consensum, quàm metus grauis cadens in virum constantem, ergo si hic irritat votum, etiam ille.

2 Contra tamen, & meo iudicio probabiliùs sentiunt Sot. *lib.7. q.2. art.1.* Arag.2.2.*q.88 art.3.* Lop.*p.1.c.45.* Valent.2.2.*d.6.q.6.p.4.* Azor. *lib.11.c.15. q.6.* Emman. Sà *verb. metus num.3.* & Cosm.Phil. *de off. Sacrd. to.1.p 2.lib.3. cap.18.* nimirum metum leuem qui in virum cõstantem non cadit, non reddere votum irritum. Et Ratio est, quia talis metus non tollit voluntarium: ergo votum tali metu emissum est validum.

Et confirmatur, metus non irritat votum quia quomodocumque voluntarium tollit, sed quia prudenter, & rationabiliter aufert, eligendo rem tam grandem, vt est votum ratione illius timoris vitandi; quod non contingit quando metus est leuis, sed imprudenter, & irrationabiliter agitur.

Et videtur esse conclusio definita 3 *in l.metum ff.quod metus causa.* vbi dicitur, *metum vani hominis non esse spectandum, sed eum, qui in constantissimum cadit.* Quando autem omnibus pensatis anceps res est, an metus sit grauis vel leuis, existimo diiudicandum esse in fauorem voti, vt non irritet. Quia cùm constet de voto; & excusatio sit dubia, stat possessio pro voto.

QVÆSTIO CXV.

An votum ex errore factum, sit validum?

AD hoc respondeo, quod si error sit circa substantiam voti, 1 sitque causa vouendi, tunc votum est irritum vt communiter Doctores restantur. Censetur autem esse circa substantiam voti multis modis.

Primò, cùm erratur circa vim voti, vt si credens votum non obligare 2 sub peccato, voueat, talis enim ignorat naturam voti, quod facit. Debet tamen error esse causa actus, alioquin non reddet illum irritum.

Secundò, cum erratur circa personam, vt si voueas dare eleemosynam Titio, quem existimas esse tuum cognatum, & sit extraneus.

Tertiò, cum erratur circa partem 3 notabilem rei promissæ, vt si voueas

adire

adire Hierosolymam, putans eam propè esse, & quod absque nauigio possis illuc proficisci, cum tamen res longè aliter se habeat, voto non ligaris, cum ignorantia tollat voluntarium, quod est de essentia voti. Secus si deceptio sit circa aliquas conditiones, vel impertinentes, vel leuioris momenti, tunc enim valeret votum, quia parum pro nihilo reputatur.

Quartò, cum erratur circa materiam voti, vt si voueas certam pecuniam, quam putas argenteam, cum sit aurea: vel voueas ingredi certum cœnobium, putans in eo Regulam quoad essentialia seruari, cùm tamen non seruetur.

Quintò, & vltimò, cum erratur circa causam finalem ob quam quis vouit, vt si voueas Rosarium pro salute patris, quem putas ægrotare, cùm non ægrotet. Et ratio est quia non extante causa finali, deficit intentio vouentis, quia deficit proprium, ac principale motiuum eius.

Tum quia ille finis est quasi obiectum intrinsecum talis actus; & ideo eo cessante, cessat eius obligatio.

4 Hinc, qui vouit dare singulis diebus, certam pecuniam Titio propter eius paupertatem, nunc autem factus est diues, non tenetur amplius ad votum. Quia eius indigentia, quæ fuit causa finalis sui voti, cessauit.

5 Hinc, qui vouit peregrinationem pro salute filij, & filius moriatur ante inchoatam peregrinationem, non tenetur amplius peregrinari. Quia eius causa finalis cessauit.

Hinc, qui promisit redimere Titium captiuum, & ante quàm possit suum votū explere, ipse fugam ineat, non tenetur amplius voto. Quia causa finalis illum redimendi cessauit.

6 Hinc, qui vouit religionem ingredi principaliter in tali Monasterio, & & postea in eo non recipitur, ex vi voti ad nihil aliud tenetur. Quia proprium motiuum sui voti cessauit.

Hinc, qui fingendo sanctitatem, legatum obtinuit, tenetur in conscientia illud restituere. Quia vt suppono, sanctitas quæ fuit causa finalis talis donationis, non extat.

Hinc, qui fingendo paupertatem, 7
multam pecuniam comparauit, tenetur in conscientia illam restituere. Quia paupertas fuit causa finalis talis donationis, qua cessante non tenebit donatio.

Hinc, qui falsò existimans se à Deo recepisse aliquod insigne beneficium, aliquid vouit in gratiarum actionem, votum non tenet Quia causa finalis 8
voti cessauit. Secus si etiam tunc vouisset, & proinde fuit causa impulsiua, vel inductiua ad vouendum, quia cessante tali causa, cum permaneat principale motiuum, non est cur cesset obligatio voti. Quòd si votum duplicem habeat causam impulsiuam, quamuis vna cesset, obligabit votum, nisi intendat vouens aliter non se obligare, nisi illa duplici causa existente. In dubio autem vtrum causa cessans sit finalis, aut impulsiua, iudicandum est, causam esse finalem, ac proinde obligare votum.

Ex quo colligitur, errorem circa 9
voti substantiam, non solùm ipsum votum quoad eius substantiam irritare, sed etiam quoad circunstantias accidentarias illi substantiæ accessorias. Vt si existimans domum Lauretanam non habere iter nisi vnius diei, cum sit sex, voueas illam, indutus sacco visitare, sicut non teneris ob errorem ire domum Lauretanam, ita nec indui sacco, in quo non errasti. Ratio est, quia destructo principali, corruit etiam accessorium.

Regul. *Cum principalis. ff. de reg. iuris.*

QVÆSTIO CXVI.

An finis voti cadat sub votum?

1 RESPONDEO minimè, nisi fortè expressè vouentis intentio sit, se obligare ad votum ex certo bono fine seruandum. Ratio est, quia commune proloquium est, *finem præcepti non cadere sub præceptum*, at votum est veluti quoddam præceptum, quod vouens sua sponte sibi iniungit, ergo etiam votum non obligat ad finem, sed ad solam materiam promissam.

Hinc, qui vouit dare eleemosynam, vt satisfaciat pro suis peccatis,
2 non censetur violare votum, si ipsum executioni mandet quidem, non tamen illo ipso fine, quo vouit. Quia non eo ipso quod quis aliquo fine motus est ad aliquid vouendum, censendus est vouisse, id ipsum promissum suum exequi ex eodem fine.

Hinc, qui vouit ieiunium eo fine, vt corpus affligatur, ex vi voti non tenetur ieiunare ad hunc finem: vnde
3 si debitam ciborum qualitatem, & formam ieiunij seruet, licet excedat in mensura, seruat votum, sicut seruat præceptum ieiunij, quia ex vi talis voti, solùm ad ieiunandum se obligauit.

QVÆSTIO CXVII.

An modus implendi votum cadat sub votum?

1 RESPONDEO minimè. Et ratio est, quia ex vi voti non obligatur homo nisi ad id quod formaliter, vel virtualiter promisit; sed modus actus non promittitur, nisi vel ad substantiam actus promissi pertineat, vel formaliter, vel virtualiter promittatur: ergo extra hos casus modus non cadit sub votum.

Hinc, qui vouit ministrare sacramenta, si ille administret in mortali, licet peccet contra ius diuinum, non tamen contra votum. 2

Hinc, qui vouit orare, tenetur ex vi voti, attentè orare. Quia modus est de substantia orationis.

QVÆSTIO CXVIII.

An votum factum de meliori bono, obliget vouentem ad eius obseruantiam sub peccato?

RESPONDEO votum ex genere suo obligare ad sui obseruantiam sub peccato. Ratio est, quia non stare promissis est vitium contra virtutem veritatis, & fidelitatis vt docet D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 3. 1

Tum quia promissio bona fide facta homini in conscientia obligat: ergo & promissio Deo facta obligationem inducit. Quia vtriusque eadem est ratio.

Et est conclusio definita in multis scripturæ locis. Prouerb. 20. dicitur: *Ruina est homini vota retractare.* Super quem locum D. Hieronymus, *damnationem* (ait) *eum incurrere, qui votum violat.* Et Deut. 23. *Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labiis suis, obseruabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo loquutus es.* Ex quibus verbis manifestè colligitur in hominis potestate esse, vouere; post emissum autem votum, teneri sub præcepto ad illud obseruandum quod vouerat. Et satis 2

id

id probant verba illa Eccles. 5. *Displicet enim illi infidelis, & stulta promissio:* quod enim Deo displicet, peccatum est. Item verbum illud, *reddite* Psalm. 75. verbum præcepti est; sicut vouere est consilij, vt definiuit Innoc. III. *in cap. Magnæ de voto.* Atque ita bene docet D. Thom. *opusc. 18. cap. 12. & quodlib. 3. art. 12.* vbi ait oppositum esse hæreticum.

QVÆSTIO CXIX.

An votum obliget ad sui obseruantiam sub mortali?

1 RESPONDEO votum ex genere suo obligare ad sui obseruantiam sub mortali. Ratio est, quia redditio voti pertinet ad fidelitatem, quam homo tenetur Deo seruare: sed hæc ex genere suo obligat ad mortale: ergo.

Et confirmatur: Qui fidem homini datam sine iusta causa violat, grauiter eum offendere censetur: ergo multò magis offendit Deum, qui per perfidiam irreligiosam, votum ei sanctè factum infringit.

Deinde ponderari potest, quod in Psal. 75. post illa verba, *Vouete, & reddite Domino Deo vestro,* subiungit Dauid: *Terribili, & ei qui aufert Spiritum Principum, terribili apud Reges terræ.* Quibus verbis exaggerare voluit grauitatem peccati non reddendi Deo votum ex diuina Majestate, & potestate.

2 Tandem est conclusio definita *in cap. Ananias 17. q. 1.* vbi habetur voti transgressionem dignam esse morte: pro vt constat ex eo quod gestum est
Act. 5. in Anania, & Saphira, qui subita morte à Deo puniti sunt; quorum peccatum fuit voti transgressio erogandi omnia pauperibus, vt ex contextu colligitur. Et *in cap. licet de voto, & voti redemptione,* vbi Innoc. iij. dicit, *Post votum non licere alicui sine proprio salutis dispendio resilire.* Et in prima ad Timoth. 5. vbi viduæ quæ castitatem vouerunt, volentes nubere, dicuntur *damnationem sibi acquirere, quia primam fidem irritam fecerunt:* non dicitur autem habere damnationem, nisi qui mortaliter peccat. Et in cap. 5. Eccles. vbi habetur, *Si quid vouisti, non moreris reddere: displicet enim Deo infidelis, & stulta promissio.* Vbi sunt ponderanda ly *displicet,* & ly *stulta,* & ly *infidelis,* quæ grauem quandam Dei offensam significant. Atque hinc ortum est illud D. Hieronymo attributum 17. q. 1. c. 2. *Vouentibus virginitatem non solum nubere, sed etiam velle nubere damnabile est.* & habetur in Augustino *de bono viduitatis cap. 9.* Vnde *cap. 11.* subiungit, *grauius esse violare castitatem contra votum, quàm adulterare.*

QVÆSTIO CXX.

An violatio voti sit aliquando venialis?

IN qua re conuenit inter omnes,
violationem voti posse esse venia- 1
lem ex surreptione, seu indeliberatione. Nam hic modus extenuandi culpam etiam in grauissimis peccatis infidelitatis, desperationis, odij Dei, locum habet; & in peccato periurij vt vniuersi fatentur.

Tum quia propter indeliberationem potest interdum omnis culpa etiam venialis excusari, vt patet si ex obliuione naturali votum non impleatur: ergo pari ratione poterit impediri culpa mortalis, & relinqui venialis: quia potest esse aliqualis ne- 1
gligentia, quæ ad culpam leuem, non tamen ad grauem sufficiat.

QVÆSTIO CXXI.

Sed dubium est, An violatio voti sit aliquando venialis ob leuitatem materiæ, etiam si cum sufficienti deliberatione fiat?

IN qua difficultate etiam conuenit
1 inter Doctores, modicam quantitatem in quacunque materia respectu totius nunquam obligare ad mortale; vt si voueas Rosarium, & postea omittis vnam, aut alteram salutationem angelicam; vel si voueas dare centum in eleemosynam, & omittis soluere vnum solidum. In his, & aliis casibus, non est plusquàm veniale; quia respectu totius est transgressio in minima quantitate. Et ratio est, quia transgressio cuiuscumque præcepti ratione paruitatis materiæ, id est, parui nocumenti, solum obligat transgressores ad veniale, minimo enim nocumento charitas Deo & proximo debita non destruitur; & violatio voti, transgressio diuini præcepti est, quemadmodum & furti, & homicidij, quapropter, ratione modicitatis materiæ fractio voti, seu alterius præcepti erit tantùm venialis.

QVÆSTIO CXXII.

Sed totum huius controuersiæ dissidium inter Doctores consistit: An fractio voti de re leui, quæ res leuis est tota materia voti, sit peccatum mortale? Vt si voueas recitare semel orationem angelicam, & illam omittas.

1 ILLVSTRISSIMVS Caietan. 2. 2. q. 89. *art.* 7. Armil. *verb. iuramentum num.* 12. Tabien. *verb. iurare q.* 19. & Cosin. Philiar. *de off. sacerd. p.* 3. *cap.* 3. existimant semper esse mortale. Huius opinionis olim fuit Nauar. vt testatur *in Manuali cap.* 12 *n.* 10. & 40.

Communis tamen Recentiorum sententia, quam tenendam censeo, docet solùm esse veniale, etsi materia parua, sit tota materia voti. Ratio est, quia promissio rei leuis facta homini non obligat ad sui obseruantiam sub mortali, quamuis ipsa res leuis, sit tota materia promissionis; ergo nec facta Deo: Antecedens est manifestum. Consequentia vero probatur; nam Deus non est rigidior exactor suarum promissionum, quàm homo.

Tum quia votum est quædam lex, 2
quam vouens ex propria voluntate sibi imponit; ergo non debet magis obligare, quàm si esset lex Ecclesiastica, vel diuina: sed lex diuina, & Ecclesiastica in re leui non obligat nisi sub veniali, ergo similiter & votum.

Tum quia fractio iuramenti promissorij in re parua est tantum venialis, vt ipsemet Caietan. fatetur. *in summa, verbo iuramentum*, ergo & voti. Patet consequentia ex paritate rationis.

Obiicies, qui in hoc casu frangit votum de re leui, frangit illud in totum, & notabiliter, quemadmodum contigit nostro primo parenti Adamo in paradiso terrestri.

Respondeo, non omne totum esse 3
quid notabile; immo aliquando paruum, cuius furtum non inducit peccatum mortale.

Dices: in peccato hæresis, desperationis, odij Dei, & in periurio paruitas rei à mortali non excusat: ergo neque in transgressione voti.

Respondeo: malitia hæresis repugnat primæ veritati Dei propriæ; desperatio infinitæ Dei misericordiæ,

ricordiæ; odium Dei, infinitæ ipsius bonitati; & periurium ipsius summæ perfectioni, qua nec mentiri, nec ulli iniquitati cooperari potest: At transgressio voti consistit in infidelitate, qua quis promissionem Deo factam frangit; quod tantum ostendit nequitiam hominis, nec pugnat directè, tanquam ex diametro oppositum, cum aliquo diuino attributo.

4 Dices: mendacium de peccato veniali si tota materia confessionis sit, est peccatum mortale, non tamen si solùm sit pars materiæ, vt vniuersi tradunt; ergo similiter quando aliquando est tota materia voti, si violetur, erit peccatum mortale.

Respondeo disparem esse rationem, ideò enim tale mendacium est peccatum mortale, quando est tota materia confessionis, quia reddit Sacramentum irritum, & nullum, quod non contingit in voto, cùm iam prætierit, sed solùm agitur contra obligationem eius remanentem, idque solum in re leui. Et ideò huius sententiæ sunt Sot. *lib.* 7. *q.* 2. *art.* 1 Nauar. *c.* 12. *nu.* 40. Arag. 2. 2 *q.* 88 *art.* 3. Lop. *p.* 1. *c.* 42. Roder. *p.* 2. *cap.* 101. *num.* 1. Henriq. *lib.* 5. *de pœnit. cap.* 20. *num.* 4. Azor *lib.* 11. *c.* 15. *q.* 4 & multi alij.

QVÆSTIO CXXIII.

Quomodo cognosci possit paruitas, aut magnitudo materiæ in voto, vt inde culpa mortalis, aut venialis censeatur transgressio?

1 RESPONDEO si sit aliquod præceptum de illa materia, vel si de illa præceptum imponeretur, quantitas quæ reputatur magna, aut leuis in illius præcepti transgressione, reputatur talis respectu voti: in quocumque autem præcepto paruitas, & magnitudo materiæ spectatur in ordine ad immediatum præcepti finem, in quem peccatur. Cum ergo immediatus voti finis sit honor Dei, & vtilitas spirituatis vouentis: quantitas materiæ promissæ spectanda erit penes proportionem ad illa.

Hinc, vota vnius ieiunij, aut audiendi vnius sacri, vel semel Eucharistiæ suscipiendæ obligant ad mortale. Quia hæc ratione dignitatis rei promissæ, & vtilitatis spiritualis inde consurgentis reputantur materia grauis obligans sub mortali respectu præcepti Ecclesiæ. 2

Hinc, votum celebrandi vnam Missam obligat sub mortali. Quia hoc in magnum Dei honorem cedit, & magis, quàm recitare semel coronam.

Hinc votum faciendi confessionem, obligat ad mortale, etiam si hic sola venialia habeat. Quia confessio hæc in magnum Dei honorem & maximam vouentis vtilitatem cedit. 3

QVÆSTIO CXXIV.

An vouens in materia graui, possit se ad solam culpam venialem obligare?

IN qua re constat inter omnes hanc quæstionem non habere locum in voto solemni: Si enim quispiam vellet religionem profiteri cum intentione se obligandi ad solam culpam venialem, mortaliter peccaret, & professio esset nulla, teneretúrque votum cum absoluto, & legitimo consensu iterare. 1

QVÆSTIO CXXV.

Tota igitur difficultas consistit de voto simplici.

SOTVS egregius Thomista *lib.* 7. *q.* 2. *ar.* 1. Cord. *in sum. q.* 188 *p.* 1. & Vasqu.

Vasqu.1.2.*d*.158.*c*.4. *num*.34. negant, quia non est in vouentis arbitrio situm, sub reatu mortali, aut veniali se obligare, sed culpæ qualitas ex quantitate, & necessitate obiecti perpendenda est.

At multò verius est, vouentem in quacumque materia graui posse se tantum sub veniali obligare. Ratio est, quia legislator potest imperare in materia graui, obligando tantum sub veniali vt rectè docent Nauar.*c*.23. *num*.49. & Castr.*lib*.1. *de lege pœnali cap*.5. Sed votum est quædam lex priuata; ergo idem poterit facere vouens, dum sua sponte sibi talem legem imponit.

Tum quia vouens in re graui, potest se ad solam pœnam obligare, vt docet Henriq.*lib*.2.*de pœnit*.*c*.21.*nu*.5. ergo & ad solam venialem culpam. Probo consequentiam, quia facilius est minuere culpam, quàm omnino auferre.

Tum quia licet obligatio sit de essentia voti, tamen obligatio sub mortali non est de essentia: ergo per intentionem vouentis poterit minui illa obligatio.

Et confirmatur, nam actus agentium non operantur vltra intentionem eorum; Sed obligatio voti est ex morali actu hominis: ergo non potest excedere intentionem eius. Ita docet Henriq. *lib*.2.*de pœnit*.*cap*.21.*num*.5.

QVÆSTIO CXXVI.

An vouens in re graui possit se ad solam pœnam obligare?

1 SANCH. *lib*.1.*de sponsf.disp*.9.*dub*.1. *num*.9. negat.

Sed contrarium mihi videtur verius cum Henriq. *lib*. 2. *de pœnit*. *cap*. 21. *num*. 5. Et ratio est, quia lex non aliter obligat, quam is qui legem tulit, obligare intendit. At votum est lex priuata, quam vouens sua sponte sibi imponit, ergo non plus, nec minus, obligat, nisi in quantum vouens ipse vult se obligare, ergo potest se obligare ad solam pœnam.

Et confirmatur, nam potest dari lex purè pœnalis, non obligans in conscientia, vt in materia de legibus multi nobiles Authores tradunt; ergo & votum.

2 Tum quia obligatio ad solam pœnam vera obligatio est, & inter homines locum habet sine reatu culpæ: ergo etiam in promissione ad Deum.

Hinc, si quis generaliter proponat se nunquam per votum obligaturum, nisi ad solam culpam venialem, vel pœnam, & deinde non retractata ea voluntate, quamuis eius intentionis immemor voueat, non amplius quàm ad id voto obligabitur.

QVÆSTIO CXXVII.

An vouens in re leui possit se obligare ad mortale?

1 IN qua re constat apud omnes, votum in re leui de se non obligare ad mortale.

Sed quod in dubium vertitur, est: An adiuncta saltem speciali intentione vouentis se grauiter obligandi, inducat cum effectu talem obligationem.

2 Sayr. *in clau. Reg.lib*.6. *c*.6.*num*.7. affirmant posse. Quia vnusquisque potest sibi hanc legem imponere.

Suar. *to*.2.*de relig*.*tract*.6. *lib*.4.*c*.5. *num*.20. est dubius.

Mihi vero longè probabilius videtur contrarium. Ducor, quia tale votum esset stultum, cùm nec Prælatus possit in re parua obligare ad mortale, vt rectè Sot.*lib*. 7.*q*.2.*art*.1.

Cord. *in sum.q.*188.*p.*1. Vasqu.1.2.*d.* 158.*c.*1. *num.*34. Et plerique alij docent. Vnde talis obligatio videtur excedere potestatem vouentis, quia non potest se obligare Deo, plusquam Deus ipse velit, vel quam materia patiatur: sicut non potest homo homini obligare se sub obligatione graui in materia leui, quia excedit materiæ capacitatem.

QVÆSTIO CXXVII.

An qui centies idem votum repetit, & confirmat, centuplicem obligationem contrahat?

1 RESPONDEO eum qui votum semel factum sæpius repetit, & confirmat, nullam obligationem distinctam suscipit, sed veterem tantum renouat, ac confirmat: & consequenter qui votum centies, ac millies confirmatum negligit, vnum solum peccatum committit, cum omne vinculum, quod per tale votum induci potest, iam priori voto sit inductum, sicut qui multa conficit instrumenta eiusdem obligationis, non plus adstringitur, quàm vnico confecto instrumento. Et eadem ratione idem est dicendum de iuramentis multiplicatis circa eandem rem. Erunt tamen duo peccata necessariò in confessione exprimenda, si votum, & iuramentum de eadem re facta violentur. Quia hæc duo vincula diuersa ratione pertinent ad religionis virtutem: nimirum votum ob fidem datam Deo seruandam; iuramentum autem ne Deus adducatur in testem falsi. Et ita tenet Med. 1. 1. *q* 72. *art.*6. Azor.*lib.*11. *cap.*14.*q.*1.Henr.*lib.*5 *de pœnit.c.*5.*nu.*6.Roder.*p.*1.*sum.cap.*23. & Suar. *tract.*6. *de relig. lib.*2.*cap.* 6. *num.*13.

2 Hinc, qui in duabus religionibus regularium bis votum solemne emisit continentiæ, quamuis grauiùs peccet, incontinenter viuendo, vnum tamen solum peccatum committit.

Hinc, cautè legendus est Angel. *de voto diff.*9. qui dicit *grauiùs peccare illum, qui frangit rem, quam sæpius deuouit, quam illum qui semel eam solùm deuouit.* Quia debet intelligi de grauitate non mutante speciem peccati, cùm non ducat secum distinctam malitiam, quàm si semel sit vota res. 3

QVÆSTIO CXXVIII.

An qui votum violat, vnum speciale peccatum committat?

SVNT quidam qui tenent, hunc duo specialia peccata committere, quia contra duas virtutes peccat, nimirum contra fidelitatem, & contra Religionem. 1

Alij verò sentiunt, eum vnicum sacrilegij peccatum committere contra religionem, quia etsi voti transgressio sit contra fidelitatem, non est tamen distincta à peccato contra religionem; vna enim & eadem religionis virtus præscribit, vt ob Dei honorem res promissa, fideliter præstetur. Pro quo. 2

Primò dico, quod qui votum de opere supererogationis. s. ieiunij non positi sub præcepto frangit, vnum speciale peccatum committit. Quia vnius specialis virtutis rectitudinem. s. religionis infringit. Ita Caietan.2.2. *q.*88.*art.*5.Sot.*lib.*7.*q.*2.*art.*& Valent. 2.2.*d.*6.*q.*5.*p.*4. 3

Secùdò dico, quod qui votũ de opere posito sub præcepto. s. de non occidẽdo, &c. violat, duplex speciale peccatũ cõmittit, vnũ contra præceptũ de non occidendo; alterum cõtra votum, quæ ambo necessariò sunt in confessione sacramentali explicanda. Ita.

I. Nau.

Nau. *cap.*12.*num.*34. Arag.2.2. *q.*88. *ar.*5.& Val.*to.*3.*d.*6.*q.*6.*p.*4.

QVÆSTIO CXXX.

An peccata contra votum sint eiusdem speciei?

1 QVIDAM asserunt peccara cõtra votum differre specie iuxta varias materias, de quibus votum emittitur.

Ego tamen dicendum existimo peccata contra votum esse omnino eiusdem speciei, nec aliquo pacto variari ex diuersitate materiæ promissæ, quando ea alio præcepto præter vo-
2 tum non est iniuncta. Et ratio est quia eiusdem rationis est irreuerentia, & infidelitas erga Deum, siue in hac, siue in illa materia fiat. Ita Caietan.2.2.*q.*88. *art.*5. & Sot.*lib.*7.*q.*2. *art.*3.

Hinc, si habentem votum castitatis contingat fornicari, & confitea-
3 tur hoc peccatum, omissa per obliuionem circunstantia voti, satis est, vt postea eidem vel alteri confessario explicet, se toties fregisse votum in re graui. Ratio est, quia peccatum fornicationis abundè est intra propriam speciem detectum in confessione; peccatum autem fractionis voti est in quacunque materia eiusdem speciei. Cùm ergo hoc solum fatendum supersit, satis erit illud, tacito peccato fornicationis explicare, vt doctè resoluit Nau. *cap.*6.*in fine.*& *in cap.considerent in principio num.* 104. Quæ ratio manifestè probat integrum esse data opera fateri seorsum id peccatum, & circunstantiam voti tanquam diuersa peccata, vt dicendo, toties admisi fornicationem, aut furtum, & toties fregi votum rei grauis. Quia quando malitia peccati, & circunstantiæ sunt separata, possunt seorsum tanquam diuersa peccata in confessione exprimi. Ita Henriq.*lib.*5.*de pœnitentia cap.*5.*num.*4.

QVÆSTIO CXXXI.

An peccata contra votum simplex & solemne sint eiusdem speciei?

RESPONDEO esse eiusdem speciei. Ratio est, quia specifica differentia actuum desumitur ex obiecto, at cùm idem sit vtriusque obiectum.s. continentia, erunt actus eiusdem speciei. 1

QVÆSTIO CXXXII.

An magis peccet qui frangit votum solemne quàm qui simplex circa eandem materiam?

ET quidem certum est, grauius peccare eum qui votum solemne quàm qui simplex violat. 1

Sed quod controuertitur inter Doctores est, An absolutè, & semota ratione scandali, magis peccet, qui frangit votum solemne, quàm simplex?

Respondeo in vniuersum eum qui solemne votum infringit, magis peccare, quam qui simplex votum violat. Ratio est, quia votum solemne obligat, sicut traditio, votum autem simplex tantùm sicut promissio, ergo votum solemne quoad Deum plus, & firmiùs obligat de se, & consequenter qui illud violat, grauiùs peccat.

Neç obstat *Cap. Rursus, qui clerici, vel vouentes*, vbi Cælest. Papa iij. affirmat *simplex votum non minùs obligare* 2 *apud Deum, quam solemne*. Quia id intelligitur quantum ad hoc, quod vtriusque voti transgressio est peccatum

tum mortale; quamuis vnus minus peccet alio. Et ideo ita sentiunt D.Thom.2.2.*q*.88. *art*.7. *ad* 1. Sot.*in* 4.*d*.38. *q*.2. *art*. 2. & *lib*.7. *q*.2.*art*.5. Nau.*c*.12.*nu*.32.

QVÆSTIO CXXXIII.

An obligatio voti sit maior, quàm iuramenti?

1 DOCTOR Angelicus 2.2.*q*.89. *art*.8.Sot.*lib*.8.*q*.1.*art*.8. Nauar. *cap*.12.*num*.32.& Arag.2.2.*q*.89.*ar*.8. tenent obligationem voti ex se,& sua natura esse maiorem, quam iuramenti; & probant, quia votum per se, & directè est promissio facta Deo, sed iuramentum per se,& immediatè non Deo,sed homini fit,quamuis Deus in testé adducatur: at maior est obligatio qua quis Deo,quàm ea qua homini seadstringit,ergo. Deinde,obligatio voti causatur ex fidelitate, quam Deo debemus,vt.s.ei promissa impleamus; at obligatio iuramenti causatur ex reuerentia,quam debemus eidem, & qua tenemur ad præstandum id quod per eius nomen promisimus. Vnde fractio voti ad infidelitatem spectat, fractio vero iuramenti ad irreuerentiam; infidelitas autem peior est, quàm irreuerentia, nam illa includit istam, & non è contra; ergo cæteris paribus maior est voti obligatio,quàm iuramenti.

2 Alij verò vt Io. Maior *in* 4. *d*.38.*q*.5.Michaël à Medina *lib*.5. *de continentia cap*. 23. Et multi alij è contra defendunt obligationem iuramenti esse longè maiorem, quam voti; quia votum etiam nonnunquam iuramento confirmamus, & non è contra; ergo signum est, iuramentum arctius ligare,quam votum:& in hanc potius partem inclinat Valent.2.2.*d*.6.*q*.7.*p*.4.

Cæterùm hæ duæ opiniones possunt conciliari hoc modo; maioris obligationis est votum, quàm iuramentum,quod homini præstatur, & in hoc sensu vera est opinio D. Tho. 3
At iuramentum quo Deo aliquid promittitur, maioris est vinculi, quam votum,& in hoc sensu secunda opinio Maioris locum habet.

Dixi notanter (*per se*) quia per accidens ratione grauitatis materiæ contingere potest, vt grauius sit frangere iuramentum homini factum, quàm frangere votum Deo factum. quis enim dubitat, grauius esse crimen, frangere iuramentum dandi ex iustitia mille aureos creditori, quàm frangere votum de dando vnum argenteum Deo in eius obsequium?

QVÆSTIO CXXXIV.

An qui vouit dicere singulis diebus vnum Pater noster, *& postea illud quotidie prætermittit, peccet mortaliter?*

RESPONDEO, si ita intendat se obligare in singulos dies,vt obligatio sit diei affixa,id est, in honorem diei,& vna cum die expiret,non peccat mortaliter,etiam si id votum semper violet,sed toties peccat venialiter, quoties illud votum omittit. Ratio est,quia cùm obligatio non continuetur,sed euanescat quotidie, non multiplicabuntur quoque venialia exigua, ad constituendum vnum magnum, sed manebunt diuisa, sicut & obligationes. Secus autem si quis ita se obliget in singulos dies, vt obligatio non sit diei alligata, id est, non fiet in diei honorem, nec expiret cum die, sed continuetur; erit peccatum mortale, si per plures dies omittat. Vt si 1

vouisti dare quotidie vnum obolum pauperibus, tunc licet transgressio vnius diei, vel plurium, nunquam sit mortalis, tamen quando perueniet ad summam notabilem peccabis mortaliter; sicut ille qui furatur quotidie vnum denarium. Ratio est, quia licet priora peccata tantum sint venialia, tamen vltimum est mortale, vel ratione nocumenti, vel ratione grauitatis materiæ, quæ aufertur. Ita tenet Azor. *lib.* 11. *cap.* 5. *q.* 3. & Sayr. *in*
2 *clau. reg. lib* 6. *c.* 6. *nu.* 6.

Hinc vouens recitare per singulos dies salutationem Angelicam, non alligans orationem diei, si postea per multas dies, illam prætermittat, peccat mortaliter. Quia suum debitum factum est notabile.

Et idem dicendum est, si vna volitione per multos dies velit talem orationem omittere: vt quando confessarius alicui imposuit in pœnitentiam, vt quotidie dicat *Miserere mei Deus*, non enim tunc obligatio est onus diei, sed diuiditur in plures dies, vnde si omittatur, non ideò euanescit obligatio.

QVÆSTIO CXXXV.

An qui vouit se nunquam bibiturum vinum, aut comesturum carnes, toties peccet mortaliter, quoties illud bibit, & carnes comedit?

1 SVNT multi qui absolutè dicunt, hunc peccare solum prima vice bibendo, vel comedendo.

Alij vt Palud. *in* 4. *d.* 15. *q.* 4. *ad finem* D. Anton. 2. *p. t.* 11. *cap.* 2. & Tab: *verb. votum* 3. *q.* 3. distinguunt. Si votum sit non bibendi vinum in perpetuum, toties peccatur mortaliter, quoties illud bibitur: si autem sit non bibendi certa die, peccat solum prima vice bibendo.

Cæterùm absque dubio tenendum est, siue id votum sit perpetuum, siue temporale, toties eum peccare mortaliter, quoties illud bibit, & carnes comedit. Ratio est, quia votum ad 2
instar præcepti, quatenus negatiuum est, obligat semper, & ad semper, id est, pro omni tempore quo emissum est. Quod intelligitur quando quis scienter violat votum, aut etiam ex negligentia, & obliuione vincibili, & culpabili, ex eo quod debitam diligentiam non adhibuerit, vt voti sui recordaretur: secus autem si ex obliuione inculpabili illud violaret. Ita Nauar. *cap.* 12. *num.* 53. Azor. *lib.* 11. *cap.* 20. *q.* 8.

Est autem hoc loco notandum, non quamcumque vini potati quantitatem esse mortalem, sed illius paruitatem excusari à mortali. Videtur ve- 3
ro requiri ad mortale, tantum vini potari, quantum in vno prandio sufficere posset pro potu communiter vtentibus temperatè vino.

Hinc, fratres Minorum qui absque iusta causa vescuntur carnibus in quacunque die aduentus peccant mortaliter toties, quoties illis vescuntur in illa die, qua tenentur ieiunare per præceptum suæ Regulæ; quod præceptum obligat eo modo quo alia præcepta Ecclesiastica ieiunij.

QVÆSTIO CXXXVI.

An qui vouit non bibere vinum possit ad sacerdotium ascendere, aut post promotionem ministrare?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia 1
in Missa fit conuersio totius substantiæ vini in sanguinem, & ideò celebrans Missam votum non violat, quia

quia vinum non bibit, sed sanguinem sumit, & quamuis purificationem, quæ vino fit, glutiat, attamen id non est voto prohibitum ob Ecclesiæ præceptum.

QVÆSTIO CXXXVII.

An votum non bibendi vinum violetur bibita ceruisia?

1 SVNT multi qui tuentur partem affirmatiuam, ducti eo fundamento quod hæc loco vini sumatur, ac instar illius inebriet.

Mihi tamen, cum eorum bona venia, oppositum videtur tenendum. Ducor, quia cum votum sit strictè interpretandum, ita vt quam maximè
2 fieri possit, minus obliget, vt fatentur vniuersi, prohibitio vini, quod præstantius, & appetibilius est cæteris inebriantibus, non debet ad ceruisiam extendi, quæ verum vinum non est, etsi loco illius bibi, & inebriare soleat.

QVÆSTIO CXXXVIII.

An qui vouit certum diem ieiunare, ab ouis & lacticiniis abstinere teneatur.

1 RESPONDEO si ita expressè vouit, ita promissum adimplere tenetur: si autem de hoc nihil cogitauit, ad patriæ consuetudinem se accommodet. Nam iure communi solum in quadragesima ab ouis & lacticiniis abstinetur; cætera vero ieiunia pro patriæ vario more, & consuetudine seruantur. Ita Azor. *lib.* 11. *cap.* 20. *q.* 6.

QVÆSTIO CXXXIX.

An qui vouit certa die ieiunare, toties peccet mortaliter, quoties in illa die comedit?

IOANNES de Neapoli in quodam quodlibeto dixit hunc toties peccare mortaliter, quoties intra illũ diem comedit hora prohibita, etiamsi non carnes, sed cibos permissos comedat. 1
Quia præceptum ieiunij est negatiuum, quod semper, & ad semper obligat. Et ita hanc partem esse probabilem dixit Dur. *in* 4. *d.* 15. *q.* 1. Immo securiorem dixit Gerson *alphab.* 24. *litera X. in reg. mor. cap. de gula.*

Maior. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 6. dixit esse problematicam quæstionem.

At vero Med. *q.* 5. *de ieiunio*, & Couar. *lib.* 4. *var. cap.* 20. *num.* 13. putant probabiliorem. 2

Nos tamen in contrariam sententiam, vt magis communem, & veriorem sequẽdam esse arbitramur, hunc solum peccare in secunda comestione. Ratio est, quia solum in secunda comestione frangitur ieiunium, quo semel iam violato, impossibile est amplius seruari. Et ita tenet Caiet. 2. 2. *q.* 147. *ar.* 8. Roder. *p.* 1. *cap.* 23. *num.* 1. Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 2. *dub.* 3. Nau. *c.* 21. *nu.* 14. Et alij communiter. 3

QVÆSTIO CXL.

Sed dubitabit aliquis hoc loco, An hic toties peccet mortaliter, quoties ea die carnes edit?

AZOR. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 20. *q.* 8. affirmat. 1

Contrarium tamen mihi persuadeo, quia in hoc voto non promittitur per se, & directè abstinentia carnium, sed indirectè, & accessoriè, in quantum. s. ieiunium absque ipsa consistere nequit. Quare cũ semel violato ieiunio, cesset obligatio principalis ieiunij 2

cessat quoque obligatio accessoriæ abstinentiæ à carnibus. Secus autem esset; si hîc expresè promitteret in die vnicam comestionem, tunc enim peccaret toties, quoties præter vnicam comestionem ederet illa die.

Dices, votum ieiunij obligat instar præcepti Ecclesiastici de ieiunio, at Ecclesia ieiunium præcipiendo ita abstinentiam à carnibus inducit, vt sit peccatum mortale, toties quoties eduntur.

3 Respondeo duplici ex capite abstinentia carnium in diebus ieiunij ab Ecclesia indictis præcipitur. Prius est indirectè, & accessoriè, quatenus est ad ieiunium necessaria, & hac ratione solum illis indicitur, qui ad ieiunium obligantur. Vnde à ieiunio immunes, siue quia illud semel fregerint, siue quauis alia ex causa, nō peccant contra id ieiunij præceptum comedendo carnes. Quia cùm cesset obligatio circa principale, cessare videtur circa accessoriam abstinentiam à carnibus.

Posterius est, quia est præceptum aliud generale Ecclesiasticum directè & per se, & independenter à ieiunandi obligatione adstringens omnes Christi fideles ad carnium abstinentiam omnibus diebus ieiunij ab Ecclesia indictis, & contra hoc peccant edendo carnes excusati à ieiunio. Quibus sic positis, dico quod qui vouet ieiunare, non vouet abstinere à carnibus nisi priori modo. Quare à ieiunio immunis, etiam si culpa sua id fregerit edendo carnes, non peccabit amplius, iterum carnes, vel quicquam aliud edens. Vnde magna est differentia inter obnoxium ieiunio ex vi præcepti Ecclesiastici, & inter obnoxium solum ex vi voti. Nam ille qui primauice sine iusta causa carnes comedit, duplex peccatum mortale committit: vnum contra ieiunij legem; alterum verò contra legem aliam generalem præcipientem abstinentiam carnium independenter à ieiunij obligatione. At qui contra solum votum carnes edit, vnum peccatum committit contra solum ieiunij votum, quatenus ea comestione id violatur.

QVÆSTIO CXLI.

An qui vouit ieiunare cum pane, & aqua peccet bibendo vinum?

RESPONDEO peccare. At eo bibito in ea quantitate, quæ sufficit ad soluendum ieiunium, non est amplius peccatum illud bibere. Ratio est, quia abstinentia à vino non est promissa per se, & directè, sed quatenus est necessaria ad ieiunium in pane, & aqua. Quare cùm semel bibito eo vino, id ieiunium seruari nequeat, non amplius obligabit abstinentia à vino. Et idem dico de eo qui vouit se ieiunaturum abstinendo ab aliquo peculiari cibo, vt piscibus: semel enim eis comestis, non tenetur amplius ab illis abstinere. Quia ea abstinentia non directè promissa est, sed vt accessoria tali ieiunio, quod tunc seruari nequit. Sicut qui vouit ire ad limina Apostolorum sacco indutus, nec potest ire, non tenetur sacco indui.

QVÆSTIO CXLII.

An qui vouit non comedere lacticinia teneatur à carnibus abstinere?

QVÆSTIO hæc intelligitur, 1 quando vouens non scit discernere verum intenderit, an non intenderit eas comedere.

Tab. *verb. ieiunium q.* 11. *nu.* 10. Syluest. *verb. dominica nu.* 2. & Beda *in suis resp.*

respons.2 .p.casu 3. opinantur hunc teneri ex vi voti abstinere à carnibus. Et probant, quia abstinentia lacticiniorum includit quoque abstinentiam carnium, eo quod illa sint carnium pars, vtpotè, quæ ab illa sementinam originem trahunt.

At ego arbitror hunc non teneri à carnibus abstinere. Ratio est, quia qui se priuat re minori, minúsque di-
2 lecta, non censetur se priuare re maiori, magísque dilecta. Quòd est verum etiam si vouens certus sit, fore, vt vt si carnium abstinentia in mentem venisset, eam quoque vouisset, quia ad inducendam obligationem, aut ad eximendum ab ea, non attenditur, qualis voluntas habenda foret, si se obligans meminisset, sed qualis habita sit. Atque ita tenet Emman. Sà *in aphoris. conf. verb. votum nu. 25.*

QVÆSTIO CXLIII.

An qui vouit abstinere ab ouis, teneatur à lacticiniis, & è contra abstinere?

QVÆSTIO hæc intelligitur, quando non constat de expressa intentione vouentis.

1 Respondeo non teneri. Ratio est, quia hæc sunt verè diuersa, nec vnum in alio includitur.

QVÆSTIO CLXIV.

An vouens abstinere à carnibus, teneatur ab ouis, & lacticiniis abstinere?

1 QVIDAM affirmant hunc ad id teneri. Huius opinionis videtur esse D. Hieronymus *lib. 2. contra Iouinianum* vbi ex sententia veterũ Ægyptiorum dicit *ouum*, & *lac nihil esse aliud, quàm carnem liquidam, & sanguinem album.*

At communis, ac verissima sententia est, eum non teneri ab ouis, & lacticiniis abstinere. Et Ratio est, quia re vera oua, & lacticinia carnes non sunt, licet ex animalibus quæ carnes
sunt, originem trahant. Nam cum ex 2
eorum semine generentur, & semen caro non sit, vtpotè quod ex superfluitate alimenti procedit, ipsa etiam lacticinia, vel oua carnes non sunt, neque ad carnes reducuntur.

Nec obstat dictum D. Hieronymi, quia est intelligendum quasi remotè de carne, & sanguine.

QVÆSTIO CXLV.

An vouens abstinere à carnibus, teneatur à iure abstinere?

ROSELLA *verb. ieiunium num. 31.* 1
putat non teneri.

Contrarium tamen mihi persuadeo ea ductus ratione, quia id votum absolutè emissum obligat instar præcepti Ecclesiastici carnes prohibentis, quod subinde vetat ius, quo coctæ sunt, vtpotè quod carnium substantiam in se imbibit.

QVÆSTIO CXLVI.

An qui iusta de causa comedit oua & lacticinia in ieiunio, ad quod tenebatur de voto, sua obligationi satisfaciat?

RESPONDEO satisfacere, si in re- 1
liquis formam ieiunij seruet. Ratio est, quia licet secundum D. Tho. abstinentia carnium sit de essentia ieiunij; abstinentia tamen ouorum, & lacticiniorum nõ est de essentia: cum in quatuor temporibus, & aliis diebus

ieiunij intra annum, extra quadragesimam, possint comedi; & sic vescendo in die ieiunij votiui huiusmodi cibis de licentia medici, verè suo voto satisfacit, dummodo vnicam comestionem faciat.

QVÆSTIO CXLVII.

An is, cui medicus concedit vsum ouorum propter infirmitatem, sit reus voti, si edit caseum?

1 RODER. *p.1. cap.14. num.2.* tenet eum esse reum voti, ac proinde peccare mortaliter, si caseus sit eius infirmitati nociuus. Et probat, quia cum talis cibus (vt suppono) sit prohibitus in die ieiunij, & vt comederetur, medicus non dedit, nec potuit dare licentiam illum comedendi, cum esset ei contrarius.

Cæterùm, quamuis sententia hæc sit valdè probabilis, probabiliorem tamen
2 iudico contrariam. Et ratio est, quia id votum intelligitur instar præcepti Ecclesiastici, quod ita esum carnium, vel lacticiniorum prohibet per modum vnius, vt cui licet ex iusta causa vesci vna specie carnium, vel lacticiniorum, videntur aliæ species non interdictæ; & si aliunde sit peccatum, erit peccatum contra virtutem temperantiæ, si illæ sint noxiæ, & poterit esse in tam pauca quantitate quod comeditur vt nullum sit peccatum. Et ideo ita tenet Med. *in sum. fol.102. p.2.*

QVÆSTIO CXLVIII.

An is, cum quo est dispensatum, quod possit comedere carnes in die ieiunij, sit reus voti, si canet?

1 ILLVSTRISSIMVS Caietan. *2.2.q.147.a.7.* & 8. absolute negat. Quia putat abstinétiam carnium esse de essentia ieiunij, ac proinde qui est dispensatus ad carnem, eo ipso est dispensatus à ieiunio.

Ioannes Medina *tract. de ieiun. q.5.* 1 absolutè affirmat.

Alij vero vt Corduba *in sum. q.143. fol.410.* & Roder. *p.1. cap.24. num.9.* 2 docent hunc esse voti reum, si dispensatum fuit cum illo, quia lacticinia, & pisces illi nocebant. Si tamen concessa fuit licentia, quia est infirmus, vel debilis, & vt meliùs possit conualescere, licitè poterit cœnare.

QVÆSTIO CXLIX.

An qui habet votum ieiunandi, possit ex vi Bullæ vesci lacticiniis?

DOCTOR Nauar. *lib.3. consi. tit. de obseruatione ieiunij cons.4.* negat 1
ex eo quod Bulla tantum lacticiniorum vsum concedat ieiuniis ab Ecclesia indictis, & cum sit priuilegium à iure exorbitans, non est ad ieiunia voti, iubilæi, aut pœnitentiæ extentendum.

Alij verò rectiùs docent posse omnibus his diebus lacticinia edere. Ratio est, quia non aliter Pontifex, Confessarius, aut vouens imponit ieiunium, quam ab Ecclesia iniungitur: At ieiunio Ecclesiastico satisfit edendo lacticinia cum Bulla; ergo. Et ideò hanc partem sustinent Angles *tract. de ieiunio.* Med. *lib.1. c.14. §.10.* Roder. *p.1. cap.184. num.10.* *Lop. p.2. cap.112.* & Petr. de Ledesm. *2. tom. sum. tract. 27. cap.2.* 2

QVÆSTIO CLX.

Sed dubium grauius, & magis controuersum inter Auctores est, An idem sit dicendum de carentibus Bulla?

Multis

1 MVLTIS visum est, & viris quidem peritis, in ieiuniis extra quadragesimam licere vesci lacticiniis absque Bulla. Sic Henriq. *lib.7. de indulg. cap.*10 *n.*4. *& cap.*13. *n.*31. Rod. *p.*1. *cap.*184. *num.*10. Med. *lib.*1. *c.*14. §.10. & Angl. *de voto.*

Alij vero Doctores non minoris nominis docent ieiunia ex voto, pœnitentia, vel iubilæo præscripta seruanda esse eo modo quo ciuitas ser-
2 uat ieiunia, in quatuor temporibus, & vigiliis. Sic Azor. *lib.*11. *cap.*20. *q.*6. vbi ait vouentem ieiunare, teneri seruare, accommodando se patriæ consuetudini: *nam*, inquit, *ab his abstinetur in quadragesima, extra verò iuxta patriæ vsum.*

At ego arbitror idem esse dicendum de ieiuniis voto, pœnitentia, vel iubilæo indictis in quadragesima. Quia quamuis hic non habens Bullam peccet contra præceptum speciale Ecclesiæ interdicentis in quadragesima vesci lacticiniis, non peccar tamen contra votum, pœniten-
3 tiámue tunc ieiunandi, & satisfacit eo ieiunio voto, vel pœnitentiæ, vel iubilæo. Ratio est, quia hic ex voto, pœnitentia, vel iubilæo solum tenetur ad ieiunium, eo modo, quo ab Ecclesia institutum est, & ad id, ad quod obligat præceptum ieiunij, vt sic. At præceptum ieiunij etiam quadragesimalis vt sic, non obligat ad abstinentiam à lacticiniis: sed est distinctum omnino præceptum independens à ieiunio, vt habetur *in c. Deniq. in* 4. *dist.* Cuius signum est, quod in dominicis quadragesimæ præcipitur quoque hęc abstinentia, cum tamen non ieiunetur, & pueri, & omnes alij à ieiunio immunes, tenentur à lacticiniis abstinere.

Dices; si hæc ratio valeret, idem quoque concluderet de esu carnium.
4 Respondeo disparem esse rationem, nam esus carnium vltra speciale præceptum, prohibetur quoque indirectè in ipso ieiunij præcepto, eo quod sit essentialiter requisita ad ieiunium. At abstinentia à lacticiniis non est de essentia ieiunij, nec in omni ieiunio præcipitur, sicut præcipitur abstinentia carnium. Vnde qui carnes edit in die ieiunij duplex peccatum committit, at qui in quadragesima lacticinia edit vnum peccatum committit contra specialem prohibitionem abstinendi ab eis, & nullo modo contra ieiunium, & sic non tenetur fateri in confessione se edisse lacticinia in die ieiunij, sed satis est dicere se ea edisse in die ab Ecclesia prohibito.

QVÆSTIO CL.

An Religiosi professi minores viginti & vno annis, teneantur ad Regulæ ieiunia?

IN qua re certum est Religiosos omnes ante vicesimum primum annum propter ætatis defectum, ad Ecclesiastica ieiunia non teneri. 1

Secundò etiam est certum, quoscumque adolescentes in hac minori ætate constitutos posse expresse explicitum votum emittere de ieiunando, & post emissum votum, eos ad voti obseruationem teneri, siquidem ætatem, & sufficientem ad vouendum discretionem habent, vt rectè docet D.Tho. 2.2. *q.*147. *ar.*4.

QVÆSTIO CLI.

Sed dubium est de ieiuniis regulæ.

BARTH. Med. *lib.*1. *sum. cap.*14. §. 10. & Graff. 1. *p. decis. lib.*2. *cap.*37. *num.*42. negant, sicut non tenentur ad Ecclesiæ ieiunia donec vicesimum annum expleuerint. 1

K Sed

Sed tanquam certum tenendum est eos ad id teneri. Cum expressè ante eam ætatem per votum solemne ad ea ieiunia Regulæ se ligauerint. Et ideo huius sententiæ sunt Roder. *p.* 1.
2 *sum.cap.* 24.*num.* 1. Cord. *super Reg. D. Franc.cap.* 3.*q.* 2. Azor. *lib.* 7.*cap.* 27.*q.* 3. Emman. Sa *verb.ieiunium num.* 3. Petr. de Ledesm. 2 *to.sum.tract.* 27.*c.* 2. Syluest. *verb.ieiunium q.* 6. Vega *lib.* 1. *summ. cap.* 14. *casu* 6. & alij communiter.

QVÆSTIO CLII.

An vouens abstinentiam carnium sit voti reus, edendo carnes in casu morbi, si aliàs carnes illæ sint sanitati noxiæ.

1

RODER. *p.* 1.*cap.* 24.*num.* 2. tuetur partem affirmatiuam, dum ait eum cui medicus ratione morbi concedit oua in quadragesima, teneri à lacticiniis sibi noxiis ratione præcepti Ecclesiastici abstinere.

Mihi vero longè probabilius videtur contrarium. Et ratio est, quia id votum intelligitur instar præcepti
2 Ecclesiastici esum carnium, vel lacticiniorũ ita per modum vnius prohibentis, vt eo ipso quod liceat ex iusta causa vesci carnibus vel lacticiniis, non adstringat præceptum ad abstinendum ab aliis, etsi aliundè sit peccatum contra temperantiam, si illa noxia sint. Secus autem esset, si votum esset per modum plurium, vt si quis specialem carnium abstinentiam voueret, eo quod sibi sapiant; concessis quibusdam ratione morbi, non censerentur aliæ concessæ, ad quas causa excusans non se extendit.

QVÆSTIO CLIII.

An vouens non vesci lacticiniis, possit illis vti, si ratione necessitatis concedantur sibi carnes?

RESPONDEO si ea abstinentia est 1
tantum pro eo tempore, in quo esus carnium est sibi licitus, tenetur ab his abstinere, vtpote morbo non necessariis: quia independenter à carnibus hanc abstinentiam vouit. Si autem pro illis diebus, quibus carnes interdicuntur, hoc vouit, censetur in casu dubij dependenter à carnibus vouisse, atque ita concessis ratione morbi carnibus, censentur quoque lacticinia concessa. Ratio est, quia hoc votum obligat instar præcepti Ecclesiastici de his non edendis, quod his vesci non interdicit, quoties ratione morbi carnes conceduntur. Secus autem esset si specialiter vouenti saperent lacticinia illa quæ se non comesturum vouit, vt eo sapore in memoriam dominicæ passionis se priuaret, tunc enim non censeretur abstinentia ab his promitti dependenter à carnibus, & ideo concessis carnibus, non censentur concessa lacticinia.

QVÆSTIO CLIV.

An qui vouit se nunquam comesturum carnes in die veneris, & postea in ea eueniat festum Natalis Domini, teneatur in ea die à carnibus abstinere?

IN qua re conuenit inter omnes 1
hunc ad id teneri, si dum tale votum emisit habuit intentionem se obligandi etiam pro illo die. Quia licet Ecclesia non prohibeat comedere

dere carnes illo die, non tamen prohibet ab illis abstinere; & ideo tale votum validum est.

Sed tota difficultas consistit, quando votum fit absolutè, absque aduertentia ad illum diem, an tunc teneatur in ea die à carnibus abstinere?

Molin. *tom.* 2. *de iust. dist.* 171. & Azor. *libr.* 11. *cap.* 10. *dub.* 3. docent hunc non teneri à carnibus abstine-
1 re. Quia putant tale votum non comedendi carnes in die veneris, debere ad eum esum illicitum referri, & sic non esse ad natiuitatem Domini transferendum, cum talj die etiamsi in sexta feria, esus carnium sit licitus.

Sed quamuis sententia hæc sit valde probabilis, probabiliorem tamen iudico contrariam, nimirum teneri adhuc, votum explere, etiam
2 si sit dies Natalis Domini. Ratio est, quia ex quo vouit generaliter in sexta feria abstinere, tenetur abstinere in qualibet sexta feria, iuxta illud generale principum, *Quæ generaliter, & sine conditione promittuntur, generaliter, & absolutè sunt adimplenda.*

Et videtur esse conclusio definita ab Honorio III. *in cap. fin. de obseruat. ieiun.* qui Pragensi Episcopo rescribens, sic ait *Explicari per sedem Apostolicam, postulasti*, & infra. *Respondemus quod illi qui neque voto, neque regulari obseruantia sunt adstricti, in sexta feria, si festum Natiuitatis dominicæ die ipso venire contigerit carnibus, propter festi excellentiam vesci, possunt secundùm consuetudinem Ecclesiæ generalis. Nec tamen hi reprehendendi sunt, qui ob deuotionem voluerint abstinere.* Et ideò ita tenent Palud. *in* 4. *d.*38. *quæst.*4. Syluest. *verb. ieiunium* 9. 10. Cord. *sum. quæst.* 169. Roder. *tom.* 3. *de Regul. q.* 45. *art.* 3. & Vasq. 1.2.*d.*20.*cap.*4.

QVÆSTIO CLV.

An voto vel statuto Regulari adstricti ad carnes non edendas in die veneris, possint eas edere eueniente in ea, festo Natalis Domini: si votum, vel statutum tollatur per priuilegium Apostolicum?

RESPONDEO posse. Ratio est, 1
quia Honorius Papa *in dicto cap. fin.* excipit eos qui peculiari voto, aut regulari obseruantia adstricti sunt ad carnium abstinentiam seruandam. At in hoc casu hi neutro modo ligantur, cum vinculum iam cessarit per priuilegium; ergo possunt eas edere. Atque ita tenent Syluest. *verb. dominica num.* 2. *& verb. ieiunium q.* 10. & ibi Armilla *num.*13. Tab. *quæst.* 12. Beia *in suis resp.* 2.*p. casu* 3. Emm. Sa *verb. ieiunium nu.*6. & Lop. *p.*2. *inst. confess. cap.* 121.

QVÆSTIO CLVI.

An qui stantibus voto, & Regulari statuto, in tali die carnes edit, peccet contra ius commune, an contra solum votum, vel Regulare statutum?

BARTH. Medina *lib.* 1. *summ.* 1
cap. 14. §. 10. affirmat hunc edentem carnes, non solùm peccare contra votum, & statutum regulare, verùm etiam contra ius commune. Quia Romanus Pontifex *in d. cap. fin.*

cum solis his dispensat in prohibitione iuris communis, qui nec voto nec statuto aliquo regulari ad carnes non edendas adstricti sunt.

At omnino tenendum est Romanum Pontificem cum omnibus fide-
2 libus in ea prohibitione dispensare, relicta sola voti, vel statuti regularis obligatione; ac proinde qui illa die carnes ederet, non peccaret nisi contra votum, vel regulare statutum. Quippe hoc indicat ratio in eo textu tradita: nempe ob tanti festi excellentiam, in quo lætari conuenit: quæ omnibus fidelibus est communis.

QVÆSTIO CLVII.

An qui ex voto tenetur ieiunare vigiliam Natalis Domini, possit serotinam refectionem tam longam sumere, vt in ea die visitatur?

1 RESPONDEO si mens vouentis fuit ieiunare eo modo quo ea die ieiunium Ecclesiasticum seruari solet, poterit tunc tuta conscientia refectione illa sic consueta vti. Secus autem esset, si vouens intenderet se obligare ad ieiunandum instar aliorum dierum. Et in hoc omnes conueniunt.

Sed totum huius controuersiæ dissidium consistit, quando de intentione vouentis non constat.

Roder. *p.* 1. *sum. cap.* 23. *num.* 10. negat.

Contrarium tamen est proculdubio tenendum. Et ratio est, quia votum de aliqua materia non obligat nisi ad instar legis Ecclesiasticæ de
2 illa. At lex Ecclesiastica in hac die obligat ad ieiunium eo modo consuetudine explicato, ita vt refectione serotina tam longa vtens censeatur verè ieiunare; ergo idem dicendum est de voto illius ieiunij.

QVÆSTIO CLVIII.

An votum quod est incompatibile cum aliquo præcepto Ecclesiastico sit validum?

RESPONDEO non valere. Ratio 1
est, quia obligatio voti est voluntaria, sed præcepti necessaria. Quod est intelligendum, nisi materia illa promissa tanti esset honoris diuini, vt meritò præferenda esset præcepto Ecclesiastico. Vt si quis voueat peregrinationem impedientem ieiunium Ecclesiæ, si huiusmodi peregrinatio tanti momenti esset, vt illi ieiunio anteponi deberet, & talis esset peregrinatio, vt ieiunio obstaret, obligaret tale votum; quia tunc nil mali continet, nec aduersum præcepto Ecclesiastico, vtpote quod in eo casu non obligat.

QVÆSTIO CLIX.

An votum factum contra superioris præceptum sit validum?

RESPONDEO valere. Ratio est, quia etsi peccet subditus vouendo contra præceptum superioris, at cùm res promissa non sit interdicta,
ea manet bona, ac proinde legitima 1
voti materia. Secus autem esset, si materia ipsa esset interdicta, quia tunc si subditus voueret se id adimpleturum, absque superioris licentia, id votum esset nullum, vtpote de re mala, & inepta materia voti. Si autem absolutè subditus sic voueret, nō esset irritum votum, sed non posset illud adimplere, sine superioris licentia.

QVÆST.

QVÆSTIO CLX.

An qui vouit dicere Rosarium, satisfaciat suæ obligationi, si illud sola mente recitet?

RESPONDEO non satisfacere. Ratio est, quia id votum accipiendum est instar præcepti Ecclesiastici de hac re, quod sola mentali oratione non impletur.

QVÆSTIO CLXI.

An qui vouit officium Beatæ virginis, vel Psalmos pœnitentiales, vel Litanias recitare, voto satisfaciat, si alternatim persoluat?

1 RESPONDEO satisfacere. Ratio est, quia hoc votum est intelligendum instar præcepti Ecclesiastici de recitando officio canonico, quod alternatim persoluitur. Ita Nauarr. *c. Quando c.* 10. *nu.* 17. & 18. & Azor. *lib.* 11. *c.* 10. *q.* 10.

QVÆSTIO CLXII.

An qui vouit dicere coronam Beatæ virginis, suæ obligationi satisfaciat, si eam alternatim recitet?

1 SAPIENTISSIMVS Nauar. *c. Quando cap.* 10. *nu.* 22. dicit problematicè vtramque partem posse defendi, sed verius putat non satisfacere.

2 Azor. *lib.* 11. *cap.* 7. 9. 10. affirmat satisfacere. Quia huiusmodi votum interpretari possumus esse reddendum eo modo, quo officium diuinum persoluitur.

Mihi vero longè plus probatur opinio Nauar. Ducor, quia consuetudo nunquam approbauit vt Corona Beatæ virginis alternatim persoluatur: sed contrarium omnino vsu receptum est, cui in dubio videtur vouens se conformare.

QVÆSTIO CLXIII.

An qui pollicetur se ieiunaturum, vel auditurum sacrum, teneatur ieiunare, vel audire sacrum eodem prorsus modo, & attentione, qua obligat præceptum Ecclesiasticum?

RESPONDEO quod sic. Et ratio est, quia hæc vota non aliter obligant, quàm præcepta Ecclesiastica de eisdem rebus. Et sic eædem prorsus causæ quæ ab Ecclesiæ præcepto excusant, similiter à voto excusabunt. Quare ætas 60. annorum quæ secundùm probabilem sententiam Nauar. à præcepto ieiunij excusat, excusabit quoque à voto ieiunij. 1

Hinc, scrupulosè locuti sunt Caiet. *in sum. verb. votum cap.* 4. vbi ait à voto ieiunandi excusare morbum superuenientem, qui illicitum redderet ieiunium. Et Angelus *verb. votum* 3. *num.* 21. qui dixit à voto abstinendi à carnibus excusare periculum mortis imminens, si non edantur. 2

At dicendum est, quemcumque morbum, quamcumque causam iudicio boni viri excusantem à præcepto ieiunij, excusare quoque à voto, quod instar præcepti Ecclesiastici obligat. Secus autem esset, si vouens causam excusantem à simili præcepto ieiunij habens, voueret, quia tunc non excusaretur ob illam causam à voto. Vt si minor duodecim annorum, aut maior sexaginta voueat, non excusabitur ra- 3

 tione

tione ætatis, quamuis ea à ieiunij præcepto excusaret:quia cum eo impedimento se obligauit. At excusaretur, si ei superueniret maior notabiliter debilitas ratione ætatis, quia esset notabilis mutatio, nec sub voto inclusa.

QVÆSTIO CLXIV.

An qui vouit se inuisurum imaginem Beatæ virginis distantem itinere trium dierum, suæ obligationi satisfaciat, visitando imaginem illam delatam in locum vouentis, vel in alium multò minus distantem?

1 RESPONDEO duobus modis posse imaginem illam mutare locum vno modo mutando omnino domicilium in eum locum; & tunc satisfaceret voto ea inuisione. Altero verò modo non mutando domicilium, sed causa aliqua peculiari, vt deinde proprio loco restituatur, & tunc non satisfaceret voto ea inuisione. Ratio est, quia principale obiectum huius voti fuit inuisio illius imaginis: labor autem itineris,& expensæ fuerunt accessoriè promissæ; at cessante principali per transportationem imaginis in eum locum, cessat quoque obligatio ad accessorium.

QVÆSTIO CLXV.

An qui vouit se iturum ad domum lauretanam, suæ obligationi satisfaciat, si illuc causa alterius negotij, inuisat templum illud?

1 RESPONDEO si obiectum vouentis fuit solum visitare templum illud, non habita consideratione distantiæ itineris, & expensarũ tunc satisfacere suæ obligationi, qualitercumque adierit illum locum, & postea in eo se inueniens inuisat domum illam. Ratio est, quia obiectum vouentis hæc sola inuisio fuit, & hæc religiosè, & voluntariè fit. Secus autem esset, si obiectum illius voti esset inuisio illius domus vnà cum itineris labore, & expensis, quamuis labor itineris, & expensæ fuerint accessoria; arbitror illum non satisfacere suæ obligationi, si illuc eam solius alterius negotij expediendi adear, & si illic se inueniens animo implendi votum, templum illud visitet. Ratio est, quia quando nulla piæ peregrinationis ratione, sed causa solius alterius negocij illuc adit, nullũ Religionis actum exercet. At verò si non stipendio conductus, nec vinctus à ministris iret voluntariè in eum locum causa visitandi domum illam, & si principaliter adierit causa alterius negotij, satisfaceret voto. Ratio est, quia peregrinatio illa esset quoad actus substantiam religiosa, & voluntaria, nec alio iure debita,& intentio expediendi aliud negotium non impedit quin illi satisfaciat. At in dubio præsumitur votum hoc posteriori modo emitti:nam vouens se aliquem locum distantem inuisurum, apprehendit distantiam itineris, difficultates, & expensas illi voto accessorias, meritúmque peregrinationis augentes.

QVÆSTIO CLXVI.

An qui vouit se equum daturum alicui loco pio, teneatur equum emere, vt votum suum impleat, si omnes sui equi perierunt?

RESPONDEO teneri, nisi expressè vnum ex his quos habebat vo- 1
uisset

uisset. Ratio est, quia votum non fuit certæ speciei, sed generis, & ita destructa specie, votum non extinguitur. Sicut qui vouit religionem in genere, & in vnam religionem non admittitur, tenetur aliam adire, vt recipiatur.

QVÆSTIO CLXVII.

An qui vouit dare dotem puellæ ob amorem Dei, teneatur, si illa antequam nuberet, obiit?

1 RESPONDEO si hic tanquam pium opus, atque in animæ suæ salutem vouit eleemosynam, veruntamen eligit illam puellam pauperem, quia est sibi nota, & propè eius domum habitat, ea mortua tenetur alteri tradere. Si verò in bonum duntaxat illius puellæ, non tenetur. At in dubio prior intentio præsumitur, vt frequentissima, & sic tenetur alteri largiri. Sic Azor. *lib.* 11. *cap.* 15. *quæst.* 13.

QVÆSTIO CLXVIII.

Sed quid, si puella illa ex hac vita migrauit, postquam vouens fuit in mora implendi suum votum?

1 RESPONDEO si tale votum non fuit intimatum, & acceptatum ab ea puella, arbitror adhuc extingui in ordine duntaxat illius puellæ emissum. Ratio est, quia votum nondum acceptatum solum ex vi religionis ligat, ac proinde nullam in conscientia restituendi obligationem inducit.

QVÆSTIO CLXIX.

An qui habet votum celebrandi, suo voto satisfaciat, si postea stipendio conductus celebret?

RESPONDEO non satisfacere. Ratio est, quia votum intelligitur de opere, quod non est aliunde debitum. Cùm ergo ea celebratio sit ex stipendio debita, non satisfacit illa suo voto. 1

QVÆSTIO CLXX.

An difficultas noua superueniens, excuset à voti obligatione?

RESPONDEO quando difficultas superueniens non erat intrinseca rei promissæ, & in ipsius substantia inclusa, sed est noua, notabilémque mutationem in re promissa faciens, si est temporalis excusat pro eo tempore, quo talis difficultas durat. Si vero perpetua, absolutè excusat à voto. Vt qui vouit ieiunare, aut dare eleemosynam: si enim factus est impotens ad ieiunandum propter infirmitatem, transacta infirmitate tenetur ad ieiunium: sin verò infirmitas sit incurabilis, & perpetua, excusat pro semper. Ratio est, quia ea notabilis mutatio facit, vt in eo euentu sit votum inuoluntarium. Et ideò ita tenet Molina *to.* 2. *de iust. disp.* 272. 1

Hinc, qui vouit cilicium, & postea perdit sanitatem, ita vt cilicium noceat ei notabiliter, excusatur à voto; illa autem, vel per naturam, vel per miraculum sublata, tenetur votum adimplere. Ita Caiet. *in sum. verb. votum* §. 4. & Roder. *p.* 2. *cap.* 94. qui addit in hoc casu adeundum esse superiorem, si facultas adsit, quia in his 2

his quæ ad ſeipſum ſpectant, nemo eſt bonus iudex. Quod eſt verum in caſu dubij; ſecus quando quis eſt certus, ſe non poſſe cilicium ferre.

3 Hinc, qui emiſſo voto aliquid difficultatis experitur, quam ſi præcogitaſſet, non vouiſſet, non ideo liber erit à voti ſui obligatione; ſed illud executioni mandare debebit, vt rectè docet Sotus *lib.7.q.2.ar.1.* Vnde quod dicitur ex D. Tho *in 4.d.38.q.1.art.3. q.1 ad primũ.* quod illud, quod ab initio impediret votum, poſtea ſuperueniens tollit eius obligationem, intelligitur de eo quod impediret non quidem fieri votum, ſed de eo quod impediret obligationem naſci ex voto, v. g. morbus qui obligationem voti impediret, ſi ſuperueniat voto, auferet quidem obligationem ipſius, at difficultas ſuperueniens, & quæ præuiſa non impediret voti obligationem, ſed tantum illud emitti, non auferet eius obligationem; aliàs plurima vota præſertim religioſorum & mulierum eſſent nulla ob inexperientiam difficultatum, quæ ante votum minimè præuiſæ fuerunt, quæ tamen præuiſæ retraxiſſent eos à vouendo. Et ideò ita docet Valent. 2.2.*d.6.q.6.p.4.*

4 Hinc, qui cùm eſſet iuuenis religionem ingredi vouit, nunc autem eſt ita ſenex, & debilis, vt ad religionis aſperitates ſuſtinendas non ſit idoneus, eſt à voto excuſatus. Ratio eſt, quia eſt notabilis mutatio rei promiſſæ reſpectu huius. Nec tenetur illud in aliud opus pium commutare, ſed de præterita culpa pœnitere. Nec refert vtrum materia voti reddatur impoſſibilis ex culpa vouentis, aut ſine culpa eius; nam quocumque modo ſuperueniat, à ſuo voto excuſatur, cùm in vtroque modo eadem ſit ratio; nam ad impoſſibilia nulla eſt obligatio. Ideò enim requiritur, vt pœniteat de negligentia præterita, ne alioqui poſſit is cenſeri voluntariè peccare in cauſa: per pœnitentiam enim ceſſat eſſe illi voluntaria cauſa illa, in qua executio voti facta eſt ei impoſſibilis.

QVÆSTIO CLXXI.

An qui duo vota incompatibilia emittit, ad vtrumque teneatur?

AD hoc dico primò, quod qui ſciens duo vota eſſe incompatibilia, ea ſimul emittit pro eodem tempore implenda, tali voto non tenetur. Ratio eſt, quia eſt de omnino impoſſibili. Si tamen voluit tantum ad alterutrum ſe obligare, ad id quod intendit, eſt obligandus: ſi de intentione eſt dubius, tenetur ad illud, quod eſt maioris perfectionis. Et ſi conſtat vtrumque eſſe paris perfectionis, aut id eſt dubium, datur electio vouenti, vt impleat partem quam vult. 1

Hinc, non eſt audiendus D. Anton. 2.*p.tit.11.cap.2 §. vltim.o* qui abſolutè dicit eum qui ſimul duo ſecum pugnantia vota fecit, poſſe vtrumuis illorum eligere, quia, inquit, non eſt maior ratio de vno, quam de altero. Non eſt inquam audiendus. Quia maior eſt ratio dignioris. 2

Secundò dico, quod qui ſucceſſiue duo vota incompatibilia emittit, vt ſi prius voueat omnibus feriis ſextis ſeruire in aliquo xenodochio pauperibus, & deinde omnibus diebus feſtis vacare confeſſionibus; & eueniat feſtum in feria ſexta, tunc tenetur ad poſterius, quod eſt maius. Ratio eſt, quia quando concurrunt duo præcepta incompatibilia, tunc quod eſt grauius, eſt præferendũ minori. Quod 3
ſi

si constat esse vtrumque æquale, datur electio vouenti, vt alterutrum impleat, altero omisso, nec emissi commutatione, aut dispensatione indiget.

Quare non approbo quod ait Azorius, teneri hunc ad votum prius emissum, eo quod posterius votum nequeat tollere prius æquale. Sed dico posse hunc vtrumlibet eligere, sicut potest propria authoritate commutare votum in euidenter æquale.

Quare falsa est opinio D. Anton. *vbi supra*, qui ait teneri hunc ad prius votum, ex eo quod obligatio prior posteriorem tollat incompatibilem. Sed dicendum est, non tollere, si posterior maior sit. Nam votum prius nequit esse maioris boni impeditiuum.

4 Tertiò, & vltimò dico, quod qui vtrumque votum incompatibile diuerso tempore emittit, & dubius est, vtrum illorum maius sit, tunc tenetur ad prius, nulla posterioris relaxatione petita. Ratio est, quia prius illud votum auferri nequit, nisi per votum dignius superueniens incompatibile aut æquale, commutando prius votum in posterius.

QVÆSTIO CLXXII.

Ex his omnibus planè liquet, quid sit dicendum de ea celebri quæstione: An qui vouit in vigilia sancti Bernardi se non comesturum panem, & postea, vel ante, vouit se nihil omnibus sextis feriis sumpturum præter panem, si vigilia illa in sextam feriam incidat, teneatur vtrumque votum seruare?

1 ET quidem si vouens sit certus de sua intentione, iuxta illam votum adimplere tenetur, cum iuxta illam votum obliget, & non amplius. Et in hoc omnes conueniunt.

Sed dubium est, quando de sua intentione non constat.

D. Ant. 2. *p. tit.* 11. *c.* 2. §. *vltimo* ait ad vtrumque teneri si potest: si sunt incompatibilia, potest vtrumuis ex illis eligere.

Mihi tamen cum hac distinctione videtur respondendum: si hic cum posteriùs vouit, fuit immemor prioris voti, tenetur solùm ad prius votum. Quia probabiliter prius excepisset, si illud in mentem ei venisset. Quod si prioris meminerit, nec illud 2 excepit, vtrumque, si potest, adimplere tenetur. Si autem vtrumque seruare nequeat, Rosella *verb. ieiunium num.* 31. dicit illum teneri ad prius. Quod Sylu. *verb. votū* 2. *q.* 17. & Azor. *lib.* 11. *c.* 20. putant esse verum, quando constat esse vtrumque æquale. Nam si alterum sit dignius, ait Azorius in illud commutandum esse votum minus, authoritate Prælati.

At ego dico sic: Si constat vtrumque esse æquale, & incompatibile, integrum est vouenti vtrumlibet eligere. Quod si constat alterum esse præstantius, id tenetur explere. Vnde si vnum esset maioris deuotionis, & al- 3 terum maioris afflictionis, cum deuotio mentis anteponenda sit afflictioni carnis, ex eo quod est actus excellentioris virtutis s. religionis, & bona per se, afflictio verò carnis bona per accidens, & actus minoris virtutis s. temperantiæ, eligere debet id in quo habet maiorem deuotionem. In quibus casibus nulla minoris relaxatio necessaria est. Si dubium sit, vtrum sit maius, tenetur ad prius, nulla posterioris relaxatione petita. Si verò dubium sit, an vtrumque votum possit, implere, tunc illud ieiunium quod implere non potest, in aliam diem transferre, aut in aliud bonum autho-

ritate Prælati commutare debet. Ratio est, quia in dubio positus an peccet votum seruando, partem tutiorem eligere debet.

QVÆSTIO CLXXIII.

An qui non potest suum votum adimplere, teneatur illud in aliquid aliud possibile in illo non inclusum commutare?

1 RESPONDEO non teneri. Ratio est, quia votum non obligat vltra intentionem vouentis, & vouens talem rem impossibilem non intendit promittere aliam omnino distinctam, & in illa non inclusam; ergo ad illam non obligatur.

Obiicies *Cap. Quod super his de voto*, vbi ob impedimentum superueniens, fit voti commutatio.

Respondeo dictum caput intelligendum esse non de impedimento impossibilitatis, sed difficultatis, quæ vt diximus, voti obligationem illud præstandi non tollit.

QVÆSTIO CLXXIV.

An qui vouit se aliquid facturum, & non potest ex toto illud implere, teneatur saltem ad partem, quam potest?

1 RESPONDEO teneri. Sicut qui non potest soluere totú debitum quod contraxit nimirum centum, tenetur soluere partem sibi possibilem s. quinquaginta: & qui non potest ieiunare totam quadragesimam, teneatur ad partem, quam potest, & qui tunc bina refectione indiget, tenetur à cibis vetitis abstinere. Quod enim contingit in materia præcepti, id ipsum fieri debet in materia voti, quod ad instar præcepti obligat. Quod est verum, quando voti materia est diuisibilis, & per partes commodè seruari potest, secus autem si sit indiuisibilis, siue ex natura rei, siue ex intentione vouentis, qua nolit aliter se obligare nisi ad totum, quia tunc liber erit à voto; non solùm ex solo, sed etiam ex parte, quam potest. Exemplum primi, vt si quis voueat ieiunare vigiliam alicuius Sancti, templum ædificare, litanias, vel coronam Beatæ virginis recitare, cum hæc communiter non diuidantur, non potens implere totum, non tenetur ad partem. Exemplum secundi, vt si quis voueat ieiunium totius quadragesimæ, recitare officium diuinum. Cùm enim hæc communiter diuidantur, obligatio non erit per modum vnius, ac proinde excusatus à parte ratione impotentiæ, tenebitur ad partem aliam sibi possibilem.

QVÆSTIO CLXXV.

An votum quo quis pollicetur se nudum peregrinaturum Domum Lauretanam, sit validum, & obligatorium?

DAnton. 2. *p. t. 11. cap. 1. §. vltimo* putat valere. 1

Nauar. *cap. 12. nu 39.* docet esse irritum, & nullum.

Mihi verò, saluo peritorum iudicio, sic videtur sentiendum, vt votum sit validum, quantum ad substantiam rei promissæ, quæ est Lauretana peregrinatio: quantum autem ad modum illum honestati contrarium, nempe ire nudum sit irritum, & nullum. 2

Hinc, qui vouit ire Hierosolymam genibus flexis, aut cum rana rubeta in ore posita, tenetur ire, non tamen cum

3 cum his modis. Ratio est, quia substantia principalis promissa est peregrinatio, quæ est apta materia voti, modi autem sunt impossibiles. Ita Rodet.*p.2.sum.c.94.num.*1.Lop.*p.1. cap.* 44. & Emman. Sà *verb. votum num.*32.

QVÆSTIO CLXXVI.

An qui in die ieiunij votiui sciens esse ieiunium sumpsit ientaculum, siue cum culpa, siue absque culpa, teneatur eadem die ieiunare?

1 MOVET hanc difficultatem Nauar.*cap.*21. *nu.*47. cui respondet, non teneri, quia ieiunium iam est voluntariè violatum, nec potest illud reparari. Quod puto esse verum, si ille non posset reliquum diei sine cibo transigere, si enim id sine notabili incommodo posset, videretur teneri, quia ieiunium adhuc quoad vnicam comestionem seruari potest. Secus, si nesciens esse diem ieiunij mane comedat, quia tunc tenetur reliquo tempore ieiunium seruare, ac si nihil comedisset, vnde poterit hora consueta vesci. Ratio est, quia illa prior comestio cum non fuerit volita, non censetur per illam violatum ieiunium, Ita Sylu.*verb.ieiunium num.*21. Viualdus *de ieiunio nu.*60.& Nau.*loco supra citato.*

Putarem tamen ego hunc non posse in meridie prandere, aut sero cœnare, si, quia bonum ientaculum sumpsit, commodè posset reliquo diei abstinere, quia tunc absolutè posset seruare ieiunium quoad vnicam refectionem, quæ sola est de essentia ieiunij.

QVÆSTIO CLXXVII.

An causa vrbanitatis, vel hospitalitatis, mihi liceat aliquem ieiunio votiuo adstrictum inuitare, vt comedat?

NAVAR. *cap.*21. *nu.*24.ex Caiet. tenet id esse licitum, quia comestio est actus secundum se indifferens. 1

Sed oppositum est verius. Quia nemo potest inuitari ad id, quod sine peccato præstare non potest; atqui hic non potest sine peccato comedere vt suppono; ergo.

QVÆSTIO CLXXVIII.

An caupo peccet, si die ieiunij votiui, cœnam apponat? Quæstio intelligitur quando constat hospites ad ieiunium teneri.

RESPONDEO peccare, si id absque suo graui incommodo possit negare. Ratio est, quia tenetur impedire offensionem Dei, & lapsum proximorum: atqui in hoc casu non solùm non impedit, sed etiam cooperatur, præbēs illis instrumentum peccandi, quod potest negare. Quod arbitror esse verum, quando illi alibi cœnare non possunt; si enim alibi cœnaturi erant, nullum est peccatum in tali die cœnam apponere. 1

Idem dicendum est, si cœna negata, murmurando, conuitiando, maledicēdo grauius offensuri essent Deū, vt latè probat Gabr.*in* 4. *d.16.q.3.dub.6.*

Sed quid si excusatio sit dubia?

Respondeo vel hi commodè possunt de hoc interrogari, aut non. Si primum, sunt interrogandi, & iuxta quod responderint, faciendum. Si non possunt propter authoritatem personarum, præsumendum est, à ieiunio votiuo excusari. Ratio est, quia in dubio nemo præsumitur esse immemor suæ salutis: & dubia in meliorem partem sunt interpretanda. Et ita tenet Less. *lib.4.de iiun.c.2.dub.4.*

QVÆSTIO CLXXIX.

An peccet mortaliter, quem sui voti facti pænitet?

1 ANGELVS *verb. votum* 3. §. 13. & Angl. *de voto* censent eum peccare mortaliter.

Alij verò negant. Pro quo.

2 Primò dico, quòd qui dolet de voto à se facto, vt liberiùs peccare possit, peccat mortaliter. Ratio est, quia finis est mortalis. s. libertas ad peccandum; ergo talis pœnitentia est mortalis.

Secundò dico, quod qui ita dolet de suo voto, vt intendat illud non adimplere, & votum est de re graui, peccat mortaliter. Ratio est, quia habet propositum non seruandi votum; sed tale propositum est peccatum mortale contra obligationem voti; quia transgressio, & propositum eius, eandem habent malitiam; ergo.

Tertiò dico, quod qui ita dolet de voto, vt tamen habeat propositum illud exequendi, non peccat mortali-
3 ter. Ratio est, quia vouere non est de necessitate salutis: ergo qui dolet vouisse, nullum peccatum committit, quia contra nullum præceptum agit.

Tum quia potest quis sine peccato nolle vouere in futurum; ergo & nolle se vouisse: si quidem non dolet de actu, ad quem tenebatur.

4 Quartò dico, quod qui dolet se solemniter vouisse propter bonum finem, quia nimirum habet parentes necessitate oppressos, quibus extra religionem liberiùs subuenire posset, non peccat. Ratio est, quia talis pœnitentia est actus meritorius, quia finis est optimus.

Quintò dico, quod qui dolet de voto propter difficultatem, & tædium operis, & tædium est tantum, támque perseuerans, vt periculum probabile inducat non adimplendi votum, peccat mortaliter. Ratio est, quia *qui amat periculum, peribit in illo*; pecca- 5
bit tamen venialiter, si solum esset periculum languidius implendi votum; quia contra rationem est de bono admisso pœnitere, cum proprium pœnitentiæ obiectum sit res mala.

Sextò dico, quod quamuis talis dolor voti ex genere suo nullum sit peccatum, dolere tamen de votis essentialibus, & perpetuis religionis, putà castitatis, obedientiæ, paupertatis, aut aliis ita magnis, regulariter 6
semper est peccatum veniale. Ratio est, quia, regulariter loquendo, nunquam potest dari causa iusta, ob quam melius sit, ista vota non emisisse.

Tum quia est quædam in Deum ingratitudo dolere de tanto beneficio, de quo gratiæ maximæ essent agendæ.

Septimò dico, quod qui de voto facto dolet, quantum ad opera quæ ex voto fecit, præsupposito adhuc voto, id est, qui dolet se fecisse illa opera, ad quæ ex vi voti tenebatur, peccat mortaliter. Ratio est, quia stante 7
tali voto, illa opera sunt ad salutem necessaria; ergo qui se illa obseruasse dolet, peccat mortaliter. Secus si doleat de operibus factis ex voto, non tamen præsupposito voto, vt si doleat se professum esse, & tot annos in religione vixisse, non curans an huiusmodi operibus caruisset, qui dolor non est de obseruatione voti, sed de applicatione animi ad votum, solùm peccat venialiter.

Octauò, & vltimò dico, quod opus factum ex voto cum illa displicentia, dolore, dummodo adsit propositum adimplendi votum adhuc est magis meritorium, quàm si non fuerit ex voto. Ratio est, quia impletio voti est 8
actus religionis, quæ est potior virtus, quam

quam v.g. abstinentia, cuius actus est ieiunare. Vnde ieiunium ex voto factum, etiam cum aliquali tristitia, magis meritorium est, quàm illud, quod non fit ex voto D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *artic.* 6.

QVÆSTIO CLXXX.

An qui virginitatem vouit, si eam semel amisit, teneatur deinceps ex vi voti castitatem seruare?

1 RESPONDEO, si expressa intentio vouentis fuit se solum à primo actu libidinis abstinere, quia solummodo volebat sigillum virgineum sui corporis seruare, tunc eo semel amisso per primum actum, non tenetur de cætero castitatem seruare: quia materia eius facta est impossibilis, & castitas possibilis ex intentione vouentis non fuit sub voto comprehensa: vnde poterit licitè, & contrahere matrimonium, & petere, & reddere debitum si contrahit. Secùs autem si vouit absolutè virginitatem animo perpetuò eam seruandi; quia cum tale votum sit simpliciter negatiuum, putà de nunquam habendo turpitudinem veneream; etiamsi ea violata, votum fregerit, adhuc tamen tenetur se continere, atque adeò seruare in posterum castitatem: aliàs toties mortaliter peccat, quoties actum venereum exercet. Et in dubio de intentione, censendum est obligare ad perpetuam continentiam, quia votum suapte natura ad id obligat. Et ideò ita sustinent Caiet. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 3. Sotus *lib.* 7. *de iust. q.* 2. *art.* 1. Nauat. *in Man. cap.* 12. *nu.* 43. Valent. 2. 2. *disp.* 6. *q.* 6. *p.* 4. Arag. 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. Ludou. Lop. *p.* 1. *instr. consciss. cap.* 44. Roder. *p.* 2. *sum. casuum cap.* 4. 8. *nu.* 1. Azor. *lib.* 11. *cap.* 19. *q.* 14. & *c.* 21. *q. vlt.* & Sanch. *lib.* 9. *de matrim. disp.* 33. *nu.* 7.

QVÆSTIO CLXXXI.

An qui vouit se daturum eleemosynam Ecclesiæ, suo voto satisfaciat, erogato vno dipondio?

QVIDAM opinantur in hoc casu confugiendum esse ad iurisprudentis arbitrium, vt omnibus circunstantiis perspectis personæ vouentis, & causæ promittendi, explicet quantitatem præsumptam voti. Hinc ridiculum putant dicere Regem, qui ob causam grauissimam promisit se daturum eleemosynam, suo voto satisfacere, tradendo vnum dipondium. 1

Alij verò rectiùs docent hunc voto satisfacere, erogata quantumcumque minima eleemosyna. Ratio est, 2 quia in illo dipondio eleemosynæ ratio saluatur.

Tum quia vt quis etiam ditissimus iubilæum consequatur, sat est minimam eleemosynam largiri: vt cum Tab. Ledesm. & Petr. à Soto tenet Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 10. *nu.* 7.

Hinc, qui vouit indeterminatè se recitaturum orationem, abundè suo voto satisfacit, dicendo vnam salutationem Angelicam.

Hinc, qui vouit ieiunare, non determinans ieiuniorum numerum, sufficienter suo voto satisfacit, si vnam diem ieiunet.

Hinc, qui pluribus diebus se ieiunaturum, aut recitaturum promisit, nec certum numerum definiuit, suo voto satisfacit, si duobus diebus ieiunet, vel recitet. Ratio est, quia pluralis locutio duorum numero est contenta. *Regul. pluralis de Reg. iuris.* 3

QVÆSTIO CLXXXII.

An votum volendi Religionem ingredi, sit votum religionis?

1 RESPONDEO sicut aliud est facere, & aliud est velle facere *cap. ex parte de sponsal.* Sic aliud est vouere, & aliud velle vouere. Vnde is qui vouit volendi religionem, non vouet quidem religionem, sed promittit aliquando se habiturum animum ingrediendi religionem. Quare hic satisfaciet voto si aliquando eam bonam voluntatem habebit. Et ideo ita tenent Nauar. *lib. 3. consil. tit. de voto cons. 6.* & Azor. *lib. 11. cap. 22. q. 11.*

QVÆSTIO CLXXXIII.

An votum nolendi viuere in seculo, sit votum Religionis?

QVÆSTIO loquitur, quando non constat de vouentis intentione.
1 Respondeo non esse votum religionis. Ratio est, quia tantum est votum non eliciendi huius actus voluntatis, volo in seculo viuere. Quare satisfaciet ei voto habendo se negatiuè.

QVÆSTIO CLXXXIV.

An votum moriendi in religione, sit votum Religionis?

1 RESPONDEO esse votum religionis. Ratio est, quia nemo potest in religione mori, nisi illam profiteatur. Azor. *lib. 11. capit. 22. quæst. 11.*

QVÆSTIO CLXXXV.

An votum vitæ eremiticæ sit votum religionis?

RESPONDEO non esse votum religionis. Quia vita eremitica non requirit tria vota religioni essentialia. 1

QVÆSTIO CLXXXVI.

An qui vouit Religionem ingredi, suo voto satisfaciat ingrediendo ordinem equitum D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ, qui vulgo Commendatores appellantur?

NAVAR. Iuris Monarcha *lib. 3. consil. tit. de regular. consil. 10.* & *lib. de reddit. q. 1. num. 95.* Michaël Med. *lib. 4. de sacrorum hominum continentia cap. 39.* & Roder. *tom. 1. quæst. reg. q. 1. art. 8.* affirmant eum abundè satisfacere. Quia putant huiusmodi ordines militares esse verè, & propriè religiones. 1

Alij verò, vt Sotus *lib. 7. q. 5. art. 3.* Arag. *2. 2. q. 88. art. 11.* Molina *tom. 1. de iust. d. 141.* Azor. *lib. 13. cap. 3. q. 2.* & Roder. *2. p. sum. cap. 97. art. 8.* negant. Quia isti ordines verè, & propriè religiones non sunt, cùm eorum professores non absolutam, sed coniugalem castitatem voueant, nec absolutam obedientiam, & paupertatem. Huius opinionis videtur fuisse D. Thom. *2. 2. q. 186. ar. 4. ad. 3.* vbi ait, *illos viuendi modos secundum quos homines matrimonio vtuntur, non esse simpliciter, & absolutè loquendo religiones, sed secundum quid, in quantum s. in aliquo participant quædam, quæ ad statum religionis pertinent.* 2

Et hæc posterior sententia mihi plus placet: displicet tamen eius fundamen-

damentum, quia vt inferius dicemus
3 sunt verè, & propriè religiones; vouent enim eorum cultores castitatem, paupertatem, & obedientiam sub Regula à Sede Apostolica approbata, & quamuis hæc vota non sint de absolutis his rebus, vt in aliis religionibus promittuntur; at ipsa sedes Apostolica, cuius est religiones approbare, dispensauit, ne ita strictè emitterentur. Sed legitima ratio huius est, quia quãuis eas verè, & propriè religiones esse censeam, adhuc dicendũ est hunc non satisfacere voto religionis assumẽdo habitũ equitum S. Iacobi. Quia regulariter, qui religionem vouent, intendunt statum viuentium in communi, & alienum à tumultu, fastu, ac curis sæcularibus.

QVÆSTIO CLXXXVII.

An qui habet votum Religionis in communi, satisfaciat suo voto assumendo habitum equitum Melitensium.

1 ET quidem si ingrediatur religionem monialium, & clericorum in dicto ordine professorum in communi viuentium, certum est, hunc verè suo voto satisfacere. Quia isti veram vitam regularem in Monasteriis sub obedientia superiorum, instar aliorum religiosorum ducunt.

Sed tota difficultas consistit de religione prædictorum equitum commendatariorum, qui in domibus particularibus more sæcularium viuunt.

Arag. 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. Roder. 1. *p. sum. c.* 97. *n.* 8. & Azor. *lib.* 13. *cap.* 4. *q.* 4. affirmant hunc suo voto satisfacere.
2 Quia hi absque controuersia sunt verè, absolutè, & simpliciter religiosi, vtpote qui more aliorum, tria vota solemnia emittunt paupertatis, castitatis, & obedientiæ, sub Regula ab Ecclesia approbata, nimirum à Gelasio 2. *anno Domini* 1120 & ab Honorio 9. *an.* 1124. & in ipsis Pontificũ diplomatibus absolutè religiosi appellãtur.

At multò probabilius est, non satisfacere propter rationem adductam, & ita tenet Cord. *sum. q.* 148. 3

QVÆSTIO CLXXXVIII.

An qui strictiorem Religionem vouit, ingrediens postea laxiorem, peccet, & profitens maneat liberè

RESPONDEO hunc peccare mortaliter ingrediendo laxiorem. Quia minus præstat, ac soluit, quàm promisit. Nisi forte ea religio priuilegium habeat à sede Apostolica, vt tali voto obnoxios admittere possit. At vbi in laxiori professus est, manet omnino liber à voto strictioris religionis. Ratio est quia votum solemne in religione laxiori, quo quis se tradit religioni fortius est, quam votum simplex de intranda religione arctiori. Et ideò liberat à voto priori simplici, vt colligitur ex *cap. penult. de reg. in* 6. & tradit D. Th. 2. 2. *q.* 189 *ar.* 8. & Nau. *c.* 12. *n.* 48. 1

QVÆSTIO CLXXXIX.

An qui aliquam particularem Religionem vouit, licitè possit aliã illa arctiorẽ, & præstantiorẽ ingredi?

RESPONDEO possè. Ratio est, quia si non posset ingredi, eius votum esset maioris boni impeditiuũ: vt colligitur *ex cap. licet de Regular.* & tradit D. Tho. 2. 2. *q.* 189. *art.* 9. & Caiet. *ibid.* 1

QVÆSTIO CXC.

An qui certam aliquam Religionem vouit, possit in aliã æquè arctam propria authoritate transire?

RESPONDEO non posse. At si in ea æquè dura, & arcta profiteatur, 1
licèt

licèt peccet mortaliter, professio tamen rata est, & firma. Ita Nau.*Comm.* *4.de regul.num.*10. & Azor. *lib.*11. *cap.* 21. *q.* 12. Quod intelligitur quando non certo constat ea æqualitas, quia vt inferius in tractatu de commutatione dicemus, votum potest propria authoritate, in euidenter æquale commutari.

QVÆSTIO CXCI.

An qui vouit se ingressurum Religionem possit fieri Episcopus?

1 RESPONDEO quamuis religiosus professus possit fieri Episcopus, ille tamen qui religionis ingressum vouit, suum votum non implet, Episcoporum gradum suscipiendo, sed prius debet religionem ingredi, quàm Episcopus fieri, alioquin peccabit mortaliter pro vt expressè definitur *in cap. Per tuas de voto, & voti redemp.* & tradit Azor. *lib.* 11 *.cap.*22*.q.vlt.*

QVÆSTIO CXCII.

Ad quid teneatur qui absolutè Religionem vouit?

1 RESPONDEO qui simpliciter, & absolutè religionem vouit, ita vt intentio ipsius præcipuè sit se obligare ad religionem in genere, & secundariò ad hunc, vel illum ordinem determinatum, tan quam sibi magis conuenientem, tenetur prius conari, vt admittatur in illum determinatum, & si non admittitur, alios adire, vt votum suum impleat. Ratio est, quia hic virtualiter duplex votum emittit, vnum religionis vagè, & in vniuersum, alterum verò huius, vel illius ordinis: ergo si vtrumque impleri potest, implendum vtrumque est, nitendo prius in specialem illum ingredi, & non admissus quærendo alium. Secus autem esset, si aliquis præcipuè vouit ingredi religionem in hoc aut illo loco propter peculiarem conditionem eius; tunc enim exclusus ab illo, non tenetur alia loca adire. Ratio est, quia primaria intentio eius fuit ingredi in hunc locum, & ingressus religionis in genere fuit tantum secundariò intentus: cessante autem obligatione ad primarium, cessat ad secundarium. Et ideò ita tenet D.Tho. 2.2.*q.*88.*art.*3. Sot.*lib.*7.*q.*2.*art.*1. Nauar.*c.*12.*nu.*46. Tolet. *lib.*4. *cap.*17. *num.* 12. Arag. 2. 2. *q.*88.*art.*3. Valent. 2. 2. *d.*6.*q.*6.*p.*4. Lop.*p.*1.*cap.*44 Roder.*p.*2.*c.*97.*nu* 4. & Azor. *lib.*11. *cap.* 22. *q.* 1. quorum sententiam amplector quando ille ordo specialis est cæteris strictior. Nam si alius strictior sit, potest ad illum tanquam meliorem transire.

Si autem dubium sit, an vouentis 2 intentio fuerit se obligare ad religionem in genere, an potius ad aliquam determinatam, D.Tho. *in* 4.*d.*38.*q.*1. *art.*3.*q.* 1. *ad* 6. communiter receptus dicit teneri hunc eligere quod tutius est, ne periculo infringendi votum se exponat. Cuius opinio mihi placet, sed ratio displicet: nam vt supra dictum est, non semper tenemur sequi quod tutius est, sed sufficit vt pars quam eligimus sit tuta. Sed ratio legitima huius est, quia volentes dimittere sæculum, solent vt plurimum vouere religionem in genere, & ideò à communiori vouentium vsu præsumitur in hoc dubio votú sic emissum.

QVÆSTIO CXCIII.

An qui certam Religionem vouit, nec in ea admittitur, teneatur aliam adire?

PALVD. *in* 4.*d.*38.*q.*4.*art.*1. & Sot. 1 *lib.*8.*q.* 2. *art.*1. dicunt vouentem certam

certam religionem, nec in ea admissum teneri intrare aliam. Et probant, quia in eo voto implicitè vouetur dimissio sæculi:ergo tenetur modo sibi possibili à sæculo recedere,ingrediendo aliam religionem,si in speciali promissa repulsam patiatur.

2 At verissima sententia est,eum qui determinatè vouit certam religionem ob specialem ad hanc affectum, illam solummodo petere, & amplecti debere, cuius si fuerit repulsam passus, non teneri aliam religionem exquirere.Ratio est,quia ad id non se obligauit, quandoquidem limitata causa limitatum producit effectum. Ita D. Thom.2.2.*q*.88.*art*.3.*ad* 2. & *q*.189. *art*.3.Nauar.*cap*.12.*num*.48. Less.*lib*. 2.*c*.42.*dub*.5. & alij.

Et ad argumentum in contrarium adductum respondeo, quod licet in voto certæ religionis claudatur virtute dimissio sæculi, at ea non clau-
3 ditur absolutè, sed dependenter ab ingressu illius determinatæ religionis: si ergo is ingressus reddatur impossibilis, cessabit obligatio accessorij. *Reg.accessorium de Reg.iuris in 6.*

Hinc, qui ingressum certi Monasterij vouit, fortè quia in eo studium literarum viget, & in illud non admittitur, nullum aliud monasterium explorare tenetur etiam eiusdem religionis, quamuis obseruatione Regulæ præstantius. Ratio est, quia intentio vouentis non fuit ad amplius se obligandum.

Hinc, qui vouit aliquam determinatam religionem ingredi, & postea in se cognoscit aliquod impedimē-
4 tum,ob quod repulsam patietur: vt si v.g.vouit se ingressurum religionem, in quā non nisi homines ex spectabili genere admittuntur, & postea in se cognoscit talem ignobilitatem, ad nihil amplius tenetur. Quia votum iam factum est illi impossibile.

Hinc, qui certam religionem, vel aliquod singulare cœnobium vouit, & postea incurrit aliquem perpetuum morbum, per quem in eo non recipitur, voti vinculo est solutus. Ratio est,quia impossibilium nulla est 5
obligatio. Verum si impedimentum ob quod à religiosis talis monasterij recusatur, fuerit temporale, vouens cessante impedimento religionem intrare compellitur. Ratio est, quia sublato impedimento, nulla subest excusationis causa. Ita Sot. *lib*.7.*q*.2. *art*. 1.

Hinc, qui vouit tempore determi- 6
nato se transiturum ad religionem, vt intra hunc annum, vel certa die, non satisfacit huic voto,si illa die,aut vltima illius anni petat se admitti in religionem. Ratio est, quia nunquam eadem die potest admitti; cùm examen, & informationes debeant præcedere, & consulere oporteat Generalem, vel Prouincialem, quæ vnica die fieri nequeunt.

Quæ omnia procedunt,quantumcumque vouens non solum promiserit ingressum religionis, sed etiam perseuerantiam, & se professionem in illa facturum. Ratio est, quia tota hæc res dependet ex arbitrio Prælati, 7
cuius est eum religioni incorporare, aut repudiare; repudiando autem reddit impossibilem talis voti executionem, & consequenter tollit omnem illius obligationem.

QVÆSTIO CXCIV.

An voto Religionis satisfaciat, qui crimina patrat, ob quæ religionis ingressus sibi interdicitur?

RESPONDEO non satisfacere.Ra- 1
tio est; quia admittens scienter

impedimẽtum implendi votum, peccar contra votum. Ita Syluest. *verb. votum 3. fine.* & Ang. *verb. votum 1. nu. 12.*

Hinc contra religionis votum peccat, qui petit admitti, sed nutibus aut verbis, aut ipso petendi modo significat se desiderare non admitti. Ratio est, quia qui sic petit, non seriò petit, sed derisoriè petit: at votum religionis ligat vouentem ad faciendum quantum in se est, vt ad religionem admittatur. Secus si exteriùs nullo modo significaret interius suæ repulsæ desiderium.

QVÆSTIO CXCV.

An qui vouit Religionem in communi, teneatur omnia religiosorum cœnobia perlustrare, vt admittatur?

ET quidem certum est in primis, non teneri hunc totum Christianorum orbem peragrare, vt in religionem admittatur, vt rectè docet
1 Syluest. *verb. religio 2. q. 16.* Immò etsi vouisset se totum orbem exploraturum, donec admittatur, non teneretur ad id. Quia huiusmodi votum esset stultum, & de re impossibili. Vnde teneretur in hoc casu bonam orbis partem perlustrare, qua perlustrata iudicaretur prudenter fore, vt inde recusatus, recusaretur ab aliis.

Secundò, si is qui vouit, voluit ita religioni se obligare, vt recusatus à monasteriis suæ nationis, teneatur etiam exteras nationes adire, id vi voti præstare tenetur, vt per se non stet,
2 quo minus votum adimpleat. At si eius animus fuit tantum finitimos religiosorum ordines perlustrare, non tenetur petere externos. Ratio est, quia votum obligat tantùm secundùm intentionem vouentis.

QVÆSTIO CXCVI.

Punctus autem difficultatis cõsistit, quando non constat de speciali vouentis intentione.

ABVLEN. *cap. 30. num. q. 52* Nauar. *cap. 12. num. 48.* & Pal. *in 4. dist. 38. d. 1.* censent hunc non admissum à finitimis, & propinquis monasteriis, teneri ad remotiora, externáque se conferre, vbi sit aliqua probabilis spes quod recipietur. 1

Tolet. *lib. 4 cap. 17. nu. 12.* & Cosm. Philiar. *de off. Sacerd. tom 1. p. 2. lib. 3. cap. 1.* dicunt tantum hunc teneri in propria Ciuitate, vel prope tentare ingressum, nec oportere hunc perlustrare prouinciam.

Alij verò vt Sot. *lib. 7. q. 2. art. 1.* & Cai. *2. 2. q 88. a. 3.* docent hunc non teneri extra proprium regnum adire, vt admittatur. Pro quo.

Primò dico, quod qui religionem 2
vouit sine expressâ, vel tacita limitatione huius, aut illius ordinis, vel monasterij, non liberatur, ex eo ab obligatione sui voti, quod ad vnum aliquod monasterium accedens, passus sit repulsam, sed accedere tenetur ad alia, quæ voto suo pariter comprehenduntur. Ratio est, quia latiùs patet intentio taliter vouentis, quàm vouentis ingressus certi monasterij.

Secundò dico, quod si vouens sua culpa ad religionem non admittitur, tenetur tale impedimentum, in quantum potest tollere, rursúsque vrgere, vt recipiatur. Ratio est, quia qui vouet religionem ingredi, tacitè etiam vouet opportuna media ad hoc adhibere, & impedimenta, quantum in se est, amouere; alioquin non seriò, sed derisoriè videtur Deo religionem promisisse.

Tertiò dico, quod qui absolutè reli- 3
gionem

gionem vouit, non arctans se ad specialem ordinem, vel monasterium, si à religiosis sui Regni non admittitur, non tenetur extra proprium regnum, & linguam adire, vt admittatur, etiãsi certus sit, se ibi admittendum. Ratio est, quia nemo obligatur nisi ad moralem adimplendi voti diligentiam. At non est in more, vt quis exteras nationes perlustret, vt votum religionis adimpleat, nec id vouere solet. Nullus enim Italus vouens religionem intendit se obligare ad eundum in Galliam, aut Hispaniam cuius linguam ignorat, vt suo voto satisfaciat; ergo id tanquam medium extraordinarium, & excedens moralem diligentiam, & communem vouentium intentionem, & consuetudinem, vouentem non obligabit. Immò si in sua patria reciperetur in vna, vel pluribus religionibus, de quibus probabiliter credit quod si vouens tempore voti cogitasset, non obligasset se ad earum ingressum, non teneretur illas ingredi, quandoquidem ad eas specialiter, neque actu, neque virtute intentio ipsius se extendit.

4 Tum quia magna difficultas non cognita, nec præuisa vouenti, ac præter eius opinionem superueniens excusat à voti obligatione. Hæc autem est talis, nullus enim existimat se in suo regno non admittendum: & omnes grauissimum existimant debere causa huius ingressus exteras nationes perlustrare. Et ideò ita tenent Sot. *lib.7.q.2.ar.1.* Arag. 2 2 *quæst.88.art.3.* Valent. 2. 2. *d. 6. quæst.6. p.3.* Roder. *p.1.cap.97.nu.4.* Caiet. 2.2.*q.*88.*art.3.* Azor. *lib.11.cap.22. q.1.* & Emman. Sà *verb.votum in principio nu.12.*

Opinio autem Toleti potest admitti in solis fœminis vouentibus religionem. Quia communiter non solent extra proprias Ciuitates vagari, vt ad religionem recipiantur. Vnde optimè Caietanus, vbi supra, dixit adolescentulam, vel viduam quæ vouit religionem, & non admittitur in sua patria, vel prope, non teneri alia loca adire, vt admittatur.

QVÆSTIO CXCVII.

Quot Religiosorum monasteria teneatur explorare in suo Regno, qui ingressum in religionem vouit? 1

DOCTOR Nauar. *cap.12. num.* 48. Abulen. *cap.30. num. quæst.* 52. & Palac. *in* 4. *d.* 38. *d.* 1. dicunt teneri hunc omnia religionis illius quam vouit perlustrare.

Verùm dicendum est, si hic certi instituti nimirum sancti Bernardi religionem vouit, satis est, ac sufficit, si quinque, vel sex eius domicilia perlustret: quod si ab his non admittitur, probabiliter credere potest, se à cæteris quoque fore excludendum. Quod si religionem vagè, & indeterminatè vouit, satis est, si quinque vel sex diuersi instituti ordines in sua Prouincia vel Regno constitutos exquirat. Ita Caiet. 2. 2. *quæst.*88. *art.*3. Sot. *lib.*7. *quæst.* 2. *art.* 1. Arag. 2 2. *quæst.* 88. *art.*3. Valent. 2. 2. *d.6. quæst.6. p* 4. & Roder. *p.* 1. *sum.c.97.* 2

Quæ doctrina est intelligenda, si hic quinque, vel sex cuiuslibet ordinis, ex his, cœnobia perlustret. Quia perinde se habet hic respectu religionis in communi, ac vouens certi instituti religionem respectu illius instituti. Si ergo vouens certi instituti religionem, tenetur quinque, vel sex monasteria perlustrare, vouens religionem in communi, tenebitur totidem monasteria cuiuslibet ex illis quinque, vel sex ordinibus. Aliquando tamen sufficiet vnum 3

monasterium explorare cuiuslibet religionis, quando viri docti ac instituti illius religionis conscij, indicant illum in nullum illius religionis monasterium admittendum.

QVÆSTIO CXCVIII.

An si vouens Religionem in communi, non admittitur nisi in solam religionem arctissimam, vt Carthusianam, teneatur ad illam?

1 RESPONDEO non teneri. Ratio est, quia religio hæc arctissima specialem Dei vocationem petit: nec communiter à vouentibus apprehenditur. Sic Rich. *in 4. d. 38. quæst. 1. art. 5.* Angel. *verb. votum 3. num.* 10. Syluest. *verb. religio 2. q. 16.* & Arm. *verb. votum num.* 18.

Hinc, non est audiendus Abulens. *cap. 30. num. 9. qq.* vbi ait vouentem certam religionem, quia videt eius cultores laxè viuere, & ob id putauit suis viribus non imparem, teneri adhuc ad illam transire, etsi per reformationem fiat arctior, ac suis viribus
2 impar. Non est inquam audiendus, quia vt diximus notabilis rei mutatio à voti obligatione liberat.

QVÆSTIO CXCIX.

An vouens Religionem in communi, si in nullam aliam admittatur, teneatur ordinem equitum D. Iacobi Alcantaræ, Calatrauæ, & D. Ioannis intrare?

1 RESPONDEO non teneri. Ratio est, quia etsi verè, & propriè religiosi sint, vtpote qui tria solemnia castitatis, paupertatis, & obedientiæ vota in religione ab Ecclesia approbata emittunt. At in voto religionis vagæ, & indeterminatæ non comprehenduntur, vt supra diximus.

QVÆSTIO CC.

An semel repulsus teneatur aliquantulum expectare, vt in eam recipiatur?

RESPONDEO, si talis repulsio facta est ad tempus, eo quod causa, ob quam tunc non admittitur est temporalis, tenetur adhuc expectare, rursúsque vrgere. Quia non est simpliciter repulsus. At si repulsa facta fuit simpliciter, quia causa repulsæ est perpetua, non obligatur amplius expectare, sed omnino liber manet à voto. Quare quamuis postea religiosi velint eum ad religionem admittere, non tenebitur: quia quando duorum voluntas requiritur ad aliquem contractum, vno eorum renuente, alter liber manet ab obligatione contrahendi; alioquin toto vitæ curriculo teneretur ancipiti, & suspenso animo, nec posset vnquam ad nuptias transire, quod est absurdissimum. 1

Tum quia hæc voti obligatio tacitam habet conditionem, *Si facta diligentia morali, religiosi admittere voluerint*; cùm ergo conditio illa admissionis defecerit; deficiet quoque omnino voti obligatio. Et ideò ita tenent Caiet. *2. 2. q. 88. art. 3.* Val. *2. 2. d. 6. q. 6. p. 4.* & Azor. *lib. 11. cap. 22. q. 5.*

QVÆSTIO CCI.

An qui vouit Religionis ingressum, cum eam petit, propalare teneatur se Deo religionem vouisse?

Caiet.

1 CAIET. 2.2.*q*.88.*art*.3. affirmat hunc ad id teneri.

Mihi verò longè plus probatur contrarium. f. eum minimè ad id teneri, sed satis esse, si se admittendum curet. Ratio est, quia solum vouit se ingressurum religionem, nec vnquam se id voti patefacturum promisit: votum autem eiusmodi sub hac tacita conditione factum esse censetur, *Si me religio admittere velit.*

Tum quia qui rem aliquam vouet, non censetur se obligare ad omne medium, quod iuuare potest ad illius executionem, sed tantum ad media communia, & natura sua sufficientia: huiusmodi autem est petere bona fide, vt admittatur: explicare autem votum, e st medium extraordinarium, etsi eo manifestato sciret se admittendum. Sicut nec tenetur intercessores ad id obtinendum quærere, quamuis sciret id adiuturum ad receptionem. Et ita sentit Azor. *lib*.11. *cap*.22.*q*.9.

QVÆSTIO CCII.

An interdum sufficiat alicui passum esse repulsam à Generali, vel Prouinciali religionis quam vouit, vt censeatur omnino liber ab eo voto?

1 DOCTOR Nauar. *cap*.12.*nu*.61. negat id satis esse. Quia iure communi admissio, & refutatio volentis ingredi religionem ad Priorem monasterij cum consensu capituli pertinet: ergo non sufficit si Generalis, aut Prouincialis eum excludat.

Sotus *lib*.7. *q*.2.*art*.1. insinuat vouentem liberum esse à voto, si à Generali, vel Prouinciali passus est repulsam.

2 At ego satis esse censeo, in casu quo à Generali, vel Prouinciali repellitur, penes quos est totum ius admittendi, & creandi religiosos: aut in eo casu quo Generalis, & Prouincialis iustis de causis monasteriorum Prioribus iubeant, ne aliquos sine eorum expressa licentia in religionis ordinem recipiant. Aut in casu quo Generalis, & Prouincialis rationem sufficientem reddiderint, ob quam creditur probabiliter fore, vt nullum monasterium suæ religionis eum admittat.

QVÆSTIO CCIII.

An qui vouit ingredi certam Religionem, & postea inuenit eam quoad substantialia esse collapsam, teneatur eam ingredi?

RESPONDEO non teneri, si non sit spes in breui fore reformādam, secus si substantialia seruentur, quamuis non ita districtè, vt regularis obseruantia petit. Ratio est, quia in priori casu non meretur illa religionis nomen, nec est consilium illam ingredi ratione magni, ex impiorum sociorum familiaritate peruersionis periculi. Nisi fortè se sentiat adeò firmum, vt prudenter putet sibi non esse probabile periculum, quin potiùs speret se alios conuersurum. At in posteriori casu consilium est, & ea vita seculari præfertur. Caiet. 2.1. *q*.189.*art*.3. Nauar. *cap*.12.*num*.46. & Valent. 2.2.*d*.6.*q*.6.*p*.4. 1

Quare non approbo quod docet Emman. Sà *verbo votum in principio num*.11. vbi ait se non audere hoc affirmare. Quia illicitum est religionem illam ita collapsam, nec proximè reformandam ingredi, quamuis ab Ecclesia toleretur, & hoc ratione periculi peruersionis, quod ei imminet. Et ideò optimè Nauar. *cap*.12.*nu*.51. dicit 2

dicit peccare mortaliter parentes, qui filios vel filias educandas monasteriis ita deformatis tradunt.

QVÆSTIO CCIV.

An qui vouit Religionem in communi, & in vnam admittitur, quam postea iusta de causa deseruit, teneatur ex vi voti ad aliam transire?

1 RODERICVS 2.*p.sua summæ c.97. num.* 2. affirmat teneri, sicut in vnam religionem petitam non admissus, tenetur aliam petere.

Contrarium tamen est proculdubio affirmandum, nam hic non perseuerantiam, sed ingressum religionis vouit: ergo ingrediendo in vnam
2 bona fine, & ex iusta causa egrediendo, vt quia eius asperitates ferre nequeat, planè suo voto satisfacit.

Nec ratio Roderici concludit, quia nunquam admissus non impleuit votum. At semel ingressus, & ex causa iusta egrediens, abundè suo voto satisfacit.

Hinc, qui votum religionis determinatæ authoritate Apostolica commutauit in alterius religionis ingressum, & deinde ab illa, bona fide susceptа ob aliquam iustam causam re-
3 cedit, non tenetur amplius ad prius promissam, sed prorsus manet à voto liber. Ratio est, quia per commutationem obligatio prioris voti extinguitur, & illius loco succedit res, in quam commutatur, ac si de ea sola votum esset emissum.

Et idem censeo si ille morali diligentia religionem hanc in quam votum commutatur, petat, & in perpetuum repellatur. Quia eadem ratione voto satisfecit.

Hinc, qui votum laxioris religionis commutat propria authoritate in strictiorem, & postea hanc bona fide susceptam deserit ex iusta causa, aut 4
sufficienti diligentia apposita, ad illam non admittitur; non tenetur ad religionem priùs promissam transire, etsi ad illam admitteretur, sed prorsus liber manet à voto.

QVÆSTIO CCV.

An à Religione promissa, & semel suscepta expulsus ob iustam causam temporalem, teneatur ea cessante ex vi voti iterum ingredi?

RODER. *p.2. summæ cap.97. nu.5.* 1
affirmat hunc ad id teneri. Ducitúrque à simili, quia si hic in vnam religionem petitam admissus non est, tenetur aliam petere.

At oppositum placet. Nec est simile de petente admitti, & nondum admisso. Quia hic non censetur sa- 2
tisfecisse voto, quandiu est spes, vt in aliam religionem admittatur. At semel ingressum, & ex causa exeuntem dicunt vniuersi, implesse suum votum; non ergo tenetur cessante ea causa, ingredi.

Quod intelligo primò nisi votum sit perseuerandi in religione: tunc enim egressus, vel expulsus ex quantumuis iusta causa, aut impedimento temporali, tenetur his cessantibus ad religionem redire.

Intelligo secundò, nisi expellatur, 3
defectu alicuius conditionis requisitæ, iuxta eius religionis statuta; tunc enim expulsus tenetur ad aliam religionem migrare, quia vouens religionem vagè, tenetur ad illam, cuius est capax. Nauar. *lib.3. Consil. tit. de voto in 2. edit. cons.23.*

QVÆST.

QVÆSTIO CCVI.

An voto Religionis ligatus, & in vnam bona fide ingressus à qua sua culpa fuit expulsus, teneatur se corrigere, vt iterum admittatur?

1 TOLET. *lib.4.cap.17.num.12. & cap.18.num.2.* affirmat teneri. Azorius *lib.11.cap.22.q.9.* negat. At verò Sanch. *tom.2.operis moralis lib 4. cap.16.* has ambas opiniones sic conciliat. Si hic mediocrem diligen-
2 tiam apposuit ad se religionis instituto accommodandum, sed ex passione, prauáque consuetudine in pristinas culpas incidit, verior est opinio Azorij, quia hic bona fide expertus est religionem, & inuenit se esse religioni ineptum; si verò eam diligentiam non adhibuit, sed ex crassa negligentia in eas culpas ruit, verior est opinio Toleti.

QVÆSTIO CCVII.

An exclusus à Religione, cui se per votum simplex obligauit, teneatur in sæculo manens seruare ea quæ sunt religionis, nempe paupertatem, castitatem, & obedientiam?

1 ET quidem si is qui vouit religionem, per tale votum voluit se obligare ad omnia, quæ sunt religionis, id est, ad castitatem perpetuam, & ad alia religionis officia, etiamsi in illam non reciperetur, postquam passus est repulsam, tenetur in sæculo manens illa omnia seruare.

Secundò, si is qui vouit religionem, habuit animum ad nihil se obligandi, nisi in eam reciperetur, & 2
profiteretur, postquam passus est repulsam ad nihil obligatur. Ratio est, quia obligatio voti non extenditur vltra intentionem vouentis. Hæc itaque certa sunt.

QVÆSTIO CCVIII.

Sed controuersia est, quando qui repulsam tulit, absolutè vouit religionem, & nunc dubitat, quænam fuerit eius voluntas, an talis non admissus, aut reiectus teneatur in sæculo manens, castitatem & alia Religionis onera seruare?

PALVD. *in 4.d.38.q.4.art.1.num.9.* 1
ait non admissum ad religionem, cui se per votum obligauit, teneri in sæculo viuere non sæculariter.

Innoc. *cap. Porrectum de regul.* censet hunc teneri votum religionis in manu Episcopi emittere, & intra domum suam religiosè viuere.

Host. *dicto cap. Porrectum num. 14. de regul.* Anchar. *Cap. qui post votum initio notab.1. eod. tit.in.6* & ibi Fran- 2
cus *num. 1.* dicunt hunc qui religionis voto emisso non admittitur, sed in perpetuum repulsam patitur, teneri sub Episcopi obedientia manere in sæculo, & eius religiosum esse.

At verissima sententia est, eum qui ingressum religionis vouit, ad quam siue ex culpa sua, siue citra culpam suam non est admissus, aut post ingressum est reiectus, non teneri in sæculo castitatem, aut alia religionis officia præstare, sed posse ad matrimoniũ transire. Ratio est, quia qui simpliciter promisit religionẽ, nullo modo paupertatem, castitatem, obediẽtiam, & alia illius ordinis munera promisit, 3
sed solum promisit se hæc solemniter

promissa

promiſſurum, ſi admiſſus fuerit. Vnde nec admiſſus, ad hæc tenetur, ſed ſolùm ad votum horum peracto anno probationis faciendum, quo facto tenebitur. Nam ſicut qui vouit ſe emiſſurum votum ieiunij, non tenetur ieiunare, antequam promittat: ita qui vouit religionem, non tenetur Regulam, ac alia religionis officia pręſtare, quouſque per votum ſolemne religionem ſuſcipiat.

Similiter qui vouit ordinem ſacrum ſuſcipere, quamuis peccet, non ſuſcipiendo ordinem, non tenetur tamen diuinum officium perſoluere, & caſtitatem ſeruare, quouſque verè ordinem illum ſuſcipiat: & qui vouit religionem Chriſtianā amplecti, quamuis peccet non ſuſcipiendo Baptiſmum, non tenetur tamen alia Eccleſiæ ſacramenta, ac præcepta ſeruare ante Baptiſmum verè ſuſceptum: ergo qui religionem vouit, non tenetur caſtitatem aut alia, quæ ſunt religionis, præſtare, priuſquam eam per ſolam profeſſionem ſuſcipiat. Et ideò ita ſentiunt Illuſtriſſimus Caiet. 2. 2. *q. vltima art.* 3 Nauar. *c.* 12. *num.* 47. & 48. Azor. *lib.* 11. *c.* 12. *q.* 3. & alij communiter. Quod etiam eſt verum, licèt fuerit perſeuerandi votum, vt rectè docet Nauar. *eo nu.* 47.

4 Hinc, ſi is qui votum religionis emiſit, antequam profeſſionem emittat, cum muliere commiſceatur, ſolum peccat peccato fornicationis, aut adulterij, non autem ſacrilegij, cùm non vouerit caſtitatem, ſed tantum religionem.

Hinc, ſi talis vxorem ducat, & matrimonium conſummet, non peccabit petendo, ac reddendo debitum, quia nondum eſt religionem profeſſus: peccauit tamen mortaliter, tam matrimonium contrahendo, quam ipſum primò conſummando, vt rectè docet D. Thom. *in* 4. *d.* 38. *q.* 2. *art.* 1. Quia conſummando ſe inhabilem reddidit ad votum religionis implendum, cùm matrimonium ratum, & conſummatum per ingreſſum religionis non diſſoluatur. Mortua tamen vxore, tenetur religionem intrare, quia cum obligatio voti non tollatur per matrimonium, ſed tantum impediatur, ſublato impedimento, votum in ſua vi, atque obligatione manebit: niſi fortè per ætatem, vel corporis diſpoſitionem, religioni factus ſit ineptus, aut non poſſit niſi difficillimè religionis illius auſteritates perferre. Ratio eſt, quia non videtur rebus ita notabiliter mutatis ſe voluiſſe ad hoc obligare. 5

QVÆSTIO CCIX.

Ad quid teneatur, qui in ſæculo vouit cuidam Priori paupertatem, caſtitatem, & obedientiam?

ET quidem certum eſt, hunc non teneri ingredi religionem, quia id non promiſit. 1

Secundò, certum eſt, hunc teneri paupertatem, & caſtitatem in ſæculo ſeruare, vt rectè docet Nauar. *lib.* 3. *conſ. tit. de voto conſil.* 9.

Sed totalis eſt de obedientia.

Nauar. *vbi ſuprà* negat. Quia id obedientiæ votum non fuit legitimè acceptatum à prædicto Priore.

Sed multò verius exiſtimo, teneri hunc quoque ad obedientiam. Et ratio eſt, quia ſola religionis profeſſio indiget acceptatione Prælati, vtpote quæ eſt mutuus contractus. At obedientia in ſæculo ſeruanda acceptatione non indiget, quia id votum, ſicut & alia duo paupertatis, & caſtitatis, emiſſum eſt Deo, in eius gloriam, & honorem, & non illius Prælati gratia, aut quaſi cum ipſo contrahendo. 2

QVÆST.

QVÆSTIO CCX.

An vouens Religionem vt sit Sacerdos, & non admittitur, nisi vt sit conuersus, vel è contra, teneatur ingredi?

1 AD hoc dico primò, quod si is qui vouit religionem, proposuit illius esse ordinis, qui ad sacerdotium deputatur, ad quod se promouendum putabat, si non admittitur, nisi vt sit conuersus, manet à voto liber. Ratio est, quia vltra vouentis animum obligatio voti non se extendit, sic enim tenet Sot. *lib.7. q.2. art.1.* Arag.*2.2.q.88.art.3.*& Azor.*lib.11.cap.22.q* 4.

Secundò dico, quod si is qui votum religionis emisit, solùm gradum conuersorum cogitauit, fortè ob maiorem sui submissionem, vel causa vitandi labores studiorum, aut scrupulos ex auditis confessionibus consurgentes, & nūc non admittitur, nisi ad statum Sacerdotum, à voti obligatio-
2 ne est liber. Ratio est, quia votum vltra intentionem vouentis obligare nequit. Et hæc certa sunt, quando intentio vouentis fuit comprehensa sub voto, ita vt eius animus fuerit eo solo modo, & non aliter se obligare.

Sed quod in dubium vertitur est, quando intentio vouentis non fuit comprehensa sub voto, ita vt sic, & non aliter velit se obligare, nec etiam contrarium decreuit, nempe velle se quomodocumque obligare.

3 Ad hoc dico primò, quod si is qui religionem vouit, existimauit se ad Sacerdotium promouendum, non tamen limitauit votum ad illud, nec contrarium decreuit, quia ad hoc non aduertit, si non admittitur ad ordinem Clericorum; non tenetur ingredi vt sit conuersus. Ratio est, quia ingredi ad statum conuersorum est notabilis mutatio reddens rem multò difficiliorem, quàm tempore voti existimabat vouens, ac proinde à voti obligatione liberat.

Secundò dico, quod si is qui votum religionis emisit, existimauit tempore voti, se recipiendum ad ordinem conuersorum, idque volebat ob maiorem sui submissionem, si ad hunc ordinem non admittitur, tenetur ingredi, vt sit Sacerdos. Ratio est, 4
quia non est mutatio notabilis, quæ à voto deobligat.

Tertiò dico, quod si vouens volebat esse in ordine conuersorum, quia valdè difficile sibi existimabat choro, & studiis vacare, non tenetur ingredi vt sit Sacerdos, si alio modo non admittitur. Ratio est, quia est notabilis mutatio, & notabilis difficultas, quæ vt dixi à voto excusat.

QVÆSTIO CCXI.

An qui vouit Religionem ingredi, & in eam non recipitur, quia indoctus, aut quia nullum scit artificium, teneatur literas, vel artificium addiscere, vt in eam admittatur?

AD hoc primò dico, quod si is qui Religionem vouit, credidit 1
se ad Sacerdotum ordinē promouendum, sciuitque non aliter se ad hunc statum admittendum, nisi linguam Latinam calleat, proculdubiò tenebitur, vel Grammaticam addiscere, vt ad eum admittatur; vel habitum conuersorum suscipere, vt voto satisfaciat. Quia implicitè promisisse censetur media, quæ ad eum obtinendum exigi nouit, vt tenent Sot. *lib 7.q.2.art.1.* Arag.*2.2. q. 88.art.3.* & Azor.*tom.1. lib.11.cap.22.q* 4.

Quod dictum intelligitur primò

nisi putarit tempore voti, esse necessariam Grammaticam, addiscendam tamen intra religionem; si enim religio nolit eum ad clericorum gradum admittere, nisi in sæculo eam addiscat, non tenetur ingredi, quia superuenit magna difficultas ignorata.

Secundò intelligitur, si facultas discendi linguam Latinam suppetat, aliàs enim excusabitur à voto, ratione impotentiæ moralis. Nec hic tenebitur ingredi in ordinem conuersorum, quia excedit suam intentionem.

Secundò dico, quod si is qui vouit, proposuit illius esse ordinis, qui ad Sacerdotium deputatur, bona fide credens, ad hoc non requiri literas, si id postea ab eo requiratur, non tenetur ex vi voti literas addiscere, si aliàs non admittitur. Quia est notabilis mutatio superueniente magna difficultate ignorata. Nec tenetur ad statum conuersorum transire, sed omnino manet à voto liber. Ratio est, quia id non vouit.

3 Et idem dicendum est de ignorante eas requiri, vel dum vouit, non meminit huius obligationis. Quia ignorantia inuoluntarium inducit. In dubio autem an vouens sciuerit, vel ignorauerit literas esse necessarias, præsumendum est id non ignorasse, quia pauci sunt, qui ignorant linguam Latinam esse ad sacerdotium necessariam.

Tertiò dico, quod si is qui religionem vouit, solum gradũ cõuersorum cogitauit, credens bona fide non esse necessarium scire aliquod artificium, non tenetur ex voto illud addiscere,

4 vt admittatur. Quia est notabilis mutatio à se incognita. Si vero sciuit id requiri, tenetur addiscere, quia implicitè censetur illud vouisse. Quod Arag. 2.2.q.88.art.3. intelligit etiam si artificium sit facile scitu. Cui etiam fauet Azor. lib.11.c.22.q.4. vbi absolutè dixit non teneri illud addiscere.

Sed melius Sot. lib.7.q.2.art.1. dixit, si artificium illud sit scitu difficile: quia quando de facili addisci potest, non est notabilis mutatio. Si autem dubium sit, an sciuerit, vel ignorauerit id artificium requiri, iudicandum est à communiter contingentibus id ignorasse. Quia pauci sunt, qui sciunt id esse ad statum conuersorum necessarium.

QVÆSTIO CCXII.

An is qui Religionem vouit, sciens se ineptum esse ad discendum linguam Latinam, teneatur ad gradum conuersorum ascendere?

RESPONDEO teneri. Ratio est, quia appositio conditionis impossibilis, quamuis faciat, vt nullum sit votum, quantum ad ingressum in ordinem clericorum; ne tamen delusorium omnino sit, valebit quantum ad ingressum in ordinem conuersorum, tenebiturque vt conuersus ingredi. 1

QVÆSTIO CCXIII.

Sed quid, si hic tempore voti de neutro gradu cogitauit, & non admittatur nisi ad statum conuersorum?

RESPONDEO in hoc casu spectandam esse primò tacitam mentem ipsius: si enim ita erat affectus ad religionem, vt si id ipsum cogitasset, nihilominus eam vouisset, tenebitur ex voto habitum conuersorum suscipere. Quia tunc virtualem habuisset intentionem ad id tacitè vouendum. 1

Secundò, spectandam esse conditionem

tionem, & qualitatem vouentis v. g. si sit iuuenis, nobili genere natus, vel mediocriter literatus; & hic si non admittitur, nisi ad statum conuersorum à voti obligatione est liber. Quia prudenter iudicari potest; si hoc dum vo-
2 uit, ei in mentem venisset, nunquam tale votum fecisset. Si verò vouens est ignobilis, & linguæ Latinæ ignarus, tunc tenetur ingredi vt sit conuersus, si alio modo non admittitur. Quia probabiliter præsumitur statum conuersorum intendisse.

Idem dicendum est, si religio nolit eum admittere, nisi ad ordinem Sacerdotum, & ipse his omnibus conditionibus caret, estque bubalus: puto enim eodem fundamento non teneri ingredi vt sit Sacerdos. Quia huiusmodi bubali communiter vouent, vt sint conuersi, & ad eum statum admitti solent, & est valde difficile in religione studio vacare: ergo qui sic vouit, censetur implicitè vouisse, vt sit conuersus.

3 Hinc, si vouens iis dotibus, & conditionibus præditus sit, vt soleat ad altiora literarum studia admitti, non tenetur is religionem ingredi, si solum admittatur, vt Grammaticam addiscat. Quia attenta vouentis conditione, censetur in suo voto inclusa conditio, ***Si ad ea studia admittatur, ad quæ persona suæ conditionis admitti solent.***

QVÆSTIO CCXIV.

An qui vouit Religionem ingredi, ex vi voti teneatur perpetuò in religione perseuerare, & profiteri?

1 IN qua re primo certum est, quod si vouens solum intendit expresse se obligare ad religionis ingressum, causa experiendi, cum expressa intentione gaudendi libertate exeundi tempore nouitiatus, non tenetur ex vi voti perseuerare, & profiteri. Ratio est, quia votum cum sit voluntarium non obligat vltra intentionem vouentis: & ita potest intra annum probationis religionem quam elegit relinquere, eo solo quod ea vitæ norma ei displiceat. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 189. *art.* 4. Nauar. *cap.* 12. *num.* 47. & Arag. 2. 2. *q.* 88. *art.* 3.

Secundò certum est, quod si vouens dum vouit, solùm de ingressu cogitauit, absque eo quod cogitaret de libertate exitus, vel de perpetuitate remanendi, solùm videtur obligari ad ingressum Religionis secundum formam iuris communis, quæ est, vt ingredientibus detur annus probationis: vnde non tenetur perpetuò perseuerare, sed poterit è Monasterio 3
exire, si intra annum, inuenerit bona fide illum viuendi modum sibi non expedire. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 189. *art.* 4. & Caiet. *ibidem* Sot. *lib.* 7. *q.* 2. *art.* 3. Nauarr. *cap.* 12. *num.* 47. Arag. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 3. Azor. *lib.* 11. *cap.* 22. *q.* 6. & alij.

Tertiò certum est, quod si promittens, dum vouit non solùm voluit se obligare ad ingressum Religionis, sed etiam proposuit in ea remanere, si intra annum nouitiatus videt Religionem non sibi conuenire, liberè potest exire, etiamsi nulla alia de causa moueatur, quam quod ille status ipsi displiceat, tanquam sibi incommodus, asper, & durus. Ratio est, quia 3.
cum tale propositum non comprehendatur sub voto, non tenetur vouens profiteri. Nauar. *cap.* 12. *num.* 47.

Idem dicendum est de eo, qui vouit se fore Religiosum, quia nisi aliud intellexit in mente sua, non cogitur in Religione permanere. Quia tale

votum non est de perpetua, & perfecta Religione, sed de ea, quæ est intra annum probationis, atque ita satis erit, si secundum iuris dispositionem probationis experimentum faciat, an illa viuendi formula sibi expediat. Ratio est, quia votum cùm sit voluntarium, solùm obligat secundum vouentis intentionem.

Sed tota difficultas consistit, an etiam possit intra annum probationis exire à Religione, qui vouit non tantum ingredi, sed etiam in ea perseuerare, & profiteri, sicut poterat solo ingressu promisso.

D.Thom. 2.2.*quæst*.189.*ar*.4.& ibi Caietan. Nauar.*cap*.12.*nu*.47. Couar. *de pactis* 1.*p*. §.3.*ad finem*. Valent.2.2. *d*.6.*q*. 6 *p*.4. Azor. *lib*.11. *cap*.22. *q*.8.
5 Roder. 2.*p*. *cap*.97.*num*.7. & alij docent teneri hunc ex vi voti perseuerare, & profiteri, & ideò non liberari voto egrediendo, sed teneri iterum ingredi, ac profiteri. Ratio est, quia hic duo promisit, nempe ingressum & perseuerantiam; non ergo solo ingressu satisfacit, nisi perseueret, & profiteatur.

Tum quia vouendo perseuerantiam videtur cedere iuri, quod tempus probationis sibi concedit. Vnde exire non potest sine dispensatione. Immo secundum Nauar. surreptitia esset dispensatio, si sic vouens solùm exprimeret se vouisse Religionem, & subticeret, quod vouit etiam profiteri.

Alij verò vt Sot. *lib*.7.*quæst*.2.*ar*.1. Arag.2.2.*q*.88.*art*.3. Petr.de Ledesm. 2.*to*. *sum*. *tract*.10. *cap*.3. Emman. Sa
6 *verb*.*votum num*. 13. & multi alij docent hunc non obligari ad amplius, quàm eum qui solùm vouit ingredi, hoc est ad bona fide experiendum, an Religionis status sibi sit conueniens: & si iudicet bona fide illum minimè conuenire ob asperitatem, vel aliam causam, poterit absque peccato ab ea exire, absolutúsque manebit à voti obligatione. Ratio huius est, quia qui vouet Religionem absolutè, etiam tacitè vouet in ea profiteri. nam ingredi Religionem est fieri religiosum: hoc autem professionem includit; ergo est eadem ratio vtriusque.

Deinde, votum ingrediendi Religionem ex dispositione iuris humani includit hanc tacitam conditionem: *Si bona fide intra annum probationis deprehenderit eam sibi congruere*, ad hoc 7
enim datur annus probationis: vnde quamuis quis vouear perpetuò perseuerare, & profiteri, poterit licitè ab ea exire, si experimento, bona fide, didicerit, non sibi formam illam viuendi conuenire.

Tandem Concl. Trid. *sess*.25.*cap*.15. *de regul*. irritam decernit professionem ante annum probationis expletum, ne sadimatur nouitio potestas retrocedendi, si intra annum inuenerit eam vitæ normam sibi non conuenire. Et *in cap*. 16. inualidat omnem renunciationem, & obligationem etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscumque causæ piæ factæ ante annum probationis. Vnde mens dicti Concil. est, vt nemo possit etiam si velit, prædicto priuilegio se priuare: ac proinde nec potest absolutè ante professionem facere votum validum perseuerantiæ, quo se eodem priuilegio priuet: sed omnis talis vo- 8
ti promissio intelligenda est sub ea conditione tacita, si bona fide deprehenderet illum ordinem sibi congruere. Et sic qui vouit religionem ingredi, & perpetuò in ea perseuerare, ac profiteri, potest tuta conscientia retrogredi, si bona fide intra annum probationis putet eam sibi non conuenire.

***

QVÆST.

QVÆSTIO CCXV.

An qui vouit se Religionem ingressurum, possit sine peccato intra annum probationis absque vlla causa iusta ab ea exire?

1 ET quidem si vouens solum voluit se obligare ad ingressum religionis causa experiendi illam, num sibi placeat, vel non, reseruata libertate remanendi, vel egrediendi; tunc non tenetur ex vi voti perseuerare, sed illi satisfacit, ingrediendo bona fide, causa experiendi, etsi postea absque causa iusta egrediatur. Et in hoc omnes conueniunt.

QVÆSTIO CCXVI.

Sed dubium est, quando is votum Religionis emisit, nil prorsus de exeundi libertate determinãdo: An s. hic suo voto satisfaciat ingrediendo bona fide, causa experiendi austeritates religionis, & postea absque iusta causa nempe leuitatis, & temeritatis retrocedendo.

1 DOCTOR Nauar. *lib. 3. consil. tit. de voto in 2. edit. cons. 25. num. 1. & in Man. cap. 12. num.* 47. & Palac. *in 4. d. 38. d. 1.* tenent hunc satisfacere voto.

Azor. *lib. 11. cap. 22. q. 6.* putat hunc solum peccare venialiter, si absque vlla iusta causa ab ea retrocedat, eo quod temerè, & quadam animi leuitate ab incœpto proposito desistat, sed contra votum minimè delinquit. Quia ius ei relinquit liberrimum egressum.

At vero Caiet. 2. 2. *q. vlt. art.* 4. Sot. *lib. 7. q. 2. art. 1.* Arag. 2. 2. *q. 88. art. 3.* Tolet. *lib. 4. cap. 17. num. 12. & cap. 18. num. 1.* Less. *lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 3.* Valent. 2. 2. *disp. 6. q. 6. p. 4.* Roder. *1. p. sum. cap. 97. nu. 2.* Couar. *de pactis 1. p.* §. *3. ad finem.* & Cosm. Phil. *p. 2. lib. 3. cap. 20.* rectiùs docent, hunc non satisfacere voto egrediendo absque iusta causa; & ideò si ea Religio experta ei placuerit, tenebitur sub mortali in ea perseuerare, & profiteri: & si postea absque causa iusta egrediatur, tenetur iterum ingredi. Ratio est, quia ingressus absque intentione perseuerandi est vanus, & inutilis, ac proinde inepta materia voti: ergo qui tali voto ligatur, tenetur in ea perseuerare, & sic desistendo absque iusta causa, suo voto non satisfaciet. 2

Tum quia eam libertatem retrocedendi ius concedit nouitiis ingredientibus absque voto, non autem cum voto. In dubio autem an is promiserit hoc vel illo modo, præsumendum est hoc posteriori modo ex communiter accidentibus, ac proinde non posse absque iusta causa retrocedere. 1

QVÆSTIO CCXVII.

An qui Religionem vouit, suo voto satisfaciat si absque vllis probationis experimentis statim à Religione recedit?

AD hoc dico primò, quod qui vouit Religionem ingredi, vt statim exeat, peccat. Ratio est, quia qui vouet, vt exeat, vouet ob malum finem: ergo peccat. 1

Secundò dico, quod qui vouit religionem ingredi eo animo vt statim exeat, potest absque vlla experientia statim ac ingressus est, exire. Ratio est, quia cum tale votum sit de re illicita, in conscientia nullam vim habet.

Tertiò dico, quod qui simpliciter habet votum ingrediendi religionem,

& illam ingreditur animo statim exeundi, non satisfacit voto, sed tenetur voluntatem mutare, & bona fide experiri, num illud religiosæ vitæ in-
2 stitutum sibi conueniat: & si deprehenderit illud sibi conuenire, ex vi voti tenetur solemnem professionem emittere. Ratio est, quia qui vult aliquid, eo ipso implicitè vult omne id, sine quo id esse non potest: atqui votum ingrediendi Religionem, sine animo remanendi, vel experiendi, sed statim recedendi, propriè non est votum, cum sit malum: ergo eo ipso quod quis religionem vouit, vt suo voto satisfaciat, tenetur non solum ingredi, sed etiam habere animum experiendi, an vita religiosa sibi conueniat, cùm talis experientia sit quid essentiale voti ingrediendi religionem.

3 Dices, qui iurauit soluere vsuras, satisfacit iuramento soluendi illas, cum animo vt statim eas in iudicio repetat, *cap. Debitores de iureiurand.* Similiter qui iurauit contrahere matrimonium, satisfacit iuramento, etiam si eo animo contrahat, vt statim Religionem ingrediatur. *Cap. Commissum de spons.* ergo pari ratione satisfacit voto ingrediendi religionem, qui eam intrat animo statim exeundi.

Respondeo disparem esse rationem, quia in prædictis casibus intentio est de re licita: si quidem post solutas vsuras, illas repetere, & post matrimonium ratum, nondum consummatum ingredi Religionem, licita sunt
4 de se. At verò post votum Religionis velle statim exire absque vlla experientia, de se illicitum est, cùm sit ob malum finem.

QVÆSTIO CCXVIII.

An si Nouitius dum in anno probationis austeritates Religionis experitur, sua culpa eiicitur, aut ante ingressum peccatum aliquod committit, ob quod in monasterium non admittitur, suo voto ingrediendi religionem satisfecisse censeatur?

RESPONDEO si hic ideò peccat, vt ad Religionem non admittatur; aut vt ingressus, ab ea eiiciatur, non solum peccat mortaliter talia impedimenta apponendo, sed etiam expulsus non manet tutus in conscientia, nisi bona fide iterum ingredi petat; & admissus bona fide experiatur, quia iniustè, & cum dolo curauit, vt non admitteretur, aut vt ingressus excluderetur. Secus autem si non eo animo talia crimina commisit, sed ex praua consuetudine, aut ex humana fragilitate, quia tunc quamuis peccet, non admissus tamen aut post ingressum eiectus, liber manet à voto. 1

QVÆSTIO CCXIX.

Quænam sint iustæ egressus causæ, vt vouens Religionem, egrediénsque censeatur voto satisfecisse?

CAIET. 2. 2. *quæst. vlt. art.* 4. & Nauar. *cap.* 12. *num.* 47. censent esse legitimam causam, solam Religionis displicentiam. 1

Couar. *de pactis* 1. *p.* §. 3. *ad finem* censet esse iustam causam, si is Religionem ingressus inuenit eam non esse sibi commodam, aut gratam.

Sanch. *lib.* 4. *decalogi cap.* 16. existimat non requiri valde vrgentem causam, sed mediocrem, & talem, qualis sufficeret, ne leuitatis argueretur egrediens è Religione. 2

At

At verò Maior. *in 4. d. 38. q. 2. fine* ait, esse causam sufficientem, si vouens inueniat Religionem esse suis viribus impatem.

QVÆSTIO CCXX.

An Religionem ingressus absque voto, possit licitè sine causa iusta ad sæculum redire?

1 NONNVLLI putant licere. At Illustrissimus Caiet. 2. 2. *q.* 189. *art.* 4. rectiùs docet eum peccare venialiter, eo quod temerè, & quadam animi leuitate, ab eo quod cœpit vitæ instituto desistat.

QVÆSTIO CCXXI.

An votum sub conditione factum, sit validum & obligatorium?

1 PRo huius quæsiti decisione obseruandum est primò, quod conditio aliquando est affirmatiua, vt, *si Deus dederit mihi sanitatem, ingrediar religionem.* Aliquando est negatiua, vt, *Si non castitatem seruauero.*

Rursus, conditio alia est præteriti, aut præsentis temporis, vt *si filius meus modo viuit, vel heri vixit*, quæ tamen propriè conditio non est, cum consensum vouentis non suspendat. Alia est de futuro, quæ verè, & propriè conditio est. Et hæc alia est necessaria, & alia est contingens: & hæc alia honesta, & alia turpis: & ex turpibus, quædam sunt quæ contra voti substantiam pugnant, aliæ verò minimè.

2 His suppositis, ad propositam quæstionem respondeo affirmatiuè, si conditio voto adiecta est honesta, & possibilis, & in præteritum, aut in præsens tempus confertur. Ratio est, quia talis conditio non suspendit voti valorem, nec illud conditionale reddit, sed si ita in re contingit, statim obligat votum: si autem non ita contingit, minimè obligat votum deficiente conditione. Et ideò ita tenet Azor. *tom. 1. Inst. mor. lib. 11. cap. 15. q. 9.*

QVÆSTIO CCXXII.

An votum sub conditione necessaria factum, sit statim validum, & obligatorium; vt si quis promittat ingredi religionem, si sol ab hinc duobus annis orietur?

RESPONDEO esse statim validum & obligatorium. Ratio est, quia cum ea conditio sit necessariò per naturam euentura, habetur statim pro impleta. 1

QVÆSTIO CCXXIII.

An votum factum sub conditione contingente futuri temporis, & honesta, sit validum & obligatorium? Vt si quis dicat, voueo Religionem, si filius meus ex Sicilia sanus redierit.

RESPONDEO esse validum, & firmum, & expleta conditione esse seruandum. Ratio est, quia ea est conditionis natura, vt actus valorem suspendat, quousque ea impleatur: & nullo iure reiiciuntur à voto conditiones honestæ, & possibiles. Nec satis est partem cōditionis impleri, sed integrè conditionem impleri oportet, vt votum obligandi vim habeat. Vt si voueas religionem, *si pater tuus diues ex Sicilia redierit*, & redeat pediculis plenus, non teneris ingredi religionem. 1

QVÆST.

QVÆSTIO CCXXIV.

An votum sub conditione impossibili factum, sit validum, & obligatorium, vt si quis voueat se ingressurum religionem, Si cœlum digito tetigerit?

1 COsm. Philiar. *de off. Sacerd. tom. 1. lib. 3. cap. 21.* tenet valere, sicut valet matrimonium sub tali conditione contractum *cap. final. de condit. appos.*

Azor. *lib. 11. cap. 15. q. 9.* tenet esse validum in foro externo, non autem in foro interiori.

2 At dicendum est absolutè tale votum esse irritum, & nullum. Ratio est, quia vouens sub tali conditione non vult obligari, nisi ea existente; ergo quando conditio nequit existere, non manebit voto obligatus. Et ideò ita tenent Rich. 4. *d. 38 q. 1. art. 1.* Palud. 4. *d. 38. q. 3. art. 2.* Suppl. Gabr. *ibidem quæst. 1. art. 3.* & Abulen. *cap. 30. num. quæst. 92.*

Nec argumentum Philiarchi concludit, quia cùm id in solo matrimonio, & vltimis voluntatibus decisum iure humano sit, & eo secluso, non haberetur pro non adiecta, sed omnino irritam redderet dispositionem, non habet locum ea decisio in voto, in quo id iure humano non reperitur
3 sancitum. Quare dicendum est, eas conditiones impossibiles non haberi pro non adiectis, sed irritum omnino reddere votum.

QVÆSTIO CCXXV.

An votum sub conditione turpi emissum sit validum, & obligatorium?

1 SVNT nonnulli qui censent id votum valere: quia talis conditio habetur pro non adiecta, pro vt reiicitur quoque à matrimonio, & censetur contractus purus *cap. fin. de condit. appos.*

At dicendum est, esse irritum, & nullum, quando talis conditio est contra eius substantiam, vt si voueas religionem ea conditione, vt illud explere non teneatis. Quia cum tali conditione substantia voti non subsistit: sicut non subsistere matrimonium cum ea conditione contractum decernitur *Cap. final. citato.* Quando autem conditio turpis, non est contra voti substantiam; si ea sit præteriti, aut præsentis temporis: vt *si heri homicidium fuit commissum; vel modo committitur.* certum est non reddi irritum votum, sed ea subsistente valere, secus si non subsistat. At quando conditio illa turpis, est de futuro; vt si voueas castitatem, *Si inimicum tuum occideris,* non in sensu pœnali, sed in sensu verè conditionali, an valeat, diximus supra. 2

QVÆSTIO CCXXVI.

An votum sub pluribus conditionibus factum, sit validum, & obligatorium, si vna ex illis existat, & non alia?

RESPONDEO si mens vouentis sit se obligare dependenter ab omnibus illis coniunctim, deficiente vna ex illis, deficere quoque censetur obligatio voti: si verò mens eius sit se obligare dependenter diuisiuè, ita vt vna ex illis extante, maneat obligatus, obligabit votum vna conditione ex illis completa. Quia tota voti obligatio ex vouentis voluntate dependet. 1

In dubio autem, vtrum vouens voluerit se obligare priori, vel posteriori modo; controuertitur inter Doctores.

D. Anton.

2 D. Anton. 2. p. tit. 11. cap. 2 §. 4 ait tutius esse, censeri illum obligatum posteriori modo.

Syluest. *verb. votum* 2. *q.* 2. dicit non tantum hoc esse tutius, sed & esse necessarium.

Sed neutra opinio placet, quia cum sub pluribus conditionibus votum emittitur, possessio stat pro voluntatis libertate, dum ex omnes non implentur, sicut quando sub vna emittitur
3 dum illa non impletur. Vnde quando votum sub pluribus conditionibus coniunctim emittitur, omnes debent impleri, vt votum obliget. Vt voueo centum, *si pater, & frater ex Sicilia venerint incolumes*: Si autem disiunctiuè satis esset alterutram impleri: vt voueo ieiunium, si pater, vel frater ex Sicilia venerint.

QVÆSTIO CCXXVII.

Sed quid si conditio euenerat tempore voti, & vouens hoc ignorabat, an tale votum sit validum, & obligatorium? vt, si quis promittat dare centum pauperibus, si nauis ex Sicilia intra sex dies incolumis venerit, & iam venerat, vouente ignaro.

1 RESPONDEO si votum fuit factum ad impetrandum aduentum nauis à Deo, & nauis iam venerat, non obligat. Et ratio est, quia fuit error circa causam finalem, quæ secundum communem Doctorum opinionem irritat votum. Secus autem si vouens intendebat se ad id obligare, quomodocumque verificaretur, vt intra sex dies nauis venerit incolumis.

***

QVÆSTIO CCXXVIII.

An vt votum vim habeat, sufficiat, vt conditio non in propria forma, sed in æquiualenti impleatur?

RESPONDEO sufficere. Vt si quis voueat Religionem, *si*, vel *quando pater suus obierit*, ductus ea sola ratione, quia pater erat pauper, eiúsque ope indigebat, tenetur voto, patre ad eum statum deueniente, vt nullatenus eius auxilio indigeat. Ratio est, quia conditio æquipollenter censetur adimpleta, quando idem prorsus effectus intentus subsequitur. 1

QVÆSTIO CCXXIX

An vouens sub conditione, ex cuius culpa conditio non impletur, teneatur nihilominus votum adimplere? Vt si quis voueat aliquid, vt Deus ipsum à peccato aliquo præseruet, tali voto teneatur, cadens sua culpa?

ANGELVS *verb. votum* 1. *nu.* 10. Tab. *verb. votum* 2. *num.* 2. & Supplem. Gabr. *in* 4. *d.* 38. *q.* 1. *art.* 3. 1
absolutè dicunt hunc tali voti vinculo teneri. Quia ex sua culpa non impletur conditio, Deus enim adiuuaret, si quod in se est, ad vitandum illud ille faceret.

Sed hæc opinio falsa est, quia iuxta eam tale votum semper obligaret, ac subinde esset absolutum, cum impossibile sit, eam conditionem deficere, nisi ex vouentis culpa.

Nauar. *cap.* 12. *num.* 42. Lop. *p.* 1. *cap* 44. & Syluest. *verb. votum* 2. *q.* 2. 2
volunt hunc tunc tantum teneri voto,

 quando

quando non fecit quod in se fuit, ne illud peccatum committeret, sicut fecisset, si votum non emisisset, vel sicut intendebat facere, dum vouit, vel sponte se præcipitauit in illud peccatum, ne voto adstrictus maneret, aliàs fraus ei patrocinaretur.

Azor. *lib. 11. cap. 10. q. vlt.* docet hunc obligari voto, quando scienter, & sua sponte, se in peccatum præcipitat, aut periculis obiicit, aut peccati occasiones quærit, secus quando ex negligentia.

At verò alij censent hunc tunc solùm teneri votum adimplere, quando data opera, vt voti obligationem effugeret, in illud peccatum præcipitaret.
3 Quia communiter in eo voto, vouentes intendunt, vt Deus in vitando illud peccatum conferat eis gratiam extraordinariam, & peculiarem, & non tantum communem & sufficientē; ergo vbi nō constat de alia vouentis intentione, non tenetur voto, etiamsi ex sua culpa conditio non extet: quia intendebat quod per Dei gratiam specialem, & efficacem, ipse ab ipsa sua culpa præseruaretur. Quæ opinio est valde probabilis.

Hinc, si quis aliquid Deo vouit, *si Titius in domum suam ingrediatur*, & deinde Titio sæpius ad se venienti fores occluderet, ne in domum suam intraret, voti vinculo tenetur, eo quod per vouentem stetit, quo minus ingrediatur. Secus autem si id faceret ex incuria, negligentia, vel obliuione.

Hinc, qui vouit ingredi religionem, *Si Deus sanitatem cōcesserit*, & postea in
4 voti fraudem non vult vocare medicum, nec adhibere medicinas necessarias, quas adhiberet, si non vouisset, vnde ex malitia ne voto teneatur, non recuperat sanitatem, peccat mortaliter contra votum, tenetúrque ad illud perinde, ac si conditio impleta esset. Ratio est, quia fraudulenter media ordinaria omittens, impediuit conditionis euentum. Secus autem, si casu sine dolo, aut fraude in esu, potúve nimis excesserit, etsi excessus fuerit mortalis, quia causa fuit sanitatis non recuperandæ, quia tunc non tenebitur voto.

Hinc, qui vi, dolo, aut fraude impedit conditionis euentum, ne voto teneatur, peccat mortaliter. Ratio est, quia promittens aliquid sub conditione, censetur virtute duplex votum emittere, alterum conditionis non impediendæ, alterum rei principaliter promissæ. Vt si quis promittat centum Caio, *Si ipsi opem ferat*, virtute promittit illa centum & permittere eius opem, aut stare voto, ac si præsidium tulisset.

His tamen non obstantibus dico longè verius, atque probabilius esse, nunquam obligari vouentem sub conditione ad præstandum votum, non impleta conditione, etiam si data opera conditionis euentum impedierit. Ratio est, quia vouens non intendit ad votum se obligare, nisi impleta conditione: ergo quomodocumque impediatur euentus conditionis, votum non obligat. v. g. vouit quis ingredi religionem, *si pater suus consenserit*, & procurat vt pater suus nesciat votum, hic peccare potest per nimiam dilationem: at in hoc casu non obligat votum ad religionem ante completam conditionem, sed obligat ad tollendum tale impedimentū. Et ideò ita tenet Suar. *to. 2. de Relig. lib. 4. c. 17. n. 22.* 5

6 Hinc, qui vouit religionem ingredi si per annum integrum à ludo illicito abstineat, si per malitiam, ne voto teneatur, non abstineat, licèt peccet contra votum, postea non tenetur ingredi, quia conditio non fuit impleta, nec impleri potest. Ita Suar. *vbi supra num. 24.*

Hinc,

Hinc, qui votum castitatis emisit, si Deus certum beneficium sibi concesserit, hic non tenetur ad castitatem, donec id beneficium obtineat: at tenetur interim non inire matrimonium quò aptum voto exequendo se seruet, si conditio euenerit. Ita Nauar. *lib. 3. conf. titulo de voto conf. 50.*

QVÆSTIO CCXXX

Ad quid teneatur, qui disiunctiuè aliquid vouit? vt si promisit dare quotidie vnum argenteum, vel Rosarium recitare?

1 RESPONDEO posse in hoc casu ad libitum eligere partem, quam vult, & sic vna die, vel pluribus erogare eleemosynam, & alia, vel aliis rosarium persoluere. Ratio est, quia vouens tenetur ex vi voti verificare suam promissionem: ad veritatem autem promissionis disiunctiuæ, sufficit alterutram illius partem eligere; ergo

QVÆSTIO CCXXXI.

An votum sub conditione pœnali factum sit validum, & obligatorium?

1 RESPONDEO esse validum, & firmum, & expleta conditione esse statim absque aliqua mora seruandum.

QVÆSTIO CCXXXII.

An quando principalis voti pœnalis materia est inepta, ita vt votum de illa emissum, sit irritum, vt votum non ludendi cum certa persona, vel in certo loco, vel ludo, in casu, quo hac indifferentia sunt, sub pœna certæ peregrinationis, aut eleemosynæ, votum quoque de pœna imposita sit nullum?

RESPONDEO esse etiam nullum. 1
Ratio est, quia votum pœnale non per se, & principaliter promittitur, sed vt accessorium voto principali. Cùm ergo principale votum non obliget, nec accessorium, eius naturam sequens, obligabit. *Regul. accessorium de reg. iuris in 6.*

Hinc qui vouit non ingredi talem 2
domum sub pœna religionis, quia ibi moratur mulier ad malum prouocans, si postea sublata tali occasione, illam ingrediatur, non tenetur ad pœnam, quia iam materia principalis promissa, nempe non ingredi illam domum, facta est indifferens, & inepta materia voti.

QVÆSTIO CCXXXIII.

An votum pœnale obliget ad pœnam, quando violatio voti contingit absque culpa? v. g. vouit quis se non lusurum sub pœna religionis, postea immemor voti lusit, an teneatur religionem ingredi?

RESPONDEO non teneri. Ratio est, quia pœna voto promissa 1
fuit in illius peccati transgressionis pœnam: at tunc, vt suppono nullum fuit peccatum; ergo. Et idem credo, etsi in transgressione, obliuione, aut ignorantia interuenerit culpa venialis. Quia tanta pœna soli veniali non imponitur.

QVÆSTIO CCXXXIV

An votum pœnale obliget pro sola prima transgreßione, ad pœnam? vt votum non blaſphemandi ſub pœna dandi decem pauperibus?

1 EMMANVEL Sà *verbo votum in principio num.* 26. tenet ſola prima vice obligare, niſi conſtet expreſſam vouentis intentionem fuiſſe toties, quoties.

Contrarium tamen mihi perſuadeo, nam qui abſolutè vouet ſe non blaſphematurum, non pro ſola prima vice obligatur, ſed ſemper; ergo nec qui vouet certam eleemoſynam, ſi blaſphemauerit, obligabitur ſola prima tranſgreſſione ad pœnam. Probo conſequentiam; nam pœna cum ſit acceſſoria illi actui tanquam principali, debet eius naturam ſequi.

Deinde, cum vtrumque votum ſit æquè indeterminatum, vtrumque, aut neutrum debebit obligare pro ſola prima vice.

2 Poſſet autem opinio Emmanuelis recipi in pœna grauiſſima, & quæ iterari non ſolet, vt pœna religionis, peregrinationis Hieroſolymitanæ, &c. Et ſic quando non conſtat de alia expreſſa vouentis intentione, dicendum eſt eum voluiſſe pro ſola prima vice ſe obligare. Vnde ſi commiſſa blaſphemia ille ingrederetur religionem, & tempore nouitiatus ex legitima cauſa exiret, & ſic iam voto pœnæ ſatisfeciſſet, etſi iterum blaſphemaret, non obligaretur, rurſus ingredi religionem, vel Hieroſolymam adire. Secus eſſet, quando pœna eſſet mediocris, tunc enim obligaret toties, quoties. Et in dubio, an pœna ſit grauiſſima, vel mediocris, idem puto eſſe dicendum. Quippe cum votum iſtud abſolutè emiſſum obliget, ſuapte natura toties, quoties, quando contrarium de intentione vouentis non conſtat, poſſidet votum, vt eo modo obliget.

QVÆSTIO CCXXXV.

An votum facti alieni ſit validum, & obligatorium? vt ſi quiſpiam voueat fore, vt filius ſuus monachus euadat?

D. Tho. 2. 2. *q.* 89. *ar.* 7. putat id votum non valere, quia eſt de re vouenti impoſſibili. 1

Ego tamen exiſtimo id votum eſſe validum, & obligare vouentem, vt bona fide adhibeat omnẽ diligentiam, quam rei qualitas expoſcit, vt alter religionem ingrediatur, & ſi adhibita diligentia alter nolit, manet liber vouens.

QVÆSTIO CCXXXVI.

An qui per ſeipſum non poteſt votum ſuum perſonale implere, teneatur per alium illud perficere?

RESPONDEO regulariter non teneri. Ratio eſt, quia non ſe obligauit ad implendum per alium, nec ad procurandam commutationem, ſed ad implendum per ſeipſum. 1

Tum quia in omni voto ſemper ſubintelligitur conditio illa generalis, *ſi Deo placuerit, ſi potero*, & huiuſmodi, etiamſi non exprimatur; quæ conditio ſi non extat, ruit obligatio voti.

Tum quia votum perſonale fit propter macerationem, aut afflictionem corporis, aut ad excitandam in ſe deuotionem, hæc autem nemo per alium aſſequitur: ergo.

Nec

Nec obstat, *Cap. Quod super his de voto*, vbi decernitur, iniungendam esse commutationẽ laborantibus impedimento perpetuo. Quia respondet Syluest. *verb. votum. 2. quaest. 6. & 10.* id non fuisse verum impedimentum reddens impossibilem voti executionem, sed valde difficilem, quae difficultas non excusabat.

2 Hinc, qui vouit se peregrinaturum ad D. Iacobum & nunc non potest peregrinari, non tenetur alium loco sui peregrinaturum substituere. Ratio est, quia cùm res promissa sit sola personalis vouentis actio, si nequit per propriam personam exerceri, redditur res promissa impossibilis.

Hinc, qui simpliciter vouit ieiunium, non solùm non tenetur, verum etiam nec potest votum suum implere per alium. Ratio est, quia ipse non vouit iubere, sed facere, quod longè diuersum est, & licèt alter pro ipso ieiunet, ipse non ieiunat, & ita non facit quod promisit.

3 Dixi consultò (*regulariter*) quia in quatuor casibus tenetur is qui vouit, per alium adimplere, aut commutationem procurare, quod per se ipsum adimplere non potest.

Primò quando vouens expresse intendebat se obligare ad implendum per alium, in euentu quo per se non posset, tunc enim teneretur id curare.

Secundò, quando qui vouit, certus erat tempore voti se nullatenus posse per seipsum votum implere, tunc enim tenetur per alium illud implere, ne votum sit ridiculum. Secus autem si non erat certus de impedimento perpetuo, quamuis impedimentum erat temporale voti emissi, quia tunc solum tenetur quam primùm commodè poterit.

Tertiò, quando votum eius est conditionis, vt per alium fieri possit, ac soleat, nec vouentis animus fuit per se tantummodo votum praestare, vt votum opitulandi iis qui pugnant in terra Sancta, & superueniat impe- 4 dimentum perpetuum talis profectionis, non est omnino liber à voto: sed tenetur per alium, ac meliori modo quo potest, id ipsum subsidium praestare. Secus autem si vouit causa solius deuotionis visitare terram Sanctam, tunc enim non tenetur per alium adire, si per se non potest, vt habetur *in cap. Quod super his de voto*, & tradit Nau. *cap. 12. num. 55.*

Verùm opinio haec mihi displicet, quia *cap. Quod super his, &c.* expresse loquitur tã de his qui pro defensione terrae Sanctae, quàm de his, qui deuotionis gratia illuc peregrinari vouent.

Tum quia vt omnes Doctores testantur, non loquitur de impotentia per se excusante ab obligatione voti, sed de impedimento reddente difficilem, aut minus vtilem voti obseruationem, quod ad commutationem, seu redemptionem sufficit. Quare si impedimentum sit per se sufficiens ad excusandum, non tenetur vouens expensas itineris mittere: in commutatione autem earum ratio habetur. *cap. Magnae eod.* Quod est verissimum, si loquamur de peregrinatione terrae Sanctae, quae sola deuotionis gratia assumitur.

Sed dubium est, quando huiusmo- 5 di peregrinatio suscipitur in belli subsidium, quod duplex esse potest, pecuniarium, & operarium. De pecuniario certum est, esse per se distinctum onus ab ipsa peregrinatione, & ab expensis eius, ac proinde sub obligatione manet, licet peregrinatio reddatur impossibilis vouenti.

Sed tota lis versatur de subsidio operario, vt cum quis vouet ire Hierosolymam, & ibi militare, vel exercitui inseruire, an videlicet illae operae censeantur votum reale, ita vt licet is

O 3 qui

qui vouit excuſetur à peregrinatione, & expenſis eius intrinſecis, nihilominus obligetur ſuis ſumptibus ad mittendum alium, vt pro ſe militet.

6 Innocent. Panorm. & multi alij docent abſolutè tales operas eſſe votum reale, & per accidens adiunctum peregrinationis voto; & ideò quoad illam partem obligabitur ad earum æſtimationem, licèt peregrinatio reddatur impoſſibilis.

Alij verò rectiùs docent tales operas eſſe votum perſonale. Vnde dicunt quod licèt quis voueat per ſe in illius loci ſubſidium pugnare: non tenetur tamen per alium pugnare, ſi per ſe non poteſt, nec aliquid ſoluere pro earum redemptione.

7 Quartò, quando votum, etſi videatur perſonale, obligat tamen inſtar realis, vt eſt votum, quod Epiſcopi in ſua conſecratione emittunt, viſitandi quotannis limina Apoſtolorum. Nam ſtylus Romanæ curiæ explicat id votum, vt viſitent per ſe ipſos, vel per alium, & ita ſolent committere alicui Romæ commoranti, vt nomine ſuo viſitet.

Angel. *votum* 3. §. 7. D. Anton. *2. p. tit. 11. cap. 1. §. 5.* & Lop. *p. 1. cap.* 45 addunt quintum caſum, ſ. quando vouens culpa ſua effectus eſt impotens ad votum implendum, quia prius fuit in mora ad exequendum votum, ne ex culpa ſua lucrum exemptionis ab ea obligatione reportet.

Sed ab hac ſententia eſt omnino recedendum, dicendúmque nil quo ad hoc referre, ſiue culpa ſua, ſiue abſque culpa in eam impotentiam inciderit.
8 Vnde quando vouens fuit in mora ſoluendi, & ita ſua culpa in eam impotentiam incidit, tantum tenetur de præterita culpa pœnitentiam agere, ac propoſitum implendi habere, ſi fortè aliquando impotentia ceſſarit. Quia non aufertur res ex iuſtitia debita, ſed ex religione, cuius violatio nullam obligationem reſtituendi inducit. Val. *2. 2. d. 6. q. 6. p. 4.*

QVÆSTIO CCXXXVII.

Sed quid ſi votum erat homini intimatum, & ab eo acceptatum, & vouens ſua culpa in eam impotentiam incidit?

HENRIC. *lib.* 13. *de excommunicatione cap. 17. nu. 5. &* 6. affirmat hunc non teneri niſi ad agendam pœnitentiam de ſua culpa. 1

Sed contraria ſententia mihi plus placet, quæ dicit teneri eum reſtituere. Et ratio eſt, quia hæc promiſſio obligat ex iuſtitia, cuius tranſgreſſio obligationem reſtituendi inducit. Et ideò ita tenet Sanch. *lib. 1. de matr. d. 5. num. 20.* Med. *lib. 5. de ſacrorum hominum continentia cap. 131.* Lop. *p. 1. c. 180.* & Molina *tom. 2. d. 272.*

QVÆSTIO CCXXXVIII.

An filius teneatur ad vota parentum nomine ipſius emiſſa? vt ſi parentes voueant filij peregrinationem, aut aliquod opus pium.

RESPONDEO non teneri, niſi votum ſuo nomine emiſſum ratum habeat. Ratio eſt, quia cum votum perſonale ſolam perſonalem vouentis actionem reſpiciat, nullatenus poteſt alterum obligare 1

Hinc, ſi vouiſti filium tuum alicui religioni offerre, teneris quantum in te eſt illum ad amplectendam religionem inducere; ille autem tibi filiali obedientia parere tenetur, non tamen ex vi voti religionem ingredi.

Dices;

Dices; Pater potest multa filio præcipere; ergo & ingressum religionis.

2 Respondeo; Pater non potest filio præcipere, nisi ea quæ ad domesticam disciplinam, & obseruationem mandatorum Dei, & Ecclesiæ spectant, non autem ingressum religionis: quia in his quæ ad statum vitæ pertinent, quisque est sui iuris, nec potest ad ea, nisi suo consensu obligari?

Tum quia etsi ad hæc forsan posset filium obligare præcepto, non tamen voto. Et ita tenet Sot. *lib.7.q.2. art.1.* Nauar. *cap.14.num.12.* & alij.

QVÆSTIO CCXXXIX.

Sed quid, si præsentibus filiis doli capacibus, & tacentibus, parentes vota eorum nomine emittant?

1 Respondeo nisi adsit internus filiorum id votum approbantium, consensus, non teneri ea vota adimplere: & in rebus onerosis, qualis est obligatio voti, taciturnitas non est indicium consensus, vt latè probat Sanch. *lib.1.de matrim.d.5.n.5.*

QVÆSTIO CCXXXX.

An qui per se ipsum non potest vota realia adimplere, teneatur ea perficere per alium?

1 Respondeo teneri. Ratio est, quia huiusmodi vota non respiciunt personalem aliquam vouentis actioné, sed rem exteriorem; & ideò procurans dari ab alio nomine ipsius promittentis, præstat totam rem promissam. Ita Sot. *lib.7.q.2.art.1.*

QVÆSTIO CCXXXXI.

An vouens qui aliter nequit suum votum adimplere, teneatur pecuniam illam mendicare, aut artificio alicui vacare quod suum statum dedeceat, vt votum adimpleat?

Respondeo non teneri. Ratio est, quia ad hoc extraordinarium medium, quod suo statui non conuenit, nulla ratione visus est se obligare: teneretur tamen manibus laborare, ad votum implendum, si suo artificio viuere solitus erat; quia ad id se obligare videtur, vtpote quod suo statui, modóque viuendi conforme sit. Si tamen aliquid sibi donaretur, proculdubio teneretur illud acceptare, vt suo voto satisfaceret. Ita Sanch. *lib.6.de matrim.d.4.num.9.* 1

QVÆSTIO CCXXXXII.

An hæres teneatur adimplere vota defuncti?

Et quidem constat inter omnes, eum non teneri ad vota personalia defuncti, siue hæres sit necessarius siue non. Ratio est, quia obligatio votorum personalium est omnino personalis; ergo nulla ratione potest ad hæredes transire. 1

Tota igitur huius controuersiæ difficultas consistit in votis realibus. 2

Angles, *floribus.2.p.9.vnica de voto art.2.post.1.3. difficultatem dub.4.* affirmat tunc solum hæredem teneri implere vota realia defuncti, quando sunt in testamento relicta.

Sed communis, & veriòr sententia est, hæredem ad ea teneri, quamuis non fuerint in testamento iniuncta.

Ratio

Ratio est, quia hæres tenetur soluere debita defuncti; at vota realia inter debita defuncti computantur: ergo. Immò quamuis defunctus expressè declaret nolle tale onus imponere hæredi, tenebitur vtique hæres vota
2 hæc realia adimplere, eo pacto quo ad id tenebatur defunctus, cùm quoad hæc succedat in omnem eius obligationem. At constat ad hæc teneri (velit, nolit) defunctum: ergo. Et est conclusio definita *in cap. Si hæredes de testam. in cap. Licet de voto, in cap. Ex parte de censibus*, & expressius *in l. 2. ff. de pollicit.* & tradit Nauar. *cap. 12. num. 56.*

Idem videtur dicendum, si defunctus vouerat adire ad limina Apostolorum ea intentione, vt si per se non posset, per alium expleret: tunc enim videtur tacitè promisisse sumptus itineris, ac proinde fecisse votum reale, ad quod hæres tenetur.

QVÆST. CCXXXXIII.

An hæres qui à testatore iubetur personalia ipsius vota implere, teneatur ad id iure mandati?

1 ABVLENS. *cap. 30. Num. q. 98.* affirmat.

Sed hæc opinio non placet, quia testator solum potest de propriis bonis disponere, non autem de perso-
2 nalibus actionibus hæredis. Quare dicendum est primò, posse hæredem à testatore compelli vt loco personalium ipsius defuncti votorum, eleemosynam eroget, sicut ad alia legata pia, potest quoque per censuras adstringi.

Secundò potest hæres non necessarius à testatore grauari, vt sub conditione implendi ea vota succedat: sicut potest grauari vt honestum matrimonium contrahat, & aliter non succedat.

Dixi consultò (*hæres non necessarius*) quia quando hæres succedit necessariò iure hæreditatis, non potest 3
testator suo arbitrio illum grauare tot oneribus, & expensis, nec per se tenetur filius talia promissa paterna implere: vt rectè Couar. *in cap. Si hæredes de testam. in fine* annotauit.

QVÆSTIO CCXXXXIV.

Quo iure teneatur hæres adimplere vota realia defuncti?

SVNT qui censeant eum ad id teneri ex vi voti. 1

Sed hæc opinio non placet, quia cum propria voti obligatio sit omnino personalis, non potest præter ipsam vouentis personam adstringere. Quare dicendum est, hæredem ad id teneri ex tacito quasi contractu: quoniam eo ipso quod hæreditatem adit, censetur contractum iniisse soluendi omnia defuncti debita: potést- 2
que compelli per censuras, ac hæreditatis priuationem ad hæc vota persoluenda, quod obligationem ex hæreditatis aditione contractam non impleat. Ita Azor. *lib. 11. c. 15. q. 15.*

Ex quo colligitur, hæredem qui non curat explere vota realia defuncti, non peccare contra votum. Et ratio est, quia ipse nihil vouit: sicut hæres qui tenetur promissione testatoris iuramento firmata, non tenetur ex vi iuramenti, sed contra obligationem, qua defuncto adstringitur ratione hæreditatis acceptæ.

QVÆSTIO CCXXXXV.

An hæres teneatur adimplere vota

testato

testatoris mixta, id est, partim realia, & partim personalia?

1 RESPONDEO si vtraque pars realis, & personalis independenter ab alia, & æqualiter expressa sit, tenetur hæres ad realem solam. Vt si defunctus vouit ire ad domum Beatæ Mariæ Montis Regalis, & ibi calicem offerre, tenetur hæres solum eo mittere calicem. Quia quo ad eam partem est votum omnino reale. Si tamen sola pars personalis sit voto expressa, ad nihil tenetur hæres. Vt si testator vouit peregrinationem, aut ingressum religionis, hæres minimè tenetur ad sumptus itineris, nec monasterio conferre illa bona, quæ mortuuus asportasset, si eam ingressus fuisset: quia sicut non tenetur ad peregrinationem, nec ingredi religionem, quæ sunt principalia, ita nec soluere expensas, vel tradere bona, quæ sunt voto personali accessoria; sublato enim principali, tollitur accessorium. *Reg. accessorium de Reg. iuris in 6.*

QVÆSTIO CCXLVI.

An Monasterium iure hæreditario in bona professi succedens, teneatur ad vota realia, quæ professus existens in sæculo fecerat, sed non expleuerat?

1 D. Anton. 2.*p.tit.*11.*cap.*2. §.8. & Palud. *in 4. dist.*38. *q.*4. *art.*3. affirmant teneri, quia putant per votum solemne religionis solùm vota personalia extingui.

Communis tamen, & vera opinio docet ad id non teneri, ea potissimum ratione, quia adstruit etiam vota realia in solemni professione extingui.

2 Sic Caietan. 2.2. *quæst. vlt. art.*3. Sot. *lib.*7.*q.*4.*art.*3. Nauar.*cap.*12 *num.*78. Couar.*de pactis* 1.*p.*§.3.*num.*4. & alij. Et ideò tãquam penitus extincta, nec Monasterium, nec quemcũque alium hæredem obligabunt.

QVÆSTIO CCXLVII.

Sed quid, si religiosus professus voluit sua vota realia per solemnem professionem non extingui?

RESPONDEO si eam intentionem habuit religiosus paulò ante professionem, est eo ipso per professionem ab illis votis absolutus. Si verò in ipso professionis instanti, iudicandum est de illis votis, perinde ac de factis post professionem, quæ à superiore irritari possunt, quia censentur post professionem emissa. Cui consonat quod communiter Doctores tradunt. s. peccatum quod committunt qui indignè ad Baptismum accedunt, in ipsomet commissum, censeri post cõmissum; & ideò esse debitam materiam sacramenti pœnitentię. At vota realia post professionem emissa, vt constat, nequeunt hæredem obligare. 1

Potest tamen recipi opinio D.Anton. in casu, quo vota realia ante professionem essent intimata parti, in cuius fauorem sunt, & ab ea acceptata: quia tunc cum esset iam ius illi parti acquisitum, non extinguuntur per solemnem professionem; ac proinde teneretur monasterium succedens in bona, aut quilibet alius hæres, ea persoluere. 2

QVÆSTIO CCXLVIII.

An donatarius omnium bonorum teneatur vota realia donantis persoluere?

RESPONDEO non teneri. Ratio est, quia vota realia non sunt ex 1

lege iustitiæ, sed religionis debita, ac proinde eorum obligatio nisi à donante iniungatur, non transit ad donatarium, sed solum ad hæredem, qui personam testatoris repræsentat, & acceptando hæreditatem, succedit quoque ex tacito pacto in omnia eius onera.

Tum quia Med. *C. de restitut. q.* 3. *causa octaua ad* 5. Ledesm. 2. *p.* 4. *q.* 15. *art.* 5. & Petr. Nauarr. *lib.* 3. *de restit. cap.* 4. *num.* 174. docent donatarium non teneri soluere debita iustitiæ donatoris, etiam si donator ob illam donationem fiat impotens ad illa persoluenda, dummodo res donatæ non sint pro illis hypothecatę. Quia valet donatio tanquam à vero Domino facta, donec per Iudicem reuocetur: ergo à fortiori de votis realibus, quæ sunt debita ex vinculo religionis, est hoc dicendum.

QVÆSTIO CCXLIX.

An hæres qui promisit vota realia testatoris implere, sed postea mutato consilio non adiit hæreditatem, teneatur ea persoluere?

1 RESPONDEO non teneri. Ratio est, quia solo ad id hæreditario iure tenetur. Secus autem si independenter ab hæreditate promiserit, quia tunc tenebitur ea persoluere. Ita Syluest. *verb. votum* 2. *quæst.* 11.

QVÆSTIO CCL.

An hæres teneatur persoluere omnia vota realia defuncti, si vires hæreditatis excedant?

1 RESPONDEO non teneri. Ratio est, quia hæres solo iure hæreditario in bona defuncti succedens, ad id tenetur. Ita Palud. *in* 4. *d.* 38. *q.* 4. *art.* 3. Syluest. *verb. votum* 2. *quæst.* 11. Couar. *cap.* 1. *de testam. num.* 16. & Mol. *tom.* 1. *de iust. d.* 217. Palac. *in* 4. *d.* 38. *d.* 1. & alij communiter.

Couar. & Molina *locis supra citatis* hoc temperant dummodo hæres inuentariū fecerit, eo enim non facto, tenetur in vtroque foro omnia vota realia defuncti etiam si hæreditatem excedant, adimplere. Et probant quia *lex finalis C. de iure delib.* decernit hæredem non conficientem inuentarium, teneri ad omnia debita defuncti vltra vires hæreditatis, quæ cum iusta sit, etiam in conscientia obligabit.

Sed hanc limitationem non approbo, sed existimo non teneri hæredem in foro conscientiæ vota defuncti explere, aut creditoribus aut legatariis soluere vltra vires hæreditatis, eo quòd inuentarium non fecerit, sed id tantum procedit in foro exteriori. 2

Nec obstat lex citata, quia innititur præsumptioni fraudis occultationis alicuius bonorum, & ideò omissum sit inuentarium, ergo quotiescumque hæres non vtitur fraude, sed reuera hæreditas non sufficit, non obligabit ea lex in foro conscientiæ ad soluendum vltra hæreditatis vires. Et ideò ita sentiunt Sot. *lib.* 6. *q.* 1. *art.* 4. & Petr. Nauarr. *lib.* 3. *de rest. cap.* 4. *num.* 137.

QVÆSTIO CCLI.

An saltem secuta sententia Iudicis, teneatur hæres integrè ad omnia debita defuncti?

MOLINA *tom.* 1. *de iust. disp.* 217. affirmat, ea potissimum ratione, quia iusta Iudicis sententia in conscientia obligat. 1

At

At ego verius existimo omníque remoto dubio opinor, hunc non teneri etiam secuta condemnatione. Ratio est, quia hæc Iudicis sententia innititur præsumptioni fraudis occultationis alicuius, bonorum hæreditariorum. At in casu nostro hæres nulla vsus est fraude: ergo non ligabit ea sententia in foro conscientiæ.

2

QVÆSTIO CCLII.

An hæres necessarius teneatur explere vota realia defuncti, etiamsi suæ legitimæ præiudicent?

1 ANGEL. *verb.votum 3.q.8.* Sylu. *verb.votum 2 q.11.* & Nauar.*lib. 3.consil.tit.de voto cons. 16.num.4.* affirmant.

At ego existimo nullo modo teneri hęredem necessarium vota hæc realia persoluere cum detrimento suæ legitimæ; sed ex ea sola parte hæreditatis, de qua poterat testator liberè disponere.

2

Tum quia hæres tenetur hæc vota explere de defuncti bonis. At bona alicuius dicuntur, quod superest, deducto ære alieno. *l. Mulier bona ff de iure dotium.* Vnde si hæres defuncti non fuerit filius, aut alius cui necessariò debetur legitima, tenetur adimplere vota integrè, si sit de quibus. Et ideò ita tenet cum Greg. Lop. Roder. *p.2.sum.cap.101. num. 11.*

QVÆSTIO CCLIII.

Quando vires hæreditatis non sufficiunt pro omnibus votis soluendis, quæ vota teneatur hæres explere?

1 COMMVNIS fere omnium Doctorum sententia tenet nullum ex illis votis integrè soluendum esse, sed pro rata vniuscuiusque voti detrahendum esse excessum.

Sed verius, ac probabilius multo est, quod docet Sanch. *lib. 4.c.15.n.41.* vbi sic ait, *Si heres pro certo habet vnum ex illis votis esse de re meliori, tenetur illud integrè persoluere alijs omissis: Si autem sit dubius vtrum ex illis votis sit melius, tenetur explere, quod prius emissum.* Ratio est, quia hæres cum personam defuncti repræsentet, tenetur eo ordine implere, quo defunctus tenebatur. At defunctus quando vtrumque votum est incompatibile, tenetur omnino præferre quod est de re meliori: & quando est dubium, quod sit melius, tenetur ad prius emissum, ergo ad idem tenetur hæres. Quando autem constat vtrumque votum esse æquè bonum, aut dubium est, quod melius sit, ignorat autem hæres quod prius emissum sit, tunc quamuis testatori detur electio, vt quoduis ex illis impleat at hæredi non datur, sed tenetur pro rata diuidere. 2

QVÆSTIO CCLIV.

An quilibet hæres teneatur in solidum vota realia defuncti, aut debita de iustitia, vel legata soluere, quando pars hæreditatis in qua succedit, pro omnibus illis debitis est sufficiens?

RESPONDEO solum teneri pro rata iuxta portionem hæreditariam, in quam succedit, etsi alij nolint suam partem soluere, vt habetur expressè *in l.2. ff de verb. obligat.* nisi quando res debita, vel legata in specie possidetur ab vno, vel obligatio, est indiuidua: tunc enim teneretur ille eam integrè soluere; at habebit 1

actionem contra alios hæredes, vt suam sibi partem soluant pro ratione suæ portionis hæreditariæ. Ita Sot. *lib.6.q.1.art.4.* Syluest. *verb. hereditas 3.q.11.* Angel.*verb. heres num.8.* & ibi Tab.*num.6.*

QVÆSTIO CCLV.

An quando hæres dubitat, An testator plus vel minus vouerit, teneatur ad id, quod plus est.

1 RESPONDEO teneri ad id, quod minus est. Ratio est, quia hæres in solam defuncti obligationem succedit, quamuis diuerso titulo: ille enim tenetur ex quasi cõtractu, & quasi personam defuncti repræsentãs, hic autem ex religionis vinculo; ergo tenetur eo modo vota implere, quo defunctus tenebatur. At defunctus in eo dubio ad solum minus tenebatur: ergo ad idem tenetur hæres. Si autem hæres pro comperto habet testatorem fecisse votum aliquod reale, & ex probabilibus coniecturis nequit coniicere id impletum, sed res est dubia, tenetur illud implere. Ratio est, quia in hoc casu debitum est certum, solutio autem dubia, & proinde possessio est pro debito.

QVÆSTIO CCLVI.

An successores teneantur ad implenda vota de obseruatione alicuius festi, aut ieiunij à populo emissa?

1 ET quidem certum est, apud omnes, successores ad id teneri.

Sed quod in dubium vertitur est, qua ratione ad id teneantur.

Sunt qui putent successores ad id teneri ex vi pacti, quod in successores pertransiit.

Alij, ex vi consuetudinis.

Nauar. *cap.12. num.79.* & Roder. *2.p.cap.101.num.13.* volunt eos ad id teneri ratione voti, quia successores sunt idem populus.

Sed hæc opinio non placet, quia 2 propria voti obligatio est omnino personalis; ergo alios, præter ipsos vouentes, non adstringit.

D.Thom. *2.2.q.98.art.1.ad.4.* docet successores ad id teneri ex quadam fidelitate.

Sed nec hæc opinio satisfacit; quia obligatio huius virtutis est etiam personalis, vt de se patet; ergo præter fidem dantem, neminem obligare potest.

Quare dicendum est, teneri successores hæc vota seruare ex vi præcepti, habet enim communitas potestatem ad obligandum singulos præsentes, & futuros successores, vel ad 3 acceptandum tale votum, vel saltem ad implendum actum promissum; vnde eo ipso quod populi Rectores in tale votum sufficienter consentiunt, consequenter imponunt aliis præceptum obseruandi illud quo ad actum promissum, & ideò mortaliter peccabunt, & si non contra votum, saltem contra obedientiam non obseruando illud. Et ideo hanc partem sustinet Suar.*lib.4 c.9.nu.9.*

QVÆSTIO CCLVII.

An Regulares exempti teneantur hæc vota seruare?

RESPONDEO teneri. Ratio est, 1 quia regulares reputantur ciues illius oppidi, & ideò sicut reliqui vicini eius, tenentur ea custodire.

Tum quia in his interuenit consensus

sensus Episcopi, & in legibus synodalibus Episcopi tenentur regulares obedire, vt expresse definitur in Cóc. Trid. *Sess.* 25 *de regul. c.* 12. vbi præcipitur vt festa ab Episcopis indicta, regulares obseruent. Et ita sentit Vasq. 1.2.*q.*96.*art.*5.*ad* 167.*nu.*34.*&* *q.*97. *art.* 3. *d.* 177. & Roder.*p.*1.*sum. cap.* 122.*num.*1.

QVÆSTIO CCLVIII.

An votum statim sit persoluendum?

1 RESPONDEO si animus vouentis fuit se voto ad statim exequendum obligare, tenetur statim, id est pro prima opportunitate congrua, illud executioni mandare. Si verò ad certum tempus, eo expleto, statim debet illud implere, si commodè possit. Et ratio est, quia cum voti obligatio ex vouentis intentione dependeat, eo ipso quod intendit votum statim, aut intra certum tempus adimplere, contrafaciendo peccat, nisi aliqua iusta de causa excusetur. Et ita tenet D.Tho. 2.2.*q.*88.*art.*3. & Caiet. *ibidem* Sot. *lib.*7. *q.* 2. *art.*2. & Nauar. *cap.*12. *num.*41. Et in hoc omnes Doctores conueniunt.

Sed tota controuersia versatur de eo, qui vouit, & tempus adimplendi votum non definiuit, nec deprehendere potest, ad quod tempus voluerit se obligare?

2 Illustrissimus Caiet. *in sum. verbo votum cap.*4. *&* 2.2.*q.* 88.*art.*3. censet tempus illius voti exequendi, præfiniendum esse iuxta conscientiam vouentis, nam si illa dictat non esse contra votum expectare vnum, vel duos annos, non erit in mora culpabili qui hoc tempore distulerit solutionem: quia tale dictamen conscientiæ virtualem vouentis voluntatem indicat temporis, quo se obligare voluit.

Sed, pace tanti viri sit dictum, hæc regula incerta est, & pro iis qui timoratæ sunt conscientiæ nimis scrupulosa, pro aliis vero nimis laxa. Quippe 3
scrupulosi semper se in mora esse credent: suæ verò salutis parum memores, & ignari, aut nunquam, aut rarissimè se in mora esse putabunt.

Quare dicendum est, hunc teneri suum votum obseruare, cum primùm iudicio prudentis commodè poterit. Hæc autem voti adimplendi commoditas non est intelligenda metaphysicè, sed moraliter respectu vouentis, quia multa tempora sunt ex parte rei commoda, quæ tamen secundum morem vouentis non censentur commoda, & ipse intendebat se obligare tempore commodo in suo idiomate.

Hinc, qui nullo præfinito tempore 4
vouit, potest suum votum differre vsque ad illud tempus, in quo sperat commodiùs, quietius, aut deuotius illud impleturum. Quia moraliter ea censetur commoditas implendi. Ita Syluest. *verb votum* 2.*q.*3. Armil. *verb. votum num.* 10. Angel. *verb. votum* 3. *num.*2. Tab. *verb votum* 3 *q.*3. *&* Arag. 2.2.*q.*88.*art.*3.

Hinc, qui nullo tempore præfixo ingressum religionis vouit, potest tuta conscientia illum procrastinare vsque ad eam ætatem, qua aptus sit ad austeritates religionis perferendas. Quia ea ætas ingressui illi commoda censetur.

Hinc, si iuuenis duodecim annorum religionem Minorum voueat, potest secundum Cordubam *in sum. q.*39. ingressum differre vsque ad 17. vel 18. annum, non autem vsque ad 25. vt perperam Roder. 1. *p. sum. cap.* 97.*num.*9. docuit. Vnde non approbo quod Petr. de Ledesm. 2.*tom. sum. tract.* 10. *cap.* 3. *dub. penult.* dixit, iuuenem 16. annorum satisfacere voto religionis, si intra triennium, illud impleat,

at esse voti reum, si octo vel nouem annorum spatio differat.

Hinc, qui nullo determinato tempore religionem vouit, volens esse de numero laicorum, potest vsque ad eam ætatem expectare, qua absque graui salutis suæ nocumento, ad labores laicorum illius religionis tolerandos aptus sit. Idem dico de votis alicuius perpetui obsequij, vt de voto inseruiendi in perpetuum hospitali, potest enim expectare eam ætatem idoneam ad labores illius hospitalis tolerandos.

5 Hinc, qui religionem vouit, proposuitque illius esse ordinis, qui ad chorum destinatur, potest differre ingressum quousque Grammaticam addiscat. Quia in nulla religione est commoditas illam addiscendi. Immò si propensus esset ad sacras literas addiscendas, aptúsque ad illas, nec in religione promissa esset commoditas illis vacandi, posset expectare totum tempus quo illis studiis vacet, secundum Cord. *in sum. q. 39.*

6 Hinc, qui nullo præfixo termino votum religionis emisit, potest expectare tempus, in quo à parentibus is ingressus minus molestè feratur. Ingens enim molestia parentum iustam huic dilationi causam subministrat.

QVÆSTIO CCLIX.

An qui statim votum non implet post natam commodam illius implendi opportunitatem, peccet mortaliter?

1 RESPONDEO regulariter peccare mortaliter. Probatur per illud Deut. 23. *Cum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus.* Et infra: *Si morat us fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Item per illud Eccles. 5. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis, & stulta promissio.* Ex quibus verbis colligitur, peccatum perfidiæ irreligiosæ contra Deum committi, non solùm transgrediendo votum, sed etiam illud non statim implendo, cum impleri potest: quemadmodum peccatum iniustitiæ contra proximum committitur, non solùm quando res aliena iniustè vsurpatur, verum etiam, quando statim illa non restituitur. Tunc autem erit mortalis dilatio, quando est notabilis negligentia post opportunitatem implendi habitam, secundùm Syluest. *verb. votum 2. q. 3.* vel vt ait Angel. quando est notabilis, & valde longa dilatio, vel denique secundùm D. Anton. *2. p. tit. 11. cap. 1.* §. 1. quando votum differtur nata commoda opportunitate per longa tempora, & in ipsa nimia dilatione est periculum obliuionis, vel impotentiæ implendi.

Dixi notanter (*regulariter*) quia ratione paruitatis materiæ, vt quia mora illa est modica, potest esse peccatum veniale.

QVÆSTIO CCLX.

An qui vouit se aliquid certa die facturum, puta ieiunare vigiliam alicuius Sancti: & sua culpa illud non expleuit, teneatur ea transacta adhuc votum suum adimplere?

PANORM. *in cap. per tuas de voto num. 1.* Angel. *verb. votum, 3. nu. 3.* Sylu. verb. *votum 2. q. 4.* & Tab. *ibidem 3. quæst.* 1

3.*quæst.*7.putant teneri,qui addunt limitationem, nisi vouens intenderit determinatè se obligare ad illum diem:& addit Tab.hanc esse frequentiùs intentionem vouentium.

2 Alij vero negant. Pro quo.

Primò dico quod si is qui vouit præcipuè rationem habuit ad temporis deuotionem, vt ieiunare in die veneris in honorem passionis Christi; vel in die Sabbati propter deuotionem ad beatam Virginem; tunc si in tali die præfixa non ieiunat, ea transacta, quamuis vouens peccet mortaliter, non tenetur aliis diebus ieiuna-
3 re. Ratio est, quia tale ieiunium est onus illius temporis, sicut ieiunia Ecclesiæ in quadragesima, in vigiliis, & in quatuor anni temporibus sunt onera illorum dierum præcisè; vnde qui in his diebus sine iusta causa non ieiunauit, vel vna die preces horarias non recitauit, non tenetur alia die ieiunare, vel bis horas canonicas persoluere, sed pro peccato omissionis pœnitentiam agere.

Tum quia tale tempus est intrinseca rei per illud votum promissæ circumstantia, atque per modum vnius vtrumque sub voto includitur. Cùm ergo eo transacto sit impossibile rem promissam cum ea circumstantia implere, extinguetur prorsus voti obligatio.

4 Hinc, qui vouit recitare aliquam orationem coram imagine alicuius specialis Sancti, vel in aliquo peculiari loco, ex speciali illius imaginis, vel oratorij deuotione; si coram illa, vel in eo loco nequeat suum votum explere, liber est à voti obligatione. Secus autem si is, qui vouit, non habuit specialem illius affectum, sed præcipuè respexit ad orationem.

Hinc, qui anno Iubilei vouit se Romam peregrinaturum, eo transacto, non tenetur ampliùs adire. Quia tunc intentio vouentis fuit in illo anno Romam visitare, & non in alio.

Secundò dico, quod si is qui 5
vouit certo tempore ieiunare, non habuit respectum ad temporis deuotionem, sed præcipuè respexit ad ieiunium, si illo die non ieiunat, non solùm peccat mortaliter, si culpabiliter omittit ieiunare; sed etiam tenetur illud adimplere, quam citiùs commodè poterit. Ratio est, quia tale ieiunium non est onus illius temporis, sed tempus est appositum vt executionis voti terminus, intra quem implendum est, nec vltra differre liceat.

Et est conclusio definita *in capite,* 6
Cum dilecti, versu, præterea cum mandatur de dolo, & contumacia, vbi dicitur, iussum soluere certa die, teneri ea elapsa. Et *in l. Celsus* §.1. *ff. de recept. arbitr.* vbi habetur iussum dare decem pauperibus certo tempore, duo præcepta habere, alterum dandi,alterum eo tempore,ac proinde transgressorem posterioris teneri ad prius. Et ita tenent Caietanus 2. 2. *quæst.*88.*artic.*12. Sotus *libr.*7.*quæst.*2. *art.* 1. Nauarr.*cap.*12.*num.*54. Valent. 2.2.*d.* 6. *quæst.* 6.*p.* 4. Azor. *lib.* 11. *cap.*15.*quæst.*11.& Roder.*p.*2.*cap.*101. *num.*14.

Hinc, qui vouit ingredi religio- 7
nem in die Natiuitatis Beatæ virginis ob deuotionem eius, si culpa sua illo die non ingressus est religionem, peccauit mortaliter, & nihilominus elapso eo tempore votum adimplere tenebitur.Ratio est, quia ingressus religionis fuit principalis materia voti, solemnitas autem temporis secundaria.

Tum quia huiusmodi tempus non ad finiendam, sed ad differendam obligationem fuit appositum.

Hinc,

Hinc, qui vouit ire Romam intra annum, si id non facit, peccat mortaliter, & adhuc votum persoluere tenetur, quamprimum commodè poterit.

8 Quia peregrinatio fuit principaliter intenta, & tempus ad expellendam moram fuit appositum.

Hinc, qui vouit ieiunare triduo intra præsentem mensem, cum tale ieiunium votiuum non sit onus illius temporis, sed tempus appositum sit, vt mensura, intra quam debeat impleri, si non ieiunat intra istum mensem, non solùm peccat mortaliter, sed etiam tenetur ieiunare triduo, quàm primùm commode potest.

9 Hinc, si confessarius alicui in pœnitentiam iniungat ieiunium sextæ feriæ, tunc licet pœnitens in illa die non ieiunet, tenetur alia die ieiunare, quia tale ieiunium non est onus diei, sed personæ.

Tum quia licet confessor simul respexerit ad specialem deuotionem illius diei, tamen principaliter respexit ad ieiunium.

10 Tertiò, & vltimò dico, quod si is qui voto certum tempus assignauit, id fecit ad finiendam obligationem illius, eo elapso non tenetur ad aliquam compensationem: vt si quis voueat bis in hebdomada ieiunare, ita tamen vt in qualibet hebdomada sua obligatio finiatur, ne (si in illa impleta non fuerit) oporteat pluries in alia hebdomada ieiunare, nam ad hoc non vult obligari, non ob deuotionem, sed ne nimium grauetur.

QVÆSTIO CCLXI.

Sed quid si vouens sit anceps, an tempus sit assignatum præcipuè ob eius deuotionem, an potiùs vt determinatiuum executionis ipsius voti?

RESPONDEO in hoc casu censendum est tempus hoc posteriori modo esse præfixum, & ideò obligare votum eo tempore transacto, non quidem vt putat Azorius *lib. 11. cap. 15. q. 2.* quia hæc pars sit tutior, cùm non teneamur semper partem tutiorem amplecti; sed quia obligatio voti est certa, ac proinde est in possessione, excusatio autem vouentis dubia. 1

QVÆSTIO CCLXII.

An qui non potest implere votum tempore præfixo, teneatur tempus præuenire vt illud adimpleat?

AD hoc dico primò, quod quando opus vouetur, vt proprium onus certi diei, seu temporis, vt ieiunium feriæ sextæ in memoriam dominicæ passionis, non tenetur quis illud præuenire, ieiunando præcedente aliquo die, etiamsi præuideat se illo die impediendum à ieiunio. Ratio est, quia etiamsi id faciat, non implebit suum votum, quo specialiter promisit ieiunare feriam sextam in cultum illius diei dedicati memoriæ passionis Christi. 1

Tum quia eadem est ratio de postpositione, & præuentione; sicut ergo non tenetur postea facere, si in die proprio non potuit, ita neque tenetur anteponere.

Et confirmatur à simili de præceptis eiusdem formæ, seu materiæ: nam non tenetur quis præuenire missam in die sabbati, etiam si præuideat ægritudinem seu febrem in die dominica impedituram, ne missam possit audire, & sic de aliis: ergo. 2

Secundò dico, quod si is qui voto certam diem apposuit, id fecit intentione suspendendi obligationem vsque ad

ad illum diem, non tenetur præueniendo adimplere promissum ante præfinitum terminum, etiam si futurum impedimentum præuideat; sed poterit postponere vsque ad aliam diem, quando id votum non est illi
3 diei alligatum. Ratio est, quia talis terminus non fuit appositus tam ad differendam solutionem, quam ad obligationem adimplendi inchoandam. Vnde sensus talis voti est, ex tali die hoc faciam.

Tertiò dico, quod si is qui voto certum diem præfixit, id fecit tantum ad differendam solutionem, non autem ad suspendendam obligationem, tenetur præueniendo adimplere promissum, si impedimentum postea futurum præuideat. Ratio est, quia talis
4 dies statuitur vt terminus differendi voti, atque ita sensus talis voti est, *promitto fore vt vltra id tempus non differam*: ergo ne vltra differat, tenetur præuenire, quando tunc timet impedimentum. Quod intelligitur, nisi anticipando redderetur executio voti valde difficilior, quàm vouens putabat. Vt si vouit ieiunium in die Veneris, non ob diei deuotionem, sed tempus assignauit, vt esset mensura, qua vult adimplere votum, ductus quod illa die cibi sunt ieiunio apti, aliis autem diebus minimè, non tenetur præueniendo ieiunare, si præuideat habiturum in illo impedimentum implendi; sed poterit postponere vsque ad aliam feriam sextam: cùm id votum non sit tempori alligatum. Quia notabilis mutatio non solùm à dilatione, verùm etiam à transgressione excusat.

Hinc, qui nouit se non posse confiteri in duodecimo mense, tenetur in vndecimo satisfacere tali suæ obliga-
5 tioni: & obligatus ad persoluendum diuinum officium, & præuidens se fore impediendum post meridiem, tenetur præueniendo ante meridiem illud recitare.

Quartò, & vltimò dico, quod licèt terminus temporis sit præfixus ad finiendam obligationem, si opus promissum non est peculiare onus alicuius determinatæ partis totius tempo- 6
ris vsque ad illum terminum, tenetur quis præuenire terminum illum, si præuideat habiturum in illo impedimentum implendi: v. g. vouit quis ieiunare decem dies mensis, non designando illos, si ille præuideat post quindecim dies ieiunare non posse, tenetur in prioribus diebus votum suum implere, & ita præuenire tempus. Ratio est, quia tunc totum tempus mensis est tempus absolutæ obligationis, quæ debet impleri in parte eius possibili.

QVÆSTIO CCLXIII.

An vota extinguantur morte, ita vt vouens ad vitam reuocatus liber ab eis maneat?

IOANN. Andr. & multi alij *in cap. fraternitatis de frigidis, & malef.* negant. 1

At verò Angel. *verb. mors num.* 3. & Syluest. *verb. resuscitatus num. vnico* affirmant, & meritò quidem: quia hæc 2
omnia vincula, sicut, & matrimonij pro solo vitæ curriculo obligant. Quare professus resuscitatus posset liberè matrimonium contrahere, cùm matrimonio ineundo non obstet nisi solum votum, quod per mortem est prorsus extinctum. At si hic esset Sacerdos non posset validè matrimonium inire, non quidem ratione voti, quod iam extinctum est; sed quia cum verus Sacerdos resurgat, tenetur ad leges canonicas, quarum vna est, vt ordine sacro insignitus

nequeat validè matrimonium contrahere.

QVÆSTIO CCLXIV.

An qui sua culpa non impleuit votum tempore præfixo, ad aliquam compensationem postea teneatur?

1 RICHARD. *in 4. dist. 38. q. 1. art. 5.* affirmat.

Cæterùm nullatenus placet mihi hæc sententia, sed existimo hunc ad nullam compensationem teneri. Ratio est, quia violatio voti non est peccatum contra iustitiam, quæ ad compensationem obligat, cum non damnificet Deum in suis bonis iuxta illud
2 Iob. 35. *Si peccaueris, quid ei nocebis?* & ideò licet sit grauis culpa in ratione irreuerentiæ, & contra cultum Deo debitum, non tamen est propriè iniustitia, vnde non requirit aliam satisfactionem, quàm conuersionis ad Deum ipsum per veram cordis contritionem.

QVÆSTIO CCLXV.

An qui vouit ieiunare vigiliam S. Ioannis Baptistæ, & postea vigilia illa incidit in dominicam, teneatur ieiunare in dominica, vel potius in sabbatho?

1 RESPONDEO si intentio vouentis fuit per ieiunium carnem suam affligere, vt eam spiritui subdat, & Deo pro peccatis satisfaciat, tenetur tunc iuxta communem Ecclesiæ morem sabbatho ieiunare, & non in dominica: si verò intentio fuit se ad deuotionem maiorem per ieiunium disponere, tenetur die dominica ieiunare: quoniam tale ieiunium est bonum opus conducens ad Dei gloriam. Quod si neutram intentionem habuit, aut est dubius an intenderit ieiunare, si dies illa in dominica venerit, necne; debet, vt diximus, Ecclesiæ consuetudini se conformare, & sic in die sabbathi ieiunare. Sin vtramque intendit, tenetur eodem die ipsum seruare.

Hinc, qui vouit totum integrum annum ieiunare, si expressè dies dominicos non comprehendit voto suo, potest tuta conscientia se conformare vniuersali consuetudini Ecclesiæ, & sic iis diebus non ieiunare. 2
Putat tamen Sayrus *lib. 6. cap. 8. dub. 5.* hunc teneri illis diebus abstinere à lacticiniis prout fit in quadragesima.

Dices, *in cap. si quis presbyter d. 30.* ieiunium in dominica prohibetur.

Respondeo intelligitur hoc, quando ieiunatur in dominica ex contemptu diei dominicæ, vel ex superstitione, & errore Manichæorum, qui putabant tale ieiunium necessarium: non autem, quando fit ex deuotione. 3

QVÆSTIO CCLXVI

An Deus possit vouere?

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia vouere est actus Religionis, cuius Deus non est capax; cui enim cultum exhibebit illa suprema Maiestas? Quare licet promittere possit, vt constat, non tamen in cultum, vel obsequium, sed in beneficium eius cui promittit. 1

QVÆSTIO CCLXVII.

An Christus vt homo potuerit vouere?

Respon-

1 RESPONDEO potuisse. Ratio est, quia Christus vt homo potuit Deum colere, & orare, sicut & illi obedire, & satisfacere; ergo & vouere: sunt enim hi omnes actus religionis.

Deinde Christus vt homo fuit capax obligationis præcepti: ergo, & obligationis voti. Et in hoc omnes conueniunt.

Tota igitur difficultas in eo sita est, An Christus vt homo de facto votum emiserit?

2 Sunt quidam qui negant, tum quia Deus erat, tum etiam, quia vt homo propter vnionem habebat voluntatem firmatam in bono.

At multò verius est, Christum potuisse saltem vt viator erat votum proprium emittere, & credibile est illum sub initio suæ conceptionis tria essentialia, & substantialia religionis vota emisisse, nempe castitatem, paupertatem, & obedientiam, non quidem homini præstanda, id enim non decebat, sed Deo; & maximè in procuranda hominum salute, & offerendo seipsum in sacrificium pro Ecclesia sua. Vnde Hilarius exponens illud

3 Psal. 131. *Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob*: Sic ait: *Sic Christum gessisse omnia, vt sacramento religionis satisfacere videretur.* Et paulò inferius ait: *Impium, & prophanum docens esse, si non omnia, quæ erga humanam salutem patri vouisset, expleret.* Huic sententiæ fauent mirabiliter illa verba Psal. 21. *Vota mea reddam in conspectu timentium eum.* In illo enim Psalmo, Christum esse qui loquitur, fatentur vniuersi. Vnde D. August. per votum intelligit sacrificium Christi, siue cruentum, siue incruentum.

4 Nec obstat, quod Christus habuerit voluntatem firmatam in bono, tum quia potuit pluribus modis, & titulis eam confirmare, Tum etiam, quia votum non solum fit propter firmandam voluntatem, sed etiam propter honestatem religiosi cultus.

QVÆSTIO CCLXVIII.

An Angeli, & Beati possint votum emittere?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia Angeli, & Beati habent omnia ad vouendum necessariò requisita. s. intelligentiam, libertatem, subiectionem ad Deum per religiosum cultum; & potestatem se obligandi: ergo possunt vouere. 1

Tum quia licet Angeli, & Beati habeant voluntatem firmatam in bono, adhuc sunt capaces boni voluntarij, quod per votum potest melius reddi, & aliundè sunt capaces obligationis, & præcepti; ergo possunt votum emittere.

QVÆSTIO CCLXIX.

An Angeli, & Beati de facto votum emittant?

RESPONDEO verisimilius esse, Angelos, & Beatos cum Christo regnantes nullum votum emittere. Ratio est, quia Beati iam sunt in termino, & extra statum merendi: vouere autem spectat ad statum viæ, propter futuras actiones, vt ad maiorem perfectionem, vel meritum tendant. 1

QVÆSTIO CCLXX.

An qui sunt alterius potestati subiecti possint licitè aliquid vouere sine consensu superioris?

RESPONDEO posse, si materia promissa sit apta, qualem votum 1

 requi

requirit, id est, de materia honesta, ipsis non prohibita. Sic D.Thom. 2. 2. *q.* 189. *ar.* 8. vbi generaliter docet, subditos non peccare vouendo rem licitam.

QVÆSTIO CCLXXI.

An subditi possint firmiter aliquid vouere sine consensu superioris.

1 RESPONDEO non posse, quo ad ea, in quibus alteri subiiciuntur. Ratio est, quia votum vt sit firmum, debet fieri de proprio, & id in quo quis alteri subiicitur, non est proprium: sed alienum, ergo.

Dixi notanter *(vt sit firmum)* ad insinuandum verum esse votum emissum à subdito, ante consensum superioris, quamuis sit conditionale, atque
2 adeò dependens quoad vim obligandi ex consensu superioris; qui si consentiat, tum demum obligat id votum: sin minus, dicitur id votum subditi irritari, hoc est, perinde esse, atque si non fuisset factum.

QVÆSTIO CCLXXII.

An pueri possint aliquid vouere?

1 RESPONDEO pueros ante vsum rationis ad peccandum mortaliter sufficientem, nullo modo posse aliquid vouere. Ratio est, quia sine voluntario consensu votum nō emittitur, sed ante vsum rationis homo non potest habere deliberatum consensum, vt constat: ergo nec votum. Et quidem ex iuris præsumptione ante septennium non præsumuntur habere vsum rationis: quod regulariter verum est, nam quandoque accidere potest: vt pueri ante dictum tempus discurrere incipiant, & tunc, quantum in se est, voto se obligare poterunt.

Et eadem ratione, sub his comprehenduntur perpetuò amentes, & hi omnes pro eo statu, & dispositione, in qua vti ratione non possunt, vt sunt dormientes, phrenetici, ebrij, &c.

QVÆSTIO CCLXXIII.

An pueri ante annos pubertatis, si vsum rationis habent, possint vouere?

PALAC. *in* 4. *distinct.* 38. *fol.* 870. 1
tenet in vniuersum pueros ante pubertatem nullum votum posse emittere, & si emittunt, esse ipso facto irrita.

Syluest. *verb. religio* 2. *q.* 15. affirmat impuberes non posse validè aliquid vouere, nisi sint prope pubertatem. Nam etsi ante eam ætatem rationis vsu ad peccandum sufficienti vtantur, non tamen sufficienti ad vouendum. Quia cum votum sit res grauissima, 2
non quocumque rationis vsu contentum est, sed pleno, & maturo indiget, qualis prope pubertatem aduenit.

Angel. *verb. votum* 2. *num.* 6. & Rosell. *verbo Nouitius nu.* 8. dicunt impuberes doli capaces obligari omni voto, præter religionis.

At communis, ac verissima sententia est, pueros ante 14. annum, & puellas ante 12. si rationis vsum ad peccatum mortale patrandum sufficientem habent, omnia vota simplicia etiam religionis, quantum in se est, emittere posse. Ratio est, quia ad cuiuscumque simplicis voti valorem ea deliberatio sufficit, & necessaria est, quæ exigitur ad peccatum mortale contrahendum: vt egregiè docet D.Tho. 2. 2. *q.* 88. *art.* 9. &

9. & 4. ult. art. 5. ad 3. quem vniuersi sequuntur. Cùm ergo ea reperiatur cum hoc rationis vsu, obligabit votum, quamuis parentes possint illud irritare.

Et confirmatur, nam hi cum tali vsu rationis possunt se obligare Diabolo per peccatum, & homini per sponsalia; ergo & Deo per votum.

Tandem est conclusio definita *in cap. Puella 20. q. 2.* & *in cap. is qui de reg. in 6.* & *in cap. 30. Num.* vbi dicitur, mulierem vouentem in domo patris, & in puellari ætate adstringi voto, nisi pater irritet. Et ideò ita sentiunt D Tho. 2. 2. *q. 88. art. 9.* & Caiet. *ibidem, & in sum. verb. votum cap. 3.* Sot. *lib. 7. q. 3. art. 2.* Nauar. *cap. 12. num. 68.* Arag. 2. 2. *q. 88 art. 9.* Roder. *2. p. sum. cap. 93. num. 2.* Azor. *lib. 11. cap. 16. q. 9.* & Valent. *2. 2. d. 6. q. 6. p. 6.*

QVÆSTIO CCLXXIV.

An possit filius existens sub potestate patris, facere votum dandi eleemosynam bonorum castrensium, aut quasi castrensium quæ habet?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia hæc bona sunt sua quoad dominium, & administrationem; & ideo pater non potest illud irritare vt cum D. Tho. & Nauar. tenet Roder. *p. 2. q. 93. num. 3.*

QVÆSTIO CCLXXV.

An seruus possit firmiter aliquid vouere?

1 RESPONDEO seruum nullum votum emittere posse, in quo aliquo modo præiudicium domino infertur. Quia quidquid seruus habet, domini est, siue ad personam, siue ad operas, siue ad res illud pertineat. Et ideò nec personalia, nec realia vota emittere potest: ac proinde nec peregrinationem, nec ieiunium, quibus à seruitio domini abstrahitur, vel debilior ad seruiendum domino efficitur, vouere potest, & multò minus voto se obligare potest ad Religionis ingressum, quæ ex toto debitū domini obsequium perturbat, & impedit. Vnde si aliquod votum de istis faceret, à domino suo irritari, & annullari potest.

Posset verò seruus cætera, quæ nihil prorsus domino officiunt v. g. preces aliquas, castitatem & id gen.. s ali.., in quibus non est domino subiectus, aut ei non præiudicant: Ita D. Thom. *2. 2. q. 88. art. 8.* & Caiet. *ibidem* Sot. *lib. 7. q. 3. art. 1.* Valent. *2. 2. d. 6. q. 6. p. 6.* & Arag. *2. 2. q. 88. art. 8.*

QVÆSTIO CCLXXVI.

An coniugati possint firmiter aliquid vouere?

IN qua re constat inter omnes, neutrum coniugum sine libero consensu alterius posse aliquid vouere, quod directè, vel indirectè tendat in præiudicium status matrimonialis. Ratio est: quia votum est tantum de illis rebus, quæ nostræ subiacent potestati, non autem de illis, in quibus quis est alteri subditus. Cum igitur coniuges corporis potestatem commutarint coniugaliter, ideò in hoc sibi præiudicare non possunt. 1

Hinc, neuter coniux potest immoderatas abstinentias, vigilias, longas peregrinationes, & alia huiusmodi vouere, quæ debito coniugali moderatè reddendo obstant. Quia neuter potestatem sui corporis habet, quoad debitum coniugale persoluendum.

Quod si vnus aliquid horum vouit sine alterius consensu, potest illud ab alio irritari. Ad cætera verò quæ non sunt in alterius præiudicium, voto se obligare potest: vt si vouit aliquod ieiunium honestum, & moderatum, recitare aliquas breues orationes, & alia in quibus quoad debitum coniugale persoluendum vnus alteri non præiudicat. Nauar. *cap. 12. num. 61.* Roder. *p. 1. sum. cap. 92. num. 9.* & alij communiter.

QVÆSTIO CCLXXVII.

Sed quod in dubium vertitur, est: An in cæteris præterquàm in reddendo, & petendo debito, coniuges sint pares, vt neuter possit sine alterius consensu aliquid vouere.

1 ANGEL. *verb. votum 2. num 8.* Syluest. *verb. votum 5. q. 1.* & Nauar. *cap. 12. num. 61.* censent eos esse pares.

Sed contraria mihi plus placet, quæ dicit eos non esse omnino pares. Ducor, quia coniuges licet sint pares in hoc, quod neuter altero inuito potest in præiudicium debiti coniugalis ali-
2 quid vouere: eò quòd quantum ad debitum coniugale petendum, & reddendum sint æquales: in reliquis vir est caput mulieris *1. Cor. 11.* & ideò sui iuris, & mulier sub eius potestate. Vnde vir inconsulta, & renitente vxore, potest ea vota emittere, quæ debito coniugali persoluendo minimè nocent: sed vxor tanquam subdita nullum potest emittere votum sine consensu viri. Et ideò ita tenent Palud. *in 4. d. 35. q. 3. art. 1.* Rosell. *verb. votum 2. num. 8. & 10.* & Roder. *2. p. sum. c. 92. art. 9.*

Ex quo sequitur posse maritum irritare votum, quod vxor facit non mentiendi, aut non occidendi. Quia licet in his, & similibus vxor non sit subiecta viro suo, ita vt teneatur mentiri, & occidere ipso iubente, est tamen subiecta quo ad nouam obligationem, qua ipsa obligatur; cùm ad virum pertineat inspicere, an hæc vota ei conueniant necne. Ita Arag. *2. 2. q. 88. art. 8.*

QVÆSTIO CCLXXVIII.

An vota longæ peregrinationis, magnæ abstinentiæ, & aliorum quæ debito coniugali præiudicant, sint ipso iure irrita, an potius valida donec irritentur?

SOTVS *lib. 7. de iust. q. 3. art. 1.* & 1
Roder. *2. p. sum. cap. 92. num. 2.* Sentiunt hæc vota emissa à viro inconsulta vxore esse irrita, ac proinde nulla irritatione indigere. Additque Sotus, culpam admittere virum sic vouentem, cùm voueat rem sibi prohibitam, & in alterius coniugis præiudicium, quia perinde est, ac si voueret, se minimè redditurum debitum.

Cæterum multò verius est, ea vota valida esse; posse tamen à coniuge 2
grauato irritari. Vnde nec coniux absolutè vouens peccabit, nisi expressè intenderet se ad ea vota obligare contra alterius voluntatem: tunc enim peccaret, & votum esset irritum.

Nec est simile de voto non reddendi debitum. Quia hoc contra substantiam matrimonij pugnat, ac proinde nullum. At votum longæ peregrinationis, vel nimiæ abstinentiæ, non est directè contra fidem matrimonij, 3
sed est aliquod alterius coniugis onus: quare validum erit, licèt integrum sit coniugi grauato dissentire. Et ideò hanc partem sustinent Nauar. *cap. 12.*

num.

num.61.Lop.1.*p.cap.46*. Angl.*in materia de voto*,& alij.

QVÆSTIO CCLXXIX.

An coniuges possint sine alterius consensu habitum mutare, v.g. indui vestibus Eremitæ, vel tertij Ordinis sancti Francisci, &c.

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia huiusmodi vestes coniugatos dedecent; horrorem, ac fastidium alteri coniugi afferunt, ac proinde debito coniugali persoluendo nocent. Nau.*cap.12.num.61*.

QVÆSTIO CCLXXX.

An possit vir absque vxoris licentia votum peregrinationis emittere?

1 RESPONDEO posse aliquam modicam peregrinationem ad domum disponendam, absque vxoris consensu vouere; cùm sit caput mulieris, possitque absque voto illam exequi: non tamen poterit longam peregrinationem vxore inuita promittere, ex qua præiudicium quoad debitum reddendum vxori resultet: nisi fortè eum longo aliquo tempore abesse oporteret lucri, aut negotiationis gratia, & ad prouidendum sibi, & familiæ suæ de rebus necessariis. Ita Roder.*2.p.c.92.num.7*.& Sayr.*in clau. reg.lib.6.cap.5.num.9*.

QVÆSTIO CCLXXXI.

An possit vxor absque viri consensu aliquam peregrinationem promittere?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia vxorem peregrinati non decet, atq; ita est in viri præiudicium.

Tum quia in vouendi potestate non parificatur cum viro, cum vir sit caput: & vxor ipsi subdita.

QVÆSTIO CCLXXXII.

An quando vxor ante matrimonium contractum, aut post contractum, & consummatum ex licentia mariti votum peregrinationis, aut abstinentiæ emisit, teneatur ea vota seruare, si maritus eam postea reuocet?

RESPONDEO non teneri ea præstare, nec peccat non adimplēdo. Ratio est, quia de iure dinino, & humano tenetur marito obedire, vt expressè colligitur *ex cap. manifestum, & cap. Noluit 33.q.5.* & habetur expressè *num.30*. Et ideò ita tenent Caiet. *2.2.q.88.art.8*.Sot.*lib.7.q.3.art.1*.Nau. *c.12.nu.61*.Lop.*p.1. cap.46*. & Cosm. Philiar.*de off.Sacerd.lib.3.cap.4*. 1

QVÆSTIO CCLXXXIII.

An vir absque vxoris consensu possit votum adeundi Hierosolymam emittere?

IN qua re constat apud omnes, virum pro subsidio terræ Sanctæ posse tale votum facere, & adimplere sine consensu vxoris, vt definiuit Innoc. III. *in cap. ex multa §. in tanta de voto, & voti redempt.* Et ratio huius est, quia vxor potest sequi virum, si vult; quod si nequeat, iustum est, vt ad tempus contineat boni publici totius Ecclesiæ gratia. Quamuis non sit consulendum viro, vt crucem accipiat, si vxor eum non potest sequi, & de incontinentia timeatur. 1

Totum ergo huius controuersiæ dissidium consistit, quando vir non in

subsidium, sed solius causa deuotionis tale votum emittit sine licentia vxoris.

Quidam affirmant.

1 Alij verò rectius negant. Nam textus dicti Cap. multa de voto in subsidium terræ sanctæ disponit; & cùm hæc sit res odiosa vxori, non est extendendus.

Tum quia ratio superius adducta ob fauorem boni publici non militat, quando peregrinatio solius deuotionis gratia assumitur. Et ideo hanc partem sustinent Supplem. Gabr. *in 4.d.32.q.1.art.2.* Palac. *in 4.dist.32.d.2.* Stunica *q.3. de voto num. 69.* Roder. *2.p.cap.91.num.8.* Sanch. *lib.9. de matrim.d.3.nu.16.* & Sayr. *in cl.reg.lib.6. cap.5.num.9.*

2 At hisce nostris temporibus cum Hierosolyma possideatur à Turcis, vota quæ nunc fiunt illuc adeundi, non sunt in subsidium terræ sanctæ, sed solius causa deuotionis, ac proinde non possunt nunc fieri à marito sine consensu vxoris.

QVÆST. CCLXXXIV.

An vxor sine licentia mariti possit simile votum emittere, & adimplere?

1 NAVARR. *in Man.cap.12. nu.61.* & Lop. *p.1.cap. 46.* dicunt quod si vxor est iuuenis, & de incontinentia suspecta, non potest tale votum facere, & adimplere viro renitente, sed debet redimere illud. Si verò sit senex, & ita potens, vt possit milites armatos secum deducere, & habeat bona paraphernalia, id est bona vltra dotem, de quibus pro libito potest disponere; tunc huiusmodi votum sine viri licentia faciens, illud adimplere tenetur. Quia licet textus nihil disponat de vxore, at militat eadem ratio in hoc casu.

Cæterùm solidum huius sententiæ fundamentum non video; & ideò non placet, sed existimo non posse vxorẽ tale votum emittere, & exequi viro contradicente. Ducor, quia vxor cum præiudicio mariti nullum votum potest emittere, & adimplere sine eiusdem licentia, vt idem Nauarr. *vbi supra* testatur, sed tale votum est huiusmodi, vt constat: ergo.

Tum quia non videtur conueniens, vt mulier relicto domi viro cum gente armis munita, Hierosolymam, eodem inuito, proficiscatur: ergo par non est, vt dispositum in viro, ad vxorem extendatur. 2

Tum quia mulier non est ita apta ad subsidium, sicut vir, immo potius solet impedire.

Tum quia non potest mulier sic discurrere sine periculo castitatis, ac proinde nec tale votum facere, nec adimplere potest sine licentia mariti. 3

Et ideò pro hac sententia sunt. D.Th. *in 4.d.32.q.vnica art.3. ad p.* Palud. *ibidem q.2.art.3.* Sylu. *v.votum 5.q.1.* Sot. *in 4. d.32. q. vnica art.3.* Roder. *2.p. sum. cap. 92. num.8.* Sayr. *lib.6. cap.5. num.10.* & Suar. *lib.6.cap.4.num.15.*

QVÆSTIO CCLXXXV.

An alter coniugum possit sine alterius consensu se obligare ad non petendum debitum coniugale?

IN hac proculdubio graui, & difficili quæstione primùm oportet certa ab incertis, & ambiguis omnino secernere. Conuenit igitur inter omnes, post contractum matrimonium, & nõdum consummatum, posse vtrumque coniugem altero inuito tale votum emittere, illúdque adimplere ingrediendo 1

grediendo religionem. Quia vt habetur *ex cap. verum*, *& ex cap. Publico*, post matrimonium contractum, sed nondum consummatum, datur spatium duorum mensium, vt possit deliberare, an religionem ingredi voluerit, an non. Quod si intrare religionem noluerit, tenetur debitum reddere.

Secundò etiam conuenit, post consummatum matrimonium, posse alterum coniugum sine alterius consensu votum emittere se non petiturum debitum fauore sui, sed solum vbi alteri coniugi mos est copulam habere. Quia in hoc sibi soli præiudicat.

2 Tertiò etiam conuenit apud vniuersos, neutrum coniugum, post consummatum matrimonium, posse se obligare ad non reddendum debitum coniugale altero renitente. Ratio est, quia nemo potest per votum, alienum promittere.

Sed tota difficultas consistit: An alter coniugum post consummatum matrimonium, possit altero inuito, voto se obligare ad non petendum debitum coniugale?

Et quidem certum est, posse se obligare ad non compellendum consortem sibi reddere debitum. Quia
3 hoc nullo modo est in alterius præiudicium, sed solùm in præiudicium suum, cui renuntiare potest, ac proinde vnus non poterit tale votum alterius irritare.

QVÆSTIO CCLXXXVI.

Controuersia igitur tota est: An alter coniugum possit absque alterius licentia se voto obligare ad non exigendum debitum?

1 DOCTOR Angelicus *in 4. dist.* 32. *q. vnica art. 4. ad 3.* & *in addit. ad* 3. *p. q.* 64. *art.* 4. Nauar. *cap.* 12. *num.* 60. Arag. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. Valent. 2. 2. *d.* 6. *q.* 6. *p.* 6. Lop. 1. *p. cap.* 46. Vega 2. *tom. cap.* 129 *casu* 93. Emman. Sà *verb. votum num.* 27. & multi alij absolutè docent non posse tale votum emittere, sine alterius consensu; Ducuntúrque quia vergeret in graue præiudicium alterius, quem semper oporteret subire verecundiam in petendo debitum.

Victoria *Sum. de matrimonio n.* 280. & Angles *de matrimonio* sentiunt vxorem posse se tali voto ligare, non autem virum. Quia illi onerosum est pręe pudore semper petere, huic autem minimè.

At ego tamen libentiùs adhæreo 2 aliorum sententiæ, qui sentiunt hunc siue sit vir, siue vxor, posse tale votum emittere. Ratio est, quia quo ad hoc est sui iuris, nec vergit in præiudicium alterius, cùm satis sit reddere, quando alter petit.

Et confirmatur, nam coniux non tenetur lege matrimonij petere, sed tantum reddere.

Et est conclusio definita *in cap. Quidam de conuers. coniug.* vbi sic habetur. *Promisit se non exigere debitum, quod in eius potestate erat, ideò quo ad hoc votum tenuit: non reddere autem non erat in eius, sed in alterius coniugis potestate.* Et ideò hanc partem sustinent 3 Palud. *in 4. d.* 32. *q.* 2. *art.* 1. & Angel. *verbo matrim.* 4. §. 6.

Nec obstat ratio in contrarium adducta. Quia id votum non est ita onerosum, vt aduersarij opinantur, nam aliquoties potest petere, vt alteri morem gerat; & quoties in altero coniuge sentit vouens appetitum coitus, vel fornicationis periculum; quia petere 4 debitū in hoc casu, est potius reddere, alter enim tunc petit interpretatiuè vt rectè docet D. Tho. *in 4. d.* 38. *q.* 1. *a.* 3. *q.* 2. *ad* 4. Quod si adhuc sit aliquantulum onerosum, tenetur alter cōiux id

grauamen ſubire, cum vouens vtatur iure ſuo.

5 Ex quo colligitur votum hoc, cùm ſit duntaxat de debito non petendo, non obligare coniugem ad abſtinendum à debiti redditione, quando ea eſt voluntaria ob alterius adulterium. Immò eo matrimonio ſoluto, poſſe aliud inire, animo non petendi. Nec adulterium admittens peccabit contra votum, quia non fuit caſtitatis, ſed ſolùm non petendi, cui nihil horum aduerſatur.

QVÆSTIO CCLXXXVII.

An alter coniugum poſſit abſque alterius conſenſu votum caſtitatis emittere?

1 IN qua re certi iuris eſt, poſt matrimonium contractum, & non conſummatum, poſſe vtrumque coniugem altero inuito votum caſtitatis emittere, illúdque adimplere ingrediendo religionem. Quia vt habetur *ex cap. Verum, & ex cap. Publico.* poſt matrimonium contractum, & nondum conſummatum datur ſpatium duorum menſium, vt poſſit deliberare, an religionem ingredi velit, necne. Quod ſi ingredi noluerit, tenebitur tranſacto bimeſtri ad coniugem redire, conſummando matrimonium, reddendo, non autem petendo.

QVÆST. CCLXXXVIII.

Sed quod controuertitur inter Doctores eſt: An alter coniugum poſt matrimonium conſummatum poſſit ſine alterius licentia caſtitatem vouere?

1 D. Thom. *in 4. diſt. 32. q. vnica art.* 4. Paludan. *in 4. d. 38. q. 3. art. 5.* Supplem. Gabr. *q. vnica art. 1.* Petr. à Soto *lect. 10. de matrim. §. vlt.* Tab. *verb. matrimonium 1. q. 3.* Armil. *verb. debitum num. 19.* Petr. de Ledeſm. *de matrimonio q. 64. art. 4.* Barth. à Ledeſmio *de matrimonio diff. 71.* Emman. Sa *verb. votum num. 27.* & plerique alij abſolutè negant, poſſe tale votum emittere, eo quòd alteri coniugi ſæpe ſit moleſtum, & odioſum, maximè ſi ſit vir, qui id votum fecit.

Abulenſis *cap. 30. Numer. q. 82.* putat vxorem poſſe ſe tali voto ligare, non autem virum. 2

Alij vero rectius affirmant, poſſe vtrumque tale votum emittere, tenerique illud adimplere quoad non petendum debitum, non autem quoad non reddendum. Et ratio eſt, quia qui ſic vouet, licet intendat integram caſtitatem vouere, at non vouet omnes eius actus per modum vnius: atque ita licet quidam actus, vt non reddere, ſit malus, non deſinet obligare votum quoad alios actus bonos, vt expreſsè colligitur ex cap. Quidam de 3
conuerſat. coniug. & ex cap. Placet de mulieri coniug. Et ideò ita tenent Caietan. *2. 2. q. 88 art. 8.* Sot. *lib. 7. q. 3. art. 1.* Sylueſt. *verb. votum 4. q. 2.* Henriq. *lib. 11. de matrim. c. 15. n* 8. & alij.

Ex quo ſequitur primò votum hoc non ſolum obligare ad non petendum, ſed etiam ad non ineundum aliud matrimonium, vt ex teſtibus ſupra citatis conſtat, vbi dicitur id votum eatenus obligare, in quantum 4
coniux potuit ſe obligare: At certum eſt, potuiſſe ſe obligare ad abſtinendum ab aliis nuptiis.

Secundò ſequitur, id votum, eum obligare ad abſtinendum à quouis actu libidinis extra matrimonium, eritque ſacrilegus talis actus contra votum. Quia cum ad id ſe potuerit obligare coniux, cenſetur voto caſtitatis ad id ſe obligaſſe.

QVÆST.

QVÆST. CCLXXXIX.

An votum continentiæ, & non petendi debitum coniugale sit licitum?

1 Respondeo regulariter esse illicitum, & indiscretum, nisi id fiat ex consensu coniugis, qui permittat vouenti, vt seorsim cubet. Ratio est, quia exponit se periculo violandi votum, si assiduè cum coniuge cubet.

QVÆSTIO CCXC.

An si coniux voto castitatis adstrictus, post matrimonium consummatum debitum petit, alter qui non vouit, reddere teneatur?

Sylvest. *verb. matrimonium* 7. *q.* 5. Nauar. *cap.* 1 6. *num.* 31. & Azor. *lib.* 11. *cap.* 21. *q.* 5. affirmant non teneri, quia hic ratione voti non habet ius exigendi. Immò Nauarr. docet, non
1 solum non teneri alterum reddere, sed etiam peccare reddendo; quia qui reddit petenti cum peccato, cooperatur ipsius peccato.

Sed verius, ac probabilius multò est, quod docent Sotus *in* 4. *dist.* 31. *q. vnica art.* 3. Couar. *q. decret.* 2. *p. c.* 3. §. *num.* 6. Med. *lib.* 1. *sum. cap.* 14. §. 6. & Sanch. *lib.* 9. *de matrim. d.* 6. *num.* 7. nempe hunc ad id teneri. Ducor, quia
2 per votum non amittitur dominium corporis alterius coniugis per matrimonium acquisitum, licèt petitio, & vsus redditus sit illicitus in ordine ad Deum, quia fides voti violatur; ergo tenetur coniux exactus reddere.

Tum quia qui reddit debitum, non cooperatur formaliter peccato exigentis; quia solùm cooperatur copulæ ex sua natura licitæ coniugatis, & quam ipse ex iustitia tenetur alteri reddere, quamuis aliunde sit peccatum in altero coniuge exigere.

Tum quia, si quis pecuniam suam exigat à debitore ad expendendam prodigè, alter eam reddere tenetur: sic etiam in casu nostro, quamuis coniux præcepto fraternæ correctionis petentem precibus auertere teneatur; si tamen alter instet, debitum reddere tenetur.

Opinio tamen Nauarri recipi potest, quando facilè absque timore odij, indignationis, & incontinentiæ, qui non vouit, impedire potest peccatum alterius, qui cum voto, ac proinde cum sacrilegio debitum petit. Quia lex charitatis, fraternæque correctionis obligat ad retrahendum proximum à peccato mortali, vbi commodè absque suo detrimento fieri potest. 3

QVÆSTIO CCXCI.

An in casu quo coniux non tenetur reddere debitum alteri tali voto castitatis ligato, vt ratione adulterij, vel priori bimestri ante consummatum matrimoniũ peccet, si debitum reddat?

Covar. 4. *decret.* 2. *p. cap.* 3. §. 1. *num.* 6. putat eum peccare. Quia cum non teneatur reddere, videtur cooperari peccato exigentis. 1

At dicendum est, nullatenus hunc peccare reddendo debitum. Et ratio est, quia in hoc casu qui debitũ reddit, non cooperatur peccato exigentis; sed eo aliunde supposito, solùm cooperatur copulæ ex sua natura licitæ. 2

Tum quia si dubius de valore matrimonij petat debitũ à non dubitante, potest hic qui non est dubius petere, & reddere: nam cum sit in possessione pacifica, potest vti plenè

sua possessione, petendo,& reddendo debitum, nec aliquo modo illa spoliari debet ob alterius dubium. Sic ergo in casu nostro, cum coniux innocens nullo voto sit adstrictus, non est cur ob votum alterius, quod solùm vouentem afficit, iure, & possessione petendi,& reddendi priuetur.

Tandem petere debitum solùm delectationis causa,est peccatum veniale, vt cum communi testatur Sotus *in 4.dist.31.q.vnica ar.3.*& tamen nullum est peccatum reddere debitum petenti ex tali fine. Et ideò ita tenet Ledesm.*2.p.4.q.60.art.4.*

QVÆSTIO CCXCII.

An si coniux adulterium committat, teneatur alter qui voto castitatis ligatur, ei denegare debitum?

1 RESPONDEO teneri. Ratio est, quia tenetur suum votum seruare quantum potest sine alterius iniuria: tunc autem potest sine iniuria debitum denegare: ergo. Si tamen hic voto obligatus remitteret iniuriam adulterij alteri coniugi, aut pariter adulterium committeret,aut cognosceret coniugem adulteram, cum remissio illa teneat, & per hæc ipso facto amittat ius denegandi debitum, iam deinceps tenebitur reddere sicut priùs. At talis remissio esset mortalis, quia sponte se reddit impotentem ad seruandum votum.

QVÆSTIO CCXCIII.

An coniux, cui iuxta prædicta, debiti redditio est libera, si vir instanter, & quasi cogens petat, possit absque culpa ei reddere debitum?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia votum non obligat nisi ad instar legis; lex autem Ecclesiastica, non eo rigore compellit, vt velit nos subire magnum detrimentum pacis, pro illius obseruatione, esseque eam notabilem mutationem,vt votum pro tunc non obliget. Ita Abulen.*cap.30. Num.q.81* Vega *2.tom. sum.cap.129. casu 77.*& Anton. Gom.*in Bulla clausula 10.num.67.* 1

QVÆSTIO CCXCIV.

An coniux qui continentiam vouit, possit aliquando debitum petere?

RESPONDEO posse, non quidem in gratiam sui, vt suo appetitui obsequatur, sed gratia coniugi complacendi, & ne ei onerosum sit matrimonium. Ratio est, quia hoc petendi genus est quodammodo reddere, cùm in solius coniugis gratiam fit, quæ pro verecũdia solet ab exactione debiti arceri.Sic enim tenent D.Tho. *in 4.d.38.q.1.art.2.q.2.ad* 4.Sot. *in 4. d. 37. q. vnica art.1. & q. 38. quæst.2. art.1.* Nauarr.*cap.16. num.30.* Cord. *sum. q.136.* Lop.*p.2.cap.46.* & multi alij. 1

Ex quo sequitur licitum esse viro ita voto ligato,exigere debitum,quoties voluntatem petendi in vxore non audente præ verecundia coniecerit. Quia id est in vxore petitio tacita, in viro autem redditio.

QVÆSTIO CCXCV.

Sed quæstio tota est de vxore tali voto adstricta: An videlicet possit aliquando debitum petere?

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia cum nec viro indecens 1

sit

sit, nec ipsum petere debitum coniugale pudeat, non redditur ipsi onerosum matrimonium, si semper dum appetit, cogatur exigere. Quare si ipsi non petenti mulier se offerat, censebitur petere, quod ratione voti est sibi interdictum. Si tamen vir esset generis fœminini, ita vt præ verecundia non auderet petere, tunc idem dicendum est de vxore eodem voto ligata: potest enim se aliquoties viro ad eum vsum offerre, ab eóque debitum petere volente quidem coire, nec audente præ pudore petere. Nauarr. *cap.* 16 *num.* 10.

2 Hinc, licitum est coniugi, cui ratione voti petitio est interdicta, inuitare alterum, quem per signa agnoscit pati periculum ex graui tentatione carnis. Quia id, est reddere petenti interpretatiuè.

Tum quia votum non obligat ad non petendum cum tanto detrimento salutis spiritualis alterius coniugis. Ita victoria *sum. tract. de matrim. num.* 293. Henriq. *lib.* 12. *de matrim. cap.* 2. *num.* 9. & Palac. *in* 4. *dist.* 32. Immo puto teneri coniugem voto ligatum in tali casu petere, vt egregiè docet Petr. de Soto *lect.* 14. *de matrim. ad finem.*

QVÆSTIO CCXCVI.

An si is qui votum castitatis emisit, periculum incontinentiæ patiatur, possit petere?

1 VIGVERIVS *lib. instit. cap.* 16. §. 7. affirmat posse.

Cæterùm absque dubio dicendum est hunc non posse debitum petere. Quia incontinentiæ periculũ ipsiusmet vouentis, iustam causam præbet,
2 vt secum à Prælato dispensetur, non autem vt ante eam obtentam possit petere debitum, quia id nullo solido fundamento, aut iure licere probatur. Ita Couar. 4. *decret.* 2. *p. cap.* 7. §. 1. *n.* 5. & Gut. *lib.* 1. *quæst. Can. c.* 13. *n.* 6.

QVÆSTIO CCXCVII.

An is, cui ratione voti prohibitum est petere, possit indicare alteri coniugi suum votum, ne eius petitionem expectet, reddatúrque ei matrimonium onerosum?

RESPONDEO posse. Ratio est, 1
quia hoc non est exigere, quod solùm interdicitur. Ita Palud. *in* 4. *dist.* 38. *q.* 3. *art.* 5.

QVÆSTIO CCXCVIII.

An voto castitatis adstrictus possit prouocare alterum coniugem, qui non vouit, vt debitum petat?

RESPONDEO non posse. Ratio 1
est, quia hoc exigere est, quod voto aduersatur.

QVÆSTIO CCXCIX.

An talis impeditus possit alteri, qui non vouit signa petitionis ostendere?

RESPONDEO non posse. Ratio 1
est, quia ea est petitio interpretatiua. Alter verò si reddat, nõn peccat, quia solum reddit debitum alteri, quod ex se est bonum, & ad quod lege iustitiæ tenetur. Ita Sanch. *lib.* 9. *de matrim. disp.* 7. *num.* 11.

sua possessione, petendo,& reddendo debitum, nec aliquo modo illa spoliari debet ob alterius dubium. Sic ergo in casu nostro, cum coniux innocens nullo voto sit adstrictus, non est cur ob votum alterius, quod solùm vouentem afficit, iure, & possessione petendi,& reddendi priuetur.

Tandem petere debitum solùm delectationis causa, est peccatum veniale, vt cum communi testatur Sotus *in* 4.*dist*.31.*q.vnica ar*.3.& tamen nullum est peccatum reddere debitum petenti ex tali fine. Et ideò ita tenet Ledesm.2.*p*.4.*q*.60.*art*.4.

QVÆSTIO CCXCII.

An si coniux adulterium committat, teneatur alter qui voto castitatis ligatur, ei denegare debitum?

1 RESPONDEO teneri. Ratio est, quia tenetur suum votum seruare quantum potest sine alterius iniuria: tunc autem potest sine iniuria debitum denegare: ergo. Si tamen hic voto obligatus remitteret iniuriam adulterij alteri coniugi, aut pariter adulterium committeret, aut cognosceret coniugem adulteram, cum remissio illa teneat, & per hæc ipso facto amittat ius denegandi debitum, iam deinceps tenebitur reddere sicut priùs. At talis remissio esset mortalis, quia sponte se reddit impotentem ad seruandum votum.

QVÆSTIO CCXCIII.

An coniux, cui iuxta prædicta, debiti redditio est libera, si vir instanter, & quasi cogens petat, possit absque culpa ei reddere debitum?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia votum non obligat nisi ad instar legis; lex autem Ecclesiastica, non eo rigore compellit, vt velit nos subire magnum detrimentum pacis, pro illius obseruatione, esseque eam notabilem mutationem, vt votum pro tunc non obliget. Ita Abulen.*cap*.30. *Num.q*.81. Vega 2.*tom. sum.cap*.129. *casu* 77.& Anton. Gom.*in Bulla clausula* 10.*num*.67. 1

QVÆSTIO CCXCIV.

An coniux qui continentiam vouit, possit aliquando debitum petere?

RESPONDEO posse, non quidem in gratiam sui, vt suo appetitui obsequatur, sed gratia coniugi complacendi, & ne ei onerosum sit matrimonium. Ratio est, quia hoc petendi genus est quodammodo reddere, cùm in solius coniugis gratiam sit, quæ pro verecũdia solet ab exactione debiti arceri. Sic enim tenent D.Tho. *in* 4.*d*.38.*q*.1.*art*.2.*q*.2.*ad* 4.Sot. *in* 4. *d*. 37. *q. vnica art*.1. & *q*. 38. *quæst*.2. *art*.1. Nauarr.*cap*.16. *num*.30. Cord. *sum. q*.136. Lop.*p*.2.*cap*.46. & multi alij. 1

Ex quo sequitur licitum esse viro ita voto ligato, exigere debitum, quoties voluntatem petendi in vxore non audente præ verecundia coniecerit. Quia id est in vxore petitio tacita, in viro autem redditio.

QVÆSTIO CCXCV.

Sed quæstio tota est de vxore tali voto adstricta: An videlicet possit aliquando debitum petere?

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia cum nec viro indecens sit 1

sit, nec ipsum petere debitum coniugale pudeat, non redditur ipsi onerosum matrimonium, si semper dum appetit, cogatur exigere. Quare si ipsi non petenti mulier se offerat, censebitur petere, quod ratione voti est sibi interdictum. Si tamen vir esset generis fœminini, ita vt præ verecundia non auderet petere, tunc idem dicendum est de vxore eodem voto ligata: potest enim se aliquoties viro ad eum vsum offerre, ab eóque debitum petere volente quidem coire, nec audente præ pudore petere. Nauarr. *cap. 16 num. 10.*

2 Hinc, licitum est coniugi, cui ratione voti petitio est interdicta, inuitare alterum, quem per signa agnoscit pati periculum ex graui tentatione carnis. Quia id, est reddere petenti interpretatiuè.

Tum quia votum non obligat ad non petendum cum tanto detrimento salutis spiritualis alterius coniugis. Ita victoria *sum. tract. de matrim. num. 293.* Henriq. *lib. 12. de matrim. cap. 2. num. 9.* & Palac. *in 4. dist. 32.* Immo puto teneri coniugem voto ligatum in tali casu petere, vt egregiè docet Petr. de Soto *lect. 14. de matrim. ad finem.*

QVÆSTIO CCXCVI.

An si is qui votum castitatis emisit, periculum incontinentiæ patiatur, possit petere?

1 Vigverivs *lib. instit. cap. 16. §. 7.* affirmat posse.

Cæterùm absque dubio dicendum est hunc non posse debitum petere. Quia incontinentiæ periculũ ipsiusmet vouentis, iustam causam præbet,

2 vt secum à Prælato dispensetur, non autem vt ante eam obtentam possit petere debitum, quia id nullo solido fundamento, aut iure licere probatur. Ita Couar. *4. decret. 2. p. cap. 7. §. 1. n. 5.* & Gut. *lib. 1. quæst. Can. c. 23. n. 6.*

QVÆSTIO CCXCVII.

An is, cui ratione voti prohibitum est petere, possit indicare alteri coniugi suum votum, ne eius petitionem expectet, reddatúrque ei matrimonium onerosum?

Respondeo posse. Ratio est, quia hoc non est exigere, quod solùm interdicitur. Ita Palud. *in 4. dist. 38. q. 3. art. 5.* 1

QVÆSTIO CCXCVIII.

An voto castitatis adstrictus possit prouocare alterum coniugem, qui non vouit, vt debitum petat?

Respondeo non posse. Ratio est, quia hoc exigere est, quod voto aduersatur. 1

QVÆSTIO CCXCIX.

An talis impeditus possit alteri, qui non vouit signa petitionis ostendere?

Respondeo non posse. Ratio est, quia ea est petitio interpretatiua. Alter verò si reddat, non peccat, quia solum reddit debitum alteri, quod ex se est bonum, & ad quod lege iustitiæ tenetur. Ita Sanch. *lib. 9. de matrim. disp. 7. num. 12.* 1

QVÆSTIO CCC.

An is qui non vouit, possit prouocare vouentem vt petat?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia hoc est prouocare ad peccatum quod non licet.

QVÆSTIO CCCI.

An coniuges voto castitatis ligati sentientes se affectare copulam, & petituros si eis liceret, possint licitè commisceri?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia tunc neuter verè petit, sed reddit, cum neuter in gratiam sui, sed alterius accedat. Quod est verum, etsi communi consensu id votum emiserint; quia licèt se non petituros promiserint, reddere tamen tenentur, illaque copula est quodammodo redditio. Et ita tenent Rosel. *verb. impedimentum, impedimento* 4. *num.* 7. Angel. *verb. matrim.* 3. *impedimento* 5. *n.* 5. & Emman. Sa *verb. debitum coniugale vers. cum vterque*.

QVÆSTIO CCCII.

An qui cum voto castitatis matrimonium contraxit, teneatur post matrimonium cõsummatum debitum reddere, si à coniuge expressè, vel tacitè exigatur?

1 RESPONDEO teneri. Ratio est, quia hic non obstante tali voto verum corporis sui dominium transtulit in alterum: maior autem est obligatio matrimonij, per quam fit hæc actualis corporum traditio, quàm voti simplicis, quod meram promissionem importat: ergo si alter debitum exigit, tenetur ei reddere, quod si recusat, contra iustitiam peccat.

Dixi consultò (*si alter debitum exigit*) quia si non exigatur tanquam iure debitum, sed quasi ab amico petatur, atque adeò sine iniuria negari possit, præualere debet obligatio voti. Vnde falsa est eorum opinio, qui tenent post matrimonium semel consummatum licitum esse ei petere debitum; nisi cum D. Thom. intelligatur, quando ob alterius verecundiam, talis petitio interpretatiua redditio esset.

QVÆSTIO CCCIII.

An coniux conscius voti alterius, peccet si cum ipso matrimonium contrahat?

RESPONDEO peccare. Ratio est, quia contrahendo, eius peccato cooperatur. At contracto, & semel consummato matrimonio adhuc potest debitum petere, & alter tenetur sibi reddere, quia per illud matrimonium quamuis sacrilegum, verum ius, ac dominium in alterius corpus acquisiuit, nec ipse vouit, vel alterius voto consensit. Ita Sylu. *verb. matrimonium* 7. *q.* 5. 1

QVÆSTIO CCCIV.

An qui voto castitatis adstrictus matrimonium contraxit, possit debitum petere?

ANGELVS *verb. matrimonium* 3. *impedimento* 5. *num.* 3. Veracrus *p. p. Spec. art.* 5. & Viguer. *lib. institut. cap.* 16. §. 7. sentiunt posse hunc tali voto ligatum, vbi semel matrimonium 1

nium consummauit, iam deinceps debitum petere, ac si nil vouisset. Hanc opinionem censent esse valde probabilem Vega 1. *tom. sum. cap.* 129. *casu* 118. & Emman. Sa *verb. debitum coniugale vers. contrahens matrimonium.*

At verissima sententia est, hunc tali voto ligatum, non posse debitum pe-
2 tere. Ratio est, quia coniux quod attinet ad debitum exigendum sui iuris est, & potuit se voto castitatis adstringere, & suo iuri petendi debitum cedere, ergo quoad fieri potest, tenetur suum votum seruare, ac proinde peccat contra votum, petendo debitum.

3 Et est conclusio definita in cap. Quidam de conuersat. coniugat. vbi sic habetur. *Promisit se non exigere debitum, quod in eius potestate erat, ideò quo ad hoc votum tenuit.*

QVÆSTIO CCCV.

An qui post simplex votum castitatis, matrimonium contraxit, toties peccet mortaliter, quoties coniugale debitum petit?

1 HOST. & Calder. *in cap. Rursus qui clerici*, docent eum semel tantum peccare, cùm primùm debitum petit, postea vero non item, alioqui enim matrimonium esset alteri coniugi molestum, & onus intolerabile. Quam sententiam Angelus *verb. matrimonium* 3. *impedimento* 5. *num.* 3. censet esse probabilem.

Verùm communis sententia Do-ctorum est, hunc toties peccare mor-
2 taliter, quoties debitum petit. Ratio est, quia votum castitatis includit obligationem præcepti negatiui; per illud enim vouens obligatur ad abstinendum ab omni actu libidinis: ergo obligat semper, & ad semper; ac proinde toties peccat mortaliter, quoties suum votum violat petendo debitum, nisi id faciat ad voluntatem alterius coniugis expressam, vel tacitam, ita vt potiùs reddere, quàm petere videatur. Et ideò ita sentiunt D. Thom. *in* 4. *dist.* 38. *q.* 1. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 4. Caiet. 2. 2. *q.* 154. *art.* 1. *ad* 4. & *in sum. verb. matrimonium c. vlt.* & *verb. votum cap. votorum omissio.* Sot. *in* 4. *d.* 38. *quæst.* 2. *art.* 1. Cord. *sum. q.* 136. *p.* 2. Henriq. *lib.* 11. *de matr. cap.* 15. *num.* 8. Arag. 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. Valent. 2. 2. *d.* 6. *q.* 6. *p.* 4. Lop. *p.* 1. *cap.* 50. Nau. *c.* 16. *num.* 30. & *cap.* 22. *num.* 73. Roder. *p.* 1. *cap.* 241. *num.* 3. & *cap.* 243. *nu.* 13. Couar. 4. *Decret.* 2. *p. cap.* 3. §. 1. *num.* 6. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 18. Sà *verbo debitum coniugale, vers. contrahens matrimonium* Salon 2. 2. *q.* 62. *art.* 8. & multi alij.

QVÆSTIO CCCVI.

An si vterque coniugum simplici voto castitatis ligatus matrimonium contraxit, tuta conscientia possit vicissim petere, & reddere debitum?

SOTVS *lib.* 7. *q.* 3. *art.* 1. & Azor. 1
lib. 11. *cap.* 21. *q.* 5. asserunt neutrum posse petere, aut reddere debitum: non primum, quia vterque est potestate petendi priuatus. Non secundum, quia cum neuter habeat ius exigendi, eo ipso alterutri non licet reddere.

Cæterùm contraria sententia est multò probabilior. Ducor, quia cum per id matrimonium vterque transtulerit verum sui corporis dominium in alterum, nec votum emissum priuet iure iustitiæ erga alterum sibi debitorem, tenebitur vterque alteri petenti
reddere debitum. Et ideo tuentur hãc 2
partem Adrian. *quodlib.* 2. *ar.* 1. Angel. *verb. matrimonium* 3. *imped.* 5. *num.* 5. Tab. *verb. impedimentum, impedimento* 2. *q. vlt.*

2.q.vlt. Lop.p.p.cap.46. Petr. de Ledesm. de matrim. q. 53. art.1. & Angl. floribus de matrim.

QVÆSTIO CCCVII.

An coniunx qui consensit voto continentiæ alterius, possit postea ab eo debitum petere, & subinde alter reddere teneatur?

1 ABVLEN. cap.30. num.q.81. Stunica de voto q.3. num.62. Palud. in 4.d.32.q.1.art.2. & Adr. in 4.d. 14. de matrimonio sentiunt eum non posse petere, quia cum dedit vouendi facultatem, videtur iuri suo petendi cessisse. Quare si is qui licentiam concessit, postea debitum petat, vouentem non teneri reddere, & si reddat, peccatum mortale committere.

2 Oppositum tamen est verius, atque tenendum. Ratio huius est, quia per talem consensum non censetur cessisse iuri suo quod habet petendi, sed solùm vt alter non possit petere debitum ab eo, sed reddere. Et ideò ita sentiunt Nauar. cap. 12. num.59 Sot. in 4.d.17.q.1.art.4. & lib.7.quæst.3.art.1. Med. lib.1.c.14.§ 6. Lop.p.1.c.46 Vgolin. de matrim. cap 10. num. 2. Roder. p.1.cap.243. num.14. Vega 2.to.c.129. casu 77. & Emman. Sà verb. debitum coniugale num.2.

QVÆSTIO CCCVIII.

An si vnus coniux consentiat, vt alter omnimodam continentiam voueat, ita vt non possit petere, nec reddere debitum, is qui vouit possit reddere alteri petenti?

1 COSM. Philiarch. de off. Sacerd. tom.1.p.2.lib.3.cap.4. negat. Alij vero è contrariò affirmant.

Sed vt meam sententiam explicem, suppono primò eum qui talem licentiam concessit, posse validè id votum quoad non reddendum irritare absque causa, sed peccare mortaliter; 2
& cum causa, nullum peccatum committere, vt inferius dicemus.

Secundò etiam suppono, esse tacitam irritationem, quando conscius alterius voti de sua licentia emissi, debitum petit. At semel tali voto irritato, nullum esse peccatum debitum petere, quia præmissa irritatione, non manet voti obligatio.

Quibus sic præsuppositis ad propositam quæstionem respondeo sic. 3
Si coniux siue vir, siue fœmina prius irritet votum illud de licẽtia sua emissum, quo ad obligationem non reddendi, non peccat, si postea debitum petat, & alter tenetur de iustitia reddere. Quia facta irritatione, iam omnino extincta est obligatio voti. Immò si nolens coniux votum irritare, debitum petat, peccat quidem mortaliter petendo, at alter tenetur de iustitia reddere. Et ratio est, quia coniux per talem licentiam non abdicat à se ius iustitiæ in corpus coniugis, vnde si petat, erit sacrilegus contra votum, at alter tenebitur reddere tanquam rem suam poscenti. Sicut Prælatus dans licentiam religioso aliquid vouendi, si id votum irritet sine causa, peccat quidem mortaliter contra votum; at irritatio tenet, quia Prælatus per talem licentiam non desinit esse superior, nec censetur amisisse ius illud quod habet in subditum quo ad illam actionem, vt D. Bonau. in 4. dist.32. in expositione litera num.4. & Sanch. lib.9. de matrim. disp.36. nu.7. tradunt.

QVÆSTIO CCCIX.

An si coniux qui de licentia alterius castitatem

castitatem vouit, debitum petat, is qui talem licentiam concessit, non tamen vouit, teneatur debitum reddere?

1 NAVARR. *cap.* 12. *num.* 59. *& cap.* 16. *num.* 31. Lop. 1. *p. cap.* 46. Roder. 2. *p. sum. cap.* 92. *num.* 5. & Vega 2. *tom. cap.* 129. *cap.* 77. putant non teneri, immo mortaliter delinquere, si reddat, quia cooperatur peccato petentis contra votum.

2 Sed verius, ac probabilius multò est, quod docent Palud. *in* 4. *d.* 32. *q.* 2. *art.* 2. Henriq. *lib.* 11. *de matrimonio cap.* 15. *num.* 8. & Roder. sibi contrarius *p. p. sum. cap.* 243. *num.* 14. scilicet eum nullum peccatum committere reddendo, immò teneri sub mortali reddere. Ratio est, quia votum non priuat vouentem iure iustitiæ, quod habet vt alter coniux sibi reddat, qua ratione tenetur qui non vouit reddere debitum coniugi voto obligato; ergo si petit, alter reddere tenetur.

QVÆSTIO CCCX.

An si vterque coniugum communi consensu post matrimonium contractum vouit continentiam, possit vicissim petere, aut reddere debitum?

1 VERACRVS *p. p. spec. coniug. art.* 15. *in fine* ait neutrum posse petere, at vtrumque teneri reddere.

At ego existimo neutrum posse sub mortali petere, aut reddere. Ratio est, quia eo ipso quod vterque ex mutuo consensu continentiam vouit, vterque videtur cessisse iuri suo, quod habebat

2 petendi debitum. Ac proinde neuter ratione matrimonij tenetur reddere, immo nec potest, quia ratione voti castitatis tenetur continere, quandocumque sibi per matrimonium licuerit.

Et est conclusio definita in *cap. Quod Deo* 33. *quæst.* 5. vbi sic habetur. *Quod Deo pari consensu voueratis, perseueranter vsque in finem reddere debuistis, à quo proposito si ille lapsus est, tu saltem instantissime perseuera.* Et ideò ita sentiunt Nauarr. *cap.* 12. *num.* 59. *& cap.* 26. *num.* 31. Sot. *in* 4. *d.* 27. *q.* 1. 3
art. 1. Henriq. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 15. *num.* 8. Arag. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. Roder. *p. p. sum. cap.* 243. *num.* 14. Vega 2. *tom. cap.* 129. *casu.* 68. Lop. *p. p. cap.* 46. & Azor. *lib.* 11. *cap.* 21. *q.* 5.

Ex quo sequitur solum Romanum Pontificem posse dispensare in huiusmodi voto, quia absolutè reputatur votum integræ castitatis, cum de consensu vtriusque renũciauerint ius petendi, & soluendi.

QVÆSTIO CCCXI.

An votum non petendi, nec reddendi, mutuo coniugum consensu emissum, sit licitum?

PALVD. *in* 4. *dist.* 32. *quæst.* 2. *art.* 2. 1
tenet esse illicitum, nisi coniuges sint senes, ac de incontinentia minimè suspecti.

Sed dicendum est id votum per se esse licitum, & honestum. Et ratio est, quia per id votum nulli irrogatur iniuria: ergo est licitum. Et est conclusio definita *in cap. Quod Deo* 33. *q.* 5. vbi dicitur. *Tanto sanctius inter vos coniuges manebatis, quanto sanctiora, ac concorditer placita seruabatis.* Et in cap. 2
Sunt qui dicant 27. q. 2. vbi habetur. *Si verò vtrisque conueniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare.*

Dixi notanter (*per se*) quia ratione periculi, cui vouentes se exponunt violandi votum, si assiduè in eodem

cubili dormiant, potest tale votum esse illicitum, & lethale peccatum. Sot. *in* 4. *d*.17.*q*.1. *art*.4. & Vict.*sum. de matrim.num*.280.

QVÆSTIO CCCXII.

An mutuum pactum non petendi, nec reddendi, communi placito emissum, sit validum?

1 HVGO Card. 1. *Corint*. 7. explicans illa verba: *Nisi forte de consensu ad tempus*, ait, pactum non petendi esse validum, non autem non reddendi.

At tanquam certum tenendum est, tale pactum non petendi, nec reddendi mutuo consensu initum esse vali-
2 dum. Et ratio est, quia nulli eo pacto irrogatur iniuria.

Tum quia possunt coniuges se mutuo voto ad id obligare, vt cõstat; ergo & mutuo pacto. Consequentia patet ex paritate rationis. Poterunt tamen coniuges in hoc casu sibi vicissim hoc pactum remittere, & redire ad vsum matrimonij. Quia *omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur* cap.1. de reg. iuris. Cùm ergo mutuo pacto id conuentum sit, nec Deo sit promissa ea continentia, poterunt licitè mutuo consensu id pactum dissoluere. Ita Nau.*cap*.12.*num*. 59.Henriq.*lib*.11.*de matrim.c*.15.*num*. 8.Lop.*p.p.c*.46.Roder.*p.p.sum.c*.243. *num*.14.&alij.

QVÆSTIO CCCXIII.

An pactum de non petendo, vel reddendo debitum iuramento firmatum, possit mutuo consensu remitti?

1 RESPONDEO si id iuramentum sit factum solùm in fauorem vtriusque coniugis, vt vterque à seruitute coniugali sit liber, poterit mutuo consensu illud remitti, quia vnusquisque potest suo fauori cedere: secus si intuitu pietatis, vt continentiam ad Dei cultum obseruarent, tale pactum inierint, quia tunc non possent mutuo consensu ab eo recedere. Et in dubio intentionis idem puto dicendum, quia præsumitur intuitu pietatis id effectum esse. Si verò vnus coniux nolit remittere pactum, sed illi stare, non tenetur alter reddere debitum, quia per pactum ius acquisiuit, vt liber sit ab ea obligatione. At si periculum sit incontinentiæ in altero, credo teneri reddere, non quidem ex iustitiæ lege, sed ex charitate ad subueniendum periculo ruinæ coniugis.

QVÆSTIO CCCXIV.

An votum vnius emissum de licentia alterius coniugis, teneat, si alter postea licentiam reuocet?

DE hac quæstione illud est certum, & compertum omnibus, 1
quod si vnus coniugum continentiam vouit de consensu alterius, si alter reuocet sine causa facultatem, quam dedit, peccat mortaliter.

QVÆSTIO CCCXV.

An verò talis reuocatio sine iusta causa facta, sit valida, in controuersia versatur.

ILLVSTRISSIMVS Caietan.*tom*.1. 1
opusc.31.*resp*.14. *dub*.4. Nau.*cap*.12. *num*.59. & Cosm. Phil. *de off. Sacerd. p*.2.*lib*.3.*cap*.4. tenent non valere, ac proinde non posse alterum qui de licentia alterius tale votum continen-
tiæ

tiæ emisit, reddere debitum alteri, quia sic cooperaretur eius peccato, iuxta illud Rom. 1. *Digni sunt morte, &c.*

At verò Sotus *l. 6. 7. q. 3. art. 1.* Arag. 2. 2. *q* 88 *art.* 8 & Roder 1. *p. sum. c.* 91. *num.* 4. probabilius existimant, talem reuocationem valere, posséque coniugem absque peccato reddere debi-
2 tum petenti post reuocationem. Ratio est, quia talis redditio fit ob finem honestum; vt scilicet ad fidem promissam in matrimonio, & iustitiam conseruandam: & ideò quamuis alter petendo peccet mortaliter contra votum, quia tamen adhuc habet ius iustitiæ ad petendum debitum coniugale, alius ex iustitia tenebitur reddere quod suum est.

QVÆSTIO CCCXVI.

An qui votum castitatis emisit, & deinde voto neglecto, matrimonium contraxit, & consummauit, possit eo matrimonio soluto ad secundas nuptias transire?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia obligatio est perpetua, id est, vsque ad mortem, estque præstanda, quantum status præsens patitur. Non peccat tamen illud postea consummando, si ad alterius instantiam id faciat.

QVÆSTIO CCCXVII.

An peccet mortaliter, qui post votum simplex castitatis matrimonium contrahit?

1 IN qua re vnum certum est, alterum verò dubium valde, & controuersum. Certum est enim, quod qui post votum simplex castitatis ante obtentam dispensationem summi Pontificis matrimonium cōtrahit, animo illud consummandi, peccat mortaliter. Ratio est, quia id facere nequit nisi violando votum.

QVÆSTIO CCCXVIII.

Controuersia igitur tota est de eo, qui post votum emissum, voluntate ingrediēdi religionem ante consummationem contrahit.

DOCTOR subtilis *in* 4. *dist.* 38. *q. vnic.* Caietan. *in sum. verb. matrimonium*, Angel. *verb. matrimonium, impedimento* 5. & Tabien. *ibidem* 2. *q* 5. negant ea ratione, quia post matrimonium ratum, nondum consummatum, cuique coniugi fas est ad religionem ingredi *cap. Ex publico* 7. *de conuersat. coniugat.* 1

Cæterùm nullatenus placet mihi hæc sententia, sed existimo in vniuersum, eum qui post simplex votum castitatis, etiam animo non cōsummandi, contrahit matrimonium, peccare mortaliter. Ratio est, quia facit contra prohibitionem iuris in re graui. *Cap. Rursus qui clerici*, vel *Voventes. Et cap. Si quis* 27. *q.* 1. ergo peccat mortaliter. 2

Tum quia matrimonium ideò contrahitur, vt postea consummetur; nam qui contrahit, debet habere intentionem illud consummandi. Vnde *in dicto cap. Voventes* 27. *q.* 1. ex Hieronymo dicitur; *Voventibus virginitatem non solum nubere, sed etiam velle nubere, damnabile est.* At consummatio est contra votum castitatis emissum: ergo peccat mortaliter.

Tum quia qui matrimonium contrahit, regulariter se exponit periculo illud consummandi contra votum.

3 Tum quia qui sic matrimonium contrahit, alteri facit iniuriam, quippe quæ non ita facilè alij nubet, ob suspicionem copulæ cum illa habitæ.

Tum demum, quia futura professio incerta est, vtpote in aliorum arbitrio posita, atque adeò si dimittatur, vel non admittatur, à sponsa compelletur consummare.

Nec obstat *cap. Ex publico* allatum, quia etsi noui coniuges de iure possint se se ad religionem conferre, si Deus illis interea propositum religio-
4 nis inspiret; tamen quando contrahunt, non possunt animum determinatum intrandi habere: neque ius id eis concedit: solùm enim ius tribuit facultatem ingrediendi, supponens contractum bona fide esse initum.

QVÆSTIO CCCXIX.

An qui post votum simplex castitatis, matrimonium peccando contraxit, illud prima vice consummando, peccatum denuo committat?

1 MAGISTER Sotus *in 4.d.38.q.2. art.1.* Cord. *in sum.q.136.* Henriq. *lib.12.de matr.cap.2.num.8.* Cosm. Phil. *de off. Sacerd.to.1.p.2.lib.3.cap.19.* Emman. Sà *verb. matrimonium cap. de impedimentis dirimentibus, vbi de impedimento voti*, & Vega *2.tom.cap.129. casu 118.* distinguunt. Aut qui voto tenetur, matrimonium consummat, debitum petendo, & sic denuo in peccatum incurrit, quia petendo, & exigendo debitum, votum violat: aut consummat debitum reddendo, & sic nullum peccatum committit, cùm ius alteri coniugi debitum soluat.

2 At D.Thom. *in 4.dist.38.q.1.art.3. q.2.ad 3.* & *2.2.q.189.ar.8.ad 3.* Scot. *in 4.d.38. quæst. vnica ad finem* Caiet. *verb. matrimonium cap.1.* Tolet. *lib.4. cap.18.* Azor. *lib.11.cap.21.q.2.* Nauar. *cap.12. num.80. & cap.22. num.73.* & Couar. *de pactis 1.p.§.6.nu.8.* generaliter docent eum mortaliter delinquere, dum prima vice matrimonium consummat siue petendo, siue reddendo. Ratio est, quia ante consummationem potest votum illud castitatis implere ingrediendo religionem, quam potestatem sibi adimit consummando; ergo peccat mortaliter.

QVÆSTIO CCCXX.

Totum huius controuersiæ dissidium in hoc consistit: An qui post huiusmodi votum, matrimonium contraxit, antequam illud consummet, ingredi religionem teneatur, vt suo voto satisfaciat?

D. THOM. Scotus, Caietan. Tolet. Azor. Nauar. & Couar. docent hunc ex vi voti teneri, etiam reclamante altero coniuge, religionem ingredi, vt votum castitatis seruet; quia cum hac sola ratione possit ante matrimonium consummatum votum castitatis persoluere, id præstare tenetur; & sibi imputet quod cum potuerit castitatis votum seruare manendo in sæculo, voluit sciens ac prudens matrimonium contrahere. 1

At verò Sotus, Corduba, Henriq. Cosm. Philiar. Emman. Sà, Vega & multi alij docent non teneri hunc, religionem ingredi vt votum castitatis impleat, ac proinde minimè delinquere matrimonium consummando, reddendo debitum. Et hæc opinio mihi videtur verior, atque tenenda. Ducor, quia hic castitatem, & non religionem vouit: quam vt seruet, non videtur vlla lege compelli ad religio- 2

nis

nis ingressum, rem nimis arduam, & intentione vouentis non comprehensam.

Tum quia ingredi religionem non est medium proportionatum, sed longè difficilius, & altioris ordinis, & nemo tenetur rem furto ablatam alteri restituere, patiendo iacturam in re altioris ordinis, vt pecuniam cum vitæ, aut famæ, aut propriæ libertatis detrimento. Immò qui debet centum, & non potest ea soluere, nisi cum notabiliter maiori propriæ rei familiaris iactura, ad id minimè tenetur. At talis profectò est religio, respectu continentiæ promissæ, nam religiosus & libertatem, & omnia propria bona amittit; non ergo cum tanta iactura tenetur votum castitatis seruare, ac proinde non peccat consummando matrimonium ad coniugis petitionem, & satis est, quod votum adimpleat meliori modo quo potest, saluo statu matrimonij, nempe reddendo debitum, & non petendo.

3 Tandem est conclusio definita *in cap. vnico extrauag. Antiquæ concertationi de voto* vbi Ioannes 22. decernit initiatum ordine sacro post matrimonium ratum, nondum consummatum non teneri ad religionem, vt votum castitatis obseruet, sed post bimestre iure concessum teneri reddere debitum.

Ex quo loco sic argumentor. Si is qui post matrimonium ratum & nondum consummatum ad Sacros ordines ascendit, ac per consequens solemne votum castitatis emisit, non tenetur religionem ingredi, vt suo voto satisfaciat, multò minùs, qui post votum simplex castitatis duxit vxorem, tenetur religionem intrare, vt suum votum seruet, ac proinde poterit ad petitionem vxoris matrimonium consummare.

4 Hoc idem dicendum est de eo qui post matrimonium nondum consummatum castitatem vouit. Non enim tenetur religionem ingredi, vt votum adimpleat, sed satis est vt à petendo abstineat: rationes enim superius allatæ hoc idem probant.

QVÆSTIO CCCXXI.

An qui post votum assumendi ordines sacros, matrimonium contraxit, peccet prima vice consummando?

PETR. de Ledesm. *de matrimonio q. 53. art. 1.* & Roder. *p. p. sum. cap. 241. num. 3.* tenent hunc peccare, ac proinde teneri intrare religionem. 1

Sed contrarium videtur mihi verius: quia, vt dixi, hic non tenetur ingredi religionem: ergo non peccat matrimonium consummando; etiam ad sui petitionem, quia id votum non obligat ad castitatem: & sic vbi seruari nequit, vt contingit post matrimonium ratum, ad nihil obligat stante eo impedimento: at eo cessante, vt si cōtingat alterum mœchari, tenebitur innocens ad ordines promoueri. Atque ita nec petere, nec reddere poterit. 2

Idem dicendum est de eo, qui post votum non ineundi matrimonium, vxorem duxit: non enim tenetur ante consummationem, religionem ingredi, vt votum suum impleat, ac proinde nullum peccatum committit, si ad sui petitionem matrimonium consummet. Quia id votum non obligat ad castitatem.

QVÆSTIO CCCXXII.

An qui votum non contrahendi matrimonium emisit, teneatur eo

contracto à debiti petitione abstinere?

1 PALVD.*in.4.d.*38.*q.*3.*art.*5.& Nauarr.*cap.*16.*num.*30. affirmant teneri. Eiusdem opinionis est Caietan. *in opusc.tom.*2.*tract.*11.*de voto quest.*1. quia putat votum non nubendi æquipollere voto castitatis, & consequenter à solo Papa dispensari posse in tali voto.

At omnino tenendum est, hunc posse reddere,& petere debitum. Ratio est, quia id votum solùm habet
2 pro obiecto non contrahere matrimonium; & si obliget ad abstinendum ab omni vxorio concubitu, non est per se, & primario,sed mediatè,& supposito ipso matrimonio non contrahendo,quæ fuit primaria,& immediata voti materia: ergo quando primaria materia non est possibilis, quia contractum est matrimonium, non obligabit ad secundarium, nempe ad abstinentiam ab eius vsu, nisi ita vouens voluerit expresse à integram castitatem se obligare. Tenetur tamen vouens mortuo altero coniuge ab alio matrimonio abstinere. Quia votum non erat extinctum, sed suspensum durante matrimonij impedimento. Et ideò ita tenent Sot. *lib.* 7. *q.*2. *art* 1.*& in* 4. *d.*38. *q.* 1. *art.*1. Barth à Ledesm.*dub.*31.*de matrim.in fine*,Petr. de Ledesm.*de matrim.q.*53.*art.*1. Vega 2.*tom.sum.cap.*129.*casu.*76.& alij.

Hinc, si is qui tale votum emisit, fornicetur, non peccat duplici peccato,vno fornicationis, altero sacrilegij,
3 vt Caietanus perperam affirmauit,sed vno tantum simplicis fornicationis peccato, cum tale votum non æquipolleat voto castitatis.

Ex quo sequitur votum hoc non esse reseruatum Papæ,sed Episcopum in eo dispensare posse, cum non sit votum castitatis.

QVÆSTIO CCCXXIII.

An qui vouit religionem ingredi, peccet mortaliter contrahendo?

RESPONDEO peccare,non solùm contrahendo, verùm etiam consummando. Ratio est, quia eligit statum, qui cum religione pugnat, & ante consummationem adhuc suum votum implere potest: post consummationem verò iam licitus est vtroque modo coniugij vsus. 1

QVÆSTIO CCCXXIV.

An religiosus sine superioris sui licentia possit aliquid validè vouere?

PALVD. *in* 4.*dist* 38.*q.*3. *art.*1. Richard. *ibidem q.* 3. *art.* 1. Angel. *verb.votum* 2.*num.*5. Rosell. *verb.votum* 2.*num* 24.& Valent. 2.2 *d.*6.*q.*6. 1
*p.*6.tenent religiosum nullum votum posse emittere absque sui superioris licentia,quod si emittat, illud esse irritum,& nullum. Ducuntúrque hi in eam sententiam, quia votum non fit sine voluntate: religiosus autem non habet *velle*, aut *nolle*, quia totum est sub voluntate Prælati: ergo.

Alij verò Doctores non minoris 2
nominis docent religiosum posse aliqua vota valida, & obligatoria emittere sine superioris consensu.Sic Caietan.2.2.*q.*88.*art.*8.Sot.*lib.*7.*q.*3.*art.* 1.Arag.2.2.*q.*88.*art.*8. Nauarr.*cap.*12. *num.*67 Lop.*p.p.cap.*48.Tolet. *lib.*4. *cap.*17.Roder.2.*p.sum.cap.*91.*num.*3. & Azor.*lib.*11.*cap.*16.*q.*7. Pro quo.

Primò dico,quod religiosus potest licitè, & meritoriè ea omnia bona opera vouere, quæ nec regulæ, nec superioris præcepto repugnant, nec

cum

eum à debito illius obsequio retra-
5 hunt. Ratio est, quia vouere per se est opus consilij, & aliàs non est religioso prohibitum; ergo.

Et confirmatur, nam cum ea materia nullo pacto sit interdicta, & sit bona, est apta voto emittendo, & quamdiu non interdicitur, est sita in vouentium potestate: ergo huiusmodi vota sunt licita & meritoria, & statim obligant nullo expectato superioris consensu, donec ipse executioni contradicat. Talia sunt vota orandi, ieiunandi, &c.

Hinc, religiosus potest licitè vota personalia emittere de rebus positis
4 sub præcepto, vt de non occidendo, non fornicando, &c. quia huiusmodi vota nullam conditionem imbibitam includunt ex parte materiæ: & ideò statim, & semper obligant, quousque legitimè à Prælato irritentur.

Hinc, religiosus potest licitè, & validè vouere de actibus suæ regulæ, ad firmandam suam voluntatem, & augendam obligationem in eorum observantia. Ratio est, quia huiusmodi
5 non solùm sunt honesta, sed etiam sunt opera supererogationis, quia assumit tale votum, vt medium perueniendi ad perfectionem.

Hinc, religiosus potest licitè emittere vota de operibus supererogationis, quæ nec à Regula prohibentur, nec præcipiuntur. Ratio est, quia materia huiusmodi votorum est per se honesta, & opus supererogationis, & ideò statim obligant, licet inuoluant *nisi superior restiterit*.

Hinc, religiosus potest licitè, & validè vouere materiam excedentem obligationem suæ Regulæ, nempe transitum ad strictiorem religionem.
6 Ratio est, quia tale votum est de meliori bono, quod per regulam prohiberi non potest, cùm non sit contra Regulam, sed super illam, & ideo nullam conditionem includit, dependentem à voluntate superioris.

Obiicies: religiosus non potest absque licentia sui Prælati strictiorem religionem ingredi: ergo votum inuoluit hanc conditionem.

Respondeo primò religiosum posse emittere tale votum sine licentia superioris.

Secundò, posse etiam illud implere 7
sine licentia obtenta, & ideo quantum ad hoc nullam conditionem includit, licèt non possit de facto transire sine licentia saltem petita ex ordinatione iuris.

Dices: *in cap. Monach.* 20. *q.* 4 habetur, *Monacho non licèt vota vouere sine consensu Abbatis sui, si autem vouerit, frangendum erit*.

Respondeo ex hoc capite potius nostra sententia comprobatur; nam cum dicitur, frangendum est, satis in- 8
dicat tale votum non esse ipso iure fractum, ac nullum.

Secundò dico, quod si religiosus vouit aliquid à Regula, vel à Prælato prohibitum, vt orare ea hora in Ecclesia, qua iuxta Regulam debet esse in cubiculo, non potest suum votum exequi, antequam superior consentiat, & in Regula dispenset. Ratio est, quia cum materia sit interdicta, non est apta voti materia, donec accedat superioris licentia ad illam implendam: illa autem accedente est licita, ac proinde apta materia voti: ergo vsque tunc non obligat, at ex tunc obligabit. Ita Sot. *lib.* 7. *q.* 3. *art.* 1. Less. *lib.* 2. *c.* 40. *num.* 71. Azor. *lib.* 11. *cap.* 16. *q.* 6. & Suar. *lib.* 3. *c.* 6. *num.* 9.

Contrarium tamen mihi persuadeo, 9
quia quæ Regula simpliciter præcipit religioso, per se spectant ad maiorem eius perfectionem, & simpliciter consultius est vitare ea, quæ simpliciter prohibet: ergo licet votũ de his fiat, nõ obligat, quia non est de meliori bono.

Tertiò

Tertiò dico, quod quando res est religioso interdicta, quia est per se mala, votum illius emissum non est validum. Ratio est, quia materia voti debet esse materia virtutis, sed res per se mala non est materia virtutis: ergo votum de ea re emissum non est validum.

Quartò dico, quod si religiosus emittat votum de re à Prælato, vel à Regula prohibita, quam ignorabat esse prohibitam, & postea certo cognouit illius rei prohibitionem, tale votum non tenet, nec obligatur illud Prælato indicare, aut licentiam pete-
10 re, vt votum adimpleat. Quia id votum est de re ingrata Deo, vtpote quæ vetita est, nisi tacitè includatur conditio, *si superior consenserit*. At ratione ignorantiæ ea conditio non includitur; ergo id votum non est validum, nec inducit aliquam obligationem.

Quintò, & vltimò dico, quod si religiosus aliquid vouit, quod tempore voti non erat prohibitum, postea tamen prohibetur, tale votum adhuc est validum, & obligatorium, sed suspensum, quandiu illa prohibitio durat; atque ea cessante, illud reuiuiscit. Ratio est, quia non censetur religiosus velle se obligare stante tali prohibitione: immo quando votum illud emisit, subintelligebatur conditio, *nisi Prælatus contradiceret*.

Et ad argumentum Paludani re-
11 spondeo, illud proloquium quod religiosus non habet *velle*, aut *nolle*, non esse ita intelligendum, vt nihil possit licitè velle, nisi quod illi positiuè ordinatur, aut conceditur, quia nec religiosus hoc vouit, nec esset conueniens: debet ergo ita intelligi, vt nihil possit licitè velle, aut nolle contra voluntatem superioris, neque ita sibi proponere aliquid agendum, vt non sit paratus ad omittendum illud, si superior velit. Vnde notanter D. Tho. dixit ea vota non esse firma, & non esse irrita, quia sentit reuera esse valida, at non habere omnimodam firmitatem, quia habent tacitam conditionem pendentem à superioris voluntate.

QVÆSTIO CCCXXV.

An votum de materia per Regulam prohibita obliget vouentem ad petendam licentiam à Prælato ad præstandum promissum?

RESPONDEO obligare. Ratio est, 1
quia hoc est intrinsecè inclusum in tali voto, aliàs irrisorium esset, nisi ad hoc saltem obligaret. Nam cùm non obliget ad opus, nisi habita facultate, & hæc non soleat dari, nisi petatur, inutile esset votum, nisi ad facultatem petendam obligaret.

QVÆSTIO CCCXXVI.

An in hoc casu teneatur religiosus votum suum patefacere superiori?

ET quidem, si religiosus tempore voti specialem intentionem habuit ad id se obligandi, certum est ad id teneri. Quia illud est apta materia 1
voti.

Sed tota controuersia versatur, quando de intentione vouentis non constat.

Sotus præclarus Thomista *lib. 7. de iust. q. 3. art. 1.* affirmat ad id teneri. Quia explicando votum, faciliùs fa- 2
cultatem obtineret.

At vero Illustrissimus Caiet. 2.2. q. 88. *art. 8. & in sum. verb. votum, c. 3.* & Nauar. *cap. 12. num. 69.* rectiùs docent, satis esse petere facultatem à superiore

ad.

ad præstandum opus per votum promissum, v. g. ieiunium, cilicium, &c. nulla facta mentione voti. Ratio est, quia ex vi talis voti non obligatur religiosus ad explicandum Prælato se id vouisse; ergo nulla ratione ad id tenetur. Consequentia est per se nota. Antecedens verò probatur, quia petendo licentiam vt expleat votum, adhibet medium necessarium, & sufficiens vt opus ei liceat, & consequenter vt votum perficiat: ergo non est, vt ad aliud in voto non inclusum teneatur.

QVÆSTIO CCCXXVII.

An si quando religiosus votum illud emisit, intendebat absolutè se obligare, etiam si Prælatus prohiberet, tale votum sit validum?

1 PETRVS Arag. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. & Clauis Regia *lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 21. putant valere, sed esse sopitum ob prohibitionem materiæ, qua cessante (quæ extinguitur extincto Prælato) rursus voti obligatio reuiuiscit.

Sed, pace tantorum virorum sit dictum, hæc sententia non placet, quia eatenus ea materia est apta voto, quatenus tacitam imbibit conditionem: *si*
2 *Prælatus consenserit*: ergo quando expressa vouentis intentione is consensus excluditur, erit voto inepta, ac proinde votum erit irritum, & nullum. Et ideò huius sententiæ sunt Suar. *lib.* 3. *c.* 6. *num.* 9. & Azor. *lib.* 11. *cap.* 16. *q.* 5.

QVÆST. CCCXXVIII.

An religiosus qui rem à Prælato, vel à Regula prohibitam vouet ante consensum Prælati, peccet?

RESPONDEO si res quæ promittitur est prohibita, quia mala, 1
votum de ea re emissum, non solùm non tenet, sed etiam qui illud vouet, peccat, quia promittit rem absolutè illicitam. Si autem res quæ promittitur est mala, quia prohibita, & aliàs potest esse apta materia voti, illam vouens sub conditione, nimirum, *si Prælato placuerit*, non peccat, quia hac subintellecta conditione, nihil illicitum vouet. Ita Sot. *lib.* 7. *q.* 3. *art.* 1.

QVÆST. CCCXXIX.

An integrum sit Religioso huiusmodi vota Prælato indicare, vt irritentur, vel potius teneatur illa celare?

RESPONDEO posse tuta conscien- 1
tia facere vtrumque, cum in hoc religiosus vtatur iure suo. Et quidem si vota emissa commodè adimplere possit, potest ea celare Prælato, ne ab eo irritentur. Sed si grauia sint, poterit Prælato suam molestiam aperire, vt ea irritet; nec peccat sic faciendo, sed vtitur iure suo, cum in his religiosus verè Prælato suo sit subditus, sic Arag. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8.

QVÆSTIO CCCXXX.

An sufficiat taciturnitas Prælati, vt votum de rebus vetitis possit à religioso impleri?

RESPONDEO sufficere, quia ea 1
taciturnitas est quædam tacita superioris licentia, nam tacens in re ad se spectante, nec sibi noxia, cum possit commodè contradicere, consentire videtur. *Regula qui tacet de reg. iuris in* 6. At concedere licentiam il-

lius voti, spectat ad Prælatum, nec hoc est sibi noxium, & potest commodè prohibere: ergo iure optimo potest religiosus præsumere licentiam illius voti exequendi, dum superior non contradicit. Ita Valent. 2. 2. *disp. 6. q. 6. p. 6.*

QVÆSTIO CCCXXXI.

An religionum Prælati quippiam vouere possint?

1 RESPONDEO nihil eos vouere posse, quod eorum munus impediat, superiore inconsulto. Cætera verò vota, quæ nihil eorum publicæ functioni, & administrationi officiunt, vouere possunt.

QVÆSTIO CCCXXXII.

An Episcopi, & alij superiores Antistites quippiam vouere possint?

1 RESPONDEO Episcopos non posse inconsulto Romano Pontifice emittere votum, vel illud adimplere, per quod vinculum matrimonij inter ipsos, & Ecclesias suas dissoluatur, vt habetur *ex cap. Nisi cum pridem de renunciat.* Nec item possunt quippiam vouere, quod in graue suarum Ecclesiarum, quibus præsunt, damnum redunder, putà longam aliquam peregrinationem, propter quam abesse debent diu à suis Ecclesiis, quod intelligitur sine licentia Papæ. *cap. Si magna de voto, & voti redemptione.* Alia verò vota, in quibus ligati non sunt, vt abstinentiam, eleemosynam, & similia vouere possunt.

QVÆSTIO CCCXXXIII.

An si Episcopus votum religionis emisit, id votum adimplere teneatur?

ET quidem si vouit religionis ingressum, antequam creatus sit Episcopus, manifestum est teneri suum votum adimplere. Ratio est, quia religionis professio non impedit, quominus religiosus in Episcopum eligi possit. *cap. Per tuas de voto, & voti redempt.* 1

QVÆST. CCCXXXIIII.

At discordia est, quando post adeptum Episcopatum, tale votum religionis emisit?

IN qua re etiam constat apud omnes, id votum licèt sit de re ipsi prohibita; quia tamen ea prohibitione cessante, est materia consilij, non est omnino irritum, quia includit conditionem affirmatiuam, *si Pontifex concesserit*; ergo eo accedente, erit validum, & obligatorium. 1

QVÆSTIO CCCXXXV.

Sed totum huius controuersiæ dissidium versatur: An teneatur consensum Pontificium petere?

CORDVBA *in summa casuum q.* 153. negat. 1
At certissimum est, & omni dubio procul, hunc teneri quantum in se est, & quantum potest, illud adimplere: ac proinde consensum Pontificium exquirere, vt definitum est *in cap. Per tuas de voto, & voti redemptione,* vbi sic habe

habetur: *Nos igitur tua discretioni cõsulimus, vt si tuam sanari cõscientiam desideras, regimen resign's Ecclesia memorata, ac reddas Altissimo vota tua.* Sic enim tenent D.Thom. 2.2.*q.*89.*art.*3. Caietan. *ibidem, & in sum. verb. votum cap. de quatuor conditionibus.* Azor. *lib.* 11.*c.*16.*q.*2. & Suar. *lib.*3.*cap.*4.*nu.*8. Non tamen tenebitur votum explicare, nisi ad id se obligarit, vel vt id votum à Pontifice irritetur. At tenebitur voto non explicato, petere iterum licentiã, quando prudẽtia id dictauerit.

QVÆST. CCCXXXVI.

An Episcopus possit absque Romani Pontificis licentia votum peregrinationis emittere?

1 ET quidem certum est, posse Episcopum sine licentia Papæ modicam peregrinationem vouere. Quia ratio ob quam ea licentia requiritur est, ne votum in præiudicium suæ Ecclesiæ vergat: atqui modica peregrinatio, vt constat, nullum tale nocumentum adfert: ergo nulla indiget licentia, nec pendet à dominatiua alicuius potestate; sed in ea, & similibus minimè præiudicantibus, est sui iuris ad vouendum. Ita Roder. 2.*p. sum. cap.* 90.*num.*1. Azor. *lib.* 11.*cap.*16.*quæst.*2. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 24. & Suar. *lib.*3.*cap.*4. *num.*10. qui infert votum peregrinationis, quæ non excedit tempus anni iure concessum Episcopo ad absentiam, esse votum absolutum, & independens à Pontificia licentia. Quia in illa non læditur Ecclesia.

QVÆST. CCCXXXVII.

Sed dubium est de voto magna peregrinationis.

ABBAS *cap. Magna, nu.*5. *de voto,* tenet non posse, & si facit, illud esse ipso iure irritum. 1

Contrarium tamen mihi persuadeo, quia vt diximus vota subditorum de rebus sibi à superiore prohibitis sunt licita, & valida ratione cõditionis affirmatiuæ in ipsis imbibitæ: *Si superior consenserit*: ergo idem est de Episcopo dicendum.

Et est conclusio definita *in cap. Magna de voto* vbi summus Pontifex commutauit votum peregrinationis in subsidium terræ sanctæ, quod quidam Episcopus emiserat. 2

Posset tamen opinio Abbatis recipi, quando attentis circumstantiis iudicaretur maius Dei obsequium residere, nec petere eius absentiæ facultatem. Quia tunc tanquam obstans maiori bono, non obligaret.

QVÆST. CCCXXXVIII.

An Episcopus, cui talis licentia à Pontifice denegatur, ad aliquid faciendum ex vi voti teneatur?

SYLVEST. *verb. votum* 3.*q.*1. Roder.*p.*2.*sum.cap.*90.*nu.*1. Azor.*lib.* 11.*cap.*16.*q.*2. & Sayr. *lib.*6.*cap.*5.*n.*14. tenent eum soluere debere impensas eundi, commorandi, & redeundi: laborem verò itineris vigiliis, ieiuniis, & orationibus compensare debere. 1

Sed hæc opinio non placet, quia Episcopus ex vi voti tantum tenetur implere conditionem petendo licentiam à Pontifice; quod si ille deneget, ad nihil aliud tenebitur. Si autem Pontifex licentiam concedat, tenetur votum adimplere, & si ille exequi velit, nulla opus est redemptione. Si autem exequi nolit, opus est commutatione, aut dispensatione. 2

QVÆST. CCCXXXIX.

An Episcopus possit inconsulto Romano Pontifice vouere peregrinationem in subsidiū terræ sanctæ?

1 ANTONIVS *cap. Scripturæ nu.* 4. & ibi Abbas *num.vlt.* affirmant. Alij vero vt Syluest. *verb votum* 3. *num.*4. Rosel.*verb. votum* 2. *num. vlt.* Tab. *ibidem* 5.*quæst.*3.& Azor.*lib.*11. *cap.* 16. *q.*2. rectiùs docent id olim licuisse Episcopis, quando omnibus generaliter patebat aditus ad terram
2 sanctam. At cum hodie is aditus non pateat, indiget pontificia licentia.

QVÆSTIO CCCXL.

An Clerici omnes, præter Episcopos, possint votum Hierosolymitanum emittere?

1 RIcH. *in* 4.*dist.*38.*q.*2.*art.*4. affirmat posse. Alij vero rectiùs docent eos non posse nisi Romani Pontificis, aut Episcopi permissu tale votum emittere: vt habetur *in cap. Fraternitat.de*
2 *Clericis non residentibus.* Id quod nostris temporibus certum est.

QVÆSTIO CCCXLI.

An denegata sibi tali licentia, teneantur soluere impensas, quas inter eundum, commorandum, & redeundum fecissent; & redimere laborem itineris ieiuniis, vigiliis & orationibus?

1 SYLVEST. *verb.votum* 3.*quæst.*1. Angel. *verb. votum* 2. *num.* 1. & Supplem. Gabr. *in* 4. *d.*38. *q.* 1. *art.* 5. affirmant teneri.

At oppositum est omninò dicendum, sicut supra diximus de Episcopo. 2

QVÆSTIO CCCXLII.

An clerici in dignitate constituti, aut curam animarum, & beneficia residentiam exigentia habentes, quales sunt Parochi, Archipresbyteri, Archidiaconi, Præpositi, Priores, & similes quippiam vouere possint?

RESPONDEO eos non posse absque Episcopi licentia vouere longam aliquam peregrinationem, aut aliquid aliud cum graui Ecclesiarum, quibus præsunt detrimento: vt constat *ex cap. Magnæ de voto, & voti redemptione.* Cætera verò vota, quæ hoc præiudicium non afferunt, vt aliquarum orationum, modicæ peregrinationis, abstinentiæ, & similium vouere possunt absque alicuius licentia, & sunt omninò absoluta. Sic Syluest. *verb.votum* 3.*q.*2. Roder.2.*p.sum.cap.* 90.*num.*3. Azor. *lib* 11.*cap.*26.*quæst.*3. Sayr.*lib.*6.*cap.*5.*num.*25. & Suar.*lib.*3. *cap.*4.*num.*10. 1

QVÆSTIO CCCXLIII.

An quiuis Ecclesiæ Præfectus, vel Clericus beneficiatus possit absque alicuius licentia votum religionis emittere?

RESPONDEO posse id votum emittere, & exequi sine licentia Episcopi, immo eo contradicente, deposita cura, aut Ecclesiastico beneficio, aut etiam non renunciato: eorúmque beneficia nulli conferri iure possunt, nisi post professionem. Quia tanquam 1

tanquam ſpeciale ſtatuitur in Epiſcopo, vt eo voto nequeat ſe abſque Pontificis licentia adſtringere. *cap. Licet de regular.* Et in hoc omnes conueniunt.


QVÆSTIO CCCXLIV.

Sed tota difficultas verſatur: An teneantur hi petere Epiſcopi licentiam, vt id votum expleant?

1 SYLVEST. *verb. religio* 2.*q.*8. Azot. *lib.*11.*cap.*16.*q.*3. Lop. *p.p.cap.*48. Sayr. *lib.*6.*cap.*5.*num.*25. & Suar. *lib.*3. *cap.* 4. *num.* 10. dicunt hos teneri licentiam petere. Ducuntur *ex cap. Licet de reg & ex cap. Admonet de renunciat.* vbi iubentur beneficiarij non dimittere Eccleſias inconſulto Epiſcopo.

2 Cæterùm nullatenus placet mihi hæc ſententia, ſed exiſtimo hos non teneri talem licentiam petere. Ducor, quia id nullo iure probatur, nam textus *cap. Licet de regul.* de ſolis religioſis ſtatuit eam licentiam petendam eſſe, quamuis non obtineatur. Aliàs Epiſcopus poſſet examinare, an hi bono zelo ducantur, ac ſubinde denegare licentiam eo deficiente: ſicut contingit in religioſis vouētibus tranſitum ad arctiorem religionem. Nec etiam textus *in cap. Admonet.* aliquid probat, quia Gloſſa *ibi verb. inconſultò,* dicit eos tamē Clericos poſſe religionem ingredi. Huic etiam fauet textus *cap. final.* 19. *q.* 2. vbi abſolutè Clericis tranſitus ad religionem conceditur. Et ita tenet Innoc. *cap. licet de regul. num.* 3. *ibi* Hoſtien. *nu.*7. Anton. *nu.*7. Card. 3. *q.* 10. Abb. *num.* 14. & Sanch. *lib.* 4. *cap.* 25. *num.* 48.

Et hæc de voto ſimplici in communi, pro inſtituti noſtri ratione dicta ſufficiant.



DE VOTORVM IRRITATIONE,

LIBER SECVNDVS.

1 TRes sunt modi quibus authoritate superioris obligatio voti tollitur, videlicet, irritatio, dispensatio & commutatio, de quibus disputant Theologi cum Magistro sententiarum *in 4. dist.* 38. Summistæ verò *verbo votum*, *& verbo religio*. De his tribus sigillatim est nobis differendum, ac primum de irritatione hoc libro acturi, in sequentibus de dispensatione, & commutatione. Vnde quæritur in primis.

QVÆSTIO I.

Quidnam sit irritatio voti?

1 RESPONDEO quod *est annullatio voti facta ab eo qui super hoc potestatem & dominium habet*. Vnde irritare votum nihil aliud est, quàm votum cassare, ne amplius obligandi vim habeat.

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit irritatio?

RESPONDEO duplex, quædam est propria & directa, quæ simpliciter irritatio dicitur. Alia autem est impropria, & indirecta & secundum quid, quæ propriè dicitur quædam voti suspensio. Quæ tamen distinguuntur, nam quando est vera, & 1 propria irritatio, omnino, & simpliciter tollitur vinculum voti, nec amplius reuiuiscit, nisi denuo fiat: vt si puer ante annos pubertatis votum religionis faciat, & à patre irritetur, factus pubes, non amplius obligatur tali voto. Quando verò est sola voti suspensio, manet quidem vinculum voti, sed ob solam materiæ prohibitionem, eius obligatio manet suspensa, quamdiu prohibitio durat, & ea cessante, votum incipit obligare; vt patet exemplo serui, si votum religionis emittat. Nam potest à domino prohiberi eius executio, at si dominus moriatur, tenebitur suú votú adimplere.

Ex quo sequitur irritationem propriam, & directam non esse actum iurisdictionis spiritualis, & Ecclesiasticæ, sicut dispensationem, & com- 2 mutationem, sed dominij cuiusdam: ita vt talis persona sit ita sub alterius potestate constituta, vt voluntatem suam dependentem habeat ab illius voluntate, quoad vim se firmiter obligandi:

obligandi: hanc potestatem habet pater in filium, Prælatus in suum subditum, vir in vxorem, & dominus in seruum. At verò impropria, & indirecta interdum est actus iurisdictionis spiritualis, aut temporalis: vt quando Prælatus iurisdictione spirituali, vel potestas publica iurisdictione temporali suspendit materiam, præcipiendo aliquid tunc cum voto incompatibile. Quandoque autem non est actus iurisdictionis, sed cuiusdam dominij; vt fit quando herus suspendit votum famuli, aut præcipit aliquid incompatibile cum voto.

QVÆSTIO III.

An votum, quod irritari potest, antequam irritetur sit validum?

1 RICH. *in* 4 *dist.* 38. *q.* 1. *art* 4. Palud. *ibidem* q. 4. *art.* 2. D. Anton. 2. *p. tit.* 11. *cap.* 2. §. 6. & Supplem. Gabr. *in* 4. *dist.* 38. *q.* 1. putant non valere, quia est de re, quæ alteri subiicitur, ac proinde aliena.

2 At contraria sententia amplectenda est, quæ docet id votum esse validum. Et ratio est, quia votum subditi semper subintellectã habet conditionem, *si suo superiori placuerit*, aut *si non displicuerit*, vt docet D. Tho. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. nam quando votum fit de iis quæ prohibita sunt vouenti, debet, vt sit validum, subintelligi conditio, *si superiori placuerit*: quando verò fit de rebus, non prohibitis, debet intelligi cõditio, *si superiori non displicuerit*: ergo valida sunt huiusmodi vota, quamuis non obligent absolutè, sed tunc solùm, cum extat conditio. Vnde subintellecta conditione *si superiori placuerit*: quamdiu deest, expectatúrque superioris consensus, religiosus non peccat non adimplendo votum, quia votum conditionatum non obligat ante positam cõditionem. Subintellecta vero conditione, *si superiori non displicuerit*, quamdiu superiori non displicet, inferior ad voti sui obseruantiam obligatur. Ita Sot. *lib.* 7. *q.* 3. *art.* 1. Nauar. *cap.* 11. *nu.* 69. & Caiet. *in sum. verb. votum.*

QVÆSTIO IV.

An ad irritationem voti causa legitima requiratur?

ET quidem loquendo de irritatione impropria, & indirecta, quæ propriè dicitur voti suspensio, nec fit per potestatem iurisdictionis, certum est, necessariam esse causam iustam: non solùm vt irritatio licita sit; sed etiam vt valeat. Ratio est, quia superior carens potestate dominatiua, non potest validè præceptum indicere impediens voti executionem, si nulla causa iusta ducatur. Ita Suar. *lib.* 6. *c.* 2. *num.* 9. 1

Sed dubium est, de irritatione propria, & directa, & quæ simpliciter irritatio dicitur.

In qua quæstione est etiam certum quod quando irritatio procedit ex potestate dominatiua, nullam iustam causam ad eius valorem requirit. Ratio est, quia superior in hoc vtitur re sua, & iusta potestate, quam super illam habet. 2

Tum etiam quia tale votum fuit implicitè conditionatum, & de facto conditio non impletur, quando alter repugnat, siue ex causa, siue absque causa, suo arbitrio id faciat: ergo id satis est, vt votum non obliget, vtpote conditione non impleta. 3

* * *

QVÆST.



DE VOTORVM IRRITATIONE,

LIBER SECVNDVS.

1 TRES sunt modi quibus authoritate superioris obligatio voti tollitur, videlicet, irritatio, dispensatio & commutatio, de quibus disputant Theologi cum Magistro sententiarum *in 4. dist.* 38. Summistæ ver) *verbo votum*, *& verbo religio*. De his tribus sigillatim est nobis differendum, ac primum de irritatione hoc libro acturi, in sequentibus de dispensatione, & commutatione. Vnde quæritur in primis.

QVÆSTIO I.

Quidnam sit irritatio voti?

1 RESPONDEO quod *est annullatio voti facta ab eo qui super hoc potestatem & dominium habet*. Vnde irritare votum nihil aliud est, quàm votum cassare, ne amplius obligandi vim habeat.

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit irritatio?

RESPONDEO duplex, quædam est propria & directa, quæ simpliciter irritatio dicitur. Alia autem est impropria, & indirecta & secundum quid, quæ propriè dicitur quædam voti suspensio. Quæ tamen distinguuntur, nam quando est vera, & 1
propria irritatio, omnino, & simpliciter tollitur vinculum voti, nec amplius reuiuiscit, nisi denuo fiat: vt si puer ante annos pubertatis votum religionis faciat, & à patre irritetur, factus pubes, non amplius obligatur tali voto. Quando verò est sola voti suspensio, manet quidem vinculum voti, sed ob solam materiæ prohibitionem, eius obligatio manet suspensa, quamdiu prohibitio durat, & ea cessante, votum incipit obligare; vt patet exemplo serui, si votum religionis emittat. Nam potest à domino prohiberi eius executio, at si dominus moriatur, tenebitur suũ votũ adimplere.

Ex quo sequitur irritationem propriam, & directam non esse actum iurisdictionis spiritualis, & Ecclesiasticæ, sicut dispensationem, & com- 2
mutationem, sed dominij cuiusdam: ita vt talis persona sit ita sub alterius potestate constituta, vt voluntatem suam dependentem habeat ab illius voluntate, quoad vim se firmiter obligandi:

obligandi: hanc potestatem habet pater in filium, Prælatus in suum subditum, vir in vxorem, & dominus in seruum. At verò impropria, & indirecta interdum est actus iurisdictionis spiritualis, aut temporalis: vt quando Prælatus iurisdictione spirituali, vel potestas publica iurisdictione temporali suspendit materiam, præcipiendo aliquid tunc cum voto incompatibile. Quandoque autem non est actus iurisdictionis, sed cuiusdam dominij; vt fit quando herus suspendit votum famuli, aut præcipit aliquid incompatibile cum voto.

QVÆSTIO III.

An votum, quod irritari potest, antequam irritetur sit validum?

1 RICH. *in 4 dist.* 38. *q.* 1. *art* 4. Palud. *ibidem* *q.* 4. *art.* 2. D. Anton. 2. *p. tit.* 11. *cap.* 2. §. 6. & Supplem. Gabr. *in* 4. *dist.* 38. *q.* 1. putant non valere, quia est de re, quæ alteri subiicitur, ac proinde aliena.

2 At contraria sententia amplectenda est, quæ docet id votum esse validum. Et ratio est, quia votum subditi semper subintellectã habet conditionem, *si suo superiori placuerit*, aut *si non displicuerit*, vt docet D. Tho. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. nam quando votum fit de iis quæ prohibita sunt vouenti, debet, vt sit validum, subintelligi conditio, *si superiori placuerit:* quando verò fit de rebus, non prohibitis, debet intelligi cõditio, *si superiori non displicuerit:* ergo valida sunt huiusmodi vota, quamuis non obligent absolutè, sed tunc solùm, cum extat conditio. Vnde subintellecta conditione *si superiori placuerit:* quamdiu deest, expectatúrque superioris consensus, religiosus non peccat non adimplendo votum, quia votum conditionatum non obligat ante positam cõditionem. Subintellecta vero conditione, *si superiori non displicuerit*, quamdiu superiori non displicet, inferior ad voti sui obseruantiam obligatur. Ita Sot. *lib.* 7. *q.* 3. *art.* 1. Nauar. *cap.* 11. *nu.* 69. & Caiet. *in sum. verb. votum.*

QVÆSTIO IV.

An ad irritationem voti causa legitima requiratur?

ET quidem loquendo de irritatione impropria, & indirecta, quæ propriè dicitur voti suspensio, nec fit per potestatem iurisdictionis, certum est, necessariam esse causam iustam: non solùm vt irritatio licita sit; sed etiam vt valeat. Ratio est, quia superior carens potestate dominatiua, non potest validè præceptum indicere impediens voti executionem, si nulla causa iusta ducatur. Ita Suar. *lib.* 6. *c.* 2. *num.* 9. 1

Sed dubium est, de irritatione propria, & directa, & quæ simpliciter irritatio dicitur.

In qua quæstione est etiam certum quod quando irritatio procedit ex potestate dominatiua, nullam iustam causam ad eius valorem requirit. Ratio est, quia superior in hoc vtitur re sua, & iusta potestate, quam super illam habet. 2

Tum etiam quia tale votum fuit implicitè conditionatum, & de facto conditio non impletur, quando alter repugnat, siue ex causa, siue absque causa, suo arbitrio id faciat: ergo id satis est, vt votum non obliget, vtpote conditione non impleta. 3

***

QVÆST.

QVÆSTIO V.

Sed quod in dubium vertitur est, An irritatio ex potestate dominatiua, sine iusta causa facta, sit licita?

ET quidem, si non de sola irritationis natura loquamur, vt irritatio est, sed secundùm naturam omnium actuum humanorum, manifestum est, esse veniale peccatum otiositatis irritare votum absque causa, &
1 sine honesto. Ratio est, quia omnis actus humanus, ad hoc vt omni culpa careat, requirit aliquem finem honestum.

QVÆSTIO VI.

Quæstio igitur est, de irritatione, vt irritatio est: An videlicet sit licita, si absque causa legitima fiat? quod est quærere, An peccet superior dum sine causa iusta votum subditi irritat.

1 IN qua re etiam constat, superiorem qui absque iusta causa irritat votum subditi, nullum peccatum committere contra voti religionem, sicut peccaret, si in voto sine legitima causa dispensaret. Ratio est, quia cum illud votum sit conditionatum, & positum in arbitrio irritantis, nullam iniuriam Deo irrogat, qui illud absque iusta causa irritat.

QVÆSTIO VII.

Totum ergo huius controuersiæ dissidium in hoc consistit: An superior qui virtute potestatis dominatiuæ votum alicuius irritat absque vlla iusta causa, peccet?

ET quidem certissimum puto, eum 1
non peccare mortaliter.

QVÆSTIO VIII.

Quæstio igitur est, An peccet venialiter?

ILLVSTRISSIMVS Caiet. *in summa verb. votum cap. vltimò* Nauar. *cap. 12. num. 73.* Tolet. *lib. 4. cap. 18. num. 9.*
Lop. *p. p. cap. 48.* Azor. *lib. 11. cap. 17.* 1
q. 5. Suar. *tom. 5. in 3. p. d. 4. sect. 2. nu. 8.* & Roder. *qq. regular. tom. 1. q. 25. art. 5. & 2. p. sum. cap. 91. num. 9.* & Emman. Sà *verb. votum vbi de voti irritatione num. 1.* docent non peccare. Ducunturque hi in eam sententiam, quia votum factum est ea tacita conditione, *si illud superiori placuerit:* nec vlla lege superior cogitur illud approbare, cùm nec ipse vouerit, nec votis emittendis consensum præstiterit.

Tum quia vnusquisque liberè vti potest iure suo, quod habet ne subditorum vota sint absque eius consensu firma.

At verò alij, vt Sotus *lib. 7. q. 3. art. 1.* Med. *lib. 1. sum. cap. 14. §. 7.* Arag. *2. 2. q. 88. art. 8.* Less. *lib. 2. de iust. cap. 40.*
dub. 12. & Valent. *2. 2. d. 6. q. 6. p. 6.* affir- 2
mant eum semper peccare venialiter. Ratio est, quia irritare votum alterius sine causa, saltem est actus otiosus, vel imprudens: ergo peccat venialiter.

Tum quia qui sine vlla prorsus causa votum irritat, abutitur potestate sibi concessa.

Tum quia vituperabile est, & malum, velle sine vlla causa, solo arbitratu bonum opus alterius impedire: ergo peccat saltem venialiter. Et hæc opinio

opinio mihi valde placet, quia superior vti debet iure suo rationabiliter, præsertim in re tanti momenti.

QVÆSTIO IX.

An subditus in hoc casu peccet, si sui voti à superiore irritationem petat?

1 MAGISTER Sot. *lib.7.q.3. art.1.* Arag.2.2.*q.88.art.8.*Suar.*lib.6. cap.7.num.16.* Roder.*qq. reg. tom.1.q. 15.art.7.* & Vega 2.*tom.sum. q.* 129. *casu* 89 negant.

At Petrus de Ledesm. 2. *tom. sum. tract.*10.*cap.7.dub.*2.& Sayr.*lib.6.cap.* 10. *num.* 14. affirmant eum peccare
2 venialiter. Ratio est, quia subditus qui talem irritationem petit, est causa culpæ venialis, quam superior irritans absque causa committet.

Tum quia nonnulla deformitas est, & negligentia velle sine vlla causa se obsequio oblato Deo per votum liberare.

Hæ duæ opiniones possunt sic conciliari, vt dicamus primam opinionem Soti esse veram regulariter.
3 Quia quasi nunquam subditus petit irritationem voti, nisi quia in eius executione aliquam molestiam sentit; & non malè facit, sed vtitur iure suo, proponens superiori eam molestiam, vt iudicet, an expediat irritare, idque diiudicare non est inferioris, sed superioris, cuius sententiam potest tuta conscientia amplecti. E contra verò secunda opinio est vera, quando subditus apertè aduertit nullam esse causam, nec in eius executione grauamen sentit, tunc enim peccat venialiter, quia qui pœnitet se emisisse aliquod votum absque legitima causa, peccat venialiter: ergo à fortiori qui absque vlla causa irritationem petit. Patet consequentia, quia petitio hæc pœnitentiam claudit, additque voluntatem illius irritandi.

QVÆSTIO X.

Quinam possint vota irritare?

RESPONDEO eos omnes, qui potestatem habent dominatiuam in eos qui vota emiserunt, vt sunt dominus, Pater, Tutor, Maritus, Prælatus, comparatione seruorum filiorum, Pupillorum, Minimorum, & Religiosorum Ita Sot. *lib. 7. quæst. 3. art.1.* 1

Ex quo sequitur eiusmodi potestatem non esse spiritualem, & Ecclesiasticam, sicut dispensandi, & commutandi; sed dominatiuam, & profanam: 2
vt optimè Caiet. *verb.votum cap.vltimo* annotauit. Vnde hæc potestas irritandi vota non solùm penes Christianos, sed etiam penes infideles reperitur.

QVÆSTIO XI.

An Episcopus possit vota sæcularium irritare?

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia eius potestas non est dominatiua, sed spiritualis. 1

QVÆSTIO XII.

An saltem Romanus Pontifex possit omnia vota Christianorum sæcularium irritare?

MICHAEL Medina *de sacrorum hominum continentia lib.5.c.44. & 45.* & Llamas *methodo curationis 3. p.cap.44.§.1 fine* affirmant, ea ratione, 1

quia Pontifex habet supremam potestatem in terris, & illi sine limitatione dictum est in Petro Matth. 16. *quodcumque ligaueris, & quodcumque solueris*, &c. ergo etiam illi data est potestas irritandi omnia vota.

Tum quia in omni voto censetur excepta authoritas Pontificis: ergo omne votum inuoluit conditionem, *nisi Pontifex restiterit*; sed hoc est fundamentum irritationis: ergo.

2 Alij vero rectiùs negant. Et ratio est, quia caret potestate dominatiua, cuius est vota subditorum pro suæ voluntatis libito irrita reddere. Et colligitur *ex cap. Magnæ de voto* vbi aperte supponit Innocent. III. non potuisse irritare votum cuiusdam Episcopi. Et idem colligi potest *ex solo tit. de voto.*

Nec hoc est contra supremam potestatem eius; quia illa est suprema in suo genere spiritualis iurisdictionis, quæ non extenditur ad actus, qui non sunt iurisdictionis, vt est propria, & directa irritatio voti valìdi. Immo nec ratione iurisdictionis potest Pontifex pro suo libito prohibere fidelem subditum, ne opera consilij faciat, & ideo multo minùs potest directè irritare vota de his operibus factis.
3 Vnde falsum est, in omni voto inuolui illam conditionem, *nisi Pontifex restiterit*; vt rectè annotauit Suar. *lib.6. cap. 2. num.* 3. vbi declarat non omnia vota Christianorum pendere ex libera voluntate Pontificis, sed tantum illa, quæ versantur circa materiam concernentem Pontificem. Et ideò ita tenent D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. & ibi Caietan. Sot. *lib.* 7. *q.* 3. *art.* 1. Arag. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 8. Suar. *lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 3. *&* 3. Azor. *lib.* 11. *cap.* 17. *quæst.* 3. Vasq. 1. 2. *quæst.* 99. *art.* 4. & plerique alij.

QVÆSTIO XIII.

An Romanus Pontifex possit vota Clericorum secularium irritare?

MICHAEL Medina *lib.* 5. *de sacrorum hominum continentia c.* 44. affirmat posse. 1

Mihi verò longè probabilius videtur contrarium. Ducor, quia nec in illos Romanus Pontifex potestate dominatiua gaudet. Quod tamen dico 2 nisi eorum vota ad gubernationẽ Ecclesiarum, & beneficiorum, & rerum Ecclesiasticarum pertineant, vt de beneficio renunciando, alienando, &c. quia tunc fas est Romano Pontifici ea vota irritare, quia tacita cõditione videntur facta, ea nimirum, *Si summo Pontifici placuerint*, quia aliqua ex parte eius supremæ potestati obsunt.

QVÆSTIO XIV.

An vota Episcoporum, & Clericorum, quæ Papa irritat, verè, & propriè irritet, ita vt non reuiuiscant?

SVAR. *lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 5. *& cap.* 2. *num.* 7. tenet ea non verè irritari, sed solùm suspendi; & ideò dicit, ea vota postea reuiuiscere, si postea Episcopatui, vel beneficio Ecclesiastico renuncient, aut ab eisdem deponãtur. 1

At omnino tenendum est ea verè irritari, ac proinde sic irritata nunquam reuiuiscere. Quia hæc vota imbibitam habent conditionem, *si Papæ placuerint*, ergo tenentur requirere, si Papæ placuerint, vt impleant vota: si placent, tenentur implere, si non, irrita sunt vota. Et ideò ita sentit Illustrissimus Cardinalis Caietan. *in summa, verbo votum.* 2

QVÆST.

QVÆSTIO XV.

An Romanus Pontifex possit irritare vota religiosorum, quæ alij regulares eorum Prælati irritare valent?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia Romanus Pontifex ex vi professionis religiosæ non minùs est eorum Prælatus quam religionis Prælati; immo est summus, ac supremus omnium religiosorum Generalis, vtramque potestatem spiritualem. s. & dominatiuam super eos habens. Ita D.Thom.2.2.q. 186.*art.*5.*ad* 3. & ibi Caietan.Sot.*lib.*7.*q.*3.*art.*1. Less.*lib.*2. *cap.*41.*dub.*15. Valent. 2.2.*d.*6.*q.*6.*p.* 6.& Suar.*lib.*6.*c.*7.*num.*18.

QVÆSTIO XVI.

An Episcopus possit vota Clericorum sæcularium irritare?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia super eos potestatem dominatiuam non habet, sed spiritualem. Quod tamen optimè limitat Suar.*lib.*6.*cap.*2.*num.*8.nisi clerici vouerint aliquid in Ecclesiarum detrimentum, vt si Parochus voueat longam peregrinationem.

QVÆSTIO XVII.

An vota Clericorum beneficium habentium, quæ Episcopus irritat, verè irritentur, ita vt nunquam reuiuiscant?

1 RESPONDEO nunquam reuiuiscere. Ratio est, quia includunt tacitam conditionem, *si Episcopo placuerint*. Ita Abulen.*c.*30.*Num.q.*71.

QVÆSTIO XVIII.

An Episcopus possit vota religiosorum irritare?

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia cum modo ex priuilegio omnes religiosi sint immediatè Romano Pontifici subiecti, nulla super eos potestate dominatiua gaudet: Ita Suar.*lib.*6.*c.*6.*num.*8. 1

QVÆSTIO XIX.

Quo iure potestas irritandi vota competat superioribus habentibus potestatem dominatiuam?

SOTVS *lib.*7.*q.*3. *art.*1. Arag. 2.2. *q.*88. *art.*8.& Azor.*lib.*11.*cap.*17. *q.*3. docent hanc irritandi potestatem eis inesse ex iure naturali. Quia tota, 1
in potestate, qua quis alteri subiicitur, consistit Vnde fit, vt hæc potestas irritandi sit non solùm penes Christianos, sed etiam penes infideles. Et quamuis vota infidelium emissa suis diis, sint irrita, & actus idololatriæ: possunt tamen valida vota Deo vero, lumine naturali cognito emittere. Quando ergo valet votum, censenr esse hanc facultatem irritandi apud illos.

Alij verò tradunt potestatem hanc irritandi eis competere ex iure Canonico, quod in omnibus subditorum votis, eam conditionem tacitè inesse præscripsit, *nisi superior contra-* 2
dixerit: quamuis autem id statutum non expressè in iure inueniatur, deducitur tamen ex Ecclesiæ vsu. Ita Less.*lib.*2.*dub.* & Vasq.1.2.*q.*96.*art.*4. *dub.*165.*cap.*4.*num.*29.

QVÆSTIO XX.

An si quis extra religionem approbatam, votum obedientiæ emittat in manibus alicuius, possit hic illius vota irritare?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia per illud votum obedientiæ, iure Canonico nulla iurisdictio in vouentem acquiritur, nec eius vota imbibitam habent conditionem pendentem ex illius consensu. Ita Vasqu. 1.2.*q.96. art.4. d.165. cap.4. num.25.*

QVÆSTIO XXI.

An possit quis sua sponte ita sua vota alteri subiicere, vt ab eo irritari queant? Vt siquis ad vouendum procliuis, protestetur se nullum votum absolutè velle, nisi Confessarius illud approbauerit?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia cum tota voti obligatio ex propria vouentis intentione dependeat: potest vouens absolutè, aut cum aliqua se conditione obligare: ergo dum prior illa voluntas non fuerit mutata, poterit ille vota huius irritare.

QVÆSTIO XXII.

An superior possit irritare vota subditi nondum emissa, sed in posterum emittenda?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia ea vota nulla alia ratione sunt valida, nisi quia dependent à tacita conditione in eis imbibita, *si superior consenserit, aut non contradixerit.* Cùm ergo obligatio consurgat ex superioris voluntate ad libitum volentis, aut contradicentis: cur sicut potest postea auferre conditionem illam, seu illam non ponere, non poterit etiam validè antecedenter id facere, auferendo conditionem, sine qua, votum nullam vim habet obligandi? Ita Suar. *tom.2. de religione, lib.3. cap.3. nu.15.*

QVÆSTIO XXIII.

An superior possit subdito prohibere, ne ipso inconsulto voueat?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia hoc non est, opus perfectionis impedire, sed modum, quo melius fiat, prouidere. Suar. *lib.3. c.6. num.25.* 1

QVÆSTIO XXIV.

An vota contra huiusmodi prohibitionem facta sint valida?

RICHAR. *in 4. dist. 38. quæst. 2. art. 4.* putat non valere, quia Deus non acceptat obligationem contractam contra superioris præceptum. 1

At ego verius existimo, omníque remoto dubio opinor, talia vota esse valida, quando solus vouendi modus interdicitur. Ratio est, quia ad hoc vt votum teneat, sufficit vt materia sit Deo grata, etsi modus vouendi illi displiceat. 2

Et confirmatur, nam multa fieri prohibentur, quæ tamen facta, tenent. *cap. Ad Apostolicam de regul.*

Nec obstat ratio Rich. quia etsi tunc Deus non acceptet modum, acceptat tamen materiam illam voti aptam. Ita Suar. *lib.3. c.6. num.25.*

QVÆST.

QVÆSTIO XXV.

An superior possit facultatem irritandi alicui concedere?

1 IN qua re constat apud vniuersos, posse superiorem irritare vota, quæ talis vir doctus irritanda præscripserit. Ratio est, quia tunc nulla irritandi potestas delegatur, sed ipsemet superior irritat sub illa conditione, & solum arbitrium illi tertio relinquitur.

Sed dubium est, quando ipse superior non irritat, sed irritandi potestatem delegat.

Nonnulli negant.

2 Contrarium tamen est proculdubio affirmandum. Quia hoc nil aliud est, quàm facultatem irritandi actum factum, absque domini consensu, committere; quam quidem dominus concedere potest ad rescindendam rei suæ alienationem ipso inconsulto factam. Et ideo ita tenet Suar. *lib.6.c.6. num.*23.*& cap.*7.*num.*17.

QVÆSTIO XXVI.

An superior, qui potest vota sibi subditorum irritare, possit quoque propria vota irritare, vel suo Confessori committere, vt illa irritet?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia ratione dominij absoluti, quod habet superior super voluntatem subditi, aut super materiam promissam inest iis votis conditio tacita, *si superior consenserit, aut non contradixerit*, & ideò irritationi superioris subduntur. At ipsa superioris vota nullam habent tacitam conditionem à sua voluntate dependentem, sed à voluntate sui superioris; ergo non potest sua vota irritare, aut aliis irritanda committere.

QVÆSTIO XXVII.

An irritatio voti fieri possit vouente inuito?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia cum irritatio pendeat à dominatiua superioris voluntate, potest exerceri, velit, nolit inferior; quia non potest potestati superioris præiudicare. Ita Suar. *lib.6. cap.*1.*ad finem*, & Sayr. *lib.*5.*cap.*8.*num.*6. 1

QVÆSTIO XXVIII.

An votum semel authoritate legitima irritatum, reuiuiscat, si superior suam irritationem retractet? vt si superior postquam semel votum sine causa irritauit, pænitentia ductus, facultatem illius adimplendi restituat subdito, An is teneatur denuo illud seruare?

RESPONDEO non teneri. Ratio est, quia obligatio semel extincta, non reassumit vim obligandi, nisi denuo renouetur. *l. Cùm ex causa C. de remiss. pignor.* Et ideò ita sentiunt Sot. *lib.*7.*q.*3.*art.*1. & Sayr. *lib.*6.*c.*10. *dub.*4. 1

QVÆSTIO XXIX.

An possit superior irritare votum subditi de sua licentia emissum?

IN hac re sanè dubia, & perplexa existimo in primis, quod si superior 1

det licentiam vt subditus voueat, postea verò eam licentiam reuocet, antequam ille votum emittat, & post illam reuocationem voueat, votum est nullum, nec superior peccat ex causa licentiam reuocando. Sin autem votum emiserit ante reuocationem licentiæ, tenet votum.

Secundò existimo, quod quando res est omnino integra, quia nimirum inferior nondum votum emisit, tunc potest superior licentiam reuocare. Quia tunc nulli ius est acquisitum.

Hoc autem temperant Rich. *in 4.*
2 *d.32.q.2.art.2.* & Palud. *ibidem q.2.ar. 2.* quando licentia priuatim concessa est; secus si publicè. Verùm hoc displicet, quia in neutro casu est ius acquisitum, sed manet res omninò integra.

Quæ omnia supradicta sunt intelligenda, quando idem superior, vel æqualis successor eam licentiam reuocat. Quia si eam concessisset superior volentis reuocare, non teneret reuocatio, cum inferior gesta à superiore retractare nequeat. At poterit hic inferior suspendere ex iusta causa executionem illius voti, quia quamuis careat potestate dominatiua ad illud irritandum necessaria; non tamen tollitur omnino subiectio, vt ex iusta causa nequeat suspendere; idque recta gubernatio postulat.

Tertiò, & vltimo existimo, quod quando votum est emissum, & executioni mandatum tradendo rem promissam, tunc nullus superior potest
3 talem licentiam reuocare. Ratio est, quia ob id integrum est superiori licentiam reuocare, quia ante traditionem manet adhuc dominus rei promissæ; at traditione facta, est iam translatum dominium in alterum: ergo iam non licebit reuocare. Hæc itaque certa sunt.

Sed quod in dubium vertitur est, quando votum est emissum, nondum tamen executioni mandatum.

Et quidem quando superior non 4
absolutè, sed ad certum tempus, vel quamdiu voluerit, licentiam cōcessit, certum est, eum posse transacto eo tempore, votum irritare: quia in hoc casu licentia nō fuit absoluta, sed pendens à tempore, siue beneplacito; ac proinde finito tempore, aut cessante beneplacito poterit licitè absque voti emissi iniuria illud irritare.

QVÆSTIO XXX.

Tota igitur difficultas consistit, quando superior simpliciter licentiam concessit, vel pro determinato actu, vel tempore, & pro eodem sit irritatio voti.

RICHAR. *in 4. dist. 38. q. 3. art. 4* absolutè negat. Immo dubitat, an 1
possit idem superior dispensare, quia ad voti firmitatem in subdito nil desideratur præter superioris consensum: ergo illo accedente manet firmū.

Cosmus Philiarch. *de officio Sacerdotis to. 1. p. 2. lib. 3. c. 4.* soli Prælato religionis hanc potestatem concedit: quia inter superiores habentes potestatem dominatiuam ad irritandum vota solus ille habet simul spiritualem. At fundamentum eius nullum est; quia ad irritandum nil confert potestas spiritualis.

Sed communis, & verior senten- 2
tia est, posse superiorē irritare votum subditi de sua licentia emissum. Et ratio est, quia superior concedens talem facultatem vouendi, non abdicat à se dominium illius voluntatis subditi, & rei promissæ offerendæ per voti executionem: ergo tamquam dominus retinet adhuc potestatem irritandi.

Tum quia per prædictum consensum, non facit subditum sui iuris, sed solùm

solùm concedit illi, vt operetur,& se obliget;semper tamen dependenter à superioris voluntate. Nec tunc subditus (etiamsi superior sine rationabili causa facultatem reuocet) ea non implens, peccat, vt colligitur *ex c.30. Num.* Et ideo ita sentiunt Caiet. 2.2.
3 *q.*88 *art.*8.Sot.*lib.7.q.3. art.*1. Nauar. *cap.*12.*num.*73.Azor.*lib.*11.*cap.*17.*q.*6. Val.2.2.*d.* 6. *q.* 6. *p.*6.Arag.2.2.*q.*88. *art.*8.Vega 2.*to.cap.*129.*casu* 91.Sayr. *lib.*6.*cap.*4. *num.* 12. Emman.Sà *verb. de voti irrit.nu.*2. Suar.*lib.*6 .*cap.*8.*nu.* 4.& alij.

QVÆSTIO XXXI.

An superior peccet, irritando votum ex licentia sua emissum?

1 ET quidem si superior iusta de causa adductus postea irritat votum,non peccat. Quia tunc potestate non abutitur, cum possit occurrere casus, in quo vtilius esset ad Dei honorem irritare.

QVÆSTIO XXXII.

Sed dubium est: An peccet superior qui pro voluntatis suæ libito, absque iusta causa irritat votum subditi,de sua licentia emissum?

1 IN qua re etiam constat apud omnes eum peccare,quia sua potestate abutitur.

QVÆSTIO XXXIII.

Sed tota difficultas consistit. An peccet mortaliter?

1 MAGISTER Sotus *lib.* 7. *de iust. q.*3.*art.*1.dicit eum solùm peccare venialiter.

Suares *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 12. tenet eum raró peccare mortaliter, nisi vel scandalum,vel contemptus grauis intercedat.

Alij verò rectius docent,eum peccare mortaliter. Ratio est, quia sicut superior dans licentiam subdito promittendi aliquid Deo, cooperatur illi obligationi, & quantum est ex se,offert rem illam Deo; ita reuocans,est iniurius illi voto. Vnde peccatum superioris absque iusta causa irritantis reducetur ad sacrilegium transgressionis voti, quod ex genere suo mortale est. Et ideo hanc partem sustinent Caiet.2. 2. *quest.* 88. *art.* 8. Nauarr. *cap.*12.*num.*73.Lop. *p.*1. *cap.* 48.Sayr.*lib.*6.*cap.*10.*num.*12.& Vega 2.*to.cap.*129.*casu.*91. 2

Dixi notanter (*ex genere suo*) quia si materia voti esset ad veniale obligans ratione leuitatis; certum est eam irritationem esse solùm venialem; cum grauior culpa esse nequeat,quàm foret transgressio voti non irritati.

QVÆSTIO XXXIV.

An superior absque iusta causa irritans votum subditi sua licentia factum, teneatur implere votum illud, aut nouam licentiam concedere?

FONSECA *in annotatione ad marginem Caietan. super cap.* 30. *Num. ad finem* absolutè dicit hunc ad id teneri. 1

Alij verò censent teneri eum superiorem iterum concedere facultatem subdito implendi votum illud: sicut iniustè impediens volentem exequi votum, tenetur obstaculum remouere

Verùm omnino dicendū est, hunc superiorē ad nihil teneri. Et ratio est. quia

2 quia cum votum illud penitus per irritationem extinctum sit, nec iterum consensu solius superioris reuiuiscere possit, nulla obligatione superiorem, nec etiam subditum afficere potest: quod enim non est, operari nequit. At si superior votum illud non irritaret, sed obligationem suspenderet absque iusta causa, teneretur licentiam exequendi concedere; quia cùm adhuc obligatio voti vigeat, tenetur illius impedimentum auferre.

QVÆSTIO XXXV.

An subditus in hoc casu peccet, si absque causa iusta irritationem petat?

1 RESPONDEO eum peccare, quia superioris peccato cooperatur. Quare sequendo opinionem, quam supra tenuimus, dicentem superiorem peccare mortaliter, peccabit quoque subditus mortaliter. At si subditus anceps de causæ sufficientia, illam proponeret superiori, cuius interest iudicare, num causa sit iusta; non peccaret, quia potest iudicio superioris stare.

QVÆSTIO XXXVI.

An superior æqualis succedens ei, qui vouendi licentiam concessit, possit absque causa irritare votum subditi de licentia prædecessoris emissum?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia cùm par in parem non habeat imperium *cap. Innotuit de electione*, licentia præcedentis superioris æqualis, nequit succedenti æquali præiudicare, quominùs possit validè absque causa votum id irritare, proinde ac si absque illa licentia factum esset. peccabit tamen venialiter, si absque vlla causa id votum irritet. Ita Petr. de Ledesm. 2. *tom. sum. tract.* 10. *c.* 7. *dub. vltimo.*

QVÆSTIO XXXVII.

An petens irritationem voti de licentia superioris emissi, à superiore illius superioris, aut ab æquali successore, teneatur illi explicare votum esse ex alterius licentia emissum?

RESPONDEO non teneri. Ratio est, quia nullo iure id exprimere cogitur, cùm superior illius superioris, aut eius æqualis, perinde possit illud votum irritare, ac si de nullius superioris licentia esset factum. At si ab eodem superiore immemore prioris licentiæ peteret suum votum irritari, teneretur illā exprimere, quia per talem licentiam difficilior redditur irritatio. Si tamen causa sufficiens, & vera proponeretur; non teneretur explicare votum esse ex alterius licentia emissum. Quia ob id solum eius expressione opus erat. 1

QVÆSTIO XXXVIII.

An censeatur votum de licentia superioris emissum, quando subditus, obtenta licentia à superiore aliquid faciendi, vouet se id facturum?

RESPONDEO minimè. Ratio est, quia votum est nouum onus, quod subditus liberè vouendo, sibi imponit, cui oneri superior per talem licentiam non consentit; non ergo licentia aliquid faciendi, est licentia vouendi 1

vouendi. Si verò superior est voti conscius,& consentit in opus, præsumitur consentire in obligationem voti,quia ideò videtur consentire,vt votum impleat: si non intenderet per hoc approbare votum,non confirmaretur.

QVÆSTIO XXXIX.

An si superior, voti inferioris conscius taceat, & dissimulet, censeatur consentire, ac votum illius approbare, ita vt in posterum non possit ampliùs absque causa illud irritare?

1 ADRIAN. *in* 4. *q.*14. *de matrimonio* Abulen.*cap.*5. *Matth. q.*149. Syluest. *verb. religio* 2. *q.* 15. Valent. 2.2.*disp.*6.*q.*6.*p.*6. Sayr.*lib.*6. *cap.*10. *num.*16. & multi alij tuentur partem affirmatiuam. Addunt tamen Abulen. & Sayrus, debere statim audito voto superiorem contradicere, ne votum maneat approbatum. Quod explicat Syluester, id est, eadem die, & non alia, & probat ex cap. 30. Num. ibi. *Quod si audiens vir tacuerit, & in alteram diem distulerit sententiam, quidquid vouerat, reddet.*

2 Contrarium tamen est proculdubio affirmandum cum D.Thom.*in* 4. *d.* 32. *fine*, *in expositione literæ*, & ibi Palud.*q.*2. *art.* 2. Caietan. *in cap.* 30. *Num.* Tab. *verb. matrimonium* 1.*q.* 3. & D. Anton. 3.*p.tit.*1.*cap.*22. §.2. Et ratio est,quia superior potest tacendo habere se merè negatiue, nec assentiendo,nec dissentiendo.

Tum quia potestas irritandi est actus dominij: at domino integrum est vti, aut non vti re sua dum voluerit.

Tum quia superior potest consensum suum differre, quousque maturius deliberet: ergo tacendo,& dissimulando non censetur votum approbare.

Nec obstat lex illa Numer.quæ hac taciturnitate inducebat consensum; quia quoad hoc, fuit ceremonialis, & ideo nunc non obligat, vt rectè Caietan.ibi annotauit. 3

QVÆSTIO XL.

An si superior audito voto taceat habens internum illius approbandi consensum, talis taciturnitas sit sufficiens illius approbatio?

SVNT quidam qui negant. 1

At dicendum est sufficere, si verè superior voluit approbare votum. Ratio est,quia votum illud subditi ideò firmum non est, sed ad placitum reuocabile, quia tacitam habet conditionem, *Si superior conscius consenserit, & non contradixerit*, vt optimè docet D.Tho.2.2.*q.*88.*art.*8.ergo accedente consensu superioris etiam post votum factum, firmum redditur votum. 2

Nec obstat consensum superioris internum esse, quia iam aliquo signo externo exprimitur, nimirum taciturnitate,& dissimulatione illa.

Est autem hic vnum obseruandum, quod non sufficit in hoc casu consensus merè internus, nec quæcumque superioris audito voto taciturnitas;sed oportet audiri ab ipso subdito proponenti illud superiori, vt licentiam exequendi largiatur, vt rectè docent Caietan.*super cap.*30. *Num.* & Suar.*lib* 6.*cap.*6.*num.*14. Et in dubio consensus interni, is præsumitur ex superioris taciturnitate si materia voti pertineat 3

pertineat ad solam debitam subordinationem, & gubernationem, vel ad bonum animæ subditi: secus autem si ea materia positiuè cederet in superioris præiudicium, tunc enim taciturnitas non sufficeret ad voti approbationem, sed opus esset expressa facultate. Ratio huius est, quia in fauorabilibus tacens consentire videtur, secus autem in præiudicantibus sibi. Ita Caiet. *super cap.* 30. *Num.* & Suar. *lib.* 6. *c.* 4. *n.* 20.

QVÆSTIO XLI.

An votum subditi semel ligitima authoritate irritatum, finita superioris potestate reuiuiscat? Et intelligitur quæstio quando materia voti est talis, quæ possit pertinere ad tempus illud quo subditus est extra superioris potestatem?

1 PALVD. *in* 4. *dist.* 38. *q.* 4. *art.* 2. D. Ant. 2. *p. tit.* 11. *c.* 2. §. 6. & Rosell. *verb. votum* 2. *num.* 7. *&* 13. absolutè docent vota semel irritata reuiuiscere cessante subiectione.

Alij verò nobiles authores asserunt in vniuersum, votum quodcumque siue vxoris, siue filij, siue religiosi semel irritatum ab habente potestatem dominatiuam, deficiente subiectione, non reuiuiscere, sed omnino extingui. Ratio est, quia vota horum subditorum sunt conditionalia, habéntque conditionem imbibitam pendentem à superioris voluntate, nimirum, *si superior consenserit, aut non contradi-*
2 *xerit*: vt rectè docet D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. *ad* 4. ergo sicut deficiente conditione, votum conditionale non obligat: ita vota subditorum non obligant, superiore irritante, quia tunc deficit cōditio in ipsis imbibita: quando enim superior denegat consensum, vòto contradicit. Ita tenent Caietan. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. Sot. *lib.* 7. *quæst.* 3. *art.* 1. Valent. 2. 2. *d.* 6. *quæst.* 6. *p.* 6. Nauarr. *cap.* 12. *num.* 66. Roder. 2. *p. cap.* 91. *num.* 8. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 18. *nu.* 9. Azor. *lib.* 11. *cap.* 17. *q.* 4. Arag. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. Sayr. *lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 6. & *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 13. Lop. *p. p. cap.* 48. & Veg. 2. *to. c.* 29. *casu* 20.

At ego existimo sic in hac quæstione distinguendum: si is, cuius votum fuit irritatum, erat subditus non solum quoad materiam promissam, sed etiam quoad voluntatem, per quam vouit, (sicut est religiosus, vxor, & filius impubes) dicendum est, secundum se totum illud fuisse irritatum, neque amplius ad aliquid obligare vt tenet secunda opinio. Si autem 3
quis erat subditus tantum quoad materiam promissam, & ea sit eiusmodi, quæ maneat in potestate subditi postquam is à superioris potestate eximitur vt si seruus vouisset dicere Rosarium singulis diebus per totam vitam omnino votum videtur obligare, quando talis subditus liberatur à potestate alterius. Ratio est, quia dominus non potest irritare votum serui, nisi quatenus potest illi subtrahere materiam promissam, sed non potest subtrahere materiam promissam, nisi pro tempore, quo vouens est illi subditus; ergo non potest irritare illud votum simpliciter, sed tantum quoad tempus subiectionis; ergo eo elapso, seruandum est à subdito id votum. Maior propositio per se patet, quandoquidem tantum est superior quoad materiam promissam. Minor verò probatur, quia pro illo duntaxat tempore materia voti est in superioris potestate.

* *
*

QVÆSTIO XLII.

An superior possit irritare votum subditi emissum ab eo ante seruitutem, cum esset sui iuris?

1 IN qua re conueniunt vniuersi, superiorem posse huiusmodi votum suspendere, si aliqua ex parte cedit in ipsius præiudicium: vt habetur *ex cap. Noluit* 33. *q*. 5.

QVÆSTIO XLIII.

Sed quæstio tota est de voto, quod subditus antequam in seruitutem deueniret, emisit, & nunc nihil superiori officit.

1 RICH. *in* 4 *d*.38. *q*.1.*art*.4. & Rosel. *verbo votum* 2.§.7.*&* 14. affirmant superiorem posse eius votum irritare. Quia etsi voluntas eius qui vouerat, dum votum emitteret, alteri subiecta non erat, modo tamen subiicitur.

Mihi verò contraria sententia longè verior videtur. Et ratio est, quia cum huiusmodi votum, ei minimè præiudicet, nullam habet tacitam conditionem ab ipsius consensu pendentem.

QVÆSTIO XLIV.

An possit superior irritare vota conditionalia subditi emissa tempore libertatis, si conditio impletur tempore subiectionis?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia tempore quo votum factum est, voluntas erat libera, ac sui iuris, & sic non habuit conditionem imbibitam ex consensu alicuius superioris pendentem, sed in genere voti conditionalis fuit perfectum, & excepta illa conditione fuit absolutum: ergo subiectio superueniens nequit nouam conditionem apponere, vt pendeat à consensu noui superioris, vtpote quæ naturam prioris voti non mutat.

QVÆSTIO XLV.

An votum quod emisit subditus sine superioris licentia implendum tempore quo fuerit sui iuris, possit à superiore irritari? Vt si v.g. adolescens promitteret se facturum eleemosynam, quando fuerit emancipatus.

CAIET. 2.2.*q*.88.*a*.8. Nauarr. *c*.12. *num*.66. Lop. *p.p.cap*.48. Arag. 2.2.*q*.88. *art*.8. Roder. *p*.2 *sum.cap*. 92. *num*. 10. & plerique alij absolutè negant. Quia votum emittitur pro eo tempore, quo materia voti non erit sub potestate superioris. 1

At verò Sotus *lib*.7. *q*.3. *art*. 1. & Vega 2.*tom.cap*.129.*casu* 20. absolutè docent, posse superiorem ea vota irritare. Ratio est, quia tempore quo votum illud emittitur, voluntas illa subditi est sub potestate superioris, quantumcumque executio in aliud tempus differatur. 2

Tum quia licet executio pendeat in futurum, at talis voti grauamen, & obligatio præsentia sunt.

Tum demum, quia id votum sibi præiudicat, nam tempore quo est verè superior, alter subditus eum non recognoscit, vouens sine eius licentia.

Hæ duæ opiniones possunt sic conciliari. Nam si est subditus solùm quo ad rem, quam vouet, vera est opinio Caietani, & ratio eius est optima: si verò quis subditus sit etiam quoad 3

voluntatem, per quam vouet, tunc vera est opinio Soti. Nam licet tunc non possit irritari votum ex parte materiæ, potest tamen irritari propter subiectionem voluntatis, qua fuit emissum.

QVÆSTIO XLVI.

An superior possit irritare promissionem homini factam de eius licentia?

1 ARAGONA 2.2.*q*.88.*art*.8. affirmat ante traditionem posse irritare, quia ante traditionem superior semper est dominus.

At omnino dicendum est nullo modo posse validè irritare, sed teneri superiorem permittere subdito, vt
2 promissionem adimpleat. Ratio est, quia licet dominium maneat apud superiorem, at est ius acquisitum homini, cuius ius non potest superior remittere, cum non gerat vicem ipsius. At cum gerat vices Dei ad gubernandam subditi voluntatem, potest remittere ius acquisitum Deo per votum, licitè quando adest iusta causa, & illicitè quando absque causa remittit, semper tamen validè.

QVÆSTIO XXXXVII.

An censeatur superior votum irritare, quando illius ignarus petitam licentiam illius exequendi denegat?

1 RESPONDEO minime. Ratio est, quia cum voluntas ferri nequeat in non cognitum, non censetur superior votum penitus ignoratum velle irritare. Et ideò ita tenent Caiet. 2.2.*q*.88.*art*.8. Sot.*lib*.7.*q*.3.*ar*.1. Nau. *cap*.12.*nu*.69. Valent.2.2.*d*.6.*q*.6.*p*.6 & Suar.*lib*.6.*cap*.7.*num*.13.*&* 14.

QVÆSTIO XXXXVIII.

An subditus qui vouit rem, quam absque superioris licentia adimplere nequit, quia nimirùm tempore voti materia erat prohibita, teneatur ex vi voti, antequam sit in mora soluendi, petere illius implendi licentiam?

IN qua re certum est apud omnes, hunc ad id non teneri, si tempore 1
voti habuit expressè intentionem non se obligandi ad petendam licentiam, sed solùm ad opus illud exequendum quando prohibitio cessarit. Quia votum non obligat vltra intentionem vouentis.

Secundò etiam constat, hunc non teneri eam licentiam petere, quando tempore voti credebat talem licentiam non esse necessariam, quia obligatio eius petendæ oritur ex tacita vouentis voluntate, ignorantia autem tollit voluntarium.

QVÆSTIO XXXXIX.

Sed difficultas est, quando de eius expressa intentione non constat.

RESPONDEO hunc ad id teneri. Et ratio est, quia cum vo- 1
tum illud impleri nequeat absque superioris licentia, vanum, & irrisorium esset, nisi obligaret ad eam licentiam petendam. Secus si res erat permissa, nec opus erat licentia ad exequendum, & postea superior prohibet, quia tunc non tenetur ex vi voti petere licentiam. Ratio est, quia votum non obligat vltra vouentis intentionem tacitam

tacitam, aut expressam: at neutra fuit obligandi se in hoc casu ad eam licentiam petendam, vtpote quæ tunc necessaria non erat. Quare excusabitur subditus ab eo voto implendo durante prohibitione illa, & potestate illius superioris, & his cessantibus reuiuiscet votum, quia non erat irritum, sed suspẽsum. Quod limita, nisi quando subditus vouit, intenderet se obligare, non obstante futura superioris prohibitione, tunc enim ea secuta tenebitur subditus petere licentiam. Ita Roder. *p.2. sum. cap.91. num.3.* & Vega *2. tom. cap.129. casu 90.*

QVÆSTIO L.

An si superior voti ignarus deneget licentiam exequendi opus, teneatur subditus ei aperire votum?

1 IN hac re, sanè dubia, & perplexa, vnum certum est, alterum vero cõtrouersum. Certum est enim, quod ad irritandum quidem votum, vt videlicet non habeat vim obligandi, requiritur in superiore notitia voti facti, vt optimè docuit Caiet. *2.2. q.88. art.8.* quem communiter sequuntur Doctores.

Difficultas autem est, An ad hoc vt saltem ad tempus excusetur subditus ab executione operis, satis sit superiorem negare facultatem exequendi opus, tamen si inscius sit voti facti, vel requiratur vt conscius voti, neget facultatem exequendi operis?

2 Illustrissimus Caietanus *in summa verb. votum cap. de 4. conditionibus* Sot. *lib.7. q.3. art.1.* Arag. *2.2. q. 88. ar.8.* Valent. *2.2. d.6. q.6. p.6.* Roder. *p.2. cap.91. num.5.* & Azor. *lib.11. cap.16. q.6.* affirmant teneri subditum manifestare votum superiori, peteréque ab eo licentiam, vt votum illud exequatur, vbi sine licentia impleri nequit. Nam faciliùs superior voti conscius licentiam concedet, quàm forte negaret illius ignarus.

His tamen non obstantibus dico, longe verius, atque probabilius esse, affirmare hunc ad id non teneri. Et 3
ratio est, quia vouens solum obligatur ad implendam conditionem inclusam in voto, & qua posita manet integrum, & validum votum: sed hanc satis implet petendo licentiam tacito voto; ergo ad nil amplius tenetur.

Tum quia vouens non tenetur efficere, totum quod in se est, quo votum impleat, sed id solum, ad quod saltem tacitè se obligauit per votum. At vouens rem prohibitam, non subinde se obligauit ad manifestandum superiori votum, sed dumtaxat ad petendam exequendi licentiam. Quare vt teneatur subditus aperire votum, opus est expressa vouentis intentione, qua ad id aperiendum se obligarit vt rectè docuit Caiet. *2.2. q.88. art.8.* Nec satis est adesse intentionem tempore voti illud aperiendi, sed necessarium est adesse expressam illam se obligandi intentionem. Quia solum propositum, quale est intentio illa, nullam vim obligandi inducit: & in casu dubij, an videlicet vouens habuerit talem intentionem, iudicandum est in fauorem vouentis, vt non obligetur, cùm nulla sit possessio pro voto, sed tota pro voluntatis libertate; cùm sola aperiendi intentio nullam obligationem inducat. Et ideo huius sententiæ sunt Nauar. *cap.12. num.69.* Palac. *in 4. d.38. d.3.* Caiet. *supra citatus* & Suar. *lib.3. cap.6. num.15.*

Hoc idem dicendum est, quando superior non prohibet materiam voti, 4
sed eius inscius occupat subditum tempore quo necessariò erat votum impleturus: non enim tenebitur sub-

ditus ad votum ei manifestandum. Quia occupatio illa est quædam prohibitio operis cum illa incompatibilis;

QVÆSTIO LI.

An si superior voti ignarus deneget omnino licentiam, teneatur subditus iterum atque iterum eam petere?

1 RESPONDEO teneri. Ratio est, quia cum votum illud superiori incognitum adhuc semel negata licentia vim obligandi habeat, vtpote quod non irritatum, sed sopitum solum erat, obligabit ad petendam iterum implendi licentiam, quando recta ratio dictauerit tempus esse congruum. Vnde si licentia non fuit in perpetuum denegata, sed pro certo tempore, eo transacto tenebitur iterum, atque iterum opportunis temporibus pro vt prudentia suaserit petere. Ita Caiet. *in sum. verb. votum* & Suar.*lib.6.c.7.num.*15.

QVÆSTIO LII.

Sed quid, si superior omnino, & simpliciter neget licentiam, dicens se nolle vt vnquam impleat, teneatur subditus cessante illius superioris potestate, iterum petere licentiam?

1 RESPONDEO teneri. Ratio est, quia cum ea prohibitio superioris non sit per modum constitutionis, non est perpetua, sed temporalis tantum, nempe pro tempore subiectionis illi superiori, & obligatio petendi licentiam durat, dum voti obligatio non est extincta. Quare votum quod tantum suspensum erat, finita ea subiectione, obligabit ad iterum petendam licentiam à successore. Quod limita, nisi votum sit alligatum tempori & pro illo petatur facultas, & superior neget; tunc elapso eo tempore, non tenebitur facultatem iterum petere, nam votum per lapsum temporis est extinctum, quia pro tempore pro quo obligabat impleri non potuit v.g. vouit quis certa die ieiunare, & superior prohibuit illi ieiunium, petiuit licentiam tacito voto, eámque superior denegauit, non tenetur ea die ieiunare, nec iterum ea transacta, iterum petere licentiam, quia elapso eo tempore, extinctum est votum. Ita Suar.*lib.6.c.7.num.*15.

QVÆSTIO LIII.

An superior censeatur votum irritare, quando voti conscius, dicit subdito, nolo vt facias, quod vouisti?

QVÆSTIO est, cuius meminit Caietanus *in sum. verbo votum*; 1
Respondendum est ergo iuxta mentem eius affirmatiuè. Et ratio est, quia votum subditi habet imbibitam conditionem, si sit de rebus licitis, *nisi superior contradixerit*; si autem de prohibitis, *si superior licentiam concesserit*, vt rectè docuit D.Thom.2.2.q.88.*art*.8. 2
At in casu posito, quando superior voti memor dicit subdito se nolle, vt impleat, cessat prorsus conditio imbibita in voto; ergo verè irritat. Et colligitur ex c.30. Num. ibi: *Sin autē statim vt audierit, contradixerit pater, vota eius irrita erunt.* Vbi sola contradictio reputatur irritatio voti. At si superior non ita absolutè explicet suam voluntatem, sed dicat, *nolo vt pro nunc exequaris*, non censetur votum irritare,

tare, sed suspendere, quia irritatio non ad tempus sed in perpetuum cassat obligationem. Quare si votum illud non sit onus temporis, tenebitur subditus eo tempore elapso votum implere, si sit de re permissa; aut licentiam implendi petere, si de re interdicta sit. Si autem in honorem temporis sit, eiúsque onus, non tenebitur amplius ad id votum, nisi intra implendi tempus superior licentiam concedat. Et in casu dubij iudicandum est in fauorem voti, vt illud, quàm minimè fieri possit lædatur, ne in dubio priuetur possessione obligandi in qua est.

QVÆSTIO LIV.

An vir posßit irritare omnia vota vxoris, (dempto castitatis voto) emissa inito matrimonio pro tunc implenda?

DECISIO huius quæstionis dependet ab alia. An videlicet vxor subdatur viro quoad solam voti materiam, an etiam quoad voluntatem, qua vouet?

Duæ in hac quæstione sunt inter se
1 pugnantes Doctorum sententiæ. Prima docet vxorem ratione solius materiæ promissæ subdi viro, ac proinde virum sola vota posse irritare, quæ sibi, suæque familiæ, vel gubernationi afferunt præiudicium. Vt si vxor voueat peregrinationes, abstinentias, ieiunia, potest vir hæc vota irritare: Cætera verò non item, cuiusmodi sunt vota recitandi preces aliquas, largiendi eleemosynam ex bonis, quæ habet
2 vltra dotem. Et ratio est, quia vir non est caput spirituale vxoris, sed tantùm politicum, sicut dominus serui, quem tamen constat sola sibi præiudicantia posse irritare.

Tum quia matrimonium non ordinatur per se primò, & vltimate nisi ad bonum prolis, & familiæ: ergo vxor non subditur viro primariò, & per se propter gubernandam ipsius vxoris voluntatem, sed propter bonum prolis, & familiæ: ae subinde sola vxoris vota, quæ sibi in vsu matrimonij, educatione liberorum, & gubernatione familiæ præiudicant, poterit irritare. Ita tenent Nau. *cap.* 12. *nu.* 65. Caiet. *to.* 1. *opusc. tract.* 31. *resp.* 14. *dub.* 4. Azor. *lib.* 11. *cap.* 16. *q. vltima, & cap.* 17. *quæst.* 12. & 14. Less. lib. 2. *cap.* 40. *dub.* 15. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 8. *& cap.* 10. *num.* 19. Valent. 2. 2. *d.* 6. *q.* 6. *p.* 6. Lop. *p. p. cap.* 46. & Suar. *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 26. *& lib.* 6 *cap.* 4. *num.* 2.

Hinc, si vxor voueat res positas sub præcepto, vt non furari, non mentiri, vir non potest ipsius talia vota irritare. Ratio est, quia in his soli Deo subditur, nec in ipsius præiudicium cedunt. 3

Hinc, si vxor votum voueat peregrinandi, ieiunandi, &c. illud viro manifestare tenetur, vt vel illud in irritum reuocet, vel licentiam adimplendi concedat.

Ex quo infertur, talia vota, quamdiu vir non contradicit, esse valida, & obligatoria, quia vxor non prohibetur vouere, cum sit actus virtutis, sed solùm viro inuito votum seruare.

Secunda verò opinio (cui tanquam probabiliori adhæreo) ait vxorem subdi viro, non tantùm quoad voti materiam, sed etiam quoad voluntatem, qua se voto adstringit, ac proinde integrum esse viro irritare omnia vota vxoris emissa inito matrimonio, pro tunc implenda, si absque eius licentia facta sint. Ratio est, quia quãuis quoad actum coniugalem, vir, & vxor sint pares, at in cæteris vir est caput mulieris. Vnde Genes. 3. absolutè dicitur 4

citur

citur vxori à Deo, *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Et ad Ephes. 5. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut domino; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus.* Vbi pondero, *subiectionem in omnibus viro*, & tanquam *eius capiti.* Sicut enim omnes corporis actiones capiti subduntur, ab eóque gubernantur, ita omnes actiones vxoris viro, vt ab ipso gubernentur. Et in cap. 30 Num. eodem prorsus modo, & sub eadem verborum generalitate dicitur, vota vxoris non esse firma absque licentia viri, ac vota puellæ existentis in parentis domo, sine consensu patris.

5 Tum quia nullum est tempus, in quo non possit vir vxorem ordinare in bonam gubernationem domus, & familiæ.

Tum quia mulier est imprudens, & facilis in verbis & promissis, & ideò Deus subdidit eius voluntatem viro in votis emittendis. Et ideò hanc partem sustinent Sotus *lib.7.q.3.art.1.* Arag. 2.2.*q.88.art.8.* Roder. *tom.2.cap.92.num.9.* Vega 2.*tom. cap. 129. casu 93.& 94.* Sanch. *lib.9. de matrimonio disp.93.* Stunica *de voto q. 3. num. 74.* Emman. Sa *verb. votum, vbi de voti irritatione num. 1.* Et videtur esse expressa sententia D. Thom. 2.2.*q.88. art.8.ad 3.* vbi sic ait, *Quia nullum tempus est, in quo Prælatus non possit subditum circa aliquid occupare, nullum votum religiosi est firmum nisi sit de consensu Prælati: sicut nec votum puellæ existentis in domo, nisi sit de consensu patris: nec vxoris, nisi sit de consensu viri.* Quid clarius? Comparat enim D. Thom. vxorem in vouendo religioso, cuius vota posse Prælatum in vniuersum irritare, nemo dubitat. Hanc opinionem dicit esse tutam, & probabilem Lop. *p.p.c.47.*

Ex quo infertur, posse virum etiam irritare votum vxoris de rebus positis sub præcepto, vt de non fornicando, de non mentiendo, de audiendo sacro in diebus festiuis, &c. Ratio est, 6
quia licet vxor non sit subdita viro quoad materiam præceptorum Dei, subiicitur tamen quoad nouam obligationem, quam sibi imponit per votum seruandi illud; virique est videre, expediátne vxorem eo nouo voti vinculo obligari. Potest enim imprudenter id promittere.

Hanc autem doctrinam limitat Graffius *p.p. decis.lib.2. cap.29. num.8.* nisi vir notoriam fornicationem corporalem, aut spiritualem admittat, tunc enim dicit non posse virum irritare vota vxoris, etiam sibi præiudicantia. Quia coniux adulter ius petendi debitum à coniuge innocente amisit. *Cap. Agathosa 27.q.1.* ac proinde dominium in corpus, ac voluntatem eius.

At si hæc limitatio esset vera, idem 7
dicendum esset de fornicatione occulta, per quam pariter idem ius amittitur. Quare sic distinguendum est: si coniux innocens velit iure suo vtens, à nocente recedere, non poterit adulter eius vota irritare. At si nolit eo iure vti, sed maritaliter viuere, poterit alteruter coniux irritare alterius vota, quæ eo adulterio non admisso, posset. Quia coniux adulter non omnino admittit ius petendi, sed in fauorem innocentis, si hic velit eo iure vti.

QVÆSTIO LV.

An vir possit irritare votum castitatis constante matrimonio ab vxore absque sua licentia emissum: & pro tunc implendum?

Caiet. *in sum verb. votum cap. de conditionibus ex parte vouentis §. scito,* 1

§.scito, & in opusc. tom.1. tract.31.16. resp.14. dubio 4. Nauarr. *cap.12. num.* 64. Valent.2.2. *d.6. q.6. p.6.* Lop.*p.1. cap.*47. & multi alij negant. Quia vir non habet dominium in vxorem in ordine ad actum coniugalem, sed quo ad eum sunt pares *cap. Gaudemus de diuortio.* & *cap. Si quis vxorem* 32. *q.*1. Nec vir est caput mulieris quo ad eum actum, vt rectè Durandus *in 4.d.38.q.1. art.1.* annotauit: ergo nullo modo poterit votum vxoris circa eum actum emissum irritare.

Sed quamuis sententia hæc sit valdè probabilis, probabiliorem tamen iudico contrariam, nimirum posse vi-
2 rum id votum irritare. Ratio est, quia quamuis vir, & vxor sint pares quoad libertatem non petendi, & obligationem reddendi, & ita materia illa non sit viro subiecta; at quoad illam nouam obligationem, quæ accidentaria est, vxor subditur viro tanquam capiti, cuius est voluntatem ipsius dirigere, ne imprudenter voueat.

Atque idem sentio, licèt votum sit integræ castitatis, potest enim vir illud omnino irritare, quia militat eadem ratio. Nam illa noua obligatio, qua vxor inconsulto viro se adstrinxit, subditur viro. Vnde si ea irritatione facta, vxor adulterium committat, non erit voti rea, nec soluto matrimonio tenebitur ab aliis nuptiis abstinere, ad quæ ex vi voti tenebatur, quia
3 irritatione est extinctum. Et ideò ita sentiunt D.Thom. *in 4 d.32.in fine, in expositione literæ* Magistri, Sot.*lib.7.q. 3.ar.1.& in 4.d.35.q.1.ar.3.* Arag.2.2. *q.88.art.8.* Roder.*p.p.sum.cap.*245 *nu.* 8. Veg.2.*tom. c.*129.*casu* 12. & Sayrus *lib.6.cap.5.num.*13.

Et ad argumentum contrariæ opinionis respondeo, quod quamuis vir non habeat dominium in eam materiam, habet tamen in voluntatem, qua se obligat.

QVÆSTIO LVI.

An vir irritare possit votum vxoris, quod de eius licentia emisit?

RESPONDEO posse. Ratio est, 1
quia licèt vir det licentiam, non abdicat à se proprium dominium, vel potestatem: nam semper manet dominus materiæ promissæ, nec censetur licentia concessa, vt votum deinde sit independens à viri voluntate, sed adhuc inuoluit tacitam conditionem, *nisi vir contradixerit.* Nec tunc vxor id non implens peccat, vt habetur cap. 30. Num. ibi. *Sin autem contradixerit* (vtique maritus) *post quam resciuit, portabit ipse iniquitatem eius, s.* vxoris; quia nimirum illa non peccabit transgrediendo votum, sed maritus reddet rationem pro illa. Et ita intelligit eum locum ibi D.Aug. & habetur *in cap. Manifestum 33.q.1.*

QVÆSTIO LVII.

An si maritus talem licentiam reuocet, & votum irritet, peccatum committat?

ET quidem si maritus postquam 1
dedit licentiam vxori ad vouendum, illam postea reuocat ex rationabili causa motus non peccat, quia potestatem habet, & per priorem licentiam non se obligauit ad non reuocandum, interueniente causa iusta.

QVÆSTIO LVIII.

Quæstio ergo procedit, quando maritus sine causa irritat votum vxoris de sua licentia emissum.

1 SOTVS *lib.7. q.3. art.* 1. dicit eum solùm peccare venialiter.

2 Suar. *lib.6. cap.4. ad finem* tenet eum raro peccare mortaliter, nisi vel scandalum, vel contemptus grauis intercedat.

QVÆSTIO LIX.

An vxor possit irritare aliqua viri vota absque sua licentia emissa?

1 SOTVS *lib.7. q.3. art.*1. & Azor. *lib.* 11. *cap.*16. *q.vlt. & cap.*17. *q.*13. negant. Quia vxor non habet dominiũ voluntatis viri, immo ipsi tanquam capiti subest, nec etiam materiæ promissæ, quoniam hoc maximè locum haberet quoad actus matrimonij, quoad illos autem coniuges sunt pares *cap. Gaudemus de diuortiis.*

Cæterùm absque dubio tenendum est, posse vxorem ea tantum vota viri irritare, quæ in ipsius præiudicium cedunt quoad moderatam debiti redditionem, aut mutuam cohabitationem. Et ratio est, quia per contractum matrimonij, vxor habet dominium, & potestatem corporis viri quoad debitum sibi moderatè reddendum, & cohabitandum 1. *Cor.*7. ergo vota huic dominio præiudicantia irritare poterit. Sic tenent Nauarr. *cap.*12. *num.*64. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 18. Arag. 2.2. *q.*88. *art.*8. Lop. *p.*1. *cap.*47. Rodet. *p.*2. *sum. cap.*92. *num.*3. Sayr. *lib.* 6. *cap.*5. *num.* 9. *& cap.*10. *num.* 20. & Suar. *lib.*6. *cap.*4. *num.*8.

Hinc, si maritus absque vxoris consensu longam peregrinationem voueat, potest id votum ab vxore ir-
2 ritari. Quia hoc actum matrimonialem impedit. Vnde non rectè ait Abulen. *cap.*27. *Leuit. q.* 10. posse virum omnem peregrinationem præter vltra marinam vouere, absque vxoris licentia.

Hinc, si vir absque vxoris licentia eas preces, abstinentias, aut vigilias voueat, quæ ita debilitent vires, vt ineptus fit ad reddendum moderatè debitum, possunt talia vota ab vxore tanquam sibi præiudicantia irritari: secus autem si illa sint moderata. Ita Suar. *lib. 6. cap.* 4. *numer.* 6. *&* 13.

QVÆSTIO LX.

An quando ea vota debitam mensuram excedunt, possit vxor ea vota in totum reuocare, an solum excessum sibi præiudicantem?

RESPONDEO solum excessum. 1
Ratio est, quia solùm potest irritare vota, in quantum actum matrimonialem impediunt, at solus excessus ille promissus est huiusmodi: ergo solus ille irritari poterit *cap. Quidam & cap. Placet de conuers. coniug.*

Hinc, si maritus absque vxoris beneplacito voueat mutare habitum, vt induere habitum eremitæ, aut tertij ordinis D.Francisci, potest id votum
ab vxore irritari. Quia hortorem ge- 2
nerat, ac subinde obligationi reddendi debitum nocet. Suar. *lib. 6. cap.* 4. *num.*12.

Hinc, si maritus aliquid in familiæ, ac rei familiaris præiudicium voueat, vt erogandi magnas eleemosynas, id votum non potest ab vxore irritari. Ratio est, quia tota administratio domus, & bonorum pertinet ad virum, independenter ab vxore.
Quod intelligitur, nisi adeò copio- 3
sam eleemosynam voueat, vt implere nequeat, nisi dissipando aut alienando aliquid de bonis vxoris. Ita Suar. *lib.6. cap.4. num.*8. & Sot. *lib.7. quæst.* 3. *art.* 1. Quod si votum illud

in

in vitium prodigalitatis, aut iniustitiæ tenderet, non haberet vim obligandi, & ita non indigeret irritatione.

QVÆSTIO LXI.

An vxor possit irritare votum vltramarinum quod maritus inuita vxore emisit?

1 ABVLEN. *cap.*27. *Leuit.quæst.*10. affirmat posse. Quia hoc actum matrimonialem impedit.

Sed tanquam certum tenendum est id votum non posse ab vxore irritari, vt expresse definitur *in cap. Ex multa §.in tanta & in cap. Quod super his de voto.* Nam propter commune bonum potuit Ius priuare vxorem
2 suo priuato iure. Quod intelligitur non de voto vltramarino causa solius deuotionis facto, sed de voto in subsidium terræ sanctæ; nam de illo loquuntur textus citati, & Sanch. *lib.*9. *de matrimonio disp.*4.*num.*15.Sayr. *lib.* 6.*cap.*5.*num.*9. Immo addit D.Thom. *quodlib.* 4. *art.* 11. virum non posse personaliter implere tale votum, si vxor nolit eum comitari, & sit iuuenis, relinquatúrque in periculo incontinentiæ. quia ex iure naturæ tenetur vir periculum illud vxoris præcauere: vnde tunc satisfaceret redimendo votum. Nec tenetur vxor illum comitari, cùm sit res valde onerosa.

3 Sed hæc hodie quoad praxim non sunt necessaria, quia non est occasio faciendi tale votum: esset tamen si bellum pro recuperanda terra sancta moueretur.

QVÆSTIO LXII.

An vxor possit irritare votum de non petendo debitum, factum à viro absque eius licentia?

IN hac quæstione duo certa sunt, 1
vnum verò controuersum. Et primò certum est, non posse vxorem tale votum irritare, quatenus obligat ad abstinendum à venereis extra matrimonium, & ab alio matrimonio. Ratio est, quia id votum nullatenus sibi præiudicat.

Secundò etiam certum est, non posse vxorem irritare votum viri de non exigendo debitum coniugale. Ratio est, quia id votum cum importet solam obligationem ad non compellendum vxorem ad reddendum sibi, & ideò libera maneat petendi absque illa coactione facultas nullatenus est in eius præiudicium, sed commodum. 2

QVÆSTIO LXIII.

Sed quod in dubium vertitur, est: An vxor possit irritare votum viri de non petendo debitum absque eius licentia factum?

DTHOM. *in* 4.*dist.*32. *quæst.vnica* · *art.*4.*ad* 1.Henriq.*lib.* 11.*de matrimonio cap.*15 .*num.*8.Roder.*p.*2.*sum. cap.*92.*num.*3. Philiarch.*to.*1.*p.*2.*lib.* 3. *cap.*4.Vega 2.*to. cap.*129.*casu* 93.Lop. *p.* 1.*cap.* 46. & pleríque alij docent posse vxorem tale votum irritare. Quia cedit in maximum eius grauamen, quia contra naturalem mulierum verecundiam cogetur semper petere. Hanc opinionem dicit esse probabilissimam Arag. 2.2.*q.*88.*art.*8. Et videtur eam tenere Nauar. *cap.*12. *nu.*60.cum hoc temperamento, nisi sit votum non petendi in fauorem sui, sed tantum, quando mos est gerendus alteri coniugi. 1

Cæterùm quamuis hæc sententia sit satis probabilis, probabiliorem tamen 2

credo non posse irritare. Ratio est, quia id votum non est contra fidem matrimonij, quæ solùm adstringit virum ad reddendum debitum, nec vxor dominium aliquod aut potestatem habet in virum, vt compellat ipsum ad petendum debitum, sed quoad id sunt pares,& ambo sui iuris, & ex altera parte vxor non est caput viri,sed ei subdita.

Et confirmatur; nam non petendo nulli facit iniuriam, vtitur enim iure suo, non enim lege matrimonij tenetur petere, sed solum se paratum exhibere.

Tum quia onus petendi,quod imponitur coniugi est parui momenti: potest enim minimo signo petere, & alter tenetur reddere: & eo voto emisso tenetur vir se aliquoties offerre ad vsum coniugalem. Et ideò ita tenent D. Thom. *quodlib.* 3. *art.* 18. Less.*lib.*2.*cap.*40.*dub.*15.*num.*99. Palac.*in* 4.*d.*38.*d.*2.Angles *de voto*, Stunica *q.*3.*de voto num.*60. Anton.Gom. *super Bull.cruciat.clausula* 10. *num.*67. & expresè colligitur *ex cap. Quidam* 3.*de conuers. coniug.* vbi dicitur, eum qui inuita vxore professus fuerat, etsi professio non valuit,non posse petere debitum, quia cum esset in eius potestate id promittere,votum quoad hoc tenuit. Secus tamen esse quoad non teddendum debitum, quia id non erat in eius potestate. Et idem habetur *in cap.places eodem tit.*

QVÆSTIO LXIV.

An vir irritare possit votum de non petendo debitum vxoris, quod absque eius licentia emisit?

1 D. Thom. *in* 4.*dist.*32.*quæst.*2.Sot. *lib.*7.*q.*3.*art.*1. Nauarr. *cap.*12. *nu.*60.Lop.*p.*1. *instruct.confess. cap.*46. & plerique alij affirmant posse virum tale votum irritare, quia vergit in eius præiudicium, cui onus imponitur semper debitum petendi.

At verò Caietanus 2.2.*q.*88.*art.*8. *& in sum. verbo votum* existimat non posse tale votũ à viro irritari,quia hoc non præiudicat viro, cui non subiicitur ea ex parte,sed est ipsi par; & ideò potest sine facultate ipsius se taliter obligare vnde vxor abundanter satisfacit debito matrimoniali, reddendo debitum. 2

Ex his opinionibus, prima quæ est D.Thom. mihi videtur verior, atque tenenda. Ducor, quia quamuis vir, & vxor sint pares quoad libertatem non petendi, & ita materia illa non sit viro subiecta; at quoad illam nouam obligationem quam sibi imponit per votum, vxor subditur viro tanquam capiti, cuius est voluntatem ipsius dirigere,ne imprudenter voueat. 3

QVÆSTIO LXV.

An vir irritare possit votum castitatis vxoris, quod post consummatum matrimonium de eius licentia emisit?

D. Thom.*in* 5.*d.*32.*in exposit. litera Mag.*Syluest.*verb. votum* 5. *q.*2.Nauarr.*c.*12.*num.*61. & Less.*lib.*2. *cap.*30.*dub.*15.negant. Quia materia huius voti non est viro subiecta. Hoc idem sentit Roder. *p.* 2. *sum. cap.* 92. *num.*5.qui id temperat, nisi in quantum votum castitatis præiudicat viro, vnde ait, non licere irritare, vt vxor possit petere. 1

At omnino dicendum est,posse virum id votum irritare. Ratio est,quia licet vir non sit dominus materiæ illius promissæ, sed in illa sit æqualis vxori, at tanquam caput est dominus illius actus liberi, quo vxor tempore subiectio- 2

ſubiectionis ſe voto illo obligauit: & quamuis ex viri conſenſu id votum ſit factum, id conferet, vt vir abſque iuſta cauſa irritans peccet mortaliter, non tamen, vt irritatio ſit nulla; nec vt ſit illicita, quando cauſa iuſta irritandi ſubeſt; quia mulier manet ſubdita viro, non obſtante licentia; nec maritus poteſt à ſe abdicare poteſtatẽ eam gubernandi, & ideò valebit irritatio. Nec tunc vxor id non implens peccat, vt habetur cap. 30. Num. ibi, *Si audiens vir tacuerit, & in alteram diem distulerit ſententiam, quidquid vouerat, atque promiſerat, reddet. Si autem contradixerit, poſt quam reſciuit, portabit ipſe iniquitatem eius.* vbi quamuis non dicat expreſsè Scriptura, vxorem eſſe culpæ immunem, dum viro contradicente, non ſeruat votum, at tacitè id ſignificat, ibi dum ait, culpam vxoris redundare in virum. Et ita intelligunt eum locum D. Aug. *lib 4. q. 59. in Num.* & refertur *in cap fin.* 33. *q.* 5. & ideò ita tenent Sotus *lib.* 7. *q.* 3. *ar.* 1. Arag. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. Valent. 2. 2. *d.* 6. *q.* 6. *p.* 6. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 10. *nu.* 19. Vega 2. *to. ſum. c.* 129. *caſu* 22. & Suar. *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 19.

Idem cenſeo dicendum, quamuis vxor de conſenſu viri vouiſſet omnimodam caſtitatem contra Philiarchum *de off. ſacerd. tom.* 1. *p.* 2. *lib.* 3. *c.* 4. dicentem contrarium, eo quod tunc maritus ipſe videatur vouiſſe caſtitatem, quod fundamentum falſum eſt.

3 Idem dicendum eſt de votis de rebus ad ſalutem neceſſariis factis ab vxore de conſenſu viri: poteſt enim vir ea validè irritare, quia eadem militat ratio. Cùm adhuc licentia data, maneat vir dominus illius actus liberi, quatenus nouam obligationem induxit.

4 Idem dicendum de aliis votis communi cõſenſu emiſſis, vt ieiunandi, orandi, dandi eleemoſynam, poteſt enim vir ea vota irritare. Quia poſt talem licentiam, adhuc manet dominus materiæ promiſſæ.

Eadem ratione vxor poterit irritare vota viri ex licentia ſua facta, quæ poſſet, ſi abſque eius licentia fierent. 5
Quia ea licentia non tollit priſtinum materiæ promiſſæ dominium, & vota manent ſemper conditionalia. Sot. *in* 4. *diſt.* 27. *q.* 1. *art.* 4.

QVÆSTIO LXVI.

An vir conſentiendo, vt vxor voueat caſtitatem, poſſit petere debitum?

RESPONDEO poſſe. Ratio eſt, 1
quia conſentiendo, non videtur renunciare iuri ſuo petendi, niſi id explicet: vnde tale votum ſolum obligat illam ad non petendum debitum, & ad abſtinendum ab omni actu carnali illicito; tenetur tamen marito petenti reddere debitum, nec vir petendo peccat, cùm nec ipſe vouerit, nec iuri ſuo cedere cogitauerit. Ita Nauar. *cap.* 16. *num.* 31. & Leſſ. *lib.* 2. *de iuſt. & iure cap.* 40. *dub.* 15.

QVÆSTIO LXVII.

An quando ambo de communi conſenſu votum caſtitatis emittunt, poſſit vir id votum irritare, & è contra?

PALAC. *in* 4. *diſt.* 32. *diſt.* 2. affirmat 1
poſſe. Quia adhuc manet matrimonium, & poteſtas viri in vxorem.

At dicendum eſt, neutrum poſſe in hoc caſu alterius votum irritare. Ratio eſt, quia vterque tunc iuri quod habebat, tum debitum petendi, tum votum irritandi, ceſſit. Vnde neuter

absque sacrilegio aduersus votum, & peccato contra iustitiam, infringendo pactum cum ea initum, poterit ante dispensationem siue reddere, siue petere debitum coniugale. Ita Sot.*lib.*7.*q.*3.*art.*1. Arag.2.2.*q.*88.*art.*8. Lop.*p.p.cap.*46. Sayr.*lib.*6.*cap.*5.*nu.*15. & Less. *lib.*2.*cap.*40.*dub.*15.

QVÆSTIO LXVIII.

An maritus possit vota ab vxore emissa post matrimonium ratum, nondum tamen consummatum, irritare?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia authoritas mariti in vxorem acquiritur per matrimonium ratum; ergo si mulier vouit, poterit illud ab eo irritari. Ita Sayr. *lib.*6.*cap.*5. *num.*12.

QVÆSTIO LXIX.

An si mulier ante consummatum matrimonium religionem voueat, possit id votum à viro irritari?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia in hoc casu tenetur mulier inuito viro non consummare matrimonium, sed votum implere ingrediendo religionem. Verùm si mulier neglecto voto matrimonium consummet, non poterit sine consensu viri religionem intrare; quia consummato matrimonio illud ius intrandi amittit, & tenetur viro debitum reddere: & quia non vouit castitatem, poterit etiam petere. Soluto tamen matrimonio, vel vxor sui iuris effecta tenebitur voto satisfacere, quia non fuit extinctum, sed suspensum.

QVÆSTIO LXX.

An vxor possit irritare vota facta à viro post matrimonium ratum nondum consummatum, animo ingrediendi religionem, & ibi implendi?

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia ipsi minimè praeiudicant. At si non eo animo; vel eo animo votis factis, consummaret matrimonium; posset irritare ea omnia, & sola quae sibi quoad actum coniugalem praeiudicant. Quia dominium vxoris in corpus viri acquiritur per matrimonium ratum, cui maritus praeiudicare nequit, nisi religionis ingressu. 1

QVÆSTIO LXXI.

An possit vir irritare vota vxoris ante matrimonium emissa?

AZOR. *lib.*11.*cap.*17.*q.*2. affirmat posse, si ei, & administrationi familiae, reique domesticae noceant. 1

Alij vero absolutè negant. Pro quo.

Primò dico, quod vir non potest irritare vota emissa ab vxore ante matrimonium contractum. Ratio est, quia quando talia vota fuerunt emissa, mulier erat sui iuris, nec vllo pacto voluntati viri subiecta; ergo non potest ea irritare. 2

Hinc, si facto diuortio ob viri adulterium, aut condemnationem haeresis, mulier voueat, non poterit vir postea reconciliatus illud votum irritare. Ratio est, quia mulier cum vouit erat sui iuris, & omnino independens à potestate mariti.

Secundò dico, quod vir potest talia

lia vota vxoris suspendere, quatenus
3 obsequio ei debito præiudicant. Ratio
est, quia obligatio voti contracta ante
matrimonium non potest impedire
obligationem iustitiæ consurgentem
ex nouo matrimonio vt constat ex
cap. Noluit 33. q 5. vbi sic habetur. *Ita si
adhuc innupta concesserat pater vota
persoluere, si antequam persoluerit, nupserit,
& viro eius hoc cognitum non placuerit, non persoluat, & hoc omnino sine
peccato.* Mortuo autem marito vota
sua reuiuiscunt, pristinámque obligationem
recuperant, quia illa vota non
fuerunt mortua, sed mortificata tempore
matrimonij. Ita Azor. *lib.* 11. *c.* 17.
quæst. 14 Valent. 2. 2. *d.* 6. *quæst.* 6. *p.* 6.
Sayr. *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 11. *&* 19. *&*
Suar. *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 16. *& cap.* 6. *nu.
vltimo.*

Idem dicendum est de votis realibus
vxoris ante matrimonium emissis.
Quia cum administratio omnium
bonorum vxoris pertineat ad virum,
executio eorum votorum damnum
4 infert huic administrationi, & ideò
ratione huius grauaminis potest vir
ea suspendere. Et si postea vir licentiam
concedat, tenebitur vxor ea vota
adimplere, vtpote quæ non extincta,
sed suspensa dumtaxat erant.
Quod est intelligendum quoad materiam,
ad quam votum illud, cessante
subiectione obligat. v. g. vouit
vxor ante matrimonium se quotidiè
recitaturam officium paruum Beatæ
Virginis, aut ieiunaturá omnibus sextis
feriis totius vitæ: irritauit postea
vir, nō tenetur soluto matrimonio ad
officia, & ieiunia omissa tempore suspensionis
voti; quia fuerunt onus
diei, ac proinde transacto die cessauit
obligatio: sed tenebitur ab eo
tempore soluti matrimonij, ad recitandum
quotidie officium, & ieiunandum
sextis feriis.

Similiter vota personalia viri ante
matrimonium facta, posse quoque
ab vxore suspendi; si aliquo
modo damnum sibi inferunt; ac
proinde pro tunc non obligabunt,
donec soluatur matrimonium. Quia 5
obligatio iustitiæ contracta ex nouo
matrimonio prçualet obligationi consurgenti
ex voto.

Tertiò, & vltimò dico, quod si
quando vota fuerunt emissa, vxor
erat impubes, vel vota erant talia,
quæ Parentes, Tutores, vel Curatores
irritare poterant, in vniuersum
omnia eius vota, possunt à viro irritari.
Ratio est, quia vir succedit in 6
locum Parentis, Tutoris, & Curatoris
ad eam gubernandam, eiusque
leuitati, & imprudentiæ succurrendum.

QVÆSTIO LXXII.

An vota vxoris irritata à viro, aut viri irritata ab vxore, soluto matrimonio reuiuiscant?

GREGOR. de Valent. 2. 2. *d.* 6. 1
quæst. 6. *p.* 6. tenet reuiuiscere.
Sed contraria sententia mihi plus
placet, quæ dicit non reuiuiscere.
Ratio est, quia per irritationem obli- 2
gatio voti est omnino extincta; at
obligatio semel extincta numquam
reuiuiscit vt habetur *in l. Cum ex causa
Cod. de remiss. pignor.* Quia cum
iam perierit esse, vires reassumere
non poterit, nisi denuo renouetur.
Sicut lex semel cassata non potest
amplius obligare, nisi iterum à Principe
imponatur. Et ideò ita sentiunt
Nauarr *cap.* 12. *num.* 66. Tolet. *lib.*
4. *cap.* 18. Sot. *lib.* 7. *quæst* 3. *a t.* 1.
Lop. *p.* 1. *cap.* 48. Vega 2. *tom. cap.* 129.
casu 95. & Philiarch. *de offic. Sacerd.
tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 4. Eiusdem
opinionis est Caietanus 2. 2. *quæst.*
88. *articulo* 8. vbi id probat ex capite

Quidam

Quidam de conuersat. coniug. vbi vir reuocatus à religione per vxorem, non tenetur defuncta vxore ad eam redire, in qua professus fuerat. Sed (pace tanti viri sit dictum) hic textus nihil facit ad propositum, quia ea reuocatio non innititur irritationi, sed nullitati professionis.

QVÆSTIO LXXIII.

An votum quod emisit vxor implendum post mortem mariti, possit à marito irritari?

1 INNOCENT. & Panormit. *in cap. Scriptura num. 7. de voto, & voti redemptione*, affirmant.

2 Alij verò negant, & meritò quidem, quia nihil viri potestatem in administranda re familiari, & domestica lædit, aut impedit. Ita Nauarr. *cap. 12. num. 76.* Arag. 2.2.*q.*88. *art.*8. Valent. 2.2.*d.6.q.6.p.*6. Caietan. 2.2.*q.*88. *art.* 8. & Azor. *lib.* 11. *cap.* 17. *q.* 8.

QVÆSTIO LXXIV.

An votum integræ castitatis quod vir de licentia vxoris emisit, possit ab vxore irritari?

1 RESPONDEO posse vxorem ex iusta causa licitè irritare id votum quoad redditionem; & absque iusta causa validè, sed cum peccato: quia post talem licentiam adhuc domina manet corporis viri, ac proinde materiæ promissæ, non posse autem quoad reliquos effectus. Vnde vir in hoc casu tenebitur non petere, & ea mortua à secundis nuptiis abstinere, & si cum aliena commisceatur, peccabit contra votum: quia cum tantum habeat dominium corporis viri quoad obligationem, quam habet vir reddendi; non autem quoad cæteros castitatis actus, ad quos votum obligat, non poterit irritare, nisi quoad illum solum actum.

QVÆSTIO LXXV.

An possit vir irritare vota vxoris sine sua licentia emissa implenda post mortem viri?

1 GREG. de Valent. 2.2.*d.6.q.6.p.6.* negat. Quia vxor tantum subditur viro quoad materiam promissam, quæ, vt constat, tempore executionis, non est in potestate eius posita.

2 Sed quamuis sententia hæc sit valde probabilis, probabiliorem tamen iudico contrariam, nimirum posse virum ea vota vxoris irritare. Ratio est, quia vxor non tantum subditur viro quoad materiam promissam; sed etiam quoad voluntatem, qua vouet, ne imprudenter voto se liget. Ita Sotus *lib.* 7. *q.*3. *art.* 1. Lop. *p.*1. *cap.* 50. & Vega 2. *to. cap.* 129. *casu* 20.

QVÆSTIO LXXVI.

An possit vir irritare votum castitatis factum ab vxore sine sua licentia, implendum pro tempore, quo sui iuris erit?

1 LOP. *p.* 1. *sui instruct. confess. cap.* 50. negat.

Alij verò rectiùs affirmant. Ratio est, quia voluntas vxoris dum id promittit, est sub viri potestate, ab eoque gubernanda, ne imprudenter voto se liget: potest autem imprudentia reperiri in promittenda castitate in tempus soluti matrimonij.

QVÆST.

QVÆSTIO LXXVII.

Sed maius dubium est de voto religionis.

1 ET quidem si vxor post contractum matrimonium, nondum tamen consummatum, votum religionis emisit pro tunc implendum; certum est non posse virum id votum irritare, quia est votum, per quod eximenda est vxor à viri potestate, dissoluendúmque est matrimonium.

QVÆSTIO LXXVIII.

Sed tota difficultas eò pertinet, quando votum emissum, est exequendum post mortem viri?

1 RESPONDEO posse virum id votum irritare. Ratio est, quia id votum tempore subiectionis emissum est, & dum subiecta est, irritatur, nec per illud eximitur à viri potestate. Et ideo ita sentiunt Sot. *lib. 7. q. 3. art. 1.* & Stunica *de voto q 3.*

QVÆSTIO LXXIX.

An vir succedens possit irritare vota vxoris facta tempore prioris viri, absque eius licentia?

1 RESPONDEO posse. Vt si mulier nupta, absque viri licentia votum emisit, quod ille poterat irritare, & non irritauit, poterit sequens vir ea irritare: & similiter si nondum nupta, & impubes emisit votum personale, vel pubes, minor tamen, votum reale absque Parentum, aut Tutoris licentia; poterit vir cui postea nubit, ea irritare: sicut poterant parentes, aut Tutores. Ratio est, quia maritus succedit in locum Patris, aut Tutoris, vt gubernet eamdem voluntatem.

QVÆSTIO LXXX.

An vir possit irritare obligationem, quam vxor ante vel post matrimonium de eius licentia cum homine contraxit?

RESPONDEO non posse, propter ius homini acquisitum, cum nullo iure cautum sit, vt obligationes illius contractæ cum hominibus, imbibitam habeant conditionem pendentem à superioris consensu, sicut dictum est in votis. 1

QVÆSTIO LXXXI.

An vota coniugum emissa tempore integri matrimonij, nec post diuortium cõfirmata possint tempore diuortij ab altero coniuge irritari?

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia diuortio durante suspensa est irritandi potestas; *cap. Agathosa 27. q. 2. & cap. veniens de conuersat. coniug.* 1

QVÆSTIO LXXXII.

An votum coniugum emissum tempore diuortij, aut post diuortium confirmatum, possit ab altero coniuge irritari?

RESPONDEO si coniux reus votum emittat, aut confirmet, licebit innocenti facta recõciliatione illud irritare, 1

irritare,ac suspendere,casu quo id efficere posset circa votum illæso matrimonio emissum. Quia cum diuortium fiat in ipsius fauorem,ac dependenter ab eius voluntate, nimirum dum ipse noluerit reum ad pristinam amicitiam restituere; nequit alter illius iuri præiudicare: ac subinde illius votum habet eandem imbibitam conditionem, quam haberet, si integro matrimonio emissum esset. Si autem innocens id votum tempore diuortij emittat, aut confirmet, non poterit reus id votum irritare. Quia tunc innocens est omnino sui iuris, ac proinde potens independenter ab altero vouere.

Hinc, si innocens tempore diuortij votum religionis, aut castitatis emittat; cum sit sui iuris quoad hoc implendum, tenetur ad illud, & nequit alteri remittere adulterium, ne
2 votum illud infringere cogatur. At facta semel reconciliatione, aut instaurato matrimonio ob simile innocentis adulterium, excusabitur pro tunc à religionis voto, donec coniuge defuncto liceat religionem ingredi.

QVÆSTIO LXXXIII.

An si maritus dicat vxori, se illi dare facultatem irreuocabilem vouendi, possit adhuc validè irritare?

1 RESPONDEO posse.Ratio est, quia maritus non potest à se abiicere curam, & potestatem gubernandi vxorem.Nec potest etiam concedere illi bonorum administrationem independentem à sua voluntate, ac proinde poterit omnia eius vota realia irritare.

QVÆSTIO LXXXIV.

An Pater possit vota omnia impuberum irritare?

NOTANDVM, in homine tres ætates posse considerari. Prima est infantia,in qua nondum viget vsus rationis, quæ communiter vsque ad septennium completum durat. 1

Secunda dicitur pueritia, quæ incipit à septennio,& durat in fœminis vsque ad duodecimum annum completum, in masculis autem vsque ad decimumquartum completum: & in hac ætate masculus dicitur pupillus, & fœmina pupilla, & ambo dicuntur impuberes.

Tertia verò ætas vocatur pubertas, quæ durat vsque ad 25. annum completum, in qua ætate tam masculus, quam fœmina dicuntur minores, suntque sub cura parentum in rebus quæ pertinent ad administrationem suorum bonorum: ita vt sine licentia eorum non possint illa administrare.

Quando dicimus infantiam durare vsque ad septennium, & pueritiam vsque ad decimumquartum; hoc debet intelligi secundum præsumptionem iuris,quod iudicat de rebus prout regulariter accidunt: potest tamen accidere,quod puer ante decennium non habeat vsum rationis, & alij ante septennium.

His positis,Viualdus *candel.ab.sacramen.3.p.cap.4.nu.99.* ait patrem posse irritare omnia vota realia filij, & filiæ impuberum,non tamen omnia personalia,sed solum sibi præiudicantia. 2

At verissima sententia est posse patrem irritare quæcumque impuberum vota, siue realia, siue personalia, siue mixta, etiam si sint religionis, vel castitatis. Ratio est, quia ante pubertatis annum non præsumitur filius

passim

passim habere satis iudicij, vt maturè,
3 & prudenter vouere queat. Quare ne imprudenter se votis inuoluat, voluit ius omnia eius vota esse subiecta potestati patris, cui subest per tacitam conditionem, quæ votis inest. Poteritque talis subditus irritationem huiusmodi votorum petere, immo nonnumquam confessarius consulere potest, vt talem irritationem petat. Et est conclusio definita *in cap. 1. de regul. in 6. & in cap. 14. Mulier 32. q. 2. & in Concil. Tolet. 10. cap. 6.* & refertur *cap. 1. 20. q. 2.* Et ideò ita sentiunt D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 9. Sot. *lib.* 7. *q.* 3. *art.* 2. Nauarr. *cap.* 12. *num.* 64. Arag. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 8. Valent. 2. 2. *d.* 6. *q.* 6. *p.* 6. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 18. Azor. *lib.* 11. *cap.* 17. *q.* 7. Molina *to.* 1. *d.* 131. *&* d. 130. *& to.* 2. *d.* 261. & Suar. *lib.* 6. *cap.* 6.

QVÆSTIO LXXXV.

An vota personalia, aut realia, aut mixta, quæ filius impubes emisit exequenda tempore pubertatis, aut plenæ libertatis, pater possit irritare? Vt si v. g. vouit religionem, aut aliud personale votum emisit adimplendum mortuo patre, aut post pubertatem.

1 ILLVSTRISSIMVS Caietan. 2. 2. *q.* 189. *ar.* 5. & Nauar. *cap.* 12. *num.* 66. negant. Quia pater non est dominus actionum personalium filij impuberis tempore quo votum exequẽdum est.

Contrarium tamen est proculdu-
2 bio affirmandum. Et ratio est, quia omnia vota filij impubis habent tacitam conditionem, ex dispositione iuris, ob defectum plenæ animi deliberationis, & iudicij qui in omnibus illius votis locum habet.

Tum quia paterna potestas irritandi vota, est præcipue collata ad omnimodam impuberis gubernandam voluntatem imperfecto rationis vsu gaudentem, quæ ideò errare potest, non minus circa obligationes implendas post pubertatem, quàm circa implendas dum est impubes. Et ideò ita tenent Sot. *lib.* 7. *q.* 3. *art.* 1. Valent. 2. 2. *d.* 6. *q.* 6. *p.* 6. Azor. *lib.* 11. *cap.* 17. *q.* 8. Emman. Sa, *vbi de voti irritat. num.* 7. Less. *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 14. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 29. *&* 30. & Suar. *lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 7. *&* 17.

QVÆSTIO LXXXVI.

An vota personalia, aut realia filiifamilias ante pubertatem emissa, exequenda post pubertatem, si semel à patre irritentur, eo tamen mortuo reuiuiscant?

RESPONDEO non reuiuiscere. 1
Ratio est, quia iura non ideò concedunt patri potestatem irritandi vota filij impubis, quia ei aliquo modo nocent, sed quia intra illud tempus non censetur filius eo vti iudicio, & deliberatione, quam votum necessariò requirit.

QVÆSTIO LXXXVII.

An si Pater vota personalia, aut realia à filiofamilias emissa, dum erat sub potestate patris, id est impubes, non irritauit; possit postea dum est extra illius curam, id est pubes, illa irritare? v. g. emisit filius ante annum 14. votum aliquod personale, vt castitatem, vel religionem vel ante 25. votum aliquod reale, vt eleemosynam, quæ à patre his temporibus non fuerunt irritata. Dubium est: An possint nunc ab eo irritari?

1 SOTVS *lib.7.quæst.3.art.2*. Arag.2.2.*q.88.art.9*. Roder. *p. 2.sum.cap.93.num.6*. Vega 2. *tom. cap.129. casu 90. & 91.* & Angles *de voto* negant posse patrem talia vota irritare: quia potestas irritandi vota est solum concessa durante subiectione: ergo ea finita non poterit amplius irritare. Sicut si dominus votum serui dum in illius potestate erat, non irritauit, postquam is est libertatem consecutus non potest irritare.

Sed quamuis sententia hæc sit valde probabilis, probabiliorem tamen iudico contrariam, nempe posse patrẽ vota illa postea irritare. Ratio est, quia nulla facta est mutatio in votis ex parte rei, per hoc quod filius annos pubertatis exiuit: vnde ipsa adhuc manent implicitè conditionata, sicut erant à principio, nempe *nisi pater contradixerit*; ergo post annos pubertatis irritari possunt à patre, sicut intra an-
2 nos pubertatis potuerunt. Itaque cum conditio adhuc maneat, & firmitatem voti quasi suspensam teneat; si pater nolit esse firmam, desinet obligatio; quia vt ex *reg. iuris in 6.* habetur: quæ à principio non tenent, tractu solo temporis non firmantur.

Tum quia vota illa à principio fuerunt infirma, & irritabilia & nunquam fuerunt confirmata, vt suppono: ergo semper retinẽt illam imperfectionem; ergo semper irritari possunt.

Huic fauet mirabiliter textus *cap. final. de sententia excommunicationis* vbi decernitur impuberem posse ab Episcopo post pubertatem absolui à percussione Clerici tempore impubertatis facta: etsi nequeat à facta post pubertatem: & subditur ratio his verbis: *Cum propter defectum ætatis in qua fuit commissum delictum, rigor sit mansuetudine temperandus.* Quæ ratio clarè probat in vsu potestatis concessæ circa actus impuberum, non spectandum tempus, quo in actus illos potestas exerceretur; sed tempus quo effecti sunt. Et ideò huius sententiæ sunt Caietan.2.2.*q.189.art.5*. Lop. *p.1.cap.48*. Valent. 2.2. *d.6.q.6.p.6*. Nauarr. *cap.12.num.71*. Azor. *lib.11. cap.17.q.7*. Suar. *lib.6.cap.6.num.8*. & Sayr. *lib.6.cap.10. num.26*.

Et ad argumentum contrariæ opinionis respondeo disparem esse rationem: nam in votis filij, irritatio patri 3
conceditur, quia iudicium illius est imbecille, & imperfectum: in votis verò serui, domino facultas irritandi datur propter præiudicium, quod ei ex talibus votis irrogatur. Vnde quando ea in eius præiudicium non redundant, non potest irritare: vota autem impuberum possunt semper irritari, quia sunt ea ætate emissa, quæ sæpe iudicij maturitate caret; quæ qualitas semper manet in illis votis, nisi denuo confirmentur.

Possent tamen commodè hæ duæ Doctorum dissentientes opiniones ita inter se conciliari, vt dicamus primam opinionem esse veram quando pater non ignorauit votum filij, & illud infra tempus ei cõcessum non irritauit; tunc non potest ampliùs post puber- 4
tatem illud irritare; quia tacendo, censetur tacitè votum illud confirmasse, iuxta regulam iuris *in 6. Qui tacet, consentire videtur.* E contra verò secunda opinio est, quando pater solùm post annos pubertatis sciuit votum filij ante dictum tempus emissum, tunc etiam post pubertatem illud irritare poterit; quia fuit de re, quæ tunc à voluntate patris pendebat, & taciturnitas filij non potest ei præiudicare. Quod intelligitur dummodo statim, ac conscius factus est voti, contradicat: si enim non statim contradicat, videtur consentire. *cap. Mulier 32. quæst. 2.*

QVÆST.

QVÆSTIO LXXXVIII.

An si pater dubitet, an filius familias 14. annum habeat ratione voti, possit adhuc illud irritare?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia pater possidet ius suum, quo non priuatur in casu dubio.

Tum quia est fauor debitoris, & ideò ampliandus.

Tum demum, quia in simili dubio non iudicatur impubes factus pubes quoad alios effectus, v.g. quoad agendum in iudicio, &c. & ideò ita tenet Suar. *lib. 6. cap. 6. num. 4.*

QVÆSTIO LXXXIX.

An si filiusfamilias post adeptam pubertatem votum antea factum denuo ratificet, possit à patre illud irritari?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia tunc perinde est, ac si filius post annos pubertatis voueret; & ita nullatenus eius vota imbibunt conditionem pendentem ex patris voluntate.

QVÆSTIO XC.

An impubes censeatur votum ratificare, quando post adeptam pubertatem credit tale votum valere?

1 RESPONDEO minimè. Ratio est, quia credere pertinet ad intellectum: ratificare autem ad voluntatem.

QVÆSTIO XCI.

An impubes censeatur votum ratificare, quando post annos pubertatis credens suum votum valere, decernit illud seruare?

RESPONDEO minimè. Ratio est, 1
quia etsi propositum hoc sit actus voluntatis; non tamen respicit ipsum votum, aliquam firmitatem ei tribuens: sed ad solam ipsius executionem spectat.

Hinc, si Titius ante annos pubertatis votum emisit, & postea eum est sui iuris, credens suum votum esse absolutè validum, proponit centies, aut millies illud seruare, non propterea coram Deo approbasse, aut ratificasse votum censetur: sed opus est, vt cognita eius nullitate, de nouo voueat; vel velit, vt votum primò factum, de nouo valeat, ac si antea valuisset. Ita Caiet. 2.2. *q. vlt. ar.* 5. Valent. 2
2.2. *d. 6. q. 6. p. 6.* Azor. *lib. 11. cap. 17. q. 7.* Suar. *lib. 6. cap. num. 12. & 13.* & Sayr. *lib. 6. cap. 10. num.* 28. Eiusdem sententiæ est expresè Nauar. *cap. 12. num.* 71. vbi sic ait: *Vt aliquis votum suum inualidum ratificasse censeatur, non satis est credere votum quod emisit, validum fuisse, & ideò proponere illud adimplere: sed oportet vt resciat illius nullitatem, & velit illud nouè validare.* & Less. *lib. 2. cap. 40. dub. 14. num.* 83. vbi ait. *Vt quis censeatur votum ratificare, necesse est, vt sciens esse inualidum, velit esse validum.*

QVÆSTIO XCII.

An censeatur votum ratificari, quando pubes ille memor prioris voti, illud ratificat, ignorans id esse irritabile?

1 RESPONDEO minimè. Ratio est, quia ignorantia tollit voluntariam confirmationem ex ea procedentem.

QVÆSTIO XCIII.

An sit ratificatio, quando impubes post pubertatem votum suum in aliud commutat?

1 RESPONDEO si impubes sciens prius votum esse irritabile, illud post annos pubertatis in aliud commutat; existimo esse veram confirmationem. Ratio est, quia cum conscius remedij facilioris, noluerit eo vti, sed transtulerit prioris materiæ obligationem in posteriorem, censetur confirmare omnino prius votum, volens prorsus ipso ligari, etsi circa nouam materiam. Si verò ignorauit, aut prorsus immemor fuit, non est confirmatio prioris voti, quia iterata prioris voti emissio cum hac ignorantia, aut obliuione non est eius confirmatio vt diximus, nedum hæc commutatio.

QVÆSTIO XCIV.

An pubes censeatur votum ratificare, si post pubertatem voueat se non petiturum irritationem, dispensationem, aut commutationem voti, tempore impubertatis emissi?

1 ET quidem certum est, hoc posterius votum non posse à patre irritari, quia post pubertatem fuit emissum.

QVÆSTIO XCV.

Tota autem difficultas eò pertinet: An stãte hoc posteriori voto, possit irritatio prioris illius voti cõcedi?

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia cum pubes sponte sua se hoc remedio per posterius votum priuarit, censetur velle suum prius votum esse deinceps absolutum, & non subiacere irritationi. Quando autem vouens, solùm dispensationem, & commutationem exclusit, non censetur prius votum confirmasse: & ideò poterit irritari. Quia cum ipse irritationem non excluserit, est apertum signum eum noluisse ita votum suum confirmare, quin irritationis remedium sibi maneret. 1

QVÆSTIO XCVI.

An possit pater irritare vota, quæ impubes ex sua licentia emisit?

FRANCISCVS Suar. *lib.6.c.8.nu.7.* negat, quia in impubere voluntas patris solum desideratur, ob prudentem voti emissionem, quæ per vnicam confirmatur approbationem, & ideò amplius non pendet votum à patre. 1

Cæterùm nullatenus placet mihi hæc sententia, sed existimo patrem ea vota posse validè, etiamsi non licitè, irritare. Ratio est, quia etsi imprudentia in vouendo sit radix dominij, quod pater habet in voluntatem impuberis, vt eius vota irritare possit: at potestas hæc non pendet in conseruari ab ea imprudentia, quia aliàs non posset pater irritare, quoties sapientissimorum hominum consilio voueret. 2

QVÆSTIO XCVII.

An si impubes votum personale emittat, implendum post pubertatem, possit post illam pater irritare? vt si impubes voueat religionem, cum fuerit pubes.

RESPON-

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia id votum est verè ab impubere emissum, & habet imbibitam conditionem pendentem ex patris consensu ob imbecille, ac imperfectum impuberum iudicium. Vnde cum nulla mutatio in ipso facta sit aduentu pubertatis, si post pubertatem non fuerit confirmatum, poterit pater illud irritare post pubertatem, sicut poterat prius.

QVÆSTIO XCVIII.

An si pater dicat filio impuberi, se illi conferre facultatem irreuocabilem vouendi, séque illum eximere à sua potestate quoad id votum, possit adhuc illud validè irritare?

1 RESPONDEO posse adhuc irritare. Ratio est, quia ob ætatis imbecillitatem non potest pater à se abdicare curam, & gubernationem voluntatis impuberis.

QVÆSTIO XCIX.

An votum impuberis semel irritatum à patre aliquando reuiuiscat?

1 SVAR. *lib.6.cap.8.num.7.* tenet votum reuiuiscere.

At verissima sententia est, votum
2 nunquam reuiuiscere. Ratio est, quia talis irritatio cadit in ipsum votum directè: ergo extinguit illud, eiúsque obligationem; ergo non reuiuiscit.

Tum quia votum illud fuit in hac parte conditionatum, & conditio non fuit impleta: ergo fuit votum extinctum. Ita Caiet. 22. *q.88. art.8.* & Sot. *lib.7.q.3.art.1.*

QVÆSTIO C.

An vota personalia facta à filiofamilias post annos pubertatis expletos, possint à patre irritari?

IN hac quæstione sanè ardua, & difficili omnes authores conueniunt, 1
votum religionis vel castitatis à filiofamilias emissum post annos pubertatis, non posse à patre irritari: vt habetur expresse ex pluribus canon. iuris. Et ratio est perspicua, quia in rebus, quæ pertinent ad electionem status non est subiectus filius parentibus: immo si filius habuerit 16. annum, poterit religionem profiteri, etiam inuitis parentibus. Quod debet intelligi, nisi parentes sint nimis egestate oppressi: quia tunc non possent filij ingredi religionem, sed potius tenerentur ab ea exire.

QVÆSTIO CI.

Quæstio ergo tantum est: An alia vota personalia, vt votum ieiunij, orationis, & etiam mixta, quæ per se primo sunt personalia, vt votum peregrinationis post annos pubertatis à filiofamilias emissa, possint à patre irritari?

SYLVESTER egregius Thomista, 1
paritérque in iure peritissimus *verbo votum 4 q. 2.* & Tabiena *ibidem 5.q.5.* affirmant posse. In hanc opinionem quamuis anceps inclinat Ouand. *4.d.38.disp.vnica,* & tenet esse probabilem Sot. *lib.7.q.3.*

At cæteri authores volunt patrem 2
nullum votum personale factum à filiofamilias post annos pubertatis posse irritare. Ratio est, quia filius post annos pubertatis cum habeat perfectum

perfectum vsum rationis habet, quantum ad ea quæ ad suam personam spectant plenum ius: ergo votum personale ab eo emissum, ita erit validum, vt à patre irritari non possit. Et ideò ita tenent Sotus *lib.7. quæst. 3. art.2.* Arag.*2.2.q. 88. art.9.* Nauarr. *cap.12. num.64.* Azor. *lib.11.cap.17. quæst.7.* Suar.*lib.6.cap.6.num.4. & 5.* Roder. *p.2. sum. cap.93. num.8.* Tolet. *lib.4. cap.18.* Sayr. *lib.6. cap.5.* Valent.*2.2. disp.6.q.6.p.6.* Et videtur esse expressa sententia D.Thom. *in 4.d.38.q.1. art. 11.q.vlt.ad 2.* vbi sic ait: *Ex quo homo venit ad annos pubertatis, non est sub potestate alterius, si sit liberæ conditionis, quantum ad ea quæ ad suam personam spectant.*

QVÆSTIO CII.

An pater possit irritare vota personalia puberum, si ea vota patriæ potestati præiudicent?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia etsi filius possit tunc independenter à patre, de actionibus suis personalibus disponere, nequit tamen quoties id aliqua ex parte potestati patris sub qua est, præiudicat. Quia cùm huiusmodi vota ex parte materię sint illicita, vtpote quibus læditur ius paternum, nisi includant conditionem, *si pater consenserit*, aut saltem, *si non contradixerit*, (quod est fundamentum potestatis irritandi) irrita sunt, & nulla. Et ideò ita sentiunt Nau.*cap.12.num.64.* Azor.*lib.11.c.17. q.2.* Lop.*p.1.c.47.* Sayr. *lib.6.cap.10.nu. 24.&* Suar.*lib.6.c.5.nu.4.*

2 Quod arbitror verissimum, quando graue, & alicuius momenti esset præiudicium. Secus esset, quando modicum. Quia cum modicum pro nihilo reputetur, præiudicium est quasi nullum. Sed quæres.

QVÆSTIO CIII.

Quandò vota personalia dicantur patriæ potestati præiudicare?

RESPONDEO quando liberum, & expeditum domus aut familiæ regimen impediunt. Ratio est, quia cum gubernatio domus ad patrem pertineat, quidquid huic aliqua ex parte officit, dicitur rectè patri præiudicare. Sic tenent Syluest. *verb.votum 3.q.6.* Nauar.*cap.12.num.70.* Lop.*p.1. cap.48.* Azor.*lib.11.c.17.q.7.* Suar.*lib. 6.cap.10.num.4.& 9.* Huius sententiæ est clarè D.Thom.*2.2.q.88.art.8.ad 2.* vbi sic ait: *Puer post pubertatem non est sub potestatis quoad dispensationem domesticam; vnde circa hoc non potest aliquid vouere, quod sit ratum sine consensu patris.* 1

Huius autem exemplum affert Azorius, vt si sit votum peregrinationis. Quod intelligo, quando peregrinatio esset longa.

Secundùm exemplum apponit Rosella *verb.votum 2.num.15.* quando filiusfamilias voueret ieiunia. Quod intelligo, quando extraordinaria essent, ita vt periculum morbi afferrent. 2

Tertium exemplum sit, si filiusfamilias tot preces promitteret, vt impedimento esset obsequio paterno, aut studio cui vacat ex patris præcepto. Quia hoc iuri, potestati, & domesticæ gubernationi patris nocet, cùm eius sit curare, vt filius studio, aut alij operi ad vitam transigendam necessario incumbat.

QVÆSTIO CIV.

An pater possit hæc vota integrè irritare, an verò quatenus eius obsequium & potestatem perturbant?

RESP.

1 RESPONDEO si ea vota diuisibilia sint, nequit integrè irritare, sed solùm quatenus eius iuri præiudicant. Secus si sint indiuisibilia.

QVÆSTIO CV.

An hæc vota personalia puberis sibi præiudicantia, possit pater irritare propriè, ita vt cessante patria potestate, non reuiuiscant, an verò tantum suspendere, donec pubes fuerit sui iuris?

1 RODER. 2.*p. sum. cap.*93. *num.*9. est dubius; ait enim, posse patrem hæc vota irritare, aut saltem suspendere.

Sayrus *lib.*6. *cap.*10. *num.* 24. dicit esse valde probabile posse patrem verè irritare.

Sed dicendum est, absolutè posse
2 patrem verè, & propriè irritare. Ratio est, quia hæc vota imbibitam habent conditionem pendentem à consensu patris; ergo ratione huius conditionis imbibitæ, poterit verè irritare, ita vt nunquam reuiuiscant.

QVÆSTIO CVI.

An pater possit irritare votum, quod pubes minor 25. annis emisit eundi Hierosolymam?

1 NAVAR. *in Man.cap.*12.*num.*70. & Roder.2.*p.sum.cap.*93.*num.*9. negant ea ratione, quia *in cap. Ex multa, de voto*, datur licētia viro exequendi id votum inuita vxore; ergo multò magis intelligetur concessa filiofamilias maioris ætatis, inuito parente: quia magis præiudicat vxori absentia mariti quam patri absentia filij.

Sed hæc ratio non placet, quia cum caput prædictum id viro concedens in vxoris præiudicium, sit à iure exorbitans; non est extendendum vltra casum in quo loquitur, propter aliquam similitudinem: sicut nec exten- 2
ditur ad seruum, nec ad religiosum; eo vel maximè, quod dispar sit ratio; filius enim est propriè subiectus patri, non sic autem vir vxori, immo est eius caput.

Quare dico primo, quod si id votum sit peregrinationis Hierosolymitanæ tantum ob deuotionem, posse à patre irritari. Quia vt diximus supra, nec vir potest id votum exequi absque vxoris consensu.

Secundò dico, quod si huiusmodi votum sit in terræ Sanctæ subsidium, sitque expensis parentum exequendum, posse à patre irritari. Ratio est, 3
quia filius ante 25. annum expletum, non potest de bonis paternis disponere.

Tertiò, & vltimò dico, quod si id subsidium esset tantum personale adiuuando s. per seipsum, vel militando, vel consulendo, vel aliud ministerium vtile ad bellum exequendo, crederem non posse à patre irritari, non tam ex iure humano, quam ex naturali. Quia ratio boni communis præponderaret iuri paterno. Suar. *lib.*6. *cap.*5.*num.*11.

QVÆSTIO CVII.

An pater possit irritare vota realia, quæ filiusfamilias, etsi pubes, minor tamen 25. annis emisit?

RESPONDEO posse. Ratio est, 1
quia filius ante eam ætatem non habet liberam suorum bonorum administrationem, sed pater. Ita Nauar. *cap.*12. *num.*71. Sor.*lib.*7.*q.*3.*art.*2.& Molina

Molina *tom.1.d.229*. Quod intelligitur de votis, quæ principaliter sunt realia: nam si votum principaliter est personale, & accessoriè tantum reale, non poterit à patre irritari, quia accessorium sequitur naturam principalis. *regula Accessorium de reg. iuris in 6*. vt si filius pubes sub patria potestate adhuc constitutus expressè religionem voueat, & simul sua bona per professionem illi dicare; non potest pater irritando impedire, quominus illius bona cum persona ad monasterium transeant. Ita Valent. 2.2.*d.6.q.6.p.6*. & Sayr.*lib.6.cap.10.num.24*.

QVÆSTIO CVIII.

An pater possit irritare vota realia puberis exequenda pro tempore quo fuerit sui iuris? Vt si voueat eleemosynam dandā tempore quo liberam bonorum dispensationem habuerit?

1 SOTVS *lib.7.quæst.3.art.1*. affirmat posse.

Contrarium tamen est proculdubio affirmandum. Ducor, quia pater non habet hanc potestatem irritandi propter fauorem puberis, bonámque illius gubernationem; sed præcipuè ob conseruandam suam potestatem, ac se indemnem seruandum in votis
2 illis: ergo nequit irritare vota, quæ illius obsequium non impediunt, qualia sunt implenda tempore quo sui iuris fuerit.

Tum quia, si pubes emisisset votum dandi eleemosynam de bonis castrensibus, non posset pater id votum irritare, vt fatentur vniuersi: ergo neque quando eam vouet relatam ad tempus in quo sui iuris erit, liberámque suorum bonorum administrationem habuerit. Ita tenet Less. *lib. 2. cap.4. dub. 14*.

QVÆSTIO CIX.

An pater possit irritare vota realia, quæ pubes de sua licentia emisit?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia pater concedens eam facultatem non abdicat à se dominium illius voluntatis filij, & rei promissæ offerendæ per voti executionem, ergo tanquam dominus retinet adhuc potestatem irritandi. 1

Tum quia eam licentiam concedendo, non facit filium sui iuris; sed solum concedit illi, vt operetur, & se obliget, semper tamen dependenter à patris voluntate, ea tacita conditione, *nisi pater contradixerit*. Ita Suar. *lib.6.cap.5.num.12*.

QVÆSTIO CX.

An pater possit irritare vota realia emissa à pubere ante 25. annum expletum de peculio suo castrensi. 1. in bello, vel quasi castrensi. 2. in officio publice acquisito, puta legendo, docendo, aduocando, medicando, aut seruiendo Regi, &c.

1

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia in hoc genere bonorum, filius reputatur paterfamilias, & sui iuris, vt constat ex *l.2.ff.ad Senat. Consult. Maced.* & tradunt egregiè Nauar. *c.12.n.70*. Roder.*p.2.sum.cap.93.nu.3*. Arag.2.2.*q 88.art.9*. Sot.*lib.7.q.2.art.2*. Suar.*lib.6.c.5.num.4*. Sayr.*lib.6.c.5.nu.6.& c.10.num.25*. & Azor. *lib.11.q.17.q.7*. 1

QVÆSTIO CXI.

An vota realia emissa à filiofamilias

lias ordine sacro insignito, possint à patre irritari?

1 NON intelligitur quæstio, an vota realia emissa de bonis post clericatum acquisitis possint à patre irritari, quia cùm huiusmodi bona sint in ipso quasi castrensia, poterit sine consensu patris de illis aliquid vouere, quia ratione huius generis bonorum filius est sui iuris.

QVÆSTIO CXII.

Quæstio ergo tantum est de aliis bonis?

1 SYLVEST. & Armilla, *verbo patria potestas, statim à principio*, affirmantes ratione ordinis sacri filium eximi à patria potestate, & fieri emancipatum, coguntur asserere vota realia post ordinem sacrum à filio emissa, non posse à patre irritari.

At dicendum est per ordines sacros, etiam presbyteratus, non eximi filium à patria potestate, vt expresse definitur *in auth. presbyteros l. a. 1. C. de*
2 *Episcopis, & clericis*. Et *in cap. Per venerabilem, qui filij sint legitimi*. tanquam quid speciale decernitur, eximi filium patria potestate per dignitatem Episcopalem: ergo id ordini inferiori tribuendum non est, ac proinde vota realia post ordinem sacrum à filio emissa, posse à patre irritari. Et ideò ita tenent Syluest. *verb. peculium.* & Mol. *tom. 1 de iust. disp. 229.*

QVÆSTIO CXIII.

An vota realia, quæ filiusfamilias ante pubertatem emisit, & post illam confirmauit, possint à patre irritari?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia filius, etsi pubes, minor, tamen 25. annis, non habet liberam suorum bonorum administrationem, sed pater: nisi fortè habeat peculium castrense, vel quasi castrense, quia ratione huius generis bonorum filius est sui viris; vt Sot. *lib. 7. q. 3. ar. 2.* & Nau. *cap. 12. num. 70.* annotarunt.

QVÆSTIO CXIV.

An vota realia facta à filio pubere non emancipato, quæ durante patria potestate irritata non fuerunt, possint à patre post emancipationem irritari.

SVAR. *lib. 6. c. 6. num. 1.* negat, quia hæc potestas irritandi fundatur in patria potestate: sed hæc ablata est per emancipationem: ergo & potestas irritandi. 1

Cæterùm, etsi hæc sententia sit satis probabilis, probabilius tamen credo posse ea vota à patre irritari, dummodo non sint post emancipationem confirmata. Ratio est, quia eadem videtur ratio de his factis post pubertatem, nec confirmatis post emancipationem, ac de personalibus impuberum non confirmatis post pubertatem. Cum vtraque tempore quo 2
emissa sunt, imbiberint conditionem à patris consensu pendentem, nec vota naturam suam mutarint, & in vtroque casu est sola personæ vouentis mutatio. Et ideò hanc partem tuentur Philiarch. *de off. sacerd. tom. 1. p. 2. lib. 3. c. 18.* & Sayr. *lib. 6. cap. 19. num. 27.*

QVÆSTIO CXV.

Quamdiu duret hæc potestas in patre ad irritandum votum filij puberis?

SVNT, qui putent eam durare vsque ad 25. annum, quia vsque ad illud tempus censetur minor. 1

Contra tamen, & meo iudicio probabilius sentit Suar. *lib.6. cap.5. num.*
2 12. nimirum eam potestatem durare, quamdiu durat patria potestas, id est, quamdiu filius non est emancipatus. Potest enim esse emancipatus ante 25. annum per matrimonium, & tunc iam pater non poterit irritare vota eius. Deinde potest filius esse sub potestate patris, sed non emancipatus post 25. annum, & tunc poterit pater vota filij irritare. Ratio est, quia hæc irritatio non fundatur in defectu iudicij ad vouendum, sed in defectu materiæ propter subiectionem: ergo ex duratione subiectionis pendet duratio potestatis, non ex ætate.

QVÆSTIO CXVI.

An pater nouitius possit irritare vota filij manentis in sæculo, vel existentis etiam in nouitiatu?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia per neutrius nouitiatum amittitur aliquid patriæ potestatis, aut iuris in filios.

QVÆSTIO CXVII.

An Pater professus possit vota filij siue puberis, siue impuberis irritare?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia per professionem, nec patriam potestatem, nec aliquam filij curam retinet, sed ea tota transit in Tutorem, vel Curatorem: & si his omnibus caret, erit sui iuris: vt definitur *in lib. Sic eueniet 21. ff. ad leg. Iul. de adult.* & tradit Molina *tom. 1. de iust. disp.229.*

QVÆSTIO CXVIII.

An pater possit irritare vota filij professi?

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia filius ratione professionis est extra eius curam, & potestatem. 1

QVÆSTIO CXIX.

An Tutor possit omnia impuberum vota realia & personalia irritare instar patris?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia Tutor succedit loco patris ad consulendum imbecillitati intellectus impuberum, ne imprudenter votis se inuoluant. Ita Suar. *lib.6.c.6. num.22.* 1

QVÆSTIO CXX.

An sicut pater vota filij emissa ante pubertatem, irritare potest pubertate inchoata, si confirmata non sint; possit etiam Tutor?

NAVAR. *cap.12. num.71.* Lop. *p.1. cap.48.* & Emman. Sà *verb. votum vbi de voti irritatione num.5.* affirmant, quia Tutor quoad omnia impuberis vota, eiúsque personæ, & rerum gubernationem gerit in omnibus vicem patris. 1

Contrarium tamen arbitror esse dicendum, quia eo ipso quod pupillus fit pubes, desinit Tutor esse Tutor: & incipit esse tantum Curator; cui directè non persona pupilli, sed res & bona eius committuntur. Amisso autem Tutoris officio, amittitur hæc potestas. Pater verò semper manet

net pater, nec mutat conditionem paternæ potestatis, ratione cuius votum filij ante pubertatem factum semper tacitam conditionem imbibitam habet, *Si patri placuerit, aut non contradixerit*. Ita Suar. *lib. 6. c. 6. num. 25.*

QVÆSTIO CXXI.

An Curator possit irritare vota realia, & mixta puberis minoris 25. annis sicut pater?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia Curator in plenas patris vices succedit. Ita Nauar. *cap. 12. num. 64.* & Suar. *lib. 6. cap. 5. num. vltimo.*

QVÆSTIO CXXII.

An curator possit irritare vota realia quæ Minor de peculio castrensi, vel quasi castrensi emisit?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia Minor ratione huius peculij est sui iuris. *l. 2. ff. ad Senat. Consult. Macedon.* Ita Sayr. *lib. 6. c. 10. num. 25.* & Emman. Sà *verbo votum, vbi de irrit. num. 1.*

QVÆSTIO CXXIII.

An si votum reale Minoris iuramento confirmetur, possit à Curatore irritari?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia votum illud vt sit validum, debet inuoluere conditionem, *nisi Curator contradicat*; aliàs iniuria illi fieret, & consequenter iuramentum confirmans illud votum sine huiusmodi conditione esset iniquum, & non obligans: si autem votum illam conditionem imbibitam includat, non obstabit iuramentum, quominus irritari possit.

QVÆSTIO CXXIV.

An possit Curator irritare vota personalia puberis, quæ liberum, ac expeditum domus regimen impediunt instar patris?

RESPONDEO posse. Ratio est, 1
quia in plenum ius patris succedit. Nauar. *cap. 12. num. 64.* Suar. *lib. 6. cap. 6. num. vlt.* & Emman. Sà *vbi de irritatione voti nu. 1.*

QVÆSTIO CXXV.

An votum reale quod impubes ante pubertatem emisit, nec post eam confirmauit: aut post pubertatem emisit, aut tunc confirmauit, possit à Curatore irritari, quando pubes est sui iuris effectus, nec in hoc tempore confirmauit?

RESPONDEO non posse. Ratio est, 1
quia statim cessat omnino eius officium, & est persona priuata.

QVÆSTIO CXXVI.

An Curator possit irritare vota personalia, quæ impubes emisit tempore quo patri, vel Tutori erat subiectus, nec post pubertatem confirmauit?

SANCH. *lib. 4. decalogi cap. 30. num.* 1
15. affirmat posse.

At contrarium est verius. Quia

Curator non succedit in potestatem, Tutori, & patri competentem, tempore impubertatis circa personam impuberis; sed in solam potestatem circa res familiares regendas: Curator enim non personæ, sed rebus datur *l. In copulandis 9. C. de nuptiis*, & ideo Curator non poterit vota personalia sui Minoris irritare.

QVÆSTIO CXXVII.

An mater possit vota filij impuberis, aut minoris 25. annis irritare.

1 IN hac graui, & perdifficili quæstione, certi iuris est, matrem quæ est Tutrix, aut Curatrix constituta, posse irritare vota eodem prorsus modo, quo alij Tutores, & Curatores. Cùm eorum fungatur officio. Et in hoc omnes Doctores conueniunt.

QVÆSTIO CXXVIII.

Controuersia igitur tota est, quando non est assignata Tutrix, aut Curatrix filiorum?

1 PALVD. *in 4. dist. 38. q. 4. art. 2.* Syluest. *verb. votum 4. q. 2. & verb. religio 2. q. 13.* Azor. *lib. 11. c. 17. q. 7.* Nau. *cap. 12. nu. 64.* Lop. *p. 1. cap. 47.* & Less. *lib. 2. cap. 40. dub. 14.* hanc potestatem matri negant, cum filios sub sua potestate non habeat, vt cónstat ex *§. fœminæ instit. de adoptionibus.*

At Roder. *p. 1. sum. cap. 93. num. 10.* Cosm. Philiarch. *de off. Sacerdotis to. 1. p. 2. lib. 3. c. 4. &* Margarita confess. *vbi*
2 *de irritatione voti fol.* 134. affirmant posse matrem adhuc Tutricem, vel Curatricem non institutam, vota hæc irritare. Pro quo,

Primò dico, quod mater quæ filiorum curatrix non est, nullatenus potest irritare vota realia puberum. Ratio est, quia nec ipse pater potest hæc vota irritare, quando administrationem bonorum filij non habet: sed mater non Curatrix nullam administrationem bonorum filij puberis habet, sed ea tota, deficiente patre, ad Curatorem spectat: quod si nullus Curator sit, pertinet ad ipsum puberem. Non ergo poterit ea vota irritare.

Secundò dico, quod mater, viuo, aut non longe absente patre, nulla filij impuberis vota potest verè irritare. Ratio est, quia soli patri hæc facultas competit, vtpore qui solus est caput totius domus, & familiæ, & habet plenam rerum administrationem, & personarum gubernationem: ergo voluntas filij non est posita in voluntate 3
matris, sed solius patris.

Tertiò dico, quod mater, defuncto patre, nulla filij impuberis vota potest verè irritare, si impubes ille Tutorem habeat. Ratio est, quia adest Tutor, qui in plenas patris vices succedit. 4

Quartò, & vltimò dico, quod si mortuo patre, nec Tutores, nec Curatores sint, mater ipsa etsi Tutrix non sit, potest ad instar patris, & Tutoris, quibus in curam filiorum succedit, omnia vota realia, & personalia 5
eorundem irritare. Et deficiente matre succedant Aui, & Auiæ, & reliqui ascendentes propinquiores. Quia est eadem ratio, & quia hi sunt veluti parentes, ac eorum loco, & omnibus his tenetur ille impubes obedire. Ita Suar. *lib. 6. c. 6. num. 22.* & Sanch. *lib. 4. c. 35. num. 79.*

QVÆSTIO CXXIX.

An possint herus, confessarius, dominus; serui impuberis & Tutore caren.

carentis, & nutritius expositi vota irritare?

1 SVAR. *lib.6.cap.6.num.*23. & Sayr. *lib. 6. cap.*10. *num.* 18. affirmant posse.

At verò Palud.*in 4.dist.*38.*q.*3.*ar.*1. D.Anton.2.*p.t.*11.*cap.*2. & Margarita confess.*vbi de irrit.voti fol.*134.docent huic impuberi integrum esse votis se
2 astringere independenter ab alterius voluntate. Et ratio est,quia sunt omnino sui iuris: vtrumque probabile.

QVÆSTIO CXXX.

An dominus possit quæcumque vota serui irritare?

1 DOCTOR Angelicus *in* 4. *dist.* 38.*q.*1.*art.*1.*q.vlt.ad* 3.tenet absolutè posse dominum vniuersa vota seruorum irritare. Idem docet Abulen.*cap.*30.*Nu.q.*91.qui statim à principio ait, posse dominum irritare omnia vota serui, siue illi præiudicent, siue non. Et tenent expresſè de omnibus votis,solo castitatis excepto,Petr. de Ledesm.2.*tom.sum. tract.*10.*cap.*7. *dub.vlt.*& Arag 2.2.*q.*88.*art.*8.

Cæterùm verissima sententia est, ea tantum vota dominum posse irritare, quæ eius obsequium impediunt. Ratio est, quia dominus non est su-
2 perior quoad voluntatem serui simpliciter; sed eius in illum potestas est ratione seruitutis ei debitæ; ergo ea sola vota potest irritare, quæ eius obsequio ac potestati aliqua ex parte officiunt. Et ideò hanc partem sustinent Sot.*lib.*7.*q.*3.*art.*1.Nauar.*cap.*12. *num.*64.Lop.*p.*1 *cap.*93.*num.*11.Sayr. *lib.*6. *cap.*5. *num.*7. & *cap.*10. *num.*18. Azor. *lib.*11. *cap.*17.*q.*9. Less. *lib.*2.*de iust.cap.*40.*dub.*14.*nu.*86. Valent.2.2. *disp.*6.*q.*6.*p.*6. Vega 2. *tom.c.*129. *casu* 100. Suar.*lib.*6.*cap.*3.*nu.*2.& 3.

Hinc, sequitur primò, non posse dominum irritum reddere votum castitatis sui serui. Quia in hoc non subditur domino,nec ipsi præiudicat.

Secundò sequitur, non posse dominum 3
irritare votum serui aliquarum orationum. Quia preces moderatæ non obstant domini obsequio, nec ita illi adstrictus esse debet,vt penitus aliquantulum orare instar Christiani non sibi liceat. Idem dicendum est de votis ieiunij,& abstinentiæ serui:nec enim omnia hæc poterit dominus irritare, sed quando seruitium domini diminuunt. Secus quando ita moderata sunt, vt non præiudicent. Suar.*lib.*6 *c.*3 *nu.*2.

Tertiò sequitur, non posse dominum irritare vota præceptorum à seruis emissa, vt audiendi Missam in festo, & similia. Quia in his quæ nec diminuunt, nec defraudant seruitium domini, seruus ei subiectus non est, sed sui iuris. At quia possent aliqua vota præceptorum impedire aliquan- 4
do Domini obsequium, vt votum ieiunandi tempore præcepti, & votum audiendi Missam in diebus festis, quando dominus indigeret operis serui excusantibus à ieiunio, & ab audienda Missa, posset suspendere voti obligationem pro eo tempore: non enim serui votum potest impedire, quominus dominus omni tempore eum occupet.

Dixi notanter (*suspendere*) & non irritare, quia ex se est permissum id votum seruo,nec est ex iis,quæ domini seruitium impediunt: & ideò sola suspensio permittitur domino.

Quartò sequitur, posse dominum 5
irritare votum, quod seruus emisit de religione intranda; aut de peregrinatione facienda, &c. Quia per hæc ab obsequio domini subtrahitur. *cap. Si quis seruum* 17.*q.*4.& docet D.Thom. 2.2.*q.*88.*art.*8.*ad* 2.

Quintò

Quintò sequitur, posse dominum irritare fere omnia vota realia serui; vt de eleemosyna facienda. Ratio est, quia seruus nullum habet patrimonium, sed quidquid habet, domini est.

Dixi autem *(fere)* quia ex conuentione cum domino potest seruus aliquid propriũ habere iuxta *Glossam in l. quod attinet 3. ff. de reg. iuris*, &
6 tunc si de eo faciat votum reale, irritari non poterit, cum in nihilo domino præiudicet. Quare non approbo quod dicit Anto. Gomes *in Bulla cruciata clausula 10. num. 75.* nempe hanc limitationem intelligendã esse, quando seruus de eo proprio modicam eleemosynam voueret, *nam si magnam* (inquit,) *posset dominus irritare*. Quia cum id proprium subsit omnino dispositioni serui, nil nocet domino, siue parua, siue magna sit eleemosyna promissa; & ideò in neutro casu potest dominus irritare.

QVÆSTIO CXXXI.

An dominus vota serui sibi præiudicantia possit in totum irritare, an tantùm quatenus præiudicant?

1 RESPONDEO si vota domino præiudicantia sint indiuisibilia potest dominus in totum. Si verò diuisibilia, solùm potest, quatenus sibi præiudicant.

QVÆSTIO CXXXII.

An dominus possit irritare vota personalia, vel realia, quæ seruus de sua licentia emisit?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia dominus concedens eam facultatem, non abdicat à se dominium illius voluntatis subditi, & rei promissæ offerendæ per voti executionem: ergo tanquam dominus retinet adhuc potestatem irritandi.

Tum quia licentiam concedendo non facit subditum sui iuris, sed solum concedit illi, vt voueat: semper tamen dependenter à superioris voluntate, & ea tacita conditione, *nisi dominus contradixerit*.

QVÆSTIO CXXXIII.

An dominus possit vota irritare, quæ seruus ante seruitutem emisit?

RESPONDEO posse ea vota suspendere, quæ suo obsequio præiudicant. 1
Ratio est, quia dominus ius habet irritandi vota serui in seruitute facta, si eius seruitium perturbant: ergo habet quoque potestatem ea vota suspendere, quæ ante seruitutem sunt facta, si eius potestati aliqua ex parte officiunt. Vnde eo mortuo, & seruo libertatem adepto reuiuiscunt.

QVÆSTIO CXXXIV.

An dominus irritare possit vota serui implenda tempore libertatis? Vt si seruus voueat seruire hospitali, si libertatem consequatur?

MAGISTER Sotus *lib. 7. q. 3. ar. 2.* 1
affirmat posse.

Alij vero rectiùs negant. Ratio est, quia hæc non præiudicant domino ex parte obligationis, & ideò non possunt ab eo irritari. Ita Azor. *lib. 11. cap. 17. q.* & Lop. *p. 1. c. 50.*

QVÆST.

QVÆSTIO CXXXV.

An si votum serui expressè referatur ad vtrumque tempus, nempe subiectionis, & libertatis possit dominus illud irritare?

1 SYLVEST. *verbo votum* 4. *q.* 2. & Emman. Sà *verb. votum vbi de voti irritat. num.* 3. affirmant, posse.

Cæterùm nullatenus placet mihi hæc sententia, sed existimo dominum non posse id votum irritare, nisi pro
2 eo subiectionis tempore. Ratio est, quia solo eo tempore, potest domino obesse. Et ideò ita tenent Azor. *lib.* 11. *cap.* 17. *q.* 11. Suar. *lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 18. & Sayr. *lib.* 6. *c.* 10. *nu.* 18.

QVÆSTIO CXXXVI.

An si dominus vota à seruo emissa dum erat sub ipsius potestate non irritauit, postea soluta eius domini potestate, possit illa irritare, si post eam libertatem non sunt confirmata?

1 GREG. de Valent. 2. 2. *d.* 6. *q.* 6. *p.* 6. affirmat, posse.

Alij verò rectiùs negant. Et ratio est, quia potestas irritandi vota est solum illi concessa durante subiectione: ergo ea finita cessat potestas. Sic enim tenent Sayr. *lib.* 6. *c.* 10. *nu.* 16 Lop. *p.* 1. *c.* 48. Beda *in suis respons.* 1. *p. casu* 49. & Suar. *lib.* 6. *c.* 6. *num.* 1.

QVÆSTIO CXXXVII.

An paterfamilias possit vota famulorum irritare?

1 IN hac quæstione conueniunt omnes; posse patremfamilias eorum vota suo obsequio præiudicantia suspendere vsque ad tempus finitæ subiectionis.

QVÆSTIO CXXXVIII.

Difficultas autem in hoc versatur: An possit verè, & propriè irritare; ita vt finita seruitute, non reuiniscant?

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia cum illi mancipia non sint, minimè subduntur dominatiuæ eius potestati. Sic Sot. *lib.* 7. *q.* 3. *art.* 1. Vega 2. *tom. sum. cap.* 129. *casu* 88. & Suar. *lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 6. 1

QVÆSTIO CXXXIX.

An prælatus regularis possit irritare votum religiosi transeundi ad strictiorem regulam?

IN qua re certum est, posse Prælatum tale votum subditi dispensare. 1
Ratio est, quia tempore quo religiosus huiusmodi votum facit, ita est sub Prælati potestate, vt teneatur in omnibus sequi eius voluntatem: ergo poterit iusta de causa, eius grauamen tollere per dispensationem.

Tum quia non est votum religionis reseruatum Papæ, sed votum transeundi ad aliam arctiorem, quod non est summo Pontifici reseruatum: & ideò poterit eius Prælatus dispensare cum eo, vt possunt Episcopi dispensare in illis subditorum suorum, si non sint reseruata Papæ.

QVÆSTIO CXL.

Difficultas autem non modica versatur: An Prælatus possit tale votum irritare?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia est de re, in qua religiosus non est suo Prælato subiectus: nam *cap. Licet de regul.* cuilibet religioso conceditur libera facultas ad arctiorem religionem transire petita, etsi non obtenta superioris licentia: & dum per professionem traditur voluntatis dominium superiori, intelligitur ab eo is transitus exceptus.

Tum quia est de re, quam religiosus præstare tenetur, postquam fuerit extra Prælati obedientiam: ergo Prælatus non habet super illam plenam potestatem; atque ex consequenti non
2 potest illud votum irritare. Et ideò ita tenent Sot. *lib. 7. q. 3. art.* 1. Caietan. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 8. Azor. *lib.* 11. *cap.* 17. *quæst.* 18. Suar. *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 23. & *lib.* 6. *c.* 7. *num.* 9.

QVÆSTIO CXLI.

An in vniuersum omnia alia vota à religioso emissa siue sint realia, siue personalia possint à Prælato irritari?

1 RESPONDEO regulariter posse. Ratio est, quia respectu horum habet Prælatus potestatem dominatiuam: ergo potest illa vota irritare.

Tum quia religiosus non est sui iuris, sed Dei, cuius vices superior gerit, ita vt *velle*, & *nolle* non habeat; sed ex illius, quem vice Dei supra caput suum posuit, & cuius imperio se subiecit, voluntate dependeat; ex qua dependentia prouenit vt prælatus vota omnia tum realia, tum personalia sui religiosi irritare possit. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. *ad* 3. communiter receptus.

Dixi consultò (*regulariter*) quia non potest Prælatus vota religionis essentialia irritare, sicut nec votum transeundi ad strictiorem religionem, vt diximus.

QVÆSTIO CXLII.

An votum à religioso emissum de rebus positis sub præcepto, vt de non mentiendo, de non furando, &c. possit à Prælato irritari?

IN qua re conuenit inter omnes, id votum à religioso emissum posse à Prælato in aliud commutari, aut in eo, si subsit iusta causa dispensari, propter spiritualem potestatem, quam super illum habet. 1

QVÆSTIO CXLIII.

Sed dubium est: An possit tale votum à Prælato irritari?

ILLVSTRISSIMVS Caiet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. negat id votum posse irritari à Prælato religionis: & probat ea ratione, quia talis materia non est in potestate Prælati, cum sit præcepta iure naturali, & diuino. Hanc opinionem 1
Caietani appellat valde probabilem. Less. *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 13. *num.* 74. & dicit esse probabilem Petr. de Ledes. *tom.* 2. *sum. tract.* 10. *c.* 7. & eam valde probabilem existimat Sanch. *lib.* 4. *cap.* 33. *num.* 6. quamuis immeritò eam falsam appellet Sayr. *lib.* 6. *cap.* 10. *n.* 9.

Cæterùm absque dubio dicendum est, simpliciter omnia vota religiosi etiam de præceptis naturalibus, posse irritari à Prælato. Ratio est, quia vo- 2
luntas religiosi debet esse perfectè subdita, & dependens à voluntate Prælati in omnibus quæ ad vitæ directionem pertinent, ac proinde in nouis obligationibus suscipiendis.

Tum quia Prælatus est dominus volun

voluntatis religiosi quantum ad ea, quæ non sunt de necessitate salutis, & debent sub eius voluntate adimpleri: sed illa noua obligatio quæ ex voto oritur, est huiusmodi: ergo illius est dominus Prælatus, ac proinde poterit tale votum irritare.

3 Tum quia licet Prælatus non sit dominus absolutè illius materiæ, quatenus est præcepti, est tamen dominus quatenus ad nouam voti obligationem ortam ex subditi voluntate quæ in omnibus subdita est Prælato: atque ex consequenti poterit ex hac parte id votum subditi irritare. Et ideò ita sentiunt D.Thom. *2.2.q.88. art.8. ad 3. & in 4.dist. 38.q.1. art.1. q. vltim. ad 3.* Sot. *lib.7.q.3. art.1.* Nauarr. *cap.12. num. 65.* Arag.*2.2. q. 88. art.8.* Azor. *lib.11.cap.17.q.16.& 17.* Valent.*2.2. d.6.q.6.p.6.* Veg.*1.tom sum.c.129. casu 91.* & Suar.*lib.6. c.7. n.7.*

QVÆSTIO CXLIV.

An Prælatus religionis possit irritare vota religiosi emissa in religione, quando hic religiosus est è monasterio eiectus?

1 RESPONDEO si eiectio fuit iniusta; aut iusta, sed temporalis, ita vt Prælatus teneatur eum admittere, poterit irritare emissa in religione, & extra illam. Quia adhuc est illius religionis membrum, & subest Prælato. Si autem eiectio sit iusta, & perpetua non poterit Prælatus irritare vota in religione emissa. Quia tunc est suspensa eius iurisdictio in illum, vtpote qui est veluti membrum abscissum à corpore, & nullatenus subest superioribus suæ religionis. Si tamen ad religionem postea redierit, poterit superior huius vota irritare, quia solum erat suspensa Prælati potestas pro eiectionis tempore, & dum ad religionem non redibat.

QVÆSTIO CXLV.

An Prælatus possit irritare vota, quæ Religiosus emisit exequenda pro tempore quo fuerit sui iuris? vt si v. g. Religiosus voueat ieiunare quando erit Episcopus, an Prælatus possit nunc id votum irritare, ita vt si postea Episcopus fiat, irritatio sit valida?

IN qua re constat inter omnes, posse 1
Prælatum tale votum in aliud commutare, aut in eo dispensare propter spiritualem potestatem, quam super eum habet.

Vis igitur quæstionis in eo posita est. An possit illud irritare?

Illustrissimus Caiet.*2.2.q.88.art.8.* 2
Nauar.*cap.12.nu.66.* Lop.*p.1.cap.48.* Arag.*2.2.q. 88. art.8.* Roder.*p.2.sum. cap.91.num.8.* & Angles negant, ex eo quod opus promissum non est in potestate Prælati præsentis, sed futuri.

Sed quamuis hoc sit valde probabile, probabilius tamen existimo, omnique remoto dubio opinor, in hoc casu posse Prælatum absolutè, & in omne tempus votum sui subditi irritare ita vt non reuiuiscat. Ratio est, 3
quia religiosus omnem suæ voluntatis potestatem tradidit Prælato, vt eum vice Dei in omnibus, quoad tempus omne, gubernaret. Vnde religiosus in hoc, filio impuberi comparatur. Nam sicut iure pater vota filij ante annos pubertatis annullat, etiamsi filius ea emiserit, referendo se ad tempus, quo fuerit sui iuris; sic etiam Prælatus pari ratione, & iure, religiosi similia vota

irrita facit, quia voluntas religiosi est Prælato in omnibus subiecta. Et ita tenent Valent. 2.2.*d.6.q.6.p.6.* Azor. *lib.11.cap.17.q.19.*Sot.*lib.7.q.3.art.1.* Sayr.*lib.6.cap.10.num.10.* Less. *lib.2. cap.40.dub.13.*Lop. *p.1.cap.50.* Vega 2.*tom.cap.229.casu* 10. & Emman. Sa *verb.votum num.3.*

QVÆSTIO CXLVI.

An superior possit irritare vota religiosi in religione emissa, licet ille religiosus sit iam creatus Episcopus?

1 EMMANVEL Sà *verbo votum, vbi de irritatione,nu.5.*affirmat posse.

Sed contrarium quod defendit. Suar.*lib.6.cap.7.num.*10.videtur mihi verius. Ducor, quia cessauit eo tempore iurisdictio omnium religionis superiorum in illum, & sunt veluti personæ priuatæ respectu illius,excepto Romano Pontifice,cui immediatè subiectus manet, non solùm vt Episcopus, sed etiam vt religiosus. Ac proinde solus Pontifex poterit vota illius irritare.Quod si deposita dignitate ad religionem redeat, poterit superior religionis irritare non solum vota facta in religione,sed etiam facta in sæculo tempore dignitatis.

QVÆSTIO CXLVII.

An vota religiosi ante ingressum religionis emissa, possint à Prælato irritari?

1 IN qua re conuenit inter omnes,solemni professione vota omnia simplicia emissa ante ingressum religionis cessare, quia in ipsum religionis votum perpetuum communi iure commutantur *cap. Scriptura de voto.*

QVÆSTIO CXLVIII.

Sed quod habet difficultatem,est de votis,quæ vouens noluit per votum religionis commutari?

LESSIVS *lib.2. cap.40. dub.* 13. negat; quia quando talia vota fuerunt facta, religiosus non erat voluntati Prælati subditus:ergo non possunt ab eo irritari, possunt tamen ab eo suspendi, quando eorum executio est illi molesta. Vnde si talis religiosus in Episcopum postea assumeretur, eiusmodi vota reuiuiscerent, vimque suam obligandi reassumerent. 1

At verò Sayrus *lib. 6. c.10. dub.3.* affirmat. Cui opinioni fauet Azor. *lib.11.cap.17.q.2.& vltima:* & hæc posterior sententia plus mihi placet, quia si eam intentionem habuit non commutandi vota in professionem ante instans ipsius, adhuc ipso facto commutantur; si verò in ipso instanti professionis, reputabuntur ac facta post professionem, & sic poterit illa irritare. Sicut peccatum commissum in baptismi susceptione, reputatur tanquam admissum post baptismum: & ita potest esse materia sacramenti pœnitentiæ. Syluest. *verb. votum* 4. *quæst.7.* 2

QVÆSTIO CXLIX.

An Prælatus possit irritare votum religiosi eundi Hierosolymam?

ET quidem certum est,posse Prælatum id votum irritare, quando solius causa deuotionis fit. Quia Innoc.III. *in cap. Ex multa* § *in tanta de voto,& voti redemptione* solum de voto in subsidium terræ Sanctæ disponit. 1

QVÆST.

QVÆSTIO CL.

Controuersia autem potissima in hac re est, quando religiosus non solius causa deuotionis, sed in subsidium Terræ sanctæ tale votum emittit.

1 HOst. *cap. Ex multa de voto nu. vlt.* & ibi Ioannes And. *num.6.* dicunt fas esse Religiosis id votum emittere, & adimplere absque superioris licentia, ac proinde Prælatum non posse illud irritare, ducuntúrque ex dicto *cap. Ex multa de voto*, & quamuis pugnare nequeant, satis auxilij pugnantibus afferunt suis exhortationibus.

2 At dicendum est, id non esse verum de simplicibus Religiosis, sed de solis Prælatis Regularibus; & id non in præsenti, sed antiquis temporibus, quando erat generalis licentia pontificia eundi in id subsidium.

QVÆSTIO CLI.

Quo iure Religiosorum superiores possunt vota irritare?

1 REspondeo non solùm iure canonico, sed etiam naturali, & diuino. Ratio est, quia eo ipso quòd quis Religionem profitetur, subiicit volútatem suam arbitrio Prælati. Vnde facta professione iure naturali, & diuino, non potest absque superioris iniuria voluntatem suam ab obedientia superioris subtrahere; & consequenter superior iure naturali, & diuino ob ius dominatiuum voluntatis subditi illius vota irritare potest. Ita Caiet. 2. 2. *q.88. art.*8. & Arag. *ibidem.*

QVÆSTIO CLII.

An potestas irritandi vota Religiosorum competat quibuscumque Religionis Prælatis?

1 REspondeo competere vniuersis Prælatis Regularibus, vt Generalibus, Prouincialibus, & superioribus locorum. Quia ad hos omnes votum obedientiæ extenditur, súntque veri Prælati: habent enim iurisdictionem spiritualem, & præcipere possunt in virtute sanctæ obedientiæ: & ideò ex vi sui muneris hanc participant potestatem.

QVÆSTIO CLIII.

An superiores Equitum militarium, qui vulgò Commendatores appellantur, possint eorum vota irritare?

1 SAnch. *lib.4. cap.33. nu.24.* est circa hoc dubius.

2 At dicendum est, posse. Ratio est, quia sunt veri Religiosi, præsertim milites sancti Ioannis, qui instar aliorum tria essentialia Religionis vota emittunt.

QVÆSTIO CLIV.

An Suprior in absentia Prioris possit ea vota Religiosorum irritare, quæ potest Prior?

1 REspondeo posse, si iurisdictionem generalem haber ad omnes causas, & negotia, & non restrictam ad aliquas determinatas causas. Ratio est, quia tunc plena Prælatorum vice fungitur, & sic est verus Prælatus, & potest subditorum audire confessiones, & aliis audiendas committere. Ita Azor. *lib.11. c.17. q.3.* Suar. *lib.6. c.7. num.*17. & Sanch. *lib.4. c.33. nu.16.*

QVÆSTIO CLV.

An Abbatissa possit vota Monialium irritare?

AZOR *loco citato* ait posse hanc irritare vota quæ religiosæ familiæ sunt incommoda.

1 Roder. *2.p.sum. cap.91.nu.9.* censet posse hanc irritare vota Monialium emissa de operibus supererogationis, ac liberis. Et sic videtur asserere, non posse irritare vota de rebus positis sub præcepto.

Contra tamen, & meo iudicio probabilius sentiunt Less. *lib. 2.c.40. dub. 13.* Sayt. *lib.6.cap.10. nu.7.* Suar. *lib.6.*
2 *cap.7.num.vlt.* Vasq. *1.2.q. 96. art.4.d. 171.c.4.* & alij, nimirum posse Abbatissam omnia Monialium vota irritare, ita vt non reuiuiscant, siue sint illa de operibus supererogationis, siue sub præcepto. Ratio est, quia non solùm Prælatis, sed etiam ipsi Abbatissæ emittitur votum obedientiæ; & ideò earum vota non sunt firma, sed includunt tacitam conditionem, *si Abbatissa consenserit, aut saltem non contradixerit.*

Et confirmatur, nam mater, saltem tutrix, irritare potest votum filij impuberis ob dominium, quod super illius opera habet: ergo & Abbatissa poterit, cum maiorem authoritatem, & dominium super actiones monialium habeat, cum ad hanc potestatem non sit necessaria iurisdictio, sed professionis obligatio sufficiat.

QVÆSTIO CLVI.

An votum à religioso emissum ex licentia Prælati, possit postea à Prælato irritari?

1 ET quidem conuenit inter omnes, quod Prælatus dans licentiam religioso aliquid vouendi, si eam reuocet, antequam ille votum emittat, & post illam reuocationem voueat, votum est nullum, nec Prælatus peccat ex causa licentiam reuocando. Si autem votum emiserit ante reuocationem licentiæ, tenet votum.

QVÆSTIO CLVII.

Quæstio ergo tantum est, An idem Prælatus, qui vouendi licentiam dedit, postea queat illud votum irritare?

RICHAR. *in 4.dist.38.q.3. art.4.* negat. Quia ad voti firmitatem à religioso emissi, solùm requiritur consensus Prælati; ergo accedente eius consensu, ita firmum est votum, vt ampliùs ab eo irritari non possit. 1

Contrarium tamen est proculdubio affirmandum. Ratio est, quia Prælatus dando licentiam non priuat se suo dominio, & potestate reuocandi illam: ergo per illam potest retractare, quod antea fuerat, & votum irritare. 2

Et confirmatur: Prælatus dans licentiam subdito, non facit illum sui iuris, sed solùm concedit illi, vt operetur, aut se obliget, semper tamen dependenter ab ipso.

Et est conclusio definita *in cap. Noluit 33.q.5.* vbi apertè dicitur, quod si maritus consentiat voto vxoris, & postmodum consensum reuocet, non tenebitur amplius vxor voto, ergo idem etiam est dicendum de Prælato respectu subditi, atque ex consequenti poterit illud irritare. Et confirmatur 3
ex lib. Num. cap. 30. vbi dicitur, *Quod si vir postquam consenserat voto vxoris, illi denuo contradicat, vxor non erit voti rea, ipse tamen portabit iniquitatem eius.* Et ideò ita sentiunt Caiet. *2.2.q. 88.art.8.* Sot. *lib.7.q.3.art.1.* Arag. *2.2. q.88.*

q.88 art.8. Valent. 2. 2. *d.6. q.6. p.6.* Lop.*p.1.c.*48.Nauar.*cap.*12.*num.*73.& Roder. 2.*p.c.*91.*nu.6.*

QVÆSTIO CLVIII.

An irritatio voti facta à Prælato sine causa iusta, sit valida?

1 RESPONDEO esse validam. Ratio est, quia Superior in hoc vtitur iure suo, quamuis in eius vsu peccet. Nec peccat subditus, si non adimpleat tale votum, quod sine iusta causa irritatum fuit; sed si quid culpæ sit, id totum superiori imputatur. Ita Sot.*lib.7.quæst.3.art.*1. Arag.2.2.*q.*88. *art.*8.Valent.2.2.*d.6.quæst.6.p.*6.Lop. *p.*1.*cap.*48. Nauar. *cap.*12. *num.*73.& Azor.*lib.*11.*cap.*17.*q.6.*

QVÆSTIO CLIX.

An peccet Religiosus votum irritatum implens?

1 RESPONDEO peccare, quia facit contra obedientiam, & contra iustitiam, vtendo aliena operatione inuito domino.s. Prælato. Ita Sayr. *lib. 6.cap.*10.*num.*13.Vega 2.*tom.sum.cap.* 129.*casu* 191.& Roder.2.*p.sum.cap.*91. *num.*7. qui etiam addit, tunc impleri contra voluntatem superioris, quando non ad subditi instantiam, sed propria sponte irritauit.

QVÆSTIO CLX.

An inferior Prælatus possit irritare votum subditi factum ex superioris licentia? vt si Prior velit irritare votum subditi emissum ex facultate Prouincialis, vel Generalis?

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia potestas superioris siue 1
iurisdictionis, siue dominatiua non pendet ab inferiori; ergo non potest irritare inferior, quod fecit superior. At poterit hic Prælatus inferior interdicere subdito executionem illius voti, donec superiorem, qui licentiam vouendi concessit, certiorem faciat de causis eius voti irritandi.

QVÆSTIO CLXI.

An superior Prælatus vt Generalis, vel Prouincialis possit irritare votum subditi emissum ex licentia inferioris vt v.g. Prioris?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia 1
superior Prælatus tam in voluntatem vouentis, quàm superioris licentiam concedentis potestatem habet, & vtriusque vota irritare potest: vnde etsi id votum sit legitimè factum, non tamen est omnino absolutum, sed pendens à voluntate superioris Prælati; & habet imbibitam conditionem, *nisi ille restiterit*, nec voluntas,& consensus Prælati inferioris potest ipsum ligare, aut impedire, ne liberè irritet. Sic Suar.*lib.6.c.8.num.3.* & Roder.2.*p.sum.c.*91.*nu.*7.

QVÆSTIO CLXII.

An Prælatus æqualis alteri succedens in eodem officio, possit vota subditi de prædecessoris sui licentia emissa irritare?

ET quidem certum est, posse ea vo- 1
ta subditi suspendere. Ratio est, quia potest occupare subditum illum in omni tempore: at cessante superioris potestate, ea vota reuiuiscunt.

QVÆST.

QVÆSTIO CLXIII.

Sed dubium est, an possit ea vota irritare, ita vt nunquam reuiuiscant?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia potestas in vtroque eadem omnino est, & illa personarum distinctio quasi materialis est: ergo si prædecessor potuit ea irritare, poterit & successor.

Tum quia cum par in parem non habeat imperium *cap. Innotuit de elect.* licentia præcedentis superioris æqualis non potest succedenti æquali præiudicare, quominus possit validè absque causa iusta votum id irritare, perinde ac si absque vlla licentia factum esset. Peccabit tamen venialiter, si absque iusta causa id votum irritet. Sic Suar. *lib. 6. cap. 9. num. vltimo.*

QVÆSTIO CLXIV.

An si Prælatus irritans præstet assensum, teneatur subditus votum irritatum adimplere?

1 RESPONDEO non teneri. Ratio est, quia obligatio semel extincta non redit, nisi renouetur: neque etiam in præsenti potest à superiore imponi, quia obligatio voti personalis est, & à propria voluntate omnino pendet. Ita Nau. *cap. 12. nu. 66.* & Suar. *lib. 6. cap. 7. nu. 13.*

QVÆSTIO CLXV.

Sed quid, si votum non fuit verè irritatum, sed suspensum, teneatúrne subditus votum illud adimplere?

1 RESPONDEO teneri. Ratio est, quia tunc vinculum voti manebat, & ob solam materiæ prohibitionem eius obligatio erat suspensa; & ideò ea cessante, pristinas obligandi vires recuperabit votum.

QVÆSTIO CLXVI.

An si Prælatus dicat Religioso se illi concedere facultatem irreuocabilem vouendi, possit adhuc validè irritare?

RESPONDEO posse. Ratio est, 1
quia Prælatus nequit abdicare à se dominium voluntatis Religiosi, hoc enim repugnat statui, & obedientiæ religiosæ; nec potest etiam concedere illi liberam bonorum administrationem, & independentem à voluntate superioris; id enim paupertati religiosæ repugnat. Ita Suar. *lib. 6. c. 8. num. 6.*

QVÆSTIO CLXVII.

An peccet Religiosus qui à superiore petit irritationem voti?

RESPONDEO non peccare. Ratio 1
est, quia vtitur iure suo. Nec est peccatum se ostendere propensum ad irritationem, quia hoc nec est contra votum, neque contra aliud præceptum: & quia melius est, vt Prælatus habeat notitiam talis voti, vt de subdito disponat, pro vt expedire iudicauerit: ergo proponere votum Prælato, vt illud irritet, non est malum: sicut ergo non peccat superior irritando, ita nec subditus petendo.

QVÆSTIO CLXVIII.

An peccet Prælatus, qui sine causa iusta votum sui subditi irritat?

RESPON

1 RESP. sunt quidam qui tenent, eum non peccare. Quia vtitur iure suo.

Alij verò docent, eum peccare venialiter, quia abutitur potestate in spirituale Religiosi bonum sibi concessa.

2 Tum quia est vituperabile, & malum velle absque vlla prorsus causa impedire promptitudinem illam subditi ad exhibendum cultum Deo per votum. Et hæc posterior opinio mihi placet, quia Prælatus debet vti iure suo rationabiliter.

QVÆSTIO CLXIX.

An peccet Religiosus, si absque vlla causa petit à Prælato suum votum irritari?

1 QVIDAM eum ab omni culpa liberant. Alij verò rectiùs docent eum peccare venialiter. Ratio est, quia si Prælatus sine peccato non potest votum illud irritare, putà quia deest causa iusta: ergo religiosus qui talem irritationem scienter petit, peccat etiam venialiter, quia petendo, peccato sui Prælati cooperatur.

QVÆSTIO CLXX.

An peccet Prælatus, si irritet votum ex sua licentia emissum?

1 ET quidem, si Prælatus iusta de causa adductus postea irritet votum, non peccat, quia Prælatus adhuc post datam licentiam, manet dominus materiæ, quousque eius fiat traditio per voti adimpletionem: & sic ex rationabili causa poterit illud votum irritare absque aliquo peccato. Cæterùm siue ex causa iusta, siue absque illa votum irritet, irritatio valida est: nec peccat subditus, si non adimpleat tale votum, quod sine rationabili causa irritatum fuit. Caiet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. Sot. *lib.* 7. *q.* 3. *art.* 1. & Arag. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8.

QVÆSTIO CLXXI.

Vis igitur quæstionis in eo posita est: An Prælatus peccet qui, pro suo arbitrio, sine legitima causa, irritat votum subditi, in quod antea consenserat?

QVIBVSDAM placet eum non peccare, quia Prælatus dando licentiam non contraxit specialem obligationem non retractandi illam, quia nec hoc vouit, nec promisit. 1

Tum quia in ipsa licentia subintelligitur conditio, *vsque ad beneplacitum concedentis.*

At communis, ac verissima sententia est, hunc aliquod peccatum committere, quia abutitur sua potestate in voti iniuriam, ac Dei irreuerentiam, cui se quodammodo obligauit, quando voto consensit. Et ideo ita tenent Caiet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. & alij supra citati. 2

QVÆSTIO CLXXII.

Sed dubium maius est, an hic peccet mortaliter?

SOTVS *lib.* 7. *q.* 3. *art.* 1. Barth. Med. *lib.* 1. *instruct. confess. c.* 14. §. 7. & Valent. 2. 2. *d.* 6. *q.* 6. *p.* 6. volunt eum solum peccare venialiter. 1

Cæterùm quamuis hæc sententia sit satis probabilis, probabilius tamen credo, eum peccare mortaliter. Ratio est, quia est infidelis Deo in re graui: ergo peccat mortaliter. Sic Caiet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. Nauar. *c.* 12. *nu.* 73. Roder. 2. *p. sum. cap.* 91. *num.* 6. & Sayr. *lib.* 6. *cap.* 10. 2

*cap.*10. *nu.*10. Quod intelligo quando materia promissa est talis, vt violatio voti sit mortifera: secus si materia voti esset leuis & ad veniale obligans, tunc enim solùm peccaret venialiter.

QVÆSTIO CLXXIII.

An successor qui in votum non consensit, peccet si votum illud irritet?

1 RESPONDEO non peccare. Ratio est, quia cum non consenserit in illud, non est cur obligetur non irritare. Sicut enim iuramentum prioris Prælati, quo promisit non reuocare facultatem subdito à se concessam, non adstringit successorem, ita nec consensus in votum subditi; quia hæc obligatio, cum sit personalis, non transit in successorem. Et videtur esse conclusio definita *in cap. Noluit* 33. *q.*5. vbi apertè colligitur, maritum posse sine peccato irritare votum quod vxor in puellari ætate cum consensu patris emiserat.

QVÆSTIO CLXXIV.

An religiosus qui de prohibitis votum emisit, atque adeò sub conditione, si Prælato placuerit, *votum fecit, teneatur ex vi illius exquirere, an ei placeat?*

RESPONDEO teneri. Ratio est, quia aliàs promissio esset vana, & ridicula.

QVÆSTIO CLXXV.

An religiosus dum talem facultatem petit, teneatur dicere Prælato se de eo votum fecisse?

1 IN qua re certum est, quod ad hoc vt ad tempus excusetur subditus ab executione voti, sufficit tantum petere facultatem faciendi quod vouit, quamuis ei non patefaciat ad id se voto obligasse, vt rectè docent Nauar. *c.*12.*nu.*69.& Suar.*lib.*3.*c.*6.*nu.*15.

QVÆSTIO CLXXVI.

Totum ergo huius controuersiæ dissidium cōsistit: An ad irritandum votum, vt videlicet non habeat vim obligandi, requiratur in superiore notitia voti?

RESPONDEO requiri. Ratio est, quia ad hoc vt votum irritetur, requiritur superioris voluntas irritandi, quam non censetur habere si nesciat votiuum opus esse de quo fit petitio. Ita Nau.*c.*12.*nu.*69. 1

QVÆSTIO CLXXVII.

An Prælati religionis possint vota nouitiorum irritare?

RESPONDEO, directè non posse ea irritare. Ratio est, quia eorum voluntas nondum à superioris voluntate pendet, sicut illa professorum, in qua dependentia fundatur directa irritatio. Ita Nauar.*c.*12. *num.*65. Lop. *p.*1.*c.*48 Azor.*lib.*11.*c.*17.*q.* 20. Less. *lib.*2.*c.*40.*dub.*13.*num.*80. Roder. 2.*p.* *sum.cap.*91.*num.*10.*& qq.regul.tom.*2. *q.*25.*ar.*8.& Suar. *lib.*6.*cap.*7.*num.*11. Quod est verissimum, etiam si nouitij illi ex sua deuotione emiserint tria essētialia religionis vota, quia etsi illis in ordine ad Deum maneant adstricti; religio tamen nullum dominium super eorum voluntatem acquirit, nec per ea efficiuntur religiosi. Quod si nouitius expressa, ac priuata intentione apponeret in voto suo conditionem, *si Prælatus, vel Magister nouitiorum probauerit votum*, poterit Prælatus, vel Magister illud irritare per subtractionem conditionis appositæ. 1

Dixi notanter (*directè*) quia indirectè, seu ex parte materiæ, probabile est, posse Prælatum irritare vota nouitiorum, quæ gubernationem eorum
2 impediunt: quia quantum ad hoc habet Prælatus potestatem in nouitios non prouenientem ex voto, sed ex iurisdictione, cui pro tunc nouitij subiecti sunt.

Si nouitius in sæculo existens, vel in anno probationis emisit vota in ætate, in qua pater, Tutor, vel Curator possent irritare, eadem poterunt à Magistro nouitiorum, vel Prælato irritari; cùm in eorum potestatem succedat.

QVÆSTIO CLXXVIII.

An Prælatus possit vota nouitiorum suspendere durante nouitiatu?

1 COVAR. *de pactis* 1.*p.*§.3.*nu.*4.& Graff.*p.*1.*decis.lib.*2.*c.*30.*num.*2. tenent omnia vota nouitiorum, siue personalia, siue realia posse à Prælato suspendi.

Palud.*in* 4.*d.* 38.*q.*4.*art.*3. D.Ant. 2.*p.tit.* 11.*c.*2.§.8. Sylueſt.*verb.votum* 4.*q.*7.& Lop.*p.*1.*c.*48.dicunt absolutè sola vota personalia nouitiorum posse à Prælato suspendi.

2 His tamen non obstantibus, existimo sola vota personalia, quæ probationem impediunt, posse Prælatum suspendere: qualia sunt quæ vel exercitiis regularibus obstant, vel nimis onerosam reddunt religionem. Ratio huius est, quia cum nouitius subsit curæ Prælati pro tunc gubernandus, vt ipse possit austeritates religionis experiri, & religio ipsius mores; consonum est rationi, eum omni iurisdictione necessaria ad hunc finem potiri: vnde alia vota quæ tale præiudicium non afferunt, non possunt à Prælato suspendi. Vt si votum sit seruandi præcepta regulæ, aut seruandi præcepta Dei, aut Ecclesiæ. Ita Less. *lib.*1.*c.*40.*dub.*13.*nu.*80.& Suar.*lib.*6. *cap.*7.*num.*12.& *cap.*12.*num.*8.

3 Ex quo colligitur, vota nouitiorum realia non posse à Prælato suspendi, quia eorum executio religionis obseruantiam non impedit. Sic Lop.*p.*1. *c.*48.Azor.*lib.*11.*c.*17.*q.vlt.*& *cap.*19. *q.*21.Less.*lib.*2.*c.*40. *dub.*13.*nu.*80. & Suar.*lib.*6.*c.*7.*nu.*12.

QVÆSTIO CLXXIX.

An Magister nouitiorum possit vota nouitiorum suspendere?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia est verè eorum superior, & ipsi specialiter, & immediatè eorum cura incumbit. Sanch.*lib.*4.*cap.*33.*nu.*35. 1

QVÆSTIO CLXXX.

An vota personalia nouitiorum, quæ exercitia operum religionum impediũt, sint ipso iure suspensa?

RESPONDEO esse ipso iure suspensa, & sic non obligare toto eo tempore, quo durat nouitiatus. Ratio est, quia cum multò melius sit pro tunc nouitiis exequi religionis opera, vt religionem experiantur, ipsique satisfacientes admittantur; vota hoc impedientia nequeunt pro tunc obligare, vtpote quæ maiori bono implendo obstarent. Solemni vero professione religionis emissa, omnia vota nouitij tam realia, quàm personalia ex iuris dispositione extinguuntur, quoniã in ipsum religionis votum perpetuum eo ipso commutãtur. Ita Palud. *in* 4.*d.*38.*q.*4.*art.*3.Sylueſt.*verb.votum* 4.*q.*7.Roder.2.*p.sum.cap.*91. *num.*10. Azor.*lib.*11.*c.*17.*q.vlt.* Less.*lib.*2.*c.*40. *dub.*13.*nu.*80.Sayr.*lib.*6.*c.*10.*num.*15. Lop.*p.*1.*c.*48.& Sanch.*lib.*4.*cap.*33. *num.*37. 1

Hic tamen aduerte, quòd quando vota nouitiorum solùm suspenduntur, si contingat illos redire ad sæculum ante professionem, tunc reuiuiscunt, ac pristinas obligandi vires reassumunt; vt rectè docet D. Thom. 2.2.q.88.art.12. Lop.p.1.cap.48.Less. lib.2.c.40. dub.13. & Suar.lib.6.cap.7. Quod intellige, nisi vota essent annexa tempori ex vouentis intentione; tunc enim eo tempore elapso, non obligarent vota: non quia sunt irritata, sed per lapsum temporis, quo obligabant. Et ad tollendos scrupulos sanum consilium erit, vt authoritate Prælati, aut propria, commutentur ea vota in opera nouitiatus exequenda: vt Roder.2.p.sum.cap.91.num.10.& 99.regul.1.to.q.25.art.8. & Alcozet in summa cap.16. Quod censet esse verum Less.loco citato etiam de votis realibus; quia cùm per ea, tanquam parti non intimata, nullum ius acquisitum sit, possunt eodem modo, quo personalia commutari.

2

QVÆSTIO CLXXI.

An Prælatus possit in votis nouitiorum dispensare?


ANGLES in floribus quæst.theolog. tractatu de voto negat. Et dicit esse tutius Lop.p.1.cap.47. 1

Cæterùm multò verius est. Prælatum posse in votis nouitiorum dispensare. Ratio est, quia quamuis Prælatus non habeat potestatem dominatiuam in eorũ voluntatem, nondum sibi per professionem traditam; habet tamen spiritualem iurisdictionem: vt docet Nau. cap. 12. num. 65. Henriq. lib.7.de indulg.c.22.num.7.Roder.qq. regul.tom.1.quæst.25.art.8. & plerique alij. 2

Addit tamen Henriq. posse similiter Episcopum cum illis dispensare: quia nondum plenam exemptionem, & subiectionem Prælato regulari consecuti sunt, ac proinde possunt se Episcopo subiicere, vt cum ipsis dispenset.

Et hæc de irritatione dixisse sufficiat.

DE



DE VOTORVM DISPENSATIONE,

LIBER TERTIVS.

1 HACTENVS superiori libro de primo modo, quo obligatio voti dissolui potest, qui est irritatio, locuti sumus: nūc in hoc libro agendum est de secundo modo, qui est dispensatio, de qua disputant Scholastici cum Magistro *in* 4.*dist*.38. D.Thom. cum Caietano 2. 2. *q*.88. Summistæ verò *verbo votum, verbo religio,& verbo dispensatio*, in cuius tamen gratiam, vt à definitione eius exordiamur, quæritur in primis.

QVÆSTIO I.

Quid sit dispensatio voti?

1 RESPONDEO, quòd *Est voti relaxatio, quæ eius vinculum tollitur per authoritatem à Christo Domino nostro Ecclesiæ relictam.*

QVÆSTIO II.

An dispensare in voto sit idem, quod declarare materiam voti non esse Deo gratam?

1 SVNT multi qui existimant esse solam declarationem, qua Prælatus declarat votum in eo euentu non obligare; quia Prælatus nequit in iure diuino, & naturali dispensare: atqui obligatio voti est de iure diuino, & naturali vt constat: ergo. Ita tenent D.Bonau. *in* 4. *dist*. 38. *q*. 3. *art*. 2. & Couar.*de pactis*.1.*p*.§.3.*num*.3. Huius sententiæ videtur esse D. Thom. 2.2. *q*.88.*art*.10.*ad*.2. vbi sic ait. *Authoritate superioris dispensantis fit, vt hoc quod continebatur sub voto, non contineatur, in quantum determinatur in hoc casu hoc non esse congruam materiam voti.* Hoc idem docuit Caietan.*verb votum cap.de dispensat*.& ibi Armilla *num*.13. vbi aiunt, tunc locum esse dispensationi voti, quando eius executio reddita est illicita, aut inutilis, aut impediens maius bonum.

Palud. *in* 4. *dist*.38. *q*.4. *art*. 4. D. Anton.2.*p*.*tit*.11. *cap*.2.§.9.& Syluest. 2
verb.votum 4.*q*.3. tenent dispensationem potius esse interpretationem voti, quàm relaxationem.

Cæterùm verissima sententia est, dispensationem esse propriam, & veram relaxationem voti, quod ea sublata, verè obligabat; vt constat ex traditione, & perpetuo vsu Ecclesiæ à tempore Apostolorum vsque ad

præsens: frequentissimè enim Ecclesia dispensat in religionis, & castitatis voto ob incontinentiæ periculum ortum ex vouentis fragilitate; cùm tamen certum sit ea dispensatione seclusa, votum obligare.

Tum quia si dispensatio esset sola declaratio, quilibet vir doctus posset in voto dispensare, immò melius Prælato indocto.

Tandem est conclusio definita *in cap. 4. de iureiurando* vbi Romanus Pontifex apertè distinguit inter declarationem & dispensationem iuramenti, dicitque *ineptè peti relaxationem, cùm in eo casu iuramentum non obligaret: & ideo non erat opus relaxatione, sed declaratione.*

4 Ex quibus omnibus colligitur per dispensationẽ tolili vinculum; per interpretationem non tolli, sed declarari tantum in re ipsa non esse; & sic dispensationem per se esse actum iurisdictionis; interpretationem verò per se esse actum scientiæ, seu doctrinæ. Et ideo ita tenent D.Thom. *in 4. dist.* 38. *q.* 1. *art.* 4. Sot. *lib.* 7. *q* 4. *art.* 1. Valent. 2.2. *d.* 6. *q.* 6. *p.* 7. Arag. 2.2. *q.* 68. *art.* 10. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 11. *nu* 9. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 18. Azor. *lib.* 11. *c.* 18. *q.* 5. Henriq. *lib.* 8. *de Euch. cap.* 13. *num.* 2. *& lib.* 7. *de indulgent. cap.* 23. *nu.* 5. Vasq. 1.2. *q.* 97. *art.* 4. *d.* 178. *num.* 8. & communis.

QVÆSTIO III.

An Ecclesia possit in votis dispensare? Perinde est, ac si quæreretur. An Ecclesia possit in iure diuino, & naturali dispensare.

1 MICHAEL Canus *relect. de pœnitentia parte* 5. tenet Ecclesiam posse dispensare in iure diuino naturali.

Et quidem si hæc opinio Cani intelligatur de iure diuino naturali propriè, ex diuino arbitrio deriuato, falsa est. Quia inferior non potest legem superioris relaxare, sed solùm declarare, id ius in eo euentu non obligare: vt D. Thom. communiter receptus *in quodlibeto 4. art.* 3. testatur.

Quæstio ergo tantum est de his, quæ sunt de iure diuino ab humana voluntate orto, vt de voto & iuramento.

Syluest. *verbo votum* 4. *q.* 3. dicit posse Ecclesiam in his dispensare, non quidem tollendo eorum obligationem, sed solum declarando in eo casu ob circumstantias occurrentes, votum non obligare.

Sed hæc opinio displicet, quia aliud est declarare votum, quod pertinet ad doctorem; & aliud in illo dispensare, quod pertinet ad potestatem spiritualem, quam habet Ecclesia respectu voti.

Richard. *in 4. dist.* 38. *q.* 1. *art.* 9. ait posse Ecclesiam in voto dispensare. Quia in omni voto subintelligitur conditio imbibita, *si Papæ placuerit.* Et ideò si votum ei non placet, cessat eius obligatio.

Sed nec hæc opinio placet, quia hac ratione posset Papa ad libitum sine causa in votis subditorum dispensare, quod est falsum.

Vera ergo & catholica sententia est, pósse Ecclesiam propriè & vere in votis dispensare, tollendo eorum obligationem; vt patet ex frequenti, & diuturna Ecclesiæ consuetudine, quæ multis retro ab hinc sæculis obseruatur: & colligitur ex generali concessione ei specialiter facta à Christo Domino nostro in Diuo Petro per illa verba Ioannis 21. *Pasce oues meas* & Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Quæ verba

verba cùm generalia sint, debent intelligi de omni vinculo contracto ab homine erga Deum, quod rectæ administrationi Ecclesiæ solui aliquando expedit.

Nec qui in voto dispensat, censetur in iure diuino & naturali dispensare. Quia qui in voto dispensat, non tollit legem diuinam naturalem, quæ est vt votum Deo reddatur: nec facit potestatem, vt manente voto integro, liceat illud violare: id enim esset contra ius diuinum, sed solum tollit eius obligationem, determinando votum non esse seruandum etiam in casu, quo ante dispensationem obligabat: lex enim diuina non iubet votum esse adimplendum, nisi durante vinculo voti, quod per dispensationem tollitur. Sicut quando Princeps in lege humana dispensat, non facit vt subditus legi non obtemperet, quod est contra ius diuinum & naturale; sed solùm vt lex in illo casu cesset.

4 Dices; obligatio voti est de iure diuino: ergo qui illam per dispensationem tollit, dispensat in iure diuino.

Sot. *lib.7.q.4. art.1. & lib.10. q 3. art.4.* Couar. *de testam. cap.2. num.12.* & Mich. Med. *lib.5. de contin. sacerd. cap.50.* dicunt Ecclesiam dispensantem in voto, immediatè tollere obligationem, quatenus ex voluntate hominis ortum duxit, quæ quodammodo est lex humana.

Sed hæc responsio non placet, quia licet obligatio voti ex parte hominis sit humana, ex parte Dei est diuina,
5 quatenus diuina ad illam concurrit, acceptando illam, & suo modo acquirendo ius ratione illius: ergo non potest Ecclesia in illa obligatione dispensare: quia dispensaret in lege diuina.

Quapropter dicendum est, in hac voti dispensatione concurrere Prælatum, ex parte Dei, remittendo obligationem Deo factam, & declarando sibi esse gratum, vt non seruetur. Et 6
tunc non dispensat in iure diuino, sed in iure Deo acquisito per votum. Nam si potest remittere peccata, quibus homo maximè efficitur debitor Dei, quid mirum, quod possit remittere debitam promissionem Dei.

Ex his sequitur primò, dispensationem esse actum iurisdictionis spiritualis: vt constat ex eius origine, quæ est à Christo Domino; & ex fine qui merè spiritualis est; & ex materia, quæ diuinum cultum, & honorem continet; & ex vsu, & traditione Ecclesiæ. Ita Suar. *lib.6. cap.10. num.1.* 7

Secundò sequitur, hanc potestatem non esse apud infideles, immo nec apud Principes sæculares. Quia est spiritualis, & Ecclesiastica, & circa materiam spiritualem.

Tertiò sequitur, nec laicum, nec clericum coniugatum esse huius iurisdictionis capacem. Quia laicus non est persona Ecclesiastica: nec reputatur clericus coniugatus persona Ecclesiastica; nisi quoad sola canonis, & fori priuilegia: vt habetur *ex cap. vnico de cler. coniug. in 6.* & ex Concil. Trident. *sess.23. de reformat. cap. 6.* & ideò non est capax potestatis dispensandi. 8

Quartò sequitur, posse hanc facultatem competere iure ordinario, aut delegato Clerico solius primæ tonsuræ. Quia cum non sit actus ordinis, nullum specialem ordinem requirit, sed solum vt dispensans sit persona Ecclesiastica, vel vt sit capax iurisdictionis spiritualis, ad quod sufficit prima tonsura: nam ea sola insignitus potest esse vicarius Episcopi, & habere potestatem excommunicandi, & absoluendi in foro externo ab ea excommunicatione: vt ex praxi constat: ergo & in voto dispensandi. 9

Quintò

10 Quintò ſequitur, hanc diſpenſandi facultatem, iure ordinario, competere ſolis Prælatis habentibus iuriſdictionem in foro externo: ſicut de poteſtate excommunicandi tradunt vniuerſi. Quia vtraque poteſtas pertinet ad externam Eccleſię gubernationem. Vnde Bernard. *in libro de præcepto, & diſpenſat. Sed non omnibus in huiuſmodi credita eſt diſpenſatio, niſi his dumtaxat, qui cum Apoſtolis dicere poſſunt: ſic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Quales ſunt Romanus Pontifex, Epiſcopi, ac cæteri Eccleſiarum Antiſtites, & religionum Prælati, vt Generalis, Prouincialis, Prior, &c. qui Epiſcopalem authoritatem habent, & poteſtatem. Ex delegatione tamen, vel priuilegio ſedis Apoſtolicæ, poteſt etiam aliis conuenire, qui in foro externo iuriſdictionem non habent. Nauar. *cap.* 12. *num.* 75. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 17. Sayr. *lib.* 6. *c.* 11. *num.* 94. & Suar. *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 15.

11 Sextò, & vltimò ſequitur, Romanum Pontificem in toto orbe poteſtatem habere ſuper omnia vota etiam ſæcularium: Epiſcopos in ſua diœceſi habere poteſtatem diſpenſandi omnia vota ſimplicia ſuorum ſubditorum, præter ea quæ Papæ reſeruantur: Prælatos verò regulares eamdem poteſtatem habere quoad ſibi ſubditos. D. Th. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. Valent. 2. 2. *d.* 6. *q.* 6. *p.* 7. Nauarr. *cap.* 12. *num.* 75. & alij communiter.

QVÆSTIO IV.

An poſſit quis facere ſuum votum indiſpenſabile?

1 RESPONDEO, nō poſſe. Ratio eſt, quia nullus homo poteſt ſua voluntate arctare ſui Prælati poteſtatem.

QVÆSTIO V.

An Cardinales, qui Apoſtolici legati non ſunt, poſſint in votis diſpenſare?

RESPONDEO non poſſe. Ratio eſt, quia non habent plebem ſibi ſubiectam. Suar. *lib.* 6. *cap.* 10. *nu.* 10. 1

QVÆSTIO VI.

An legatus Papæ, ſeu Nuntius apoſtolicus poſſit in tota ſua Prouincia ſibi commiſſa, diſpenſare in votis, in quibus poteſt Epiſcopus in ſua diœceſi?

RESPONDEO poſſe. Ratio eſt, quia legatus ratione ſui muneris, & dignitatis eadem poteſtate gaudet in ſua prouincia, qua Epiſcopus in ſua diœceſi: vt latè probat Sanch. *lib.* 8 *de matrimonio d.* 9. *nu.* 15. & tradunt Henriq. *lib.* 14. *de irreg. cap.* 18. *num.* 2. Ant. Gomes *in Bulla cruc. clauſula* 10. *nu.* 61. & Suar. *lib.* 6. *c.* 10. *nu.* 10. 1

QVÆSTIO VII.

An ſummus Pœnitentiarius Romani Pontificis, poſſit iure ordinario in votis diſpenſare?

RESPONDEO poſſe. Ratio eſt, quia quamuis eam poteſtatem ex Pontificis commiſſione habeat; eſt tamen ſuo officio perpetuò annexa, ac proinde ordinaria. Ita Suar. *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 10. 1

QVÆSTIO VIII.

An Epiſcopus poſſit iure ordinario in votis diſpenſare in ſua diœceſi?

ROSELLA

1 ROSELLA *verb. votum 5. nu. 5. & verb. Papa num. 1.* negat. Atque idem diceret de Archiepiscopis, Primatibus, & Patriarchis, cùm eadem iurisdictione Episcopali gaudeant in suis diœcesibus.

At communis, ac verissima sententia est, eum posse iure ordinario ratione sui muneris dispensare in votis
2 cum suis subditis. Ratio est, quia in illos habet veram iurisdictionem Ecclesiasticam, & spiritualem in vtroque foro. Et est conclusio definita *in cap. 1. de voto ibi.* Et secundùm hoc habet exinde dispensare. Poterítque hic, facultate hac vti, quamuis nondum consecratus sit, dummodo sit à Pontifice confirmatus. Quia à tempore confirmationis est verè Prælatus, gaudétque omnibus, quæ ad solam iurisdictionem spectant.

Subditi, quoad hoc, censentur omnes, qui in diœcesi habét domicilium, vel ibi habitant cum animo perma-
3 nendi maiori anni parte: vt docet Nauar. *5. in Leuit. notab. 32. §. incolæ, nu. 43. & c. Placuit 3. de pœnit. d. 6. num. 92.* Henriq. *lib. 3. de pœnit. cap. 14.* Sanch. *lib. 3. de matr. d. 23. nu. 13.* & Suar. *to. 1. de relig. lib. 2. c. 14. num. 6.* si autem sint vagi, potest Episcopus vbi reperiuntur, cum illis dispensare. Quia cum nullibi domicilium, aut parochiam habeant, sortiuntur diœcesim, in qua tunc inueniuntur. Sanch. *vbi supra d. 25. nu. 5.*

QVÆSTIO IX.

An Episcopus existens intra diœcesim, possit in votis dispensare cum subdito extra illam ad tempus commoranti?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia cùm ille domicilium non mutarit, est verus illius Prælatus. Et eadem ratione poterit Episcopus existens extra diœcesim dispensare cum subdito commorante in diœcesi: vt rectè docet Sanch. *lib. 3. de matrim. d. 19. num. 8.* & Suar. *lib. 6. cap. 11. num. 10.*

QVÆSTIO X.

An Episcopus possit in votis Catechumeni dispensare?

HENRIQ. *lib. 7. de indulgentiis cap. 18.* quamuis anceps, affirmat 1
posse. Quia in fauorabilibus pertinent ad Ecclesiæ iurisdictionem. Huic opinioni fauet Nauar. *§. in Leuit. notab. 31. nu. 47. & notab. 32. nu. 9.* vbi tenet catechumenis indulgentias prodesse, quod fatetur esse probabile Suar. *4. tom. n. 2. p. d. 35. sect. 4. nu. 8.*

Contrarium tamen est proculdubio affirmandum, quia nulla est 2
Ecclesiæ in catechumenos iurisdictio. Suar. *supra.*

QVÆSTIO XI.

An Archiepiscopus possit in votis dispensare cum subditis suorum suffraganeorum?

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia nec ex iure speciali 1
habet talem potestatem, nec ex consuetudine, nec ex vi muneris: quia ipse non est ordinarius pastor talium personarum, neque in eis immediatam habet iurisdictionem. Vnde nec potest confessiones eorum audire, nec à casibus reseruatis suis Episcopis eos absoluere: ergo multò minùs potest eum eis in votis dispensare. Et est conclusio definita *in cap. Pastoralis de off.*

offic. ordin. & tradit. Sot. *lib. 7. quæst. 4. art. 3.* Arag. 2. 2. *quæst.* 88. *artic.* 12. Henriq. *lib.* 14. *de irregul. cap.* 18. *num.* 3. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 80. & Suar. *lib.* 6. *c.* 10. *num.* 8.

QVÆSTIO XII.

An autem Archiepiscopus saltem quando visitat possit dispensare in votis cum subditis suffraganeorum, Doctores discordant.

1 SVNT multi qui affirmant hunc posse dispensare, sicut potest confessiones audire, & absoluere *iuxta c. vltimum de censibus in 6.*

At probabilius est, non posse; quia talem iurisdictionem non habet etiam dum visitat: quia non est coniuncta cum potestate absoluendi in confessione: vt per se constat: ergo non colligitur ex dicto *cap. vltimo.* & ideò ita tenet Suar. *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 9.

QVÆSTIO XIII.

An Archiepiscopus possit in votis Episcopi sui suffraganei dispensare.

1 SVAR. *lib.* 6. *cap.* 11. *nu.* 3. dubitat.

Alij verò rectiùs affirmant posse Ratio est, quia est illi immediatè subiectus. Ita Palud. *in* 4. *d.* 38. *q.* 4. *art.* 4. D. Anton. 2. *p. tit.* 11. *c.* 2. §. 9. Henriq. *lib.* 14. *de irregul. cap.* 18. *num.* 3. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 79. & Auila *de censuris* 2. *p. cap.* 7. *dub.* 10. & idem dicendum est de Archiepiscopo, respectu Patriarchæ, vel Primatis.

QVÆSTIO XIV.

An capitulum, sede vacante, possit in omnibus votis dispensare, in quibus potest Episcopus.

RESPONDEO posse. Ratio est, quia succedit in Episcopi iurisdictionem. Ita Henriq. *lib.* 6. *de pœn. cap.* 6. *n.* 1. Arag. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 12. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 84. Roder. 2. *p. cap.* 102. & Emm. Sà *verb. capitulum. num.* 1. 1

QVÆSTIO XV.

An Generalis Episcopi Vicarius possit in votis dispensare?

ALCOZER *in sum. cap.* 16. *pagina penultima* affirmat. 1

At dicendum est nullatenus posse. 2
Ratio est, quia ex generali vicariatus officio non haber dispensandi potestatem: vt latè probat Sanch. *libro de matrimonio disp.* 40. *nu.* 12.

QVÆSTIO XVI.

Vtrum Abbates habentes diæcesim sibi subditam, possint cum suis subditis in votis dispensare?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia hi eadem iurisdictione gaudent, qua Episcopi. Ita Nauar. *cap.* 12. *numero* 75. Arag. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 12. Azor. *lib.* 11. *cap.* 19. *quæst.* 2. Valent. 2. 2. *d.* 6. *quæst.* 6. *p.* 7. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 11. *numero* 83. Roder. 2. *p cap.* 102. *num.* 3. Lop. *p.* 1. *cap.* 49. & Suar. lib. 6. *cap.* 10. *num.* 13. 1

QVÆSTIO XVII.

An Archipresbyteri, Archidiaconi, Pœnitentiarij, & alij Episcopo inferio

1 *inferiores possint in votis dispensare?*

RESPONDEO, non posse: nisi ad hoc priuilegio, aut legitima præscriptione muniantur. Ratio est, quia hi nec sunt ordinarij Prelati, nec iurisdictionem in foro externo habent: & ideò ea sola possunt, quæ illis specialiter concessa reperiuntur. & ideò ita tenent Nau. *cap.* 12. *num.* 75. Sot. *libr.* 7. *quæst.* 4. *artic.* 3. Azor. *lib.* 11. *cap.* 19. *quæst.* 2. & Suar. *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 12.

QVÆSTIO XVIII.

Quantum temporis exigatur ad hanc præscriptionem?

1 PALVD. *in* 4. *disp.* 38. *q.* 4. *art.* 4. tenet requiri spatium centum annorum si præscribatur potestas dispensandi in votis Papæ reseruatis. Quia id tempus requiritur ad præscribendum contra Ecclesiam Romanam, *cap. Ad audientiam.*

2 Alij verò rectiùs docent requiri quatricennium vt cum communi tradit Molina *to.* 1. *de iust. disp.* 77. Couar. *in regula possessor p.* 2. §. 1. *num.* 6. *de reg. iuris in* 6. & Sanch. *lib.* 4. *cap.* 38. Centenarium solùm exigitur, quando præscribitur contra bona immobilia ecclesiæ Romanæ, non autem contra leges latas à Romano Pontifice; vt est in casu nostro.

QVÆSTIO XIX.

An simplex Sacerdos posit in votis dispensare?

1 GABRIEL *in* 4. *dist.* 38. *q.* 1. *art.* 5. *affirmat posse.*

2 Verùm contraria sententia est communis & certa; nam facultas dispensandi ad iurisdictionem spiritualem in foro externo spectat, qua simplex sacerdos caret. Vnde quamuis simplex sacerdos, in articulo mortis constitutum à peccatis omnibus, & censuris, quantumuis reseruatis, deficiente superiore, absoluere possit; non tamen potest eum à voto liberare. Ita Nau. *cap.* 12. *num.* 79. Sot. *lib.* 9. *quæst.* 4. *art.* 3. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 85. & Suar. *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 10. & 11.

QVÆSTIO XX.

An Parochus posit in votis non reseruatis suorum subditorum dispensare?

RODER. *tom.* 2. *qq. regular. quæst.* 46. *artic.* 9. affirmat posse, quando Episcopus commodè adiri nequit. 1

At communissima, atque multò verior sententia habet, Parochum non posse in votis dispensare. Ratio est quia nullam iurisdictionem habet pro foro externo, qualem requirit dispensatio in voto, cum spectet ad externum regimen subditorum. 2

Tum quia etsi ex consuetudine Parochus possit dispensare in festis, & in ieiuniis, vbi non est aditus ad Episcopum; at hæc consuetudo non est extendenda ad vota. Quod procedit etiam si vouens sit in articulo mortis: quia licet tunc possit à quouis Sacerdote absolui à transgressione voti, etiam Romano Pontifici reseruati, iuxta Concil. Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. vtpotè quia hoc necessarium est ad spiritualem morientis salutem: in voto tamen dispensari nequit, nisi ab eo qui

peculiarem ad id habeat authoritatem ordinariam, vel delegatam. Et ideò ita sentiunt Sot. *lib.7.q.4.art.3.* Nauar. *cap.12.nu.79.* Sayr. *lib.6. cap.11.num.* 85. & Suar. *lib.6.c.10.nu.10.& 11.*

QVÆSTIO XXI.

An Prælati regulares possint in votis suorum religiosorum dispensare?

1 PALVD. *in 4.dist.38. q.4. art.4.* & D.Anton. *2.p.t.11.c.2.§.9.* negant posse.

. Sed communis sententia, quæ multo probabilior est, vult Prælatos regulares posse in votis suorum subditorum dispensare, si sint exempti ab ordinario (quales modo sunt ferè omnes ex summi Pontificis priuilegio.) Ratio est, quia habent iurisdictionem quasi Episcopalem in vtroque foro erga religiosos sibi subditos. Ita tenent Sot. *lib.7.q.4. art.3.* Nauar. *c.12. num.75.* Arag. *2.2.q.88.art.8.* Valent. *2.2.d.6.q.6.p.7.* Lop. *p.1. cap.49.* Roder. *qq.reg.to.1.q.25.art.7.* Sayr. *lib.6. cap.11.nu.88. & 89.* Tolet. *lib.4.c.18. nu.penult.* Suar. *lib.6. cap.10. nu.14.& 15.* Sanch. *lib.8.de matrim.d.3. num.9.* Azor. *lib.11.c.18.q.4.* & alij.

QVÆSTIO XXII.

An hæc iurisdictio sit in Prælatis religionum ordinaria?

1 RESPONDEO esse ordinariam. Ratio est, quia eis competit ex vi officij pastoralis, & est ei perpetuo annexa. Ita Suar. *lib.6.cap.11.nu.105.* qui bene infert posse hos Prælatos hanc potestatem dispensandi aliis delegare.

QVÆSTIO XXIII.

Quid nomine Prælati hoc loco intelligatur.

RESPONDEO eos omnes qui toti congregationi, vel monasterio præsunt: vt sunt Generales, Prouinciales, Abbates, Priores, Præpositi, Rectores, Guardiani. Immo etiã Viceprouinciales, Suppriores, Vicerectores, & Vicepræpositi seu Vicarij qui plenè vicibus Prælatorũ funguntur, habentes plenam conuentus curam. Ratio est, quia hi omnes habent iurisdictionem quasi Episcopalem in suos, & sunt Pastores ordinarij suorum, sicuti Episcopi sæcularium. Ita Sayr. *lib.6.c.11. num.89.* Azor. *lib.11.c.18.q.4.* Arag. *2.2. q.88.ar.12.* Sot. *lib.7.q.4.art.3.* Sanch. *lib.8.de matrim.d.3.nu.9.* & Suar. *lib.6. cap.10.nu.24.* 1

QVÆSTIO XXIV.

An Abbatissa possit in votis suarum Monialium dispensare?

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia iurisdictione spirituali, ad quam pertinet facultas dispensandi caret. Ita Sot. *in 4.dist.20.q.1.art.4,* Couar. *cap.Alma mater 1.p.§.11.nu.2.* Less. *lib.2.c.40.dub.18.* Roder. *tom.1. qq.regul.q.25.art.7.* Sayr. *lib.6.cap.11. nu.94.* & Suar. *lib.6.c.10.nu.16.* 1

QVÆSTIO XXV.

Quis possit cum ipsis Prælatis religionum dispensare?

RESPONDEO posse dispensare Priorem, Guardianũ, Rectorem, Præpositum & similes à Prouinciali; 1

hunc

hunc à Generali; Generalem autem à tota religione, quæ illi superior est: potest enim habere designatam personam ad hoc munus, vel potestatem eligendi confessorem cum tota hac potestate, quàm religio virtute suorum priuilegiorum confert. Ita Suar. *lib.6. cap.11. num.5.*

QVÆSTIO XXVI.

An Prælatus regularis possit in votis nouitiorum dispensare?

IN qua re certum est, posse Prælatum religionis pro anno nouitiatus suspendere executionem quorumcumque votorum nouitij, quæ vel opera religionis, & ordinem impediunt, vel nimium onerosa illa reddere possunt. Quia pro illo tempore nouitius est commissus regimini Prælati religionis, vt eum gubernare possit, prout oportuerit ad finem probandi illum, & vt ipse etiam probare possit religionem: vnde habet omnem iurisdictionem necessariam ad hunc finem.

1

2 Hinc, vota quæ non sunt onerosa vitæ religiosæ, vt sunt votum simplex castitatis, aut obedientiæ secundum illam regulam, aut sunt de exequendis ipsismet exercitiis religionis, vt de seruando silentio, &c. non possunt à Prælato religionis suspendi. Quia cessat ratio adducta.

Secundò etiam est certum, posse Prælatum religionis in votis nouitiorum dispensare, aut ea commutare in exercitia religionis, eo modo quo potest vota laicorum, qui nouitij non sunt: nimirum ex vi priuilegiorum, quibus vota laicorum relaxari possunt.

3 Quia nouitij non sunt peioris conditionis, quam sæculares. Et ita fatentur Sayr. *lib. 6. cap.11. num.92.* Azor. *lib.11. cap.19. q.21.* & Roder. *p.2. cap.91. num.10.*

QVÆSTIO XXVII.

Tota igitur difficultas consistit de directa, & propria dispensatione, qua simpliciter tollitur vinculum voti?

IN hac quæstione, quæ controuersa est inter Doctores duæ celebres sunt opiniones. Prima sustinet non posse, sed hoc pertinere ad Episcopum. Ita Lop. *p.1. cap.47.* Angles *in materia de voto* Azor. *lib.11. cap.19. q.21.* Sayr. *lib.7. cap.11. nu.92.* & Suar. *lib.6. cap.11. num.9.* 1

Secunda verò sententia (cui tamquam probabiliori adhæreo) tenet posse Prælatum religionis in votis nouitiorum dispensare. Ratio est, quia in illos Prælatus habet iurisdictionem Episcopalem, vt optimè tradit Nauarr. *cap.11. num.65.* & ideò est exemptus nouitius, dum est in probatione à iurisdictione Episcopi; nec potest de delictis nouitij cognoscere, nisi nouitius se illi subdat; sed totum hoc pertinet ad Prælatum religionis. 2

Tum quia probabilius est, nouitios gaudere priuilegiis religionis: vt egregiè tradunt Molina *tom.1. de iust. disp.139.* Henriq. *lib.7. de indulgent. c. 22. num.7.* Azor. *tom.1. lib.7. cap.30. & lib.12. cap.2. q.10* & constat ex nostro compendio priuilegiorum *verbo communicatio*; & refertur in compendio Societatis IESV §.5. Et ideò hanc sententiam tuentur Roder. *qq. regul. to.1. q.25. art.8. & 2. p. sum. cap.91. num.10.* Less. *lib.2. c.40. dub.18.* Henriq. *lib.7. de indulg. c.22. n.7.* Sanch. *lib.9. de matrim. d.39.* Corduba *in suo quæstionario lib.1. q. 40.* & multi alij. Et idem tradunt de votorum commutatione. 3

QVÆSTIO. XXVIII.

An Episcopus possit in votis nouitij dispensare?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia cùm nouitius non sit religiosus effectus, nondum plenam exemptionem, & subiectionem regulari Prælato adeptus est: ac subinde potest se Episcopo subiicere, vt cum eo dispenset, aut eius vota commutet. Ita Henriq. *lib.7. de indulg. c.22. n.7.*

QVÆSTIO XXIX.

Quis censeatur proprius Episcopus nouitij?

1 SVAR. *lib.6. cap.11. num. 9.* putat esse Episcopum antiquæ habitationis, quia non censetur nouitius mutasse prius domicilium, cùm non habeat animum perpetuo ibi remanendi, sed experiendi tantum religionis austeritates.

Sed multò verius existimo proprium Episcopum, vt cum nouitio in votis dispenset, esse Episcopum diœcesis in qua nouitius est in probatio-
2 ne. Ratio est, quia nouitius ex parte sua habet animum pertuò ibi permanendi, ac proinde prius domicilium deserendi; & hoc animo affecti omnes religionem ingrediuntur: quamuis nouitiatus sit ad experiendum religionis austeritates; vt si fortè nouitius ferre non potuerit, integrum sit ei egredi, cúmque animum habeat.

QVÆSTIO XXX.

An Prælatus regularis possit iusta de causa cum consensu tamen capituli dispensare, vt professus ex arctiori transeat ad laxiorem?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia id non est dispensare in substantia religionis absolutè, sed in quadam religionis qualitate, hoc est in excessu vnius religionis ad alteram, quod nullibi reseruatur. Ita Sot. *lib.7. q.3. art. 1.* Nauarr. *comment.4. de regular. num.22.* Henriq. *lib.7. de indulg. ca.22. num.7.* Arag. 2.2. *q.88. art.8.* Roder. 2. *p. cap.91. num.4.* Sayr. *lib.6. ca.11. num. 90.* Azor. *lib.11. cap.22. q. 12.* Suar. *lib.6. cap.10. num.16.* & alij. 1

QVÆSTIO XXXI.

An religionum Prælati possint dispensare in votis suorum subditorum de eorum licentia factis?

RICHARD. *in 4. dist.38. q.3 art. 4.* dubitat: ait enim tutius esse alium superiorem adire. 1

Cæterùm absque dubio dicendum est, posse, quia siue ea licentia præiudicet potestati dominatiuæ, siue non; nullo tamen modo præiudicat spirituali, à qua dispensatio pendet, cùm vtraque potestas sit valde diuersæ rationis. Et ideò ita teneat Caietan. 2.2. *q.88. art.8.* Suar. *lib.6. cap.10. num.18.* & Arag. 2.2. *q.88. art.8.* 2

QVÆSTIO XXXII.

An Prælati regulares possint dispensare in voto quod religiosus emisit de non committendo aliquod peccatum, vt de non mentiendo, de non occidendo, &c.

IN qua re conuenit inter omnes posse Prælatum id votum commu- 1
tare,

tare, vt etiam testatur Caietan. 2. 2. *q.*88.*art.*8.

Sed dubium est, An possit in eo voto dispensare.

2 Angles *floribus* 2. *p. q. vnica de voto ar.*7.*diff.*2.*in* 3.*conclus.* negat.

3 At dicendum est posse. Ratio est, quia etsi Religiosus non subdatur Prælato quoad obligationem vitandi peccata; subditur tamen quoad nouam obligationem, quam per votum sibi imponit. Et ideò ita sentiunt Arag.2.2.*q.*88.*art.*8.Sayr.*lib.*6.*cap.*10. *num.*8. & Roder. 2.*p.summ. cap.* 19. *num.*5.

QVÆSTIO XXXIII.

An Prælati Regulares possint dispensare cum Religiosis factis Episcopis, aut alias exemptis, aut in perpetuum iustè eiectis?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia hi omnes sunt extra eorum obedientiam, & potestatem. Secus si sunt eiecti ad tempus, donec corrigantur; vel vt delicti pœnas luant; aut sunt damnati ad tempus triremibus; aut qui ex licentia extra Monasterium commorantur. Quia hi omnes manent subditi.

QVÆSTIO XXXIV.

An Prælati nostræ Congregationis possint dispensare in votis volentium eandem cõgregationem intrare?

1 RESPONDEO posse virtute cuiusdam priuilegij concessi ab Eug. Papa IV. Monachis sancti Benedicti Congregationis Casinensis, alias sanctæ Iustinæ de Padua anno 1436. Pridie Kal.Iulij; vbi superiores dictæ Cõgregationis possunt dispẽsare cum omnibus, & singulis præsẽtibus, & futuris intrare volentibus in eandẽ congregationem, in omnibus, & singulis votis peregrinationis ētiam vltramarinæ, & Apostolorum Petri, & Pauli & sancti Iacobi, & quibusuis aliis votis, etiam si talia sint, propter quæ sedes Apostolica meritò sit consulenda: & ea in alia pietatis opera commutare, voto religionis duntaxat excepto, quandiu sub obedientia dictæ Congregationis vixerint.

QVÆSTIO XXXV.

An Romanus Pontifex possit in votis Religiosorum dispensare?

ET quidem, loquendo de votis simplicibus Religiosorum, certum est, posse Romanum Pontificem in eis dispensare, non solùm quatenus est generalissimus omnium Religiosorum Prælatus; sed quatenus est vniuersalis Ecclesiæ Pastor. Quia vtroque modo subiiciuntur omnes Religiosi spirituali eius potestati. Sot. *lib.* 7.*q.*3.*art.* 1.& Cord.*lib.*4.*sui quæstionarij q.*1.*proposit.*8. 1

QVÆSTIO XXXVI.

Sed totum controuersiæ dissidium consistit de voto solemni religionis: An videlicet Romanus Pontifex possit cum Religioso in tribus votis solemnibus dispensare, ita quod Religioso de licentia Romani Pontificis liceat à Monasterio exire, vt vxorem ducat, proprium habeat, ac nulli sit in particulari subiectus?

D. Thomas 2.2.*quæstion.*88.*art.*11. quem ferè omnes Thomistæ sequuntur, 4

sequuntur, negat posse Romanum Pontificem dispensare cum Religioso in aliquo horum trium votorum essentialium, quæ promittit Deo in professione solemni; quia hæc vota sunt essentialia,& intrinseca veræ, & perfectæ religioni.

Tum quia per solemnem professionem Religiosus consecratur,& totaliter mancipatur cultui diuino: sed Romanus Pontifex facere non potest, vt quod semel est Deo consecratum,
2 non sit consecratum: sicut non potest facere,vt calix consecratus, desinat esse consecratus si maneat integer:ergo nec facere potest, vt ille qui est Religiosus, non sit religiosus, hoc est, vt Religiosus non sit votis religionis adstrictus.

Tum quia *extra.de statu Monachorum, in fine illius decretalis. Cum ad Monasterium*, dicitur: *Abdicatio proprietatis,sicut & custodia castitatis adeò est annexa Regulæ monachali, vt super ipsam, neque summus Pontifex valeat indulgere.*

Sed his non obstantibus, concors est Theologorum, & Canonistarum sententia, posse Romanum Pontifi-
3 cem dispensare in solemnibus Religionis votis obedientiæ, paupertatis, & castitatis ex iusta, & graui causa, propter commune bonum, & communem totius Ecclesiæ vtilitatem, pro alicuius Regni reparatione, conuersione,aut pace, quæ non aliter fieri,aut sperari ita commodè valet. Ratio est, quia vna ex præcipuis rationibus dispensandi in quolibet voto est, si illud sit impeditiuum maioris boni: vt pote si per id periclitetur bonum totius multitudinis, aut per contractum matrimonium alicuius Religiosi,aut fœminæ sanctimonialis, posset pax,& tranquillitas totius Regni sperari & procurari: ergo in tali casu licita erit huiusmodi dispensatio, quia bonum commune sit fortius, atque diuinius & præferendum cuicumque bono priuato. Vnde vt *in cap. Non mediocriter de consecrat.dist.5.* dicitur. *Non mediocriter errant,qui bono magno praeferunt mediocre bonum.* Sempérque cauendum est,vt admonet B. Bernardus *in libro de praecepto*, ne quod pro charitate institutū est, contra charitatem pugnare videatur. At certè contra charitatem faceret qui votum solemne Religionis cōmuni Ecclesiæ bono, accedente Romani Pontificis authoritate præferret; cum in persona Ecclesiæ scriptum sit Cant. 2. *Ordinauit* 4
in me charitatem.

Tum quia Pontifex potest relaxare votum simplex Religionis, vt omnes Doctores fatentur: ergo & solemne. Probo consequentiā, quia solemnitas voti solo Ecclesiæ decreto est introducta,vt expressè definitur *in cap.vnico de voto in 6.*ergo summus Pontifex si subsit iusta causa, potest in eo dispensare. Quia potest suum decretum relaxare.

Tum quia Pontifex potest dispensare in voto solemni Clericorum, vt etiam D. Tho. communiter receptus testatur:ergo etiam poterit dispensare in voto solemni religionis. Probo consequentiam, quia cum vtrumque sit solemne, æqua debebit esse vtriusque ratio.

Et confirmatur:multæ historiæ tra-
dunt Romanum Pontificem de facto 5
cum multis Religiosis dispensasse, vt matrimonium contraherent. Primò cum Nicolao Iustiniano Monacho in Monasterio S. Nicolai Ordinis S. Benedicti,ad instantiam Vitalis Venetorum Ducis, dispensauit Alexander III. vt posset vxorem ducere Annam, scilicet, dicti Ducis filiam ne familia tam illustris extingueretur. Ex qua sex filios masculos, & tres filias genuit. Qui tamen post infinitas gratias Deo

Deo peractas, ad Monasterium rediit, miraculis postea clarus. Vt habetur *in vita S. Laurentij Iustiniani*, & apud Volaterranum *lib.4.Historiæ*.

Secundò cum Ramiro filio Santij Regis Aragoniæ, qui cùm esset Monachus professus in Monasterio S. Pontij de Tomeriis in Territorio Narbonensi, & deinde Abbas Mona-
6 sterij SS.Facundi, & Primitiui in Hispania, & postea Pompelonensis Episcopus, & eius pater sine filiis obiisset, Romani Pontificis authoritate est votis Monasticis solutus, vt relicta Religione, Regnum susciperet, & vxorem duceret Agnetem Guillelmi Comitis Pitauiensis sororem. Qui cum vitæ sanctitate Religionem coniunctam habens, & S. Patris Benedicti habitum sub vestibus regalibus continuè gessit; Monasteria multa construxit, totúsque in operibus pietatis manens, tandem in Monasterio S.Petri veteris ab ipso in Osca ciuitate constructo,ac Monachis S.Benedicti donato, Regni resignatione Petronillæ filiæ prius facta anno 1137. reliquum vitæ, in habitu monastico & pœnitentia peregit, mortuusque est anno Domini 1147. vt Lucius Marineus Siculus *lib 8.de memorabilibus Hispaniæ cap.vlt.* Ioannes Vaseus *in chron.cap.* 18. Petr.de Palud. *in.* 4. *d.*38.*q.*4.*art.*4. & plerique alij annotarunt.

Tertiò, cum Constantia filia Rogerij Regis Siciliæ, & Neapolis Moniali professa in Monasterio Panormitano,vt nuberet cum Henrico sexto Federici Imperatoris filio, dispensauit Cælest.III. vt refert Platina in vita eiusdem Cælest.

7 Quartò cum Casimiro filio Regis Poloniæ, qui cum esset Monachus professus in Monasterio Cluniacensi, prope Matisconem; authoritate Clementis Papæ huius nominis secundi, votis monasticis solutus,& ad regnum suorum maiorum euectus, vxorem duxit,& liberos procreauit,Regnúmque, & populum sibi commissum per 18. annorum spatium tam bene rexit, vt moriens 4. Kal. decembris 1058. conspectu diuino beari meruerit. Vt testatur Mart. Chromerus *lib. 4. de orig.& reb.gestis Polonorum*, qui addit, quod pro hoc beneficio agnoscunt Poloni tria præcipua, & egregia sibi fuisse à Romano Pontifice iniuncta. Primum est, vt singuli exceptis nobilibus, seu equitibus & qui sacris addicti sunt, quotannis obolum vnum in lucernam perpetuò in Ecclesia S. Petri Romæ arsuram penderent, qui etiam nunc S.Petri nummus vocatur.

Secundum est, vt omnes Poloni rotunda in modum Monachorum, tonsura capillorum vterentur,nec infra auriculas more barbarico quisquam omnino comam nutriret.

Tertium est, vt in festis solemnibus dum sacra fiunt, singuli equites fasciam lineam candidam in modum stolæ, qua in sacris vtuntur sacerdotes, à collo suspensam ferrent.

Quintò, & vltimo, cum fratre Illustrissimi Card. Ioyosæ Galli sacerdote professo, & Prouinciali ordinis Capucinorum dispensauit Greg.XIII. 8
& ideò ita sentiunt Sot.*in* 4.*d.*38.*q.*3. Caietan.2.2.*q.*88.*art.*11.Mich.à Med. *lib.*1. *q.* 24. Nauarr. *cap.* 12. *num.* 75. Couar.*cap.2.de testam.nu.*10. Valent. 2.2.*d.*6.*q.*6.*p.*7.Azor.*lib.*12.*cap.*7.*q.*1. Less.*lib.*2.*ca.*4.*dub.*5 Cord.*lib.*1.*quæst.* *q.*14.Emm. Sa *verb.votum.num.*13.

Hinc, qui ita ex vrgentissima causa authoritate Romani Pontificis est votis monasticis solutus,mortua vxore, & cessante iam causa dispensationis non tenetur ad Monasterium redire. Quia obligatio semel extincta non amplius reuiuiscit.

Et ad fundamentum D. Thom.

respondeo quod quamuis tria vota sint essentialia, & intrinseca Religioni, nec ab ea possint separari; potest
9 tamen efficere summus Pontifex ex vrgentissima causa, vt qui antea erat Monachus,non sit, & sic vxorem ducat, proprium habeat,& nulli in particulari sit subditus.

Et ad *cap.Cum ad Monasterium* respondeo primò,respõsum illud Innoc. intelligi non de Romano Pontifice, sed de Episcopo. Pro cuius intelligentia, nota primò, olim Religiosos omnes fuisse Episcopis subiectos vt
10 habetur ex Conc. Niceno *Can.*14. & refertur *in cap. Quidam* 15. *q.* 2. & quantũ coniici potest ex Conc.Later. *can.*12. huius Episcopalis subiectionis iugum tempore Innoc.III.perdurabat.

Secundò nota, in Europa, & Asia Episcopos olim summos sacerdotes, summósque Pontifices apud antiquos patres fuisse appellatos: vt expressè habetur ex Anacleto Papa *epist.* 2. *ad Episcopos Italiæ*, & Melchiade Papa *in epist. ad Hispanos Episcopos*,& tradit Isid.*lib.*7.*etymol.cap.*12.quo posito, dico illa verba Innoc.prædicti *cap.Cum ad Monast.*Nec summus Pontifex potest indulgere, intelligenda esse de Episcopo, non autem de Romano Pontifice.

11 Secundo respondeo Innoc.Papam eo in loco, hanc facultatem cum Monacho dispensandi,Romano Pontifici denegasse,Monacho manente in statu monachali; id enim Romanus Pontifex non potest efficere.1. proprietatem cum paupertatis voto, matrimonium cum voto castitatis, & libertatem cum obedientiæ voto vna, & simul coniungere. Non tamen ibi Romano Pontifici, potestas denegatur, quo minus possit id facere successiue, ex aliqua vrgentissima causa,faciendo de Monacho non Monachum, & sic exemptum à Religione, vxorem ducere,proprium habere,& nulli in particulari esse subiectum. Et hæc interpretatio ex dicti cap. contextu apertè colligiturquia ibi Innoc.contra illum Abbatem Sublacen. qui existimabat ipsum habere facultatem concedendi Monacho,vt haberet proprium sic argumentatur.Pontifex non potest cum Monacho in hoc dispensare; ergo neque Abbas. At ibi non fuit dubitatum an Abbas posset Monachum facere non Monachum, sed tantum an posset Monacho tali existenti proprietatem aliquam indulgere,quod Innocentius negat,ea motus ratione, quia hoc nec Romanus Pontifex potest Monacho tali permanenti indulgere; quia implicat contradictionem, quod quis voto solemni integro teneatur, & quod quis incapax dominij rei pecuniariæ sit, & quod fiat dominus talis rei. Ratio huius est, quia votum paupertatis est de essentia & substantia Religionis,vt cum D.Thom. omnes Doctores fatentur: at sublata alicuius rei essentia, certum est rem ipsam perire.

Tertiò respondeo,Innocentium eo 12
in loco non id definiuisse,sed tãquam Doctorem illius fuisse opinionis, & alios Pontifices contrarium sensisse, & in huiusmodi votis, ex causa vrgentissima dispensasse. Vnde miror Syluest.*verbo votum* 4. *q.*5. & Sot.*lib.*7.*q.*4.*art.*2.qui ausi sunt negare huius rei veritatem, aut summos Pontifices ita cum eis de plenitudine potestatis, non de iure dispensasse: aut eos nondum fuisse professos,sed nouitios:aut eos non vsque adeò spontaneè solemniter vouisse: aut quod peius est,hæc cum scandalo totius Christianitatis fecisse.

Demum obiicies D. Thomæ authoritatem,qui *in* 2.2.*q.*88.*art.*11.docet Romanum Pontificem non posse votum solemne.Religionis relaxare.

Respon

13 Respondeo ipsi sancto Thomæ, ipsummet sanctum Thomam opponimus, qui *in 4. dist. 38. q. 1. art. 4. quæstiuncula 1. ad* 3. disertis verbis fatetur summum Pontificem posse in voto solemni religionis dispensare.

Profectò nunquam persuadere mihi potui, S. Thom. hanc facultatem summo Pontifici negasse; sed solùm docuisse, fieri non posse authoritate
14 summi Pontificis, vt quis sit religiosus, & liber, & coniux, & dominium habeat: pugnat enim cum natura Religionis, libertatis, coniugij, & dominij vsus. At Pontificia authoritate fieri potest, vt religiosus desinat esse Religiosus, & sic sit liber, coniux, & proprietarius.

QVÆSTIO XXXVII.

An legatus Apostolicus possit in votis simplicibus Regularium dispensare?

1 RESPONDEO posse, si sit à latere, quia solus legatus à latere est legitimus Religiosorum superior. Ita Henriq. *lib. 6. de pœnit. cap. 16. num.* 8.

QVÆSTIO XXXVIII.

An Episcopus loci possit in votis Religiosorum dispensare?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia ab eius iurisdictione sunt exempti, & immediatè sedi Apostolicæ subiecti.

QVÆSTIO XXXIX.

An Regulares possint ex licentia suorum superiorum se Episcopo subiicere, vt ab eo absoluātur, & dispēsentur in omnibus casibus, & irregularitatibus etiam reseruatis in quibus Episcopus ex Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. ***potest cum suis subditis?***

IN hac graui, & perdifficili quæstione, certissimum est, & omni dubio procul, posse religiosos ex superioris licentia potentis in his casibus absoluere, aut dispensare, se subiicere non solùm Episcopo, sed etiam cuicumque capaci potestatis absoluendi, & dispensandi. Quia tunc nulla opus est cessione exemptionis, cum ille tanquam delegatus à superiore, & eius vices gerens absoluat, aut dispenset. 1

QVÆSTIO XL.

Quæstio ergo quam hic inquirimus est, quando superior non poterat absoluere, nec dispensare?

ET quidem etiam certissimum est, Religiosos fruentes priuilegiis Mendicantium posse virtute eorum priuilegiorum se subiicere Episcopo, vt eos absoluat, & cum eis dispenset, obtenta superioris licentia. Quia vt Corduba *in compendio priuilegiorum Mendicantium in suis addit. verb. absolutio ordinaria quoad fratres* §. 1. testatur, diuersa reperiuntur Pontificum priuilegia concedentia hanc subiectionem Episcopo de superioris licentia faciendam, vt ab ipso impetretur absolutio. 1

QVÆSTIO XLI.

Sed quæstio tota est: An secluso priuilegio religiosus exemptus possit de licentia superioris subiici Episcopo, vt ipsum absoluat, aut cum eo dispenset?

1 RODER. *tom.1.qq.regul.q.36.ar.5. & tom.2.q.63.art.10.* & Suar.*lib. 6.cap.11.num.7.* absolutè negant.

Sed quamuis sententia hæc sit valde probabilis, probabiliorem tamen iudico contrariam, nimirum id fieri posse. Ratio est, quia exemptio religiosorum est potissimum inducta in fauorem religionis, vt eius religiosi
2 quietiùs Deo famulentur, & ne passim ab ordinariis perturbentur; vnde in iis quæ quietem, & fauorem religionis concernunt, non debent esse peioris conditionis, quàm non exempti. Nec est rationi cõforme, vt exemptionis priuilegium in hoc casu contra eius finem operetur. Quare in his fauorabilibus censetur per τὴν ἐπιείκειαν tota religio consentire. Et ideò hanc partem tuentur Molina *tom.4.de iust. disp.61.num.4.* Henriq. *lib 6.de pœnit. cap.16.num.8. & lib.10. de sacramento ord.cap.20.num.2.* & Roder. sibi contrarius *p.1.cap.131.num.2.*

Censetur autem regularis tacitè habere licentiam sui Prælati quando Prælatus est impeditus, quia nominatim denunciatus, aut longè abest, aut
3 si mortuus est, aut iniustè negat licentiam, quia per τὴν ἐπιείκειαν non est censendum voluntatem summi Pontificis, & religionis esse, vt Episcopus in eo euentu non absoluat, & cogatur regularis vagari pro obtinenda absolutione. Ita Henriq. *lib. 6. de pœnit. cap.16. num.8.* & Molina *tom.4. disp. 61.num.5.*

QVÆSTIO XLII.

An Prælati religionis possint seipsos subiicere Episcopo, vt ab eo absoluantur, & cum eis in votis dispenset?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia possunt vti licentiis, quas subditis concedere possunt. Ita Henriq. *lib.7. de indulg.cap.25.num.2.* Suar. *to.5.in 3. p.d.41.sect.2. num.12.* & Auila *de censuris 2.p.c.7.d.1.*

QVÆSTIO XLIII.

An Prælati regulares dispensare possint cum seipsis in casibus, in quibus dispensare possunt cum sibi subditis?

NOTANDVM, duplicem esse dispensationem: quædam est propriè dicta, quæ est vera iuris relaxatio, actúsque iurisdictionis. Alia, impropriè, quæ potius dicitur licentia quædam seu facultas, quàm relaxatio iuris; vt quando Regula non interdicit aliquid absolutè, sed fieri absque superioris licentia: tunc superior licentiam concedens non relaxat regulæ præceptum, sed solam conditionem petitam in Regula apponit; nec licentia illa est propriè actus iurisdictionis, sed cuiusdam superioritatis. 1

Et quidem si de hac impropria dispensatione loquamur, certum est primò posse Prælatos secum dispensare vtendo nimirum licentiis, quas dare possunt suis subditis, ne sint peioris conditionis, quàm subditi. Ita D.Tho. 2 *2.2.q.185.art.8.* & Roder. *tom. 1. qq. reg.q.45.art.vltimo.*

Secundò, quando Prælati dispensant in vniuersum cum subditis in aliqua lege ex iusta causa, certum est hanc dispensationem ad ipsos quoque Prælatos extendi: vt si Prælatus religionis iusta de causa dispenset, vt totus conuentus carnes comedat, vt non ieiunet, &c. poterit quoque eadem dispensatione vti. Sicut D.Thom. *in.4.dist.10.q.vnica art. 5.* admittit Prælatos concedentes generaliter indulgentias posse illis frui. 3

Quia

Quia hoc non est directè vti iurisdictione in seipsum, sed indirectè vtendo dispensatione in vniuersum concessa.

Tertiò etiam est certum, posse Prælatos alicui ex subditis dare facultaté, vt cum ipsis dispenset in omnibus casibus, in quibus, ipsi possunt cũ subditis; ne deterioris conditionis subditis sint. Sicut suo confessario possunt dare facultatem, qua ipsos absoluat à peccatis etiam reseruatis: vt habetur *ex cap. fin. de* pœnit. & remission. In quo casu confessor non accipit iurisdictionem à Prælato, qui cum illam non habeat, neque illam ei communicare poterit, sed illam accipit communicatam ei à superiore, mediante tamen illius Prælati electione talis personæ, vt secum dispenset. Similiter confessarius à Papa electus, potest cum ipso in votis dispensare, non potestate à Papa ipso accepta, sed à Deo mediante tamen Pontificis electione, prout etiam in absolutione à peccatis contingit, quo in casu Pontifex non tribuit Sacerdoti authoritaté absoluendi supra seipsum.

QVÆSTIO XLIV.

Sed quod in dubium vertitur est: An possint Prælati secum directè, verè, ac propriè dispensare in omnibus in quibus possunt cum subditis?

1 IN qua re etiam conuenit, non posse Ecclesiasticos Prælatos secum dispensare in iis, in quibus iure diuino personarum distinctio requiritur. Vnde nemo potest se baptizare, confiteri, à peccatis absoluere, ordinare, &c. Quia in his ex Christi institutione distinctio personarum requiritur. Quare eodem fundamento non poterunt seipsos excommunicatione, suspensione, vel interdicto afficere.

QVÆSTIO XLV.

Difficultas autem est in aliis, in quibus id non est iure diuino interdictum.

SAYRVS *lib. 6. cap. 11. num.* 107. & Suar. *lib. 6. cap. 11. num.* 4. absolutè negant. Quia nemo potest esse iudex in sua propria causa, nec superior sibi ipsi. 1

Tum quia inter dantem, & recipientem debet esse distinctio personarum, & proinde inter agentem, & patientem: ergò inter dispensantem, & dispensatum. Vnde nec Papa secum, nec Episcopus, vel Prælatus regularis secum dispensare valet.

Henriq. *lib. 6. de pœnit. cap. 4. nu. 3. & cap. 7. num. 5. & lib. 7. de indulgent. cap. 28. num.* 1. Azor. *lib. 5. cap. 15. q. 6.* Roder. *tom. 1. qq. regul. q. 45. art. fin.* & Cordub. *in addit. ad compend. priuileg. Mendic. verbo accedere ad monasteria monialium, ad finem* id soli Pontifici concedunt. Quia in Prælatis aliis inferioribus non inuenitur plenissima potestas, qualis est in Pontifice: nec vrger necessitas in eis, quæ cogit Pontificem vt secum dispenset: hic enim caret superiore, at illi Pontificem habent. 2

Alij vero rectius docent, omnes Prælatos habentes iurisdictionem ordinariam dispensandi in votis & aliis rebus cum subditis, posse quoque directè secum dispensare in eisdem: immo & habentes iurisdictionem delegatam dispensandi in vniuersum cum aliqua communitate, cuius ipsi sunt partes, possunt in iisdem rebus secum quoque directè dispensare. Ratio est, quia hic non requiritur di- 3

Ee 3 stinctio

ſtinctio perſonarum propter ſpecialem inſtitutionem, ſicut in abſolutione ſacramentali: nec etiam requiritur propter vſum iuriſdictionis, quia in iuriſdictione voluntaria non eſt inconueniens eumdem operari in ſeipſum, ſicut de indulgentiis dictum eſt.

Tum quia ſicut Prælati poſſunt diſpenſare eum ſuis ſubditis in legibus etiam ſuperioris, quando id eis permittitur, vt in lege ieiunij, eſus carnium, audiendi ſacri, recitandi officij; ita in eiſdem poſſunt diſpenſare. Non enim hic plus iuriſdictionis requiritur in ſeipſum, quàm ibi.

4 Tum quia Papa poteſt ſibiipſi cõferre indulgentias abſoluendo ſe à debito pœnę, etiam iniunctæ vt docet D. Thom. *in 4. diſt. 20. q. vnica art. 5.* Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 22.* ergo etiam poteſt ſecum diſpenſare in votis, & aliis, in quibus poteſt eum ſubditis. Et ideo huius ſententiæ ſunt in primis D. Thom. loco citato vbi dicit, neminem poſſe ſeipſum excommunicare, quia excommunicatio fertur per modum ſententiæ, quam nemo in ſeipſum ferre poteſt, cum idem non poſſit eſſe iudex & reus; poſſe tamen ſibi dare indulgentias, quia indulgentia non datur per modum ſententiæ, ſed per modum cuiuſdam diſpenſationis. Ex quibus verbis colligitur poſſe etiam Prælatum ſe eximere ab obligatione ſui voti: quia hęc eſt propriè diſpenſatio.

Greg. de Valent. 4. *p. diſp. 7. quæſt. 20. p. 3.* aſſerens Prælatum obtinere poſſe indulgentias ab ipſo conceſſas, 5 eam reddit rationem. Quia licèt is ſit actus iuriſdictionis, non eſt talis, qui vim coactiuam exerceat, ita vt neceſſarium ſit, eum exerceri circa aliquem alium.

Molina *tom. 1. de iuſt. diſp. 248.* dicit ſic: Superiorem monaſterij quas facultates, & diſpenſationes pote aliis concedere, iiſdem poſſe vti.

Emman. Sà *verbo religio nu. 47. Prælati*, inquit, *in religione poſſunt ſecum diſpenſare, ſicut cùm ſubditis.*

Caietanus 1. 2. *quæſt. 96. art. 5.* & Sot. *in 4. diſt. 18. quæſt. 1. art. 5.* docent ſuperiorem poſſe diſpenſare ſecum in lege ieiunij, & aliis, in quibus poteſt 6 cum ſuis inferioribus, ne ſit deterioris conditionis, quàm ſubditi: quare poterit etiam in votis, & aliis in quibus poteſt cum ſubditis, cùm ſit eadem ratio. Eandem ſententiam ſequuntur Durand. *in 4. d. 20. quæſt. 4. num. 10.* Palud. *in 4. diſt. 38. quæſt. 4. art 4.* Couar. *cap. Alma mater 1 p. §. 1. num. 7.* Henriq. *lib. 6. de pœnit. cap. 4. num. 3. & lib. 7. de indulgent. cap. 28. nu. 1.* & plerique alij.

Ex quo ſequitur, non ſolum Romanum Pontificem, ſed etiam Epiſcopos, & Prælatos regulares, qui toti congregationi, aut conuentui præſunt, vt ſunt Generales, Prouinciales, Priores, Præpoſiti, Rectores, 7 Guardiani & ſimiles: immo etiam Vice-Priores, & vice-Rectores, qui in abſentia aliorum regunt, poſſe ſecum diſpenſare in omnibus, in quibus poſſunt cum ſuis ſubditis. Quia hi omnes iuriſdictione Epiſcopali funguntur, & ſunt Paſtores ordinarij ſuorum ſubditorum, & non debent eſſe in hoc peioris conditionis, quàm ſubditi, cum quibus ipſi diſpenſare poſſunt.

Hinc, qui limitatam poteſtatem habet diſpenſandi eum certis perſonis, non poteſt in iiſdem rebus ſecum diſpenſare. Ratio eſt, quia po- 8 teſtas illa non extenditur vltra conceſſionis limites. Cum ergo ſit ad certas perſonas, in quibus ipſe non comprehenditur, non poterit ea vti erga ſeipſum.

Qvæst.

QVÆSTIO XLVI.

Quæ, & quotnam ſint vota Romano Pontifici reſeruata?

1 DOCTOR Angelicus 2.2.*q*.88. *art*.12.*ad* 2. ait de iure duo vota eſſe reſeruata Papæ, nimirum caſtitatis, & ſubſidij terræ Sanctæ. Et ſub nomine caſtitatis,vt rectè notat Suar. *lib*.6. *cap*.21. *num*.3. religionis votum comprehendit, de quo in aliis locis ſtatim citandis mentionem facit.Duas autem peregrinationes omiſit,quia vt ait Sot. *lib*.7.*q*.4.*art*.3. *ad* 3. ſuo tempore fortè non erant reſeruatæ. Et *quæſt*.185.*art*.4.*& quæſt*.189. *art*.6.*&* 7.*& in* 4.*diſt*.38.*quæſt*.1. *art*.4.*quæſt*.2. idem D. Tho. tenet omnia vota perpetua eſſe Papæ reſeruata.Quod Illuſtriſſimus Caiet.2.2.*q*.88.*art*.12.*ad* 3. intelligit de votis quæ per ſe, & natura ſua ſunt perpetua, qualia ſunt caſtitatis,& religionis,non autem de votis quæ ex intentione vouentis, & quaſi per accidens perpetua ſunt, vt cum quis vouet perpetuam orationem,vel ieiunium.

Richar.*in* 4.*diſt*.38.*q*.2.*art*.9. docet
2 ſola tria vota.ſ.caſtitatis perpetuæ,religionis, & peregrinationis Hieroſolymitanæ Papæ reſeruari.

Angelus *verbo votum* 4.*num*. 6. & Viuald.*candel.ſacram*.3.*p*.*cap*.14.*num*. 63. dicunt ſola vota caſtitatis, & religionis ſemper Romano Pontifici reſeruari:at vota peregrinationum Romanæ Compoſtellanæ, & Hieroſolymitanæ non ſemper,ſed ſolùm quando in eorum locorum ſubſidium emittuntur: ac proinde eſſe Epiſcopo reſeruata, quando gratia ſolius deuotionis fiunt. Hoc idem dicunt lo-
3 quentes de peregrinatione Hieroſolymitana Graff.2.*p*.*deciſ*.*lib*.2.*cap*.31. *num*. 21. & Emman. Sà *verbo votum vbi de votorum irritatione num*. 11. *& verbo iuramentum num*.33.

At concors eſt aliorum Doctorum ſententia hæc quinque non ſolùm quoad diſpenſationem,ſed etiã quoad commutationem eſſe Romano Pontifici reſeruata, nempe votum Religionis, votum perpetuæ caſtitatis, votum peregrinationis Romanæ ad limina Apoſtolorum ſanctorum Petri, & Pauli, votum peregrinationis Hieroſolymitanæ ad viſitandum ſanctum Dei ſepulchrum, (quod voca- 4
tur vltramarinum) & votum peregrinationis compoſtellanæ ad inuiſendum D. Iacobum. Et quamuis iure ſolùm inueniatur reſeruatum votum Hieroſolymitanum, quando in eius loci ſubſidiũ fit,vt patet *ex c. multa de voto*:at ſtylus curiæ Romanæ iam extendit, vt ſit quoq; reſeruatum quando cauſa ſolius deuotionis emittitur. Sic colligitur *ex extrauag. Etſi dominici* 2. *de pœnit*. *& remiſſ*. vbi excommunicantur qui prætextu confeſſionalium Sixti 4. abſque ſpeciali ſedis Apoſtolicæ licentia prædicta vota commutare præſumunt. Vbi Pontifex non reſeruat hæc vota,ſed ſupponit ea eſſe reſeruata. Ratio autem,ſeu conuenientia huius reſeruationis ſumenda eſt ex illo principio, *quod grauiores cauſæ meritò ad ſummum Pontificem referuntur*: hæc autem ſupradicta,ſunt huiuſmodi:ergo ſummo Põtifici reſeruantur. Et ideò ita tenent Sot.*lib*.7.*q*.4. *art*.3. Nauar.*c*.12.*num*. 79.Arag.2.2.*quæſt*.88. *art*.12. Roder. 2.*p*.*ſumm*. *cap*. 99. *num*. 2. Leſſ. *lib*.2. *cap*.40. *dub*.18. *num*.121. Azor.*lib*.11. *cap*. 18. *quæſt*.4.& Suar. *lib*.6. *cap*. 21. *num*.4. *&* 5.

Hinc, non ſatis circumſpectè dixiſſe Sayrum *libro* 6. *capite* 11. *num*.35. *&* 36.iure quoque communi hæc quinque vota Papæ. reſeruari. Quia

5 Quia nullus est in iure textus, qui hęc vota reseruet, præter votum vltramarinum in eius loci subsidium. Nec in prædicta *Extrauag. etsi dominici* reseruantur, vt diximus.

Hinc, non rectè dixisse Azorium *lib.*11.*c.*19.*q.*3. in iure solùm expressè reseruari votum vltramarinum: at quia causæ arduæ àd Papam deferendæ sũt *C. maiores de baptismo*; & huiusmodi sunt vota Religionis, & castitatis; censeri hæc quoque tacitè in iure
6 reseruari. Quia ille textus non agit de votorum dispensatione: vnde virtute illius non censentur hæc vota reseruata.

Hinc, non est audiendus Nauar. *in sum. hisp. cap.*12. *num.*78. qui his quinque votis reseruatis addit votum applicandi bona incerta in subsidium terræ sanctæ. Quia nec textus, nec ratio, nec consuetudo probat hanc re-
7 seruationem esse extensam ad votum dandi bona incerta in terræ Sanctæ subsidium; ergo non est asserendum; aliàs etiam esset dicendum omne votum faciendi eleemosynam locis piis terræ sanctæ esse reseruatum Papæ. Et *caput, Magna* quod pro eo adducitur, de solo peregrinationis voto in subsidium terræ sanctæ loquitur.

Hinc, non est approbandum quod ait Abulen. *cap.*10. *Num. q.*108. nem-
8 pe esse Papæ reseruatum votum assumendi crucem in qualibet expeditione, quam Pontifex fecerit. Quia id nullo iure, nec consuetudine comprobatur.

Hinc, nec est audiendus Nauar. qui *comm.*1. *de Regul. num.*21. iis supradictis votis addit votum visitandi Domum gloriosam gloriosissimæ virginis Mariæ Lauretanam. Quia id nulla firma ratione probatur. Et quamuis Suar. *lib.*6.*c.*21.*nu.*14. nouum appellet
9 & valde singulare præfatum Nauarri assertum, nec se vidisse exceptionem aliquam fieri eiusmodi voti in aliquo priuilegio, vel diplomate; manifestè tamen constat de reseruatione prædicta tempore Greg. 13. qui in quodam Breui sub die Martij Pontificatus sui anno 4. concessit oratorio Vallicellæ vrbis commutationem votorum, excepto tamen prædicto Lauretano, & aliis quinque solitis. Nunc autem reseruationem prædictam non attendi in praxi testatur Azor. *lib.* 11. *cap.*10. *quæst.*4.

QVÆSTIO XLVII.

An qui absque Romani Pontificis licentia in his quinque votis reseruatis dispensat, ac ea commutat, sit ipso iure excommunicatus?

RESPONDEO eum esse ipso 1
iure excommunicatum, si prætextu confessionalium à Sixto 4. concessorum, aut in posterum concedendorum in eis dispenset, vel ea commutet: vt habetur ex illis verbis *extrauag. etsi dominici. Prætextu facultatum huiusmodi concessarum à nobis, aut authoritate nostra, quas quomodolibet concedi continget.* Ita Suar. *to.*5. *in* 3. *p. d.*22. *sect.*5. *nu.*28. Verùm, vt bene Nauar. annotauit, extrauagans illa nullius ferè est, quoad hoc momenti: cùm confessionalia illa Sixti 4. cessauerint. Immo verò qui in dictis votis, prætextu confessionalium Sixti 4. dispensaret, non propterea incurreret excommunicationem. Quia ibi non agitur de dispensatione, sed de commutatione. Et licèt minus sit commutare, quàm dispensare; non tamen facienda est in hac parte consequentia ab vno in aliud, cum inhærendum sit verbis canonis prædictæ extrauag. & in pœnis talis interpretatio facienda

est,

est, vt non excedant proprium casum *cap. Pœna.* Et facit Regula, *Odia.de reg.iuris in 6.*

QVÆSTIO XLVIII.

An possit augeri numerus votorum reseruatorum ex voluntate, & intentione voventis. Perinde est, ac si quæreretur: An possit quis ita se voto suo obligare, vt intendat nullum posse in suo voto dispensare præter Pontificem?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia nullus inferior potest sua voluntate arctare superioris potestatem.

Tum quia in peccatis non potest quis facere, vt peccatum suum sit reseruatum, etiam si id intendat, vel promittat: idem ergo est in votis, quia est eadem ratio. Ita Sayr. *lib.6.cap.21. num.15.*

QVÆSTIO XLIX.

An concessio absoluta omnium votorum à Romano Pontifice facta, extendatur ad huiusmodi quinque reseruata?

1 IN qua re certum est, hanc concessionem non extendi ad votum Religionis, & castitatis.

Sed quod in dubium vertitur est, de aliis tribus votis reseruatis.

Sotus *lib.7.q.4. art.3.* Roder. *p.2. cap.99. num.1,* & Sanch. *lib.8. de ma-*
2 *trim. disp. 9. num. 2.* tuentur partem affirmatiuam, quia putant vota peregrinationum non esse tanti momenti, sicut alia duo; vel quia eorum reseruatio non est tam antiqua.

Contrarium tamen est proculdubio affirmandum: quia, vt habetur *ex cap. 8. de pœnit. & remiss. num. 6.* sub 3
generali concessione non veniunt casus reseruati, sed aliqua speciali concessione indigent.

Tum quia *in extrauag. etsi dominici* Sixtus IV. declarauit non concedi talium votorum commutationem, nisi ex speciali, & certa scientia Apostolicæ sedis. Ita Suar. *lib.6. cap.25. num.4.*

QVÆSTIO L.

An concessis absolutè votis reseruatis, intelligantur concessa vota religionis, & castitatis?

RESPONDEO sic. Ratio est, 1
quia satis censentur concessa, explicata reseruatione, cùm ratione duntaxat illius, indigeant speciali licentia Pontificis. Ita Suar. *lib.6.cap.25. num.5.*

QVÆSTIO LI.

An concessis absolutè omnibus votis præter votum castitatis, & religionis, censeantur concessa reliqua tria peregrinationum reseruata?

RESPONDEO sic. Ratio est, quia 1
exceptio illa firmat concessionem quoad alia, quæ sine dubio sunt minora, & facilius conceduntur. Ita Suar. *lib.6.cap.25. num.7.*

QVÆSTIO LII.

An Pontifice concedente omnia vota præter peregrinationem vltra-

QVÆSTIO LX.

An Episcopus possit dispensare in votis reseruatis, quoties sunt emissa ex metu graui per iniuriam incusso ad extorquendum votum?

1 SVAR. *lib.6.cap.26.num.*1. affirmat posse.

Sed hæc sententia non placet, quia quando metus est grauis cadens in virum constantem, & est ab extrinseco per iniuriam incussus ad extor-
2 quendum votum, tale votum non est validum; vt recte tenent Sot. *lib.7.q.2.art.*1. Nauar. *cap.*12. *num.*52. Arag. 2.2.*q.*88.*ar.*3. Valent. 2.2.*d.6.q.6.p.*4. Tolet. *lib.4.cap.*17. & Roder. *p.2.sum. cap.*95. *num.* 1. ac proinde nulla dispensatione indiget.

QVÆSTIO LXI.

An Episcopus possit in his votis reseruatis dispensare, quoties magnum periculum imminet transgressionis voti, aut alia æquiualens necessitas vrget, postulans dispensationem, nec præ inopia, aut alia iusta causa potest conueniri Pontifex?

1 RODER. *in Bulla* §.9.*dub.*1. Lop. 2. *p. vbi de clau. cap.*9. & Sayr. *lib.6. cap.*11.*num.*53. negant. Quia non potest Episcopus in lege Pontificis dispensare, qua hæc vota reseruata sunt.

Cæterùm nullatenus placet mihi hæc sententia, sed existimo posse Episcopum in tali casu dispensare. Ratio est quia quamuis regulariter nequeat Episcopus in lege Pontificis dispen- 2
sare: potest tamen in casu magnæ necessitatis, quando ad Pontificem aditus non patet: sed in casu posito occurrit vrgens necessitas: ergo poterit Episcopus ratione huius necessitatis dispensare.

Tum quia fortior est reseruatio dum Pontifex reseruat sibi absolutionem alicuius criminis, præterquàm in mortis articulo, & tamen Syluest. *verb. dispensatio q.*9. Nauar. *cap.*22.*nu.*85. Henriq. *lib.6.de pœnit.cap.*16.*nu.*1. & Lop. 2.*p.c.vlt.* tenent posse Episcopum absoluere, quando ratione alicuius impedimenti non est recursus ad Pontificem: quia iure optimo credi potest, non esse mentem summi Pontificis velle in hoc euentu, id crimen sibi reseruare: nec est verisimile velle eum, vt animæ laqueis irretitæ in tanto periculo versentur. Et ideò ita tenent Nauar. *cap.*12. *num.*76. Henriq. *lib.6.de pœnit.cap.*14. *num.*7. Emman. Sà *verb. votum, vbi de votorum irrit.nu.*11. Valent. 2.2. *d.6.q.6.p.*7. Arag. 2.2. *q.*88. *art.* 12. Roder. 2.*p.sum. cap.*102. *num.*3. & Suar. *lib.6.cap.*16.*nu.*9.

Hoc tamen limitat Vasq. 1.2.*q.*47. 3
*art.4.d.*178.*cap.*2. *num.*6. nisi Episcopus possit subleuare pauperiem eorum, cum quibus dispensandum est, ministrando sumptus ad id necessarios.

Sed hæc limitatio non placet, quia ad has expensas ministrandas Episcopus nulla ratione tenetur.

Veruntamen obseruare hic etiam oportet: cùm hæc doctrina solùm
fundetur in quadam τῇ ἐπιεικείᾳ, seu 4
pia interpretatione, non est extendenda vltra id, quod moralis necessitas exigit. Vnde non potest dispensare, vt ille voto castitatis adstrictus, eo matrimonio soluto, ad aliud transeat, nisi tunc eadem necessitas occurreret; tunc enim posset iterum dispensare:

spensare: nec similiter, vt vitet sacrilegium contra votum castitatis fornicando. Quia cum sola necessitas hanc dispensandi facultatem tribuat, in tantum extendetur potestas, in quantum necessitas vrget, quæ solùm vrget ad tunc contrahendum matrimonium. Ita Suar. *lib.6.cap.26.num.*13.

QVÆSTIO LXII.

An si in omnibus his casibus facilè adiri possit Nuntius, vel alius habens dispensandi commissionem, possit Episcopus dispensare?

1 AVILA *de censuris 2.p.cap.7.d.1. dub.6.* affirmat. Quia ius soli Pontifici reseruat dispensationē; cùm ergo is adiri nequeat, poterit Episcopus tanquam Pastor ordinarius dispensare.

Alij verò negant, & meritò quidem, quia his casibus cum potestas dispensandi in his casibus competat Episcopo ratione sollus necessitatis, & defectus
2 potestatis commodè adeundi Pontificem; non posset Episcopus in hoc dispensare, si posset absque eo periculo adiri habens priuilegium Pontificis ad dispensandum.

Tum quia habens priuilegium dispensandi, habet vices Pontificis: & ideò recursus ad illum, videtur esse recursus ad Pontificem: ergo iam cessat necessitas Episcopalis dispensationis, & consequenter cessat potestas, quæ solùm propter necessitatem illi conceditur. Et ideò hanc partem sustinent Couar.4.*decret.3.p.cap.6.*§.10. *num.*11.Henriq. *lib.*11.*de matrim.c.*3. Sanch.*lib.8.de matrim.d.9.num.*29. & Suar.*lib.6.cap.*12.*num.*15.

QVÆSTIO LXIII.

An confessarij regulares qui virtute suorum priuilegiorum possunt commutare, & dispensare in omnibus votis Episcopo iure communi, & ordinario reseruatis; possint idipsum facere in votis quæ ipsi iure speciali, id est ratione vrgentis necessitatis; competunt?

RESPONDEO non posse. Ratio 1 est, quia hi non dicuntur propriè casus Episcopales, sed papales, & ne Christi, & Ecclesiæ iugum durum meritò videatur, ex quadam iuris benignitate Episcopo censentur permissi; in quibus videtur electa industria personæ: aliis autem de quorum solertia, & iudicio non tantum confiditur, prædicta facultas non extenditur. Ita Henriq.*lib.6.de pœnit.c.*14.*n.*7.

QVÆSTIO LXIV.

An possit Episcopus eos casus delegare, qui iure ordinario Romano Pontifici reseruantur, & solùm sibi competunt ratione vrgentis necessitatis?

RESPONDEO posse. Ratio est, 1 quia iurisdictio ex Principis priuilegio competens non personæ, sed perpetuæ dignitati, vel officio, non est delegata, sed ordinaria: ergo potest aliis delegari. Ita Couar. *lib.3.var. cap.*26.*num.*6. Henriq. *lib.6.de pœnit. cap.7.num.*3.& Nauarr.*lib.2.consil.tit.de foro compet.cons.*2.*num.*3.

QVÆSTIO LXV.

An Episcopus possit dispensare in voto sub disiunctione facto de

respondeo quod quamuis tria vota sint essentialia, & intrinseca Religioni, nec ab ea possint separari; potest
9 tamen efficere summus Pontifex ex vrgentissima causa, vt qui antea erat Monachus, non sit, & sic vxorem ducat, proprium habeat, & nulli in particulari sit subditus.

Et ad *cap. Cum ad Monasterium* respondeo primò, respōsum illud Innoc. intelligi non de Romano Pontifice, sed de Episcopo. Pro cuius intelligentia, nota primò, olim Religiosos omnes fuisse Episcopis subiectos vt
10 habetur ex Conc. Niceno *Can.* 14. & refertur *in cap. Quidam* 15. *q.* 2. & quantū coniici potest ex Conc. Later. *can.* 12. huius Episcopalis subiectionis iugum tempore Innoc. III. perdurabat.

Secundò nota, in Europa, & Asia Episcopos olim summos sacerdotes, summósque Pontifices apud antiquos patres fuisse appellatos: vt expresè habetur ex Anacleto Papa *epist.* 2. *ad Episcopos Italiæ*, & Melchiade Papa *in epist. ad Hispanos Episcopos*, & tradit Isid. *lib.* 7. *etymol. cap.* 12. quo posito, dico illa verba Innoc. prædicti *cap. Cum ad Monast.* Nec summus Pontifex potest indulgere, intelligenda esse de Episcopo, non autem de Romano Pontifice.

11 Secundo respondeo Innoc. Papam eo in loco, hanc facultatem cum Monacho dispensandi, Romano Pontifici denegasse, Monacho manente in statu monachali; id enim Romanus Pontifex non potest efficere. 1. proprietatem cum paupertatis voto, matrimonium cum voto castitatis, & libertatem cum obedientiæ voto vna, & simul coniungere. Non tamen ibi Romano Pontifici, potestas denegatur, quo minus possit id facere successiue, ex aliqua vrgentissima causa, faciendo de Monacho non Monachum, & sic exemptum à Religione, vxorem ducere, proprium habere, & nulli in particulari esse subiectum. Et hæc interpretatio ex dicti cap. contextu apertè colligitur quia ibi Innoc. contra illum Abbatem Sublacen. qui existimabat ipsum habere facultatem concedendi Monacho, vt haberet proprium sic argumentatur. Pontifex non potest cum Monacho in hoc dispensare; ergo neque Abbas. At ibi non fuit dubitatum an Abbas posset Monachum facere non Monachum, sed tantum an posset Monacho tali existenti proprietatem aliquam indulgere, quod Innocentius negat, ea motus ratione, quia hoc nec Romanus Pontifex potest Monacho tali permanenti indulgere; quia implicat contradictionem, quod quis voto solemni integro teneatur, & quod quis incapax dominij rei pecuniariæ sit, & quod fiat dominus talis rei. Ratio huius est, quia votum paupertatis est de essentia & substantia Religionis, vt cum D. Thom. omnes Doctores fatentur: at sublata alicuius rei essentia, certum est rem ipsam perire.

Tertiò respondeo, Innocentium eo 12
in loco non id definiuisse, sed tāquam Doctorem illius fuisse opinionis, & alios Pontifices contrarium sensisse, & in huiusmodi votis, ex causa vrgentissima dispensasse. Vnde miror Syluest. *verbo votum* 4. *q.* 5. & Sot. *lib.* 7. *q.* 4. *art.* 2. qui ausi sunt negare huius rei veritatem, aut summos Pontifices ita cum eis de plenitudine potestatis, non de iure dispensasse: aut eos nondum fuisse professos, sed nouitios: aut eos non vsque adeò spontaneè solemniter vouisse: aut quod peius est, hæc cum scandalo totius Christianitatis fecisse.

Demum obiicies D. Thomæ authoritatem, qui *in* 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. docet Romanum Pontificem non posse votum solemne Religionis relaxare.

Respon

13 Respondeo ipsi sancto Thomæ, ipsummet sanctum Thomam opponimus, qui *in 4.dist.38.q.1.art.4. quæstiuncula 1.ad* 3. disertis verbis fatetur summum Pontificem posse in voto solemni religionis dispensare.

Profectò nunquam persuadere mihi potui, S. Thom. hanc facultatem summo Pontifici negasse; sed solùm docuisse, fieri non posse authoritate
14 summi Pontificis, vt quis sit religiosus, & liber, & coniux, & dominium habeat: pugnat enim cum natura Religionis, libertatis, coniugij, & dominij vsus. At Pontificia authoritate fieri potest, vt religiosus desinat esse Religiosus, & sic sit liber, coniux, & proprietarius.

QVÆSTIO XXXVII.

An legatus Apostolicus possit in votis simplicibus Regularium dispensare?

1 RESPONDEO posse, si sit à latere, quia solus legatus à latere est legitimus Religiosorum superior. Ita Henriq. *lib.6.de pœnit.cap.16.num.*8.

QVÆSTIO XXXVIII.

An Episcopus loci possit in votis Religiosorum dispensare?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia ab eius iurisdictione sunt exempti, & immediatè sedi Apostolicæ subiecti.

QVÆSTIO XXXIX.

An Regulares possint ex licentia suorum superiorum se Episcopo subiicere, vt ab eo absoluatur, & dispensentur in omnibus casibus, & irregularitatibus etiam reseruatis in quibus Episcopus ex Conc. Trid.* sess. 24. cap. 6. *potest cum suis subditis?

IN hac graui, & perdifficili quæstione, certissimum est, & omni dubio procul, posse religiosos ex superioris licentia potentis in his casibus absoluere, aut dispensare, se subiicere non solùm Episcopo, sed etiam cuicumque capaci potestatis absoluendi, & dispensandi. Quia tunc nulla opus est cessione exemptionis, cum ille tanquam delegatus à superiore, & eius vices gerens absoluat, aut dispenset. 1

QVÆSTIO XL.

Quæstio ergo quam hic inquirimus est, quando superior non poterat absoluere, nec dispensare?

ET quidem etiam certissimum est, Religiosos fruentes priuilegiis Mendicantium posse virtute eorum priuilegiorum se subiicere Episcopo, vt eos absoluat, & cum eis dispenset, obtenta superioris licentia. Quia vt Corduba *in compendio priuilegiorum Mendicantium in suis addit. verb. absolutio ordinaria quoad fratres* §.1. testatur, diuersa reperiuntur Pontificum priuilegia concedentia hanc subiectionem Episcopo de superioris licentia faciendam, vt ab ipso impetretur absolutio. 1

QVÆSTIO XLI.

Sed quæstio tota est: An secluso priuilegio religiosus exemptus possit de licentia superioris subiici Episcopo, vt ipsum absoluat, aut cum eo dispenset?

1 RODER. *tom.1.qq.regul.q.36.ar.5.* *& tom.2.q.63.art.10.* & Suar. *lib. 6.cap.11.num.7.* absolutè negant.

Sed quamuis sententia hæc sit valde probabilis, probabiliorem tamen iudico contrariam, nimirum id fieri posse. Ratio est, quia exemptio religiosorum est potissimum inducta in fauorem religionis, vt eius religiosi
2 quietiùs Deo famulentur, & ne passim ab ordinariis perturbentur; vnde in iis quæ quietem, & fauorem religionis concernunt, non debent esse peioris conditionis, quàm non exempti. Nec est rationi cõforme, vt exemptionis priuilegium in hoc casu contra eius finem operetur. Quare in his fauorabilibus censetur per τ̃ ἐπιεικείαν tota religio consentire. Et ideò hanc partem tuentur Molina *tom.4.de iust. disp.61.num.4.* Henriq. *lib 6.de pœnit. cap.16.num.8. & lib.10. de sacramento ord.cap.20.num.2.* & Roder. sibi contrarius *p.1.cap.131.num.2.*

Censetur autem regularis tacitè habere licentiam sui Prælati quando Prælatus est impeditus, quia nominatim denunciatus, aut longè abest, aut
3 si mortuus est, aut iniustè negat licentiam, quia per τ̃ ἐπιεικείαν non est censendum voluntatem summi Pontificis, & religionis esse, vt Episcopus in eo euentu non absoluat, & cogatur regularis vagari pro obtinenda absolutione. Ita Henriq. *lib. 6. de pœnit. cap.16. num.8.* & Molina *tom.4. disp. 61.num.5.*

QVÆSTIO XLII.

An Prælati religionis possint seipsos subiicere Episcopo, vt ab eo absoluantur, & cum eis in votis dispenset?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia possunt vti licentiis, quas subditis concedere possunt. Ita Henriq. *lib.7. de indulg.cap.25.num.2.* Suar. *to.5.in 3. p.d.41.sect.2. num.12.* & Auila *de censuris 2.p.c.7.d.1.*

QVÆSTIO XLIII.

An Prælati regulares dispensare possint cum seipsis in casibus, in quibus dispensare possunt cum sibi subditis?

NOTANDVM, duplicem esse dispensationem: quædam est propriè dicta, quæ est vera iuris relaxatio, actúsque iurisdictionis. Alia, impropriè, quæ potius dicitur licentia quædam seu facultas, quàm relaxatio iuris; vt quando Regula non interdicit aliquid absolutè, sed fieri absque superioris licentia: tunc superior licentiam concedens non relaxat regulæ præceptum, sed solam conditionem petitam in Regula apponit; nec licentia illa est propriè actus iurisdictionis, sed cuiusdam superioritatis. 1

Et quidem si de hac impropria dispensatione loquamur, certum est primò posse Prælatos secum dispensare vtendo nimirum licentiis, quas dare possunt suis subditis, ne sint peioris conditionis, quàm subditi. Ita D.Tho. 2
2.2.q.185.art.8. & Roder. *tom. 1. qq. reg.q.45.art.vltimo.*

Secundò, quando Prælati dispensant in vniuersum cum subditis in aliqua lege ex iusta causa, certum est hanc dispensationem ad ipsos quoque Prælatos extendi: vt si Prælatus religionis iusta de causa dispenset, vt totus conuentus carnes comedat, vt non ieiunet, &c. poterit quoque eadem dispensatione vti. Si- 3
cut D.Thom. *in.4.dist.10.q.vnica art. 5.* admittit Prælatos concedentes generaliter indulgentias posse illis frui.

Quia

Quia hoc non est directè vti iurisdictione in seipsum, sed indirectè vtendo dispensatione in vniuersum concessa.

Tertiò etiam est certum, posse Prælatos alicui ex subditis dare facultaté, vt cum ipsis dispenset in omnibus casibus, in quibus, ipsi possunt cũ subditis; ne deterioris conditionis subditis sint. Sicut suo confessario possunt dare facultatem, qua ipsos absoluat à peccatis etiam reseruatis: vt habetur *ex cap. fin. de* pœnit. & remission. In quo casu confessor non accipit iurisdictionem à Prælato, qui cum illam non habeat, neque illam ei communicare poterit, sed illam accipit communicatam ei à superiore, mediante tamen illius Prælati electione talis personæ, vt secum dispenset. Similiter confessarius à Papa electus, potest cum ipso in votis dispensare, non potestate à Papa ipso accepta, sed à Deo mediante tamen Pontificis electione, prout etiam in absolutione à peccatis contingit, quo in casu Pontifex non tribuit Sacerdoti authoritaté absoluendi supra seipsum.

QVÆSTIO XLIV.

Sed quod in dubium vertitur est: An possint Prælati secum directè, verè, ac propriè dispensare in omnibus in quibus possunt cum subditis?

1 IN qua re etiam conuenit, non posse Ecclesiasticos Prælatos secum dispensare in iis, in quibus iure diuino personarum distinctio requiritur. Vnde nemo potest se baptizare, confiteri, à peccatis absoluere, ordinare, &c. Quia in his ex Christi institutione distinctio personarum requiritur. Quare eodem fundamento non poterunt seipsos excommunicatione, suspensione, vel interdicto afficere.

QVÆSTIO XLV.

Difficultas autem est in aliis, in quibus id non est iure diuino interdictum.

SAYRVS *lib.6.cap.11.num.*107. & Suar.*lib.6.cap.11.num.*4. absolutè negant. Quia nemo potest esse iudex in sua propria causa, nec superior sibi ipsi. 1

Tum quia inter dantem, & recipientem debet esse distinctio personarum, & proinde inter agentem, & patientem: ergo inter dispensantem, & dispensatum. Vnde nec Papa secum, nec Episcopus, vel Prælatus regularis secum dispensare valet.

Henriq. *lib.6. de pœnit. cap.4.nu.*3. *& cap.7.num.*5. *& lib.7. de indulgent. cap.*28. *num.* 1. Azor. *lib.*5. *cap.*15.*q.*6. Roder. *tom.*1.*qq. regul.q.*45.*art.fin.* & Cordub. *in addit. ad compend. priuileg. Mendic. verbo accedere ad monasteria monialium, ad finem* id soli Pontifici concedunt. Quia in Prælatis aliis inferioribus non inuenitur plenissima potestas, qualis est in Pontifice: nec vrget necessitas in eis, quæ cogit Pontificem vt secum dispenset: hic enim caret superiore, at illi Pontificem habent. 2

Alij vero rectius docent, omnes Prælatos habentes iurisdictionem ordinariam dispensandi in votis & aliis rebus cum subditis, posse quoque directè secum dispensare in eisdem: immo & habentes iurisdictionem delegatam dispensandi in vniuersum 3 cum aliqua communitate, cuius ipsi sunt partes, possunt in iisdem rebus secum quoque directè dispensare. Ratio est, quia hic non requiritur di-

 stinctio

ſtinctio perſonarum propter ſpecialem inſtitutionem, ſicut in abſolutione ſacramentali: nec etiam requiritur propter vſum iuriſdictionis, quia in iuriſdictione voluntaria non eſt inconueniens eumdem operari in ſeipſum, ſicut de indulgentiis dictum eſt.

Tum quia ſicut Prælati poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis in legibus etiam ſuperioris, quando id eis permittitur, vt in lege ieiunij, eſus carnium, audiendi ſacri, recitandi officij; ita in eiſdem poſſunt diſpenſare. Non enim hic plus iuriſdictionis requiritur in ſeipſum, quàm ibi.

4 Tum quia Papa poteſt ſibiipſi cõferre indulgentias abſoluendo ſe à debito pœnę, etiam iniunctæ vt docet D. Thom. *in 4. diſt. 20. q. vnica art. 5.* Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 22.* ergo etiam poteſt ſecum diſpenſare in votis, & aliis, in quibus poteſt cum ſubditis. Et ideo huius ſententiæ ſunt in primis D. Thom. loco citato vbi dicit, neminem poſſe ſeipſum excommunicare, quia excommunicatio fertur per modum ſententiæ, quam nemo in ſeipſum ferre poteſt, cum idem non poſſit eſſe iudex & reus; poſſe tamen ſibi dare indulgentias, quia indulgentia non datur per modum ſententiæ, ſed per modum cuiuſdam diſpenſationis. Ex quibus verbis colligitur poſſe etiam Prælatum ſe eximere ab obligatione ſui voti: quia hęc eſt propriè diſpenſatio.

Greg. de Valent. 4. *p. diſp. 7. quæſt. 20. p. 3.* aſſerens Prælatum obtinere poſſe indulgentias ab ipſo conceſſas,

5 eam reddit rationem. Quia licèt is ſit actus iuriſdictionis, non eſt talis, qui vim coactiuam exerceat, ita vt neceſſarium ſit, eum exerceri circa aliquem alium.

Molina *tom. 1. de iuſt. diſp. 248.* dicit ſic: Superiorem monaſterij quas facultates, & diſpenſationes poteſt aliis concedere, iiſdem poſſe vti.

Emman. Sà *verbo religio nu. 47. Prælati*, inquit, *in religione poſſunt ſecum diſpenſare, ſicut cum ſubditis.*

Caietanus 1. 2. *quæſt. 96. art. 5.* & Sot. *in 4. diſt. 18. quæſt. 1. art. 5.* docent ſuperiorem poſſe diſpenſare ſecum in lege ieiunij, & aliis, in quibus poteſt 6 cum ſuis inferioribus, ne ſit deterioris conditionis, quàm ſubditi: quare poterit etiam in votis, & aliis in quibus poteſt cum ſubditis, cùm ſit eadem ratio. Eandem ſententiam ſequuntur Durand. *in 4. d. 20. quæſt. 4. num. 10.* Palud. *in 4. diſt. 38. quæſt. 4. art 4.* Couar. *cap. Alma mater 1 p. §. 1. num. 7.* Henriq. *lib. 6. de pœnit. cap. 4. num. 3. & lib. 7. de indulgent. cap. 28. nu. 1.* & plerique alij.

Ex quo ſequitur, non ſolum Romanum Pontificem, ſed etiam Epiſcopos, & Prælatos regulares, qui toti congregationi, aut conuentui præſunt, vt ſunt Generales, Prouinciales, Priores, Præpoſiti, Rectores, 7 Guardiani & ſimiles: immo etiam Vice-Priores, & vice-Rectores, qui in abſentia aliorum regunt, poſſe ſecum diſpenſare in omnibus, in quibus poſſunt cum ſuis ſubditis. Quia hi omnes iuriſdictione Epiſcopali funguntur, & ſunt Paſtores ordinarij ſuorum ſubditorum, & non debent eſſe in hoc peioris conditionis, quàm ſubditi, cum quibus ipſi diſpenſare poſſunt.

Hinc, qui limitatam poteſtatem habet diſpenſandi cum certis perſonis, non poteſt in iiſdem rebus ſecum diſpenſare. Ratio eſt, quia po- 8 teſtas illa non extenditur vltra conceſſionis limites. Cum ergo ſit ad certas perſonas, in quibus ipſe non comprehenditur, non poterit ea vti erga ſeipſum.

QVÆST.

QVÆSTIO XLVI.

Quæ, & quotnam sint vota Romano Pontifici reseruata?

1 DOCTOR Angelicus 2.2.q.88. *art.12. ad* 2. ait de iure duo vota esse reseruata Papæ, nimirum castitatis, & subsidij terræ Sanctæ. Et sub nomine castitatis, vt rectè notat Suar. *lib.6. cap.21. num.*3. religionis votum comprehendit, de quo in aliis locis statim citandis mentionem facit. Duas autem peregrinationes omisit, quia vt ait Sot. *lib.7.q.4.art.3. ad* 3. suo tempore fortè non erant reseruatæ. Et *quæst.185.art.4.& quæst.189. art.6.& 7.& in 4.dist.38.quæst.1.art.4.quæst.2.* idem D. Tho. tenet omnia vota perpetua esse Papæ reseruata. Quod Illustrissimus Caiet. 2.2.q.88.*art.12.ad* 3. intelligit de votis quæ per se, & natura sua sunt perpetua, qualia sunt castitatis, & religionis, non autem de votis quæ ex intentione vouentis, & quasi per accidens perpetua sunt, vt cum quis vouet perpetuam orationem, vel ieiunium.

2 Richar. *in 4.dist.38.q.2 art.9.* docet sola tria vota. s. castitatis perpetuæ, religionis, & peregrinationis Hierosolymitanæ Papæ reseruati.

Anglus *verbo votum 4.num. 6.* & Viuald. *candel. sacram.3.p.cap.14.num.* 63. dicunt sola vota castitatis, & religionis semper Romano Pontifici reseruari: at vota peregrinationum Romanæ Compostellanæ, & Hierosolymitanæ non semper, sed solùm quando in eorum locorum subsidium emittuntur: ac proinde esse Episcopo reseruata, quando gratia solius deuotionis fiunt. Hoc idem dicunt lo-

3 quentes de peregrinatione Hierosolymitana Graff. *1. p. decis. lib.2.cap.31. num. 21.* & Emman. Sà *verbo votum vbi de votorum irritatione num. 11. & verbo iuramentum num.33.*

At concors est aliorum Doctorum sententia hæc quinque non solùm quoad dispensationem, sed etiã quoad commutationem esse Romano Pontifici reseruata, nempe votum Religionis, votum perpetuæ castitatis, votum peregrinationis Romanæ ad limina Apostolorum sanctorum Petri, & Pauli, votum peregrinationis Hierosolymitanæ ad visitandum sanctum Dei sepulchrum, (quod vocatur vltramarinum) & votum peregrinationis compostellanæ ad inuisendum D. Iacobum. Et quamuis iure solùm inueniatur reseruatum votum Hierosolymitanum, quando in eius loci subsidiũ fit, vt patet *ex c. multa de voto:* at stylus curiæ Romanæ iam extendit, vt sit quoq; reseruatum quando causa solius deuotionis emittitur. Sic colligitur *ex extrauag. Etsi dominici 2. de pænit. & remiss.* vbi excommunicantur qui prætextu confessionalium Sixti 4. absque speciali sedis Apostolicæ licentia prædicta vota commutare præsumunt. Vbi Pontifex non reseruat hæc vota, sed supponit ea esse reseruata. Ratio autem, seu conuenientia huius reseruationis sumenda est ex illo principio, *quod grauiores causæ meritò ad summum Pontificem referuntur*: hæc autem supradicta, sunt huiusmodi: ergo summo Põtifici reseruantur. Et ideò ita tenent Sot. *lib.7.q.4. art.3.* Nauar. *c.12.num.* 79. Arag. 2.2.*quæst.88. art.12.* Roder. *2.p. summ. cap. 99. num. 2.* Less. *lib.2. cap.40. dub.18. num.121.* Azor. *lib.11. cap. 18. quæst.4.* & Suar. *lib.6. cap. 21. num.4. & 5.*

Hinc, non satis circumspectè dixisse Sayrum *libro 6. capite 11. num.35. & 36.* iure quoque communi hæc quinque vota Papæ reseruari. Quia

5 Quia nullus est in iure textus,qui hęc vota reseruet,præter votum vltramarinum in eius loci subsidium. Nec in prædicta *Extrauag. etsi dominici* reseruantur,vt diximus.

Hinc, non rectè dixisse Azorium *lib.*11.*c.*19.*q.*3.in iure solùm expressè reseruari votum vltramarinum: at quia causæ arduæ ad Papam deferendæ sūt *C.maiores de baptismo*;& huiusmodi sunt vota Religionis,& castitatis; censeri hæc quoque tacitè in iure
6 reseruari.Quia ille textus non agit de votorum dispensatione: vnde virtute illius non censentur hæc vota reseruata.

Hinc, non est audiendus Nauar.*in sum,hisp.cap.*12.*num.*78. qui his quinque votis reseruatis addit votum applicandi bona incerta in subsidium terræ sanctæ.Quia nec textus, nec ratio, nec consuetudo probat hanc re-
7 seruationem esse extensam ad votum dandi bona incerta in terræ Sanctæ subsidium; ergo non est asserendum; alias etiam esset dicendum omne votum faciendi eleemosynam locis piis terræ sanctæ esse reseruatum Papæ. Et *caput,Magna* quod pro eo adducitur, de solo peregrinationis voto in subsidium terræ sanctæ loquitur.

Hinc, non est approbandum quod ait Abulen.*cap.*10.*Num. q.*108.nem-
8 pe esse Papæ reseruatum votum assumendi crucem in qualibet expeditione, quam Pontifex fecerit. Quia id nullo iure, nec consuetudine comprobatur.

Hinc,nec est audiendus Nauar.qui *comm.*1. *de Regul. num.*21. iis supradictis votis addit votum visitandi Domum gloriosam gloriosissimæ virginis Mariæ Lauretanam. Quia id nulla firma ratione probatur. Et quamuis Suar.*lib.*6.*c.*21.*nu.*14.nouum appellet
9 & valde singulare præfatum Nauarri assertum, nec se vidisse exceptionem aliquam fieri eiusmodi voti in aliquo priuilegio, vel diplomate; manifestè tamen constat de reseruatione prædicta tempore Greg.13.qui in quodam Breui sub die Martij Pontificatus sui anno 4. concessit oratorio Vallicellæ vrbis commutationem votorum, excepto tamen prædicto Lauretano, & aliis quinque solitis. Nunc autem reseruationem prædictam non attendi in praxi testatur Azor. *lib.*11. *cap.*10. *quæst.*4.

QVÆSTIO XLVII.

An qui absque Romani Pontificis licentia in his quinque votis reseruatis dispensat, ac ea commutat, sit ipso iure excommunicatus?

RESPONDEO eum esse ipso 1
iure excommunicatum, si prætextu confessionalium à Sixto 4.concessorum,aut in posterum concedendorum in eis dispenset, vel ea commutet: vt habetur ex illis verbis *extrauag. etsi dominici. Prætextu facultatum huiusmodi concessarum à nobis, aut authoritate nostra, quas quomodolibet concedi contingat.* Ita Suar.*to.*5. *in* 3.*p. d.*22.*sect.*5.*nu.*28.Verùm,vt bene Nauar. annotauit, extrauagans illa nullius ferè est,quoad hoc momenti:cùm confessionalia illa Sixti 4. cessauerint. Immo verò qui in dictis votis, prætextu confessionalium Sixti 4.dispensaret, non propterea incurreret excommunicationem. Quia ibi non agitur de dispensatione, sed de commutatione.Et licèt minus sit commutare,quàm dispensare; non tamen facienda est in hac parte consequentia ab vno in aliud, cum inhærendum sit verbis canonis prædictæ extrauag. & in pœnis talis interpretatio facienda

est,

est, vt non excedant proprium casum *cap. Pœna*. Et facit Regula, *Odia de reg. iuris in 6.*

QVÆSTIO XLVIII.

An possit augeri numerus votorum reseruatorum ex voluntate, & intentione vouentis. Perinde est, ac si quæreretur: An possit quis ita se voto suo obligare, vt intendat nullum posse in suo voto dispensare præter Pontificem?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia nullus inferior potest sua voluntate arctare superioris potestatem.

Tum quia in peccatis non potest quis facere, vt peccatum suum sit reseruatum, etiam si id intendat, vel promittat: idem ergo est in votis, quia est eadem ratio. Ita Sayr. *lib. 6. cap. 21. num. 15.*

QVÆSTIO XLIX.

An concessio absoluta omnium votorum à Romano Pontifice facta, extendatur ad huiusmodi quinque reseruata?

1 IN qua re certum est, hanc concessionem non extendi ad votum Religionis, & castitatis.

Sed quod in dubium vertitur est, de aliis tribus votis reseruatis.

Sotus *lib. 7. q. 4. art. 3.* Roder. *p. 2. cap. 99. num. 1.* & Sanch. *lib. 8. de ma-*
2 *trim. disp. 9. num. 2.* tuentur partem affirmatiuam, quia putant vota peregrinationum non esse tanti momenti, sicut alia duo; vel quia eorum reseruatio non est tam antiqua.

Contrarium tamen est proculdubio affirmandum: quia, vt habetur *ex cap. 8. de pœnit. & remiss. num. 6.* sub 3
generali concessione non veniunt casus reseruati, sed aliqua speciali concessione indigent.

Tum quia *in extrauag. etsi dominici* Sixtus IV. declarauit non concedi talium votorum commutationem, nisi ex speciali, & certa scientia Apostolicæ sedis. Ita Suar. *lib. 6. cap. 25. num. 4.*

QVÆSTIO L.

An concessis absolutè votis reseruatis, intelligantur concessa vota religionis, & castitatis?

RESPONDEO sic. Ratio est, 1
quia satis censentur concessa, explicata reseruatione, cùm ratione duntaxat illius, indigeant speciali licentia Pontificis. Ita Suar. *lib. 6. cap. 25. num. 5.*

QVÆSTIO LI.

An concessis absolutè omnibus votis præter votum castitatis, & religionis, censeantur concessa reliqua tria peregrinationum reseruata?

RESPONDEO sic. Ratio est, quia 1
exceptio illa firmat concessionem quoad alia, quæ sine dubio sunt minora, & facilius conceduntur. Ita Suar. *lib. 6. cap. 25. num. 7.*

QVÆSTIO LII.

An Pontifice concedente omnia vota præter peregrinationem vltra-

marinam, censeantur concessa alia duo peregrinationis vota?

QVÆSTIO est, cuius meminit Suar. *lib.6. cap. 25. num. 7.* Respondendum est ergo iuxta mentem eius quod sic. Et ratio est, quia absque dubio sunt minus grauia,& multò facilioris dispensationis.

QVÆSTIO LIII.

An Pontifice concedente omnia vota, præter triplex votum peregrinationis reseruata, censeantur concessa vota castitatis, & religionis?

1 RESPONDEO non. Ratio est, quia exceptio minorum votorum arguit mentem Pontificis esse denegare à fortiori maiora. Similiter si Papa concederet reseruata præter aliqua minora, non censerentur concessa maiora, sed inferiora, aut æqualia reseruata, exceptis. Si tamen nullum esset reseruatum æquale, aut minus exceptis, intelligerentur concessa similia maiora, non autem dissimilia, vt si Papa concederet reseruata præter duplicem peregrinationem, Romanam videlicet & Hierosolymitanam, censeretur concedere Compostellanam, quæ est exceptis similis: non autem vota religionis & castitatis, quæ sunt multò maiora, & dissimilia: si demum concederentur reseruata præter triplex illud votum peregrinationis, tunc intelligerentur concessa vota religionis, & castitatis. Quia aliàs concessio esset inutilis, & ridicula. Ita Sot. *libr. 7. quæst.4. artic. 2.* & Suar. *lib.6.cap.25. num.8.*

QVÆSTIO LIV.

An si concessio fiat sub hac forma, Concedimus omnia vota, etiam castitatis, *tacito religionis voto, vel è contra, censeatur vtrumque concedi?*

RESPONDEO censeri solum concessum votum quod exprimitur ex illis duobus, & non concessum quod tacetur. Ratio est, quia cum sint æqualia,aut ferè æqualia, ex concessione vnius non possumus colligere aliud esse etiam concessum. 1

Tum quia à diuersis non fit illatio.

Tum quia maius est vtrumque, quàm vnum concedere. Ita Suar. *lib. 6.c.25.nu.8.*

QVÆSTIO LV.

An legatus à latere possit in his votis reseruatis dispensare?

RESPONDEO non posse.Ratio est, quia legatus à latere in tota prouincia sibi commissa, potest dispensare in voto, eo modo quo Episcopus in sua diœcesi. Ita Sanch. *lib.8. de matrim.disp.9.num.25.* 1

QVÆSTIO LVI.

An Episcopus possit in his votis dispensare, quoties de eorum valore sit dubium?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia cum dispensationis reseruatio sit odiosa (quod ordinariæ Episcoporum potestati derogет) est restringen 1

stringenda ad casus certos: dubij enim non comprehenduntur sub reseruatione. Ita Sanch. *lib. p. decalogi cap.* 10. *num.* 74. & Suar. *lib.* 2. *cap.* 26. *nu.* 6.

QVÆSTIO LVII.

An possit Episcopus dispensare in votis reseruatis, quoties ea emittuntur ab impuberibus, & à parentibus irritari possunt?

1 GVttier. *lib.* 2. *quæst. can. cap.* 22. *num.* 49. affirmat posse. Quia si pater, vir, dominus possunt vota hæc irritare; à fortiori poterit Episcopus in eis dispensare.

Contraria tamen sententia mihi plus placet: primò quia cùm hæ duæ potestates irritandi & dispensandi sint diuersæ, & ex principiis distinctis oriantur; non bene ex vna ad aliam
2 argumentum deducitur: ergo ex eo quod pater possit irritare hæc vota filij impuberis, non rectè colligitur posse Episcopum in illis dispensare.

Secundò, quia Pontifex vota hæc sibi reseruando, minimè intendit derogare potestati dominatiuæ, cui irritatio innititur: sed iudisdictioni, quam subtrahit, ac limitat: ergo licèt, facta reseruatione, pater possit irritare, nihilominus non potest Episcopus dispensare. Ita Suar. *lib.* 6. *cap.* 26. *nu* 3. & Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 9. *n.* 4.

QVÆSTIO LVIII.

An quoties vota reseruata solent frequentissimè emitti, possit in eis Episcopus dispensare?

1 HEnriq. *lib.* 7. *de indulgentiis cap.* 30. *num.* 6. & Viuald. *candel. sacram.* 3. *p. cap.* 14. *num.* 56. affirmant posse. Quia Episcopus potest dispensare in casibus communiter accidentibus: vt docet Caietan. 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 4.

Sed oppositum est verius, nam frequentia casuum non dat iurisdictionem Episcopo ad dispensandum, vel absoluendum, nisi alias specialis necessitas interueniat: nam etsi impedimenta, iure canonico, matrimonium dirimentia, sint frequentissima, nullatenus potest Episcopus in eis dispensare: ergo. Et ideò ita tenet Suar. *lib.* 6. *cap.* 26. *num.* 7.

QVÆSTIO LIX.

An quoties hac vota sunt ex metu leui facta, licèt non sufficienti ad ea irrita reddenda, possit Episcopus in eis dispensare?

SVar. *lib.* 6. *cap.* 26. *num.* 5. negat. 1
Sed multò verius existimo, posse Episcopum in eis dispensare tanquam in votis, quorum valor adhuc sub iudice est. Ratio huius ea esse 2
potest, quia cùm id votum non sit omnino voluntarium, nil mirum si non ita Papæ reseruetur, ac quando sponte factum est.

Tum quia hæc reseruatio est valde stricti iuris: & ideo restringenda: ergo debet intelligi de votis certis, & indubitatis: nam dubia vota, non sunt vota simpliciter, sed secundum quid.

Tum etiam, quia de peccatis, & censuris reseruatis similis regula ab omnibus admittitur. Et ita tenent Nauarr. *cap.* 12. *num.* 59. Roder. *p.* 1. *summ. cap.* 242. *num.* 14. & Henriq. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 15. *num.* 8.

QVÆSTIO LX.

An Episcopus poßit dispensare in votis reseruatis, quoties sunt emissa ex metu graui per iniuriam incusso ad extorquendum votum?

1 SVAR. *lib.6.cap.26.num.1.* affirmat posse.

Sed hæc sententia non placet, quia quando metus est grauis cadens in virum constantem, & est ab extrinseco per iniuriam incussus ad extor-
2 quendum votum, tale votum non est validum; vt recte tenent Sot.*lib.7.q.2.art.1.* Nauar. *cap.12. num.52.* Arag. *2.2.q.88.ar.3.* Valent.*2.2.d.6.q.6.p.4.* Tolet.*lib.4.cap.17.* & Roder.*p.2.sum.cap.95.num.1.* ac proinde nulla dispensatione indiget.

QVÆSTIO LXI.

An Episcopus poßit in his votis reseruatis dispensare, quoties magnum periculum imminet transgreßionis voti, aut alia æquiualens neceßitas vrget, postulans dispensationem, nec præ inopia, aut alia iusta causa potest conueniri Pontifex?

1 RODER.*in Bulla* §.9.*dub.*1.Lop.2.*p.vbi de clau. cap.9.* & Sayr.*lib.6.cap.11.num.53.* negant. Quia non potest Episcopus in lege Pontificis dispensare, qua hæc vota reseruata sunt.

Cæterùm nullatenus placet mihi hæc sententia, sed existimo posse Episcopum in tali casu dispensare. Ratio est quia quamuis regulariter nequeat Episcopus in lege Pontificis dispensare: potest tamen in casu magnæ necessitatis, quando ad Pontificem aditus non patet: sed in casu posito occurrit vrgens necessitas: ergo poterit Episcopus ratione huius necessitatis dispensare. 2

Tum quia fortior est reseruatio dum Pontifex reseruat sibi absolutionem alicuius criminis, præterquàm in mortis articulo, & tamen Syluest. *verb.dispensatio q.9.* Nauar. *cap.22.nu.85.* Henriq.*lib.6.de pœnit.cap.16.nu.1.* & Lop.2.*p.c.vlt.* tenent posse Episcopum absoluere, quando ratione alicuius impedimenti non est recursus ad Pontificem: quia iure optimo credi potest, non esse mentem summi Pontificis velle in hoc euentu, id crimen sibi reseruare: nec est verisimile velle eum, vt animæ laqueis irretitæ in tanto periculo versentur. Et ideò ita tenent Nauar. *cap.12.num.76.* Henriq. *lib.6.de pœnit.cap.14.num.7.* Emman. Sà *verb.votum.vbi de votorum irrit.nu.11.* Valent.*2.2.d.6.q.6.p.7.* Arag.*2.2.q.88.art.12.* Roder.*2.p.sum.cap.102.num.3.* & Suar.*lib.6.cap.26.nu.9.*

Hoc tamen limitat Vasq.*1.2.q.47.* 3
art.4.d.178.cap.2.num.6. nisi Episcopus possit subleuare pauperiem eorum, cum quibus dispensandum est, ministrando sumptus ad id necessarios.

Sed hæc limitatio non placet, quia ad has expensas ministrandas Episcopus nulla ratione tenetur.

Veruntamen obseruare hic etiam oportet: cùm hæc doctrina solùm fundetur in quadam τῇ ἐπιεικείᾳ, seu 4
pia interpretatione, non est extendenda vltra id, quod moralis necessitas exigit. Vnde non potest dispensare, vt ille voto castitatis adstrictus, eo matrimonio soluto, ad aliud transeat, nisi tunc eadem necessitas occurreret; tunc enim posset iterum dispensare:

spensare: nec similiter, vt vitet sacrilegium contra votum castitatis fornicando. Quia cum sola necessitas hanc dispensandi facultatem tribuat, in tantum extendetur potestas, in quantum necessitas vrget, quæ solùm vrget ad tunc contrahendum matrimonium. Ita Suar. *lib.6.cap.26.num.*13.

QVÆSTIO LXII.

An si in omnibus his casibus facilè adiri possit Nuntius, vel alius habens dispensandi commissionem, possit Episcopus dispensare?

1 AVILA *de censuris* 2.*p.cap.*7.*d.*1.*dub.*6. affirmat. Quia ius soli Pontifici reseruat dispensationẽ; cùm ergo is adiri nequeat, poterit Episcopus tanquam Pastor ordinarius dispensare.

Alij verò negant, & meritò quidem, quia cum potestas dispensandi in his casibus competat Episcopo ratione solius necessitatis, & defectus
2 potestatis commodè adeundi Pontificem; non posset Episcopus in hoc dispensare, si posset absque eo periculo adiri habens priuilegium Pontificis ad dispensandum.

Tum quia habens priuilegium dispensandi, habet vices Pontificis: & ideò recursus ad illum, videtur esse recursus ad Pontificem: ergo iam cessat necessitas Episcopalis dispensationis, & consequenter cessat potestas, quæ solùm propter necessitatem illi conceditur. Et ideò hanc partem sustinent Couar.4.*decret.*3.*p.cap.*6.§.10.*num.*11.Henriq. *lib.*12.*de matrim.c.*3. Sanch.*lib.*8.*de matrim.d.*9.*num.*29. & Suar.*lib.*6.*cap.*12.*num.*15.

QVÆSTIO LXIII.

An confessarij regulares qui virtute suorum priuilegiorum possunt commutare, & dispensare in omnibus votis Episcopo iure communi, & ordinario reseruatis; possint idipsum facere in votis quæ ipsi iure speciali, id est ratione vrgentis necessitatis; competunt?

RESPONDEO non posse. Ratio 1 est, quia hi non dicuntur propriè casus Episcopales, sed papales, & ne Christi, & Ecclesiæ iugum durum meritò videatur, ex quadam iuris benignitate Episcopo censentur permissi; in quibus videtur electa industria personæ: aliis autem de quorum solertia, & iudicio non tantum confiditur, prædicta facultas non extenditur. Ita Henriq.*lib.6.de pœnit.c.*14.*n.*7.

QVÆSTIO LXIV.

An possit Episcopus eos casus delegare, qui iure ordinario Romano Pontifici reseruantur, & solùm sibi competunt ratione vrgentis necessitatis?

RESPONDEO posse. Ratio est, 1 quia iurisdictio ex Principis priuilegio competens non personæ, sed perpetuæ dignitati, vel officio, non est delegata, sed ordinaria: ergo potest aliis delegari. Ita Couar. *lib.*3.*var. cap.*26.*num.*6. Henriq. *lib.* 6.*de pœnit. cap.*7.*num.*3.& Nauarr.*lib.*2.*consil.tit.de foro compet.cons.*2.*num.*3.

QVÆSTIO LXV.

An Episcopus possit dispensare in voto sub disiunctione facto de

materia reseruata, & non reseruata; vt de castitate perpetua, vel de ieiunio perpetuo, vel de peregrinatione Romana, vel Lauretana?

1 RESPONDEO, si res adhuc integra existit, id est, si vouens nondum elegit partem reseruatam, ita vt teneatur ad illam, Episcopus potest in eo voto dispensare. Ratio est, quia cùm id votum non obliget præcisè ad rem reseruatam, nullatenus comprehenditur sub reseruatis. Quod si eligat partem reseruatam, obligando se præcisè ad illam, non potest Episcopus in illo dispensare, quia tunc quasi nouum votũ reseruatum emitit. Ita Azor. *lib.* 11. *c.* 19. *q.* 10. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 62. & Suar. *lib.* 6. *c.* 24. *num.* 1. & 2.

QVÆSTIO LXVI.

An Episcopus possit dispensare in voto sub disiunctione facto circa vtramque materiam reseruatam vt circa castitatem, vel religionem?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia in illo quidquid eligatur, Romano Pontifici reseruatur. Suar. *supra.*

QVÆSTIO LXVII.

An si votum non obliget præcisè ad rem reseruatam ex vouentis electione, sed quia altera pars non reseruata, est reddita impossibilis, possit Episcopus in eo voto dispensare? vt si quis vouit religionem ingredi, vel talem eleemosynam facere, & postea factus est impotens ad eleemosynam.

RESPONDEO posse. Ratio est, quia id votum per se, & suapte natura nunquam obligauit ad materiam reseruatam, sed talis obligatio ad illam insurgit ex solo facto, seu ex impossibilitate materiæ, quæ est per accidens, non ex vi voti. Ita Suar. *lib.* 6. *cap.* 24. *num.* 4. 1

QVÆSTIO LXVIII.

An quando votum reseruatum, est commutatum à Pontifice in non reseruatum, possit postea Episcopus in hoc dispensare? v.g. Titius votum castitatis emiserat, quod Romani Pontificis beneficio in certam eleemosynam commutatum fuit, & deinde causa subest, vt in tali eleemosyna dispensetur. Quæritur nunc, An possit Episcopus in illa dispensare?

NONNVLLI negant, quia subrogatum sapere debet naturam eius, pro quo subrogatur. Et in hanc partem inclinat Azor. *lib.* 11. *cap.* 18. *q.* 11. dicens dubiam sibi esse contrariam sententiam. 1

Sed verius est, posse Episcopum in ea dispensare, eámve commutare. Ratio est, quia per commutationem illam fuit extinctum votum reseruatum, & aliud loco illius substitutum, quod reseruatum non est: ac subinde est nouum votum per se non reseruatum. 2

Tum quia votum illud non est per se reseruatum, sed ratione solius materiæ reseruatæ: ergo mutata materia, cessabit reseruatio. Sicut peccatum, cui annexa est excommunicatio Romano Pontifici reseruata, desinit esse reseruatum, excommunicatione remota: ita etiam votum castitatis, si in aliam materiam non reseruatam à Papa

Papa commutetur, non est amplius ei reseruatum: quia reseruatio est ratione materiæ: ea igitur ablata, reseruatio cessat, ac proinde potest Episcopus in illa dispensare, vel commutare.

Tandem, si votum non reseruatum commutaretur in materiam voti reseruati, proculdubio maneret reseruatum: vt si quis fecisset votum lauretanum, & Prælatus commutaret illud in votum Romanum, iam iterum non posset commutari nisi per Papam; ergo & è contrario. Et ideò ita tenent Sylu. *verb. votum* 4. *q.* 7. Arag. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 12. *nu.* 23. Cord. *in summa casuum q.* 150. Emman. Sà *verb. votum nu. vlt.* Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 30. *nu.* 5. Roder. *p.* 2. *c.* 98. *nu.* 5. & Suar. *lib.* 6. *c.* 20. *nu.* 15. & 16.

QVÆSTIO LXIX.

An si vouens voluit se his votis adstringere solùm ad culpam venialem, aut ad solam pœnam, posit Episcopus in illis dispensare?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia tunc valde à voti perfectione deficiunt, & leuissima reputantur. Ita Sanch. *lib.* 4. *decalogi cap.* 40.

QVÆSTIO LXX.

An posit Episcopus dispensare in voto seruandi castitatem ad tempus, putà decem, vel viginti annorum?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia Romano Pontifici solum votum perpetuæ castitatis reseruatur, quod simpliciter votum castitatis dicitur. Ita

2 D. Tho. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 11. *ad* 2. Sayr. *lib.* 6. *c.* 11. *n.* 48. Nau. *c.* 12. *nu.* 76. Sot. *lib.* 7. *q.* 4. *ar.* 3. Azor. *lib.* 11. *c.* 19. *q.* 6. Valent. 2. 2. *d.* 6. *q.* 6. *p.* 7. Arag. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 12. Lop. *p.* 1. *c.* 49. Henriq. *lib.* 7. *de indulg. c.* 30. *nu.* 6. & Roder. *p.* 2. *sum. c.* 98. *n.* 5.

QVÆSTIO LXXI.

An posit Episcopus dispensare in voto seruandi castitatem vsque ad ætatem centum annorum?

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia cum vita hominis non amplius durare præsumatur, id votum erit moraliter perpetuum, ac Romano Pontifici reseruatum: Ita Less. *lib.* 2. *de iust. c.* 40. *dub.* 18. *nu.* 123. & Sanch. *lib.* 2. *de matrim. d.* 46. *nu.* 1. 1

QVÆSTIO LXXII.

An posit Episcopus dispensare in voto expressè promittendi castitatem?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia id non est votum castitatis, sed illius promittendæ: quare si hic cum muliere commisceretur ante promissam castitatem, non peccaret contra votum. Suar. *lib.* 6. *c.* 21. *nu.* 7. 1

QVÆSTIO LXXIII.

An posit Episcopus dispensare in voto non fornicandi, aut non tangendi mulierem?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia neutrum est votum totius, & integræ castitatis, sed partis: nam contra prius non peccat, qui habens tale votum, matrimonium contrahit: nec contra posterius, si se polluat absque desiderio mulieris: ac propterea eius relaxatio vel commutatio 1

nequa

nequaquam est Romano Pontifici reseruata. Ita Henriq. *lib.7. de indulg. c. 30. num.6.* Azor. *lib.11. cap. 19. q.6.* & Less. *lib.2. cap.40. dub.18. num.123.*

QVÆSTIO LXXIV.

An possit Episcopus dispensare in voto non nubendi?

1 ILLVSTRISSIMVS Caietan. gloria Thomistarum *2. tom. opusc. tract. 11. q.1. & 2.* tenet non posse. Quia putat votum non nubendi æquiualere voto castitatis, quod Papæ reseruatur.

Sed absque dubio dicendum est, posse Episcopum in tali voto dispen-
2 sare. Ratio est, quia votum non nubendi non est votum integræ castitatis, sed partis; nam facit contra illud, qui contrahit, non autem qui fornicatur; quia votum solùm est de non contrahendo: & si post tale votum, contrahit matrimonium, non peccat petendo, vel reddendo debitum. Et ideo ita tenet Sot. *in 4. dist. 38. q.2. art. 1.* Arag. *2.2. q.88. art.12.* Nauar. *cap.12. num. 76.* qui ait in sacro pœnitentiariæ prætorio sic seruari. Henriq. *lib.7. de indulg. cap. 30. num.6.* Valent. *2.2. dub.6. q.6. p.7.* Roder. *p.2. sum. cap.98. num.5.* Azor. *lib.11. cap.19. q.5.* Less. *lib.2. c.40. dub.18. num.124.* Sayr. *lib.6. cap.11. num.47.* & Suar. *lib.6. cap.21. numero 9.*

QVÆSTIO LXXV.

An possit Episcopus dispensare in voto non nubendi emisso non solùm causa deuotionis, verùm etiam in gratiam alterius coniugis qui tale votum acceptauit?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia non potest ius illud per promissionem voto firmatam illi acquisitum tollere. At si ille, in cuius gratiam factum est votum, remittat ius sibi acquisitum, poterit Episcopus in illo voto dispensare. Quia non est votum omnimodæ castitatis; ac cessat præiudicium tertij. Ita Sot. *lib.8. q.1. art. 9.* qui ait idem esse dicendum de iuramento, Sanch. *lib.8. de matrimonio disp.9.* & alij.

QVÆSTIO LXXVI.

An Episcopus possit cum eo qui post votum simplex castitatis, tatum solùm matrimonium contraxit, sed nondum consummauit, dispensare vt debitum petat?

RESPONDEO quod quamuis hic sic contrahendo peccauit, & adhuc votum adimplere possit, si velit religionem ingredi, etiam altero coniuge inuito; quia tamen vt diximus in primo libro non tenetur ad religionem transire; poterit Episcopus dispensare vt debitum durante eo matrimonio petere possit. Quia non dispensat in voto omnimodæ castitatis. Idem dicendum est de eo, qui post votum simplex castitatis, matrimonium contraxit, & consummauit. Quia quamuis consummando peccauit; quia tamen matrimonium tenet, poterit Episcopus cum eo dispensare. 1

QVÆSTIO LXXVII.

An Episcopus possit dispensare in voto non petendi debitum coniugale?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia non est votum integræ castitatis; 2

stitatis, sed partis: integrum enim huic est reddere, & eo matrimonio soluto, ad aliud transire: at reseruatio voti tanquam odiosa, de integræ castitatis voto est intelligenda.

QVÆSTIO LXXVIII.

An Episcopus possit dispensare cum eo qui post matrimonium consummatum, votum castitatis emisit, vt debitum petat?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia non est votum castitatis simpliciter, sed tantum non petendi debitum. Ita Sot. *in 4. d. 38. q. 2. art. 1.* & Arag. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. Et idem dicendum est, quando votum castitatis emissum est post matrimonium ratum: si enim pœnitet postea voti, & religionem ingredi nolit, poterit Episcopus ad modum dictum dispensare.

QVÆSTIO LXXIX

An Episcopus dispensare possit cum eis qui post matrimonium consummatum de communi consensu, simplex votum castitatis emiserunt?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia cum vterque in hoc casu iuri suo de petendo, & reddendo debitum cedat; votum censetur perpetuæ castitatis, in quo solus Papa dispensat.

QVÆSTIO LXXX.

An possit Episcopus dispensare in voto, quo alter vel vterque coniux ex licentia alterius, vel communi consensu promisit, se non petiturum debitum?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia id votum non est omnimodæ castitatis: nam eo matrimonio soluto, integrum est vtrique ad secundas nuptias transire, & neuter adulterando peccat contra votum. 1

QVÆSTIO LXXXI.

An Episcopus possit dispensare in voto seruandi castitatem coniugalem?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia non est votum absolutæ, & perfectæ castitatis, quod solum Romano Pontifici reseruatur: tenetur enim reddere debitum, & potest eo matrimonio soluto ad secundas nuptias transire. Ita Sanch. *lib. 8. de matrim. disp. 9. num. 7.* 1

QVÆSTIO LXXXII.

An Parochus possit aliquando dispensare in votis, in quibus potest Episcopus?

RODER. *tom. 2. qq. regul. q. 46. art. 9.* affirmat posse, non quidem ex iure ordinario, ac communi, sed ex præsumpta Pontificis voluntate, nempe in casu necessitatis, quando non est facilis aditus ad Episcopum. Et probat, quia dispensatio in voto est instar dispensationis in lege, vt docet D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 10. At Parochus potest ex consuetudine in lege ieiunij, & in esu carnium dispensare, quando commodè Episcopus non potest adiri: vt docent Caietan. *verb. ieiunium c.* 3. 1

& Nauarr.*cap.21.num.21.* Immo præſente Epiſcopo, poſſe Parochum diſpenſare, tenent idem Caietan. 2.2.*q.* 147.*art.*4.*Valent.*4.*p.d.*9. *quæſt.*2.*p.*5. Azor.*lib.*7.*c.*2.*q.*3.& Medin.*lib.*1.*ſum. cap.*14.§. 10. ergo & in votis, in quibus Epiſcopus poteſt diſpenſare.

2 Sed oppoſitum iudico probabilius. Ducor quia iuxta communem, nullus qui iuriſdictione quaſi Epiſcopali caret, poteſt in votis diſpenſare, niſi ex priuilegio, vel conſuetudine præſcripta id ius habeat: at nulla extat conſuetudo in Eccleſia vt Parochus in votis diſpenſet; ergo. Nec Rodericus rectè argumẽtatur ex poteſtate diſpenſandi, conſuetudine recepta in lege ieiunij, ad poteſtatem diſpenſandi in votis. Quia conſuetudo hæc, cum ſit contra ius commune, eſt reſtringenda.

QVÆSTIO LXXXIII.

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in votis populi, ac eius ſucceſſorum?

1 ET quidem, ſi loquamur de votis reſpectu eorum, qui ea emiſerunt, certum eſt, poſſe Epiſcopum cum eis iuſta de cauſa diſpenſare. Quia ea vota non ſunt ex quinque Romano Pontifici reſeruatis.

QVÆSTIO LXXXIV.

Sed tota controuerſia verſatur de ſucceſſoribus.

1 RESPONDEO poſſe Epiſcopum etiam cum eis diſpenſare, ſicut poteſt in ſuis præceptis & in feſtis à ſe indictis. Ratio eſt, quia ſucceſſores non tenentur ad hæc ex vi voti, ſed ex ſtatuto, ac Epiſcopi præcepto, abſque quo nullatenus obligati poſſunt: ac proinde per diſpenſationem illam non tollitur votum, ſed ſtatutum quoddam Epiſcopi: ergo poterit Epiſcopus in eo diſpenſare: ſicut in aliis particularibus ſuæ diœceſis præceptis, in quibus valida eſt diſpenſatio ſine cauſa. Ita Sanch.*lib.*4.*decalogi cap.*15.

QVÆSTIO LXXXV.

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in voto emiſſo, non ſolùm in fauorem Dei, ſed etiam certæ Eccleſiæ, aut pauperis, abſque illius conſenſu? Vt ſi voueas te datùrum centum tali Eccleſiæ, vel pauperi.

AZORIVS *lib.*11.*cap.*19.*quæſt.*12. negat, quia illi acquiſitum eſt ius, contra quod non valet diſpenſatio. 1

Cæterùm multò probabilius eſt poſſe Epiſcopum in huiuſmodi voto diſpenſare, abſque conſenſu eius, in cuius fauorem factum eſt votum. Ratio eſt, quia ex voto nullum ius acquiritur piis locis, aut perſonis ante acceptationem, ac proinde votum illud manet, ſicut factum ſoli Deo, dum illud Rector illius Eccleſiæ aut pauper ille non acceptet; & ideo per diſpenſationem non fit illi præiudicium, ac proinde non eſt neceſſarius conſenſus eius, in cuius vtilitatem votum cederet. Et ideò ita tenent Caietan. *to.*2.*tract.*11.*q.*3. Nau.*cap.*12.*num.*78. Henriq.*lib.*7.*de indulg. cap.*30. *num.*5. Emman. Sa *verb. votum vbi de irritatione votorum num.* 14. & Suar. *lib.* 6. *cap.*15.*num.*2. 2

QVÆSTIO LXXXVI.

An huiuſmodi votum poſſit propria authoritate in melius commutari?

SYLVEST.

1 SYLVEST. *verb. votum 4. quaest. 7.* & Henriq. *lib. 5. de poenit. cap. 20. num. 5. & lib. 7. de indulg. cap. 30. nu. 5.* negant.

At multò probabilius est, posse. Quia cum per id votum nullum ius sit tertio acquisitum, est de illo iudicandum, ac de aliis votis in Dei so-
2 lius cultum emissis. Et ita tenet Sayr. *lib. 6. cap. 11. num. vlt.* & Less. *lib. 2. cap. 40. dub. 16.*

QVÆSTIO LXXXVII.

An si votum dirigatur ad sanctum illius Ecclesiæ, vt, Promitto Beatæ Mariæ Montis Regalis me daturum eius Ecclesiæ centum, *possit Episcopus in eo dispensare?*

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia votum quod fit sanctis, semper intelligitur factum Deo, & eatenus participat rationem voti, quatenus ipse est in sanctis, & ad cuius honorem spectant obsequia quæ sanctis ipsis deferuntur: & ideò per votum soli Deo ius acquiritur, in cuius iure Episcopus, vt Dei vicarius potest dispensare. Ita Caietan. *in suis quodlib. to. 2. tract. 11. qui est de voto q. 3.* Less. *lib. 1. cap. 40. dub. 16.* & Suar. *lib. 6. cap. 15. num. 10.*

QVÆSTIO LXXXVIII.

An in voto emisso in fauorem tertij, & ab eo acceptato possit Episcopus absque illius tertij consensu dispensare?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia tunc ei acquisitum est ius per acceptationem. Vnde talis dispensatio, absque eius consensu facta, cederet in illius praeiudicium, fieretque illi iniuria Suar. *lib. 6. cap. 15. num. 3. & 7.*

QVÆSTIO LXXXIX.

Quando dicatur votum fieri soli Deo, vel etiam alteri?

RESPONDEO quando votum ad solum Deum dirigitur, vt, *Promitto Deo me daturum centum pauperibus*, censetur votum soli Deo factum. Quia tunc nullus cum homine initur contractus, sed totum votum fit Deo: pauper autem ille se habet vt materia, circa quam id votum exerceri debet. Si autem dirigatur ad pauperem illum, vt, *Promitto Deo me tibi daturum centum*, tunc vtrique fit. Vnde quamuis in priori casu pauper ille sit praesens, & illud votum acceptet, talis acceptatio non impedit quominus Episcopus possit in eo voto dispensare; quia non acquirit aliquod ius in eo voto, vtpote quod non sit factum in gratiam, & vtilitatem ipsius, sed principaliter in Dei cultum. Et ita sentiunt Caietan. *2. 2. q. 88. art. 12.* & Petr. Nauar. *lib. 2. de rest. cap. 1. dub. 3. num. 14.* 1

QVÆSTIO XC.

An vota realia defuncti transeuntia in haeredem possint irritari, commutari, & dispensari sicut poterant, quando defunctus viuebat?

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia illa voti obligatio tamquam personalis, est prorsus extincta morte vouentis, & transiit illius implendi obligatio in hæredem ex quasi cõtractu: eo enim ipso quòd adit quis hæreditatẽ, suscipit omnia onera, quæ 1
2

defunctus imponit, vel quæ ipse iam contraxerat: hæc enim cum hæreditate ad hæredem transeunt. At irritatio, commutatio, & dispensatio in obligationem iustitiæ non cadunt: sicut nec in obligationem aliorum debitorum.

2 Hinc, si promisisti Titio te eius votum impleturum, non potes ex vi priuilegij, vel Bullæ, vel Iubilei hoc onere liberari: quia ad id teneris ex vi pacti, & talis dispensatio cederet in præiudicium tertij.

Nec obstat, quod origo huius obligationis sit ex voto, & votum iusta de causa possit dissolui: quia non potest relaxari nisi ex consensu vouentis, qui cum sit mortuus, non potest consentire.

QVÆSTIO XCI.

An Episcopus possit dispensare, vt qui simplici castitatis voto ligatus, matrimonium contraxit, possit in posterum debitum petere?

1 ET quidem certum est, posse in eo dispensare, quando ad Romanum Pontificem, vel alium eius vices habentem non facilis patet accessus, præ paupertate, vel alia causa, & ob moram incurrit incontinentiæ periculum, vt quia iuuenis est qui vouerat.

Sed dubium est, quando ipse Pontifex, aut alius habens priuilegium dispensandi, potest facile adiri.

Sayrus *in claui Regia lib.* 11.*nu.*53. negat.

2 Sotus *in* 4. *dist.* 38. *q.* 2. *art.* 1. vult post huiusmodi votum, iure posse matrimonium consummari, ac proinde censet in hac re nullam dispensationem Episcopi requiri.

Sed omnino dicendum est, posse Episcopum dispensare ad petendum debitum, siue matrimonium consummatum sit, siue non. Ratio huius, est 3 consuetudo legitimè præscripta, quæ obtinuit posse Episcopum in hac debiti petitione dispensare. Verùm quia in hoc casu Episcopus id votum absolutè, & simpliciter non relaxat, sed solùm ex parte, & secundum quid nempe ad solum petendum debitum, mortua coniuge, tota voti obligatio reuiuiscit, & tenetur castitatem seruare. Ita Sanch. *lib.* 8. *de matrimonio disp.*12.*nu.*3.

QVÆSTIO XCII.

An Episcopus possit dispensare cum coniuge habente votum religionis, ad petendum, vel reddendum debitum, quando nondum est matrimonium consummatum?

RESPONDEO non posse. Ratio 1 est, quia cum tunc possit hic implere suum votum, ingrediendo religionem, tenetur ad id. Ita Sotus *in* 4 *dist.* 38.*q.*2.*art.*1.

QVÆSTIO XCIII.

An cum eo qui habet votum virginitatis possit Episcopus dispensare?

RESPONDEO non posse. Ratio 1 est, quia votum virginitatis per se & ex natura sua censetur idem cum voto castitatis, & proinde eodem modo summo Pontifici reseruatur: nisi vouens expressè nolit se ad castitatem obligare, sed solum seruare se integrum

tegrum à primò actu libidinis, per quem virginitas deperditur, quia tunc ea per primum peccatum semel amissa, extinguitur obligatio voti, quia res promissa facta est impossibilis. Ita Sayr. *lib.6.cap.*11.*num.*55.& Azor. *lib.* 11.*cap.*19.*q.*10.

QVÆSTIO XCIV.

An possit Episcopus dispensare in voto assumendi ordines sacros?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia id non est votum castitatis: vt patet ex obiecto: nam per se est votum affirmatiuum, votũ autem castitatis est negatiuum. Vnde licet hic fornicetur, non peccat contra votum: & licèt contrahat matrimonium, & in eo peccet, non tamen peccabit postea petendo debitum, nec etiam aget contra votum adulterando. Iusta autem causa, qua eiusmodi votum Episcopi authoritate relaxari potest, est, si is qui vouit, beneficium, aut patrimonium non habeat. Ita Nauarr. *cap.* 12. *nu.*47. Henriq. *lib.*7. *de indulg. cap.*30. *num.*6. Valent. 2.2.*d.* 6.*q.*6.*p.*7. Azor. *lib.*11.*cap.*19.*q.*9. Arag. 2.2.*q.*88.*art.*11. Roder. *p.*2.*cap.*98.*art.*5.& Suar. *lib.*6. *cap.*21.*num.*7.& *cap.*24.*num.*2.

Dices, illud obiectum includit virtualiter castitatem.

Respondeo includere illam vt promittendam, non vt promissam, quod non sufficit, vt præsens votum sit castitatis, ac Romano Pontifici reseruatum.
2 Vnde si tali voto ligatus commisceatur cum muliere, antequam sacris initietur, votum non violat, quia castitatem non vouit.

QVÆSTIO XCV.

An Episcopus possit iusta de causa dispensare cum eo, qui habet votum religionis arctioris, vt laxiorem ingrediatur?

DOCTOR Nauarr. *comment.* 4. *de regular. num.*10. negat. Quia voti religionis dispensatio Papæ reseruatur. 1

Cæterùm nullatenus placet mihi hæc sententia, sed existimo Episcopũ posse in huiusmodi voto dispensare. Ratio est, quia hoc non est dispensare in substantia religionis absolutè: 2 manet enim hic obligatus ad illam, sed in quadam religionis qualitate, quæ nullibi reseruatur. Vnde cum eo qui pedibus vouit visitare limina Apostolorum, dispensare potest, vt eat eques. Similiter potest Prælatus regularis, cum consensu tamen capituli, dispensare, vt professus in arctiori, transeat ad laxiorem. Roder. *p.*2.*sum. cap.*98.*num.*5. Henriq. *lib.*7. *de indulg. cap.*22.*num.*7. Azor. *lib.*11.*cap.*18.*q.*8. & Sayr. *lib.*6.*cap.*11.*num.*63.

QVÆSTIO XCVI.

An Episcopus possit dispensare in voto religionis nõ approbatæ, & in voto paupertatis & obedientiæ perpetuæ in tali religione?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia tale votũ, non est veræ religionis votum, cùm religio non approbata à sede Apostolica non sit religio, quæ sola Romano Pontifici reseruatur. Ita Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.*9.*num.*15. Sayr. *lib.*6.*cap.*11.*num.* 64.& Suar. *lib.*6.*cap.*21.*num.*8. 1

Hinc, si Berta vouit fore Beatam, poterit Episcopus in tali voto dispensare, quia is status non est religionis. Arag. 2.2.*q.*88. *art.* 12. Henriq. *lib.*6. 2

de indulg.cap.30.num.6. & Roder.*p.2.* 98.*num.5.*

QVÆSTIO XCVII.

An Episcopus possit relaxare votum ingrediendi ordinem equitum militarium?

1 ET quidē si loquamur de equitibus ordinis sancti Ioannis Hierosolymitani, qui communiter equites Melitæ nuncupantur, certum est, Episcopum non posse in eo voto dispensare: quia is ordo est vera religio, in qua more aliarum tria vota solemnia emittuntur, paupertatis, castitatis, & obedientiæ, sub Regula ab Ecclesia approbata; nimirum à Gelasio 2. *an. Domini* 1120. & ab Honorio 11. *an.* 1124.

Sed tota controuersia consistit de equitibus sancti Iacobi in Hispania, Calatrauæ, & Alcantaræ & similium.

Sotus *lib.7.q.5.art.3.* Arag.2.2.*q.88.*
2 *art.11.* & Cord.*in suo quæst.lib.1.q.24.* affirmant posse, quia hi ordines militares non sunt proprie, & simpliciter religiones, sed solùm impropriè, & secundum quid: quia non simpliciter, & absolutè promittunt castitatem, sed castitatem coniugalem.

3 At verò alij negant posse Episcopum in eo voto dispensare. Quia sunt verè, & propriè religiones, cùm earum cultores more aliarum, tria solemnia vota emittant sub Regula à Sede Apostolica approbata: & quamuis hęc vota non sint de tam absolutis his rebus, ac in aliis religionibus promittuntur: at ipsa sedes Apostolica, cuius est religionum instituta confirmare, dispensauit, ne ita strictè emitterentur. Et ideò ita tenent Nauar. *de reddit. Eccl.q.1.mon.55.nu.5.* Couar.4.*decret.2.p.cap.3.§.1.num.*18. Med.*de sacrorum homin.contin.lib.7.contr.7.c.39.* & Roder.*to.1.qq.reg.q.1.art.8.*

QVÆSTIO XCVIII.

An possit Episcopus dispensare in voto perseuerandi in religione?

ET quidem certum est, non posse Episcopum dispensare circa ingressum religionis, quia id votum est Romano Pontifici reseruatum. 1

Sed dubium est de perseuerantia in illa, ita vt possit hic tempore probationis exire, si expertus religionis austeritates, inuenit illum statum sibi minimè conuenire?

Respondeo posse, in eo voto dispensare. Ratio est, quia non in voto 2 religionis absolutè, sed in qualitate adiuncta, quæ nullibi reseruatur, dispensat. Ita tenet S.anch. *lib.* 8. *de matrim.disp.6.num.17.*

QVÆSTIO XCIX.

An possit Episcopus dispensare in differenda executione voti Papæ reseruati, vt religionis: vt si quis vouit intra annum fieri religiosus, & nunc subest causa iusta, vt per alium annum differat.

SVAR. *lib.6.cap.26.num.11. & 12.* negat. 1

Sed multò probabilius est, posse in tali dilatione dispensare. Ratio est, 2 quia hoc non est dispensare in substantia voti reseruati; sed in quadam eius qualitate seu celeritate. Ita Sanches *libro 8. de matrimonio disputatione 6.num.76.*

QVÆST.

QVÆSTIO C.

An votum Romanum, & Compostellanum, quæ fiunt solùm causa deuotionis; non autem in subsidium, possint authoritate Episcopi dispensari?

1 SVMMA Armilla *verb. dispensatio num.* 16. & Viuald. *candelabr. sacram.* 4. *p. cap.* 14. *num.* 63. affirmant posse.

Cæterùm solidum huius sententiæ fundamentum non video & ideo non placet, sed existimo hæc vota non pos-
2 se authoritate Episcopi reseruari, cum oppositum nec secundum ius possit defendi, quia ius nil de illis disponit, nec secundum consuetudinem, vt ijdem Doctores fatentur: & per se constat, quia illa vota nunquam fieri consueuerunt in subsidium belli, de quo ius loquitur, quando agit de voto vltramarino.

QVÆSTIO CI.

An possit Episcopus dispensare in voto peregrinationis Romanæ, vel Compostellanæ, non in eius loci deuotionem emisso? vt si voueas adire Romam ad osculandos Pontificis pedes, vel ad impetrandam alicuius peccati absolutionem?

RESPONDEO posse. Ratio est,
1 quia textus, *etsi dominici de pœnit. & remiss.* vbi hæ peregrinationes reseruatæ reperiuntur, loquitur de votis ex deuotione prædictorum locorum factis.

Tum quia huiusmodi votum est
2 solum materialiter, & per accidens Romanæ peregrinationis, & illi satisfaceret adeundo ad alium locum, vbi esset Pontifex.

QVÆSTIO CII.

An reseruatio voti Hierosolymitani in subsidium terræ sanctæ, sit extendenda ad omnia vota crucis?

HOSTIENSIS *in summa de voto* 1
§. *qualiter*, tuetur partem affirmatiuam.

Sed communis, & verior sententia 2
est in contrarium. Quia hæc reseruatio ex iure sumenda est: ius autem solùm agit de voto Hierosolymitano pro expeditione terræ Sanctæ: vt expressè habetur *ex cap. ex multa. & cap. quod super his*; ergo cum simus in materia odiosa, non debet ad alia extẽdi.

QVÆSTIO CIII.

An votum vltramarinum, quod fit tantùm causa deuotionis, non autem in subsidium terræ Sanctæ, possit authoritate Episcopi dispensari?

ANGELVS *verbo votum* 4. §. 6. 1
Tab. *verb. dispensatio nu.* 11. Armil. *ibidem num.* 16. & Angles *de voto art.* 8. *diff.* 9 affirmant posse.

Nihilominus tamen more, & con- 2
suetudine curiæ Romanæ receptum est, vt in vniuersum votum vltramarinum quodlibet, siue tantùm causa deuotionis, siue in subsidium, ad Romanum Pontificem reseruetur. Sic Nau. *c.* 12. *nu.* 75. Arag. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. Azor. *lib.* 11. *cap.* 19. *dub.* 4. Roder. *in* 2. *parte sum. casuum cap.* 99. *nu.* 1. & alij.

QVÆSTIO CIV.

An Episcopus possit dispensare in circunstantia his peregrinationibus

nibus adiuncta? vt si vouisti pedibus peregrinari, eques adeas.

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia tunc non dispensat in voto Romano Pontifici reseruato, sed in qualitate per accidens annexa, quæ non est reseruata. Ita *Less. lib.2. cap. 40. dub.18.*

QVÆSTIO CV.

An Episcopus possit dispensare in voto nunquam petendi dispensationem ab alio, quàm à Romano Pontifice?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia id votum non est vnum ex illis quinque reseruatis supra enumeratis. Ita Azor. *lib.11. cap.19. q. 15.* & Sayr. *lib.6. cap.11. num.67.*

QVÆSTIO CVI.

An quando ista quinque Romano Pontifici reseruata, sunt pœnalia, possit Episcopus in eis dispensare?

1 HÆC quæstio petit, vt inquiramus. Quando hæc vota dicantur pœnalia?

Et quidem certi iuris est, esse votum pœnale, quoties animus vouentis non est affectus ad rem, sub pœna promissam, sed illam sibi in pœnam proponit, vt eius incurrendæ timore, à crimine quod cauere desiderat, se contineat: vt si quis se non lusurum voueat, sub pœna ingressus in Religionem: in quo voto eius animus directè fertur ad vitandum ludum: & solùm in pœnam ludi vouet religionem, & quando sub hac forma emittitur votum, certum est, id esse pœnale.

Sed totum controuersiæ dissidium est, quando votum est de sola pœna, & crimen ponitur sub conditione; vt voueo religionem, si lusero: in quo casu constat votum esse solius religionis, & sic vouens ludendo non est voti reus, sed tantum tenetur religionem ingredi.

Nauarrus *in Man. cap.12. num.43.* & Azor. *lib.11. cap.19. q.13.* tenent id votum esse merè conditionale. 2

Sotus *lib.7. q. 2. art. 1.* Roder. *p.2. summ. cap.99. num. 2.* Vega 2. *tom. cap. 129. casu 10.* & Tolet. *lib. 4. cap. 18. num.9.* dicunt id votum esse pœnale.

At Greg. de Valent. 2.2. *d.6. q.6. p. 7.* Cord. *summ. q.152.* & Lop. *p.1. c.44.* vtramque sententiam sic conciliant. Si animus vouentis non sit ad religionem affectus, sed quò crimen in conditione positum caueat, proponit sibi in pœnam religionem, est verè pœnale: & in hoc sensu vera est opinio Soti. Si vero ex affectu religionis id votum emittat, casu quo luserit, quia. s. eam eligit non tanquam odiosam, sed tanquam rem sibi gratam, & acceptam offert Deo in eius cultum, & vt in eo statu vitam quietam traducat, abstinens à ludo, est verè conditionale, & in hoc sensu vera est opinio Nauarri. His itaque declaratis, quæritur nunc. 3

QVÆSTIO CVII.

An quando ista quinque Romano Pontifici reseruata, sunt pœnalia possint per Episcopum, vel alios habentes generalem facultatem dispensari?

IN qua re conuenit inter omnes, non posse Episcopum dispensare in 1

his

his votis pœnalibus, quando conditio est de præterito, aut de præsenti: vt si voueas religionem in pœnam, si peccatum quod heri admisisti, vel nunc proponis admittere, fuit, vel est mortale. Ratio est, quia conditio de præterito, aut de præsenti, non suspendit consensum, nec impedit votum esse verè absolutum: & ita vel tunc est omnino validum, si conditio ita se habet; vel est omnino irritum, si conditio non ita se habet.

Sed dubium est, quando conditio est de futuro: vt, *Voueo religionem, vel castitatem, si inebriatus fuero, vel occidero meum inimicum.*

In qua quæstione etiam certum est, ante perpetratum delictum, & sic conditione non impleta, posse Epi-
2 scopum talia vota relaxare. Ratio est, quia huiusmodi vota ante commissum delictum non sunt vota religionis, aut castitatis, sed solùm non ludendi, aut non se inebriandi, super quibus Episcopus potest iusta de causa dispensare.

Sed quod in dubium vertitur est: An etiam post perpetratum delictum, & sic conditionem impletam, possit Episcopus in eis dispensare?

Sotus *lib.7.q.2. art.* 1. Nauarr. *cap.* 12. *num.* 43. Couar. *in cap. Quamuis pactum p.*1.*§.*3.*num.*12. *de pactis lib.6.* & Azor. *lib.*11.*cap.*10.*q.*3. *& cap.*19.
3 *q.*13. negant. Quia post completam conditionem vota hæc religionis, & castitatis sunt omnino absoluta, & independentia à futuro euentu. At in his votis absolutis nequit Episcopus dispensare.

Sed quamuis hæc sententia sit satis probabilis, & in praxi tuta, probabilius tamen credo posse Episcopum dispensare in his votis ante & post incursam culpam. Ratio est, quia in hoc casu religio, & castitas non vouentur vt volitæ, sed tanquam non optatæ, & pœnæ grauissimæ, & vt volitæ secundum quid; simpliciter autem non volitæ: sed Papa quando sibi reseruat 4
vota religionis, castitatis, &c. illa sibi reseruat, quatenus sunt per se volita, & habent propriam rationem voti, & non pœnę.

Tum quia reseruatio votorum cum sit onerosa, est strictè interpretanda, & ad proprios, & formales terminos restringenda; vt tunc vota reseruentur, quando sunt de re simpliciter volita: ergo siue ante, siue post impletam conditionem, poterit Episcopus, vel confessarius virtute Cruciatæ, aut Iubilei dispensare. Atque ita tenent Caietan. 2.2.*q.*88.*art.*3. Henriq. *lib.*7. 5
*de indulg.cap.*30.*num.*6. vbi ex iunioribus refert innumeros Authores, & Doctores vniuersitatis Salmanticensis Tolet. *lib.*4. *cap.*18. Roder. *tom.*1. *qq.regul.q.*63.*art.*7.*& p.*2.*sum.cap.*99. *num.*2. Vega. 2.*tom. sum.cap.* 119. *casu* 10. Emman. Sa *verbo votum vbi de votorum irrit.num.*11. Sayr. *lib.*6. *cap.* 11. *num.*72. Valent. 2.2.*d.*6.*q.*6.*p.*7. Lop. *p.*1. *cap.*44. dicit esse sententiam Doctorum huius ætatis. Arag. 2.2. *q.* 88. *art.*12. affirmat esse communem opinionem. Barth. Med. *in sua instruct. confess.lib.*1.*cap.*14.*§.*6. ait esse opinionem Doctorum huius ætatis. Suar. *lib.* 6. *cap.*23. *num.* 1. Viuald. *cand. sacram.in add.tract.*14. *de voto num.* 50. docet multos Doctores Salmanticenses de hac re interrogatos ita sensisse, & esse tutam opinionem in praxi. Et *num.* 57. duos Prælatos Hispaniæ, videlicet Episcopum Salmanticensem, Archiepiscopum Compostellanũ viros doctissimos, & religiosissimos, in huiusmodi votis pœnalibus, etiam adimpletâ conditione sæpe dispensasse. Et dicunt esse probabilem Sot. *lib.*7. *q.*4.*art.*3. & Cosm. Phil. *de off. sacerd. to.*1.*p.*2.*c.*22.

QVÆSTIO CVIII.

An quando ista quinque vota sunt merè conditionalia, possint per Episcopum dispensari? Vt si voueas religionem, si Deus te ab hoc periculo liberet, aut filius tuus ex Sicilia incolumis redierit?

1 HÆc quæstio petit vt inquiramus. Quando hæc vota dicantur conditionalia.

Sotus *lib.7.q.2.art.1.* Arag. *2.2.q.88.art.12.*& Vega *tom.2. cap.129.casu.99.*censent esse votum cõditionale, quoties vouens desiderat v.g.religionem; at quia aliquo impedimento tenetur, quominus possit eam ingredi, religionem vouet cessante eo impedimento, quasi posito sub conditione si cessauerit. Vt, *voueo religionem, si pater meus obierit.*

2 At hæc opinio non placet. Quia si ego impeditus nunc, proponam post annum me ingressurum religionem, idque voueam, est votum absolutum. At huic æquiualet, si voueam me ingressurum religionem, *si pater meus obierit*. Nam dictio *si*, æquiualet aduerbio *quando*, atque ita potius est determinatio temporis, quo votum implendum est. Vnde quando dictio, *si*, æquiualet aduerbio *quando*, vt sensus sit, *quando hoc venerit*, tunc non est verè conditio, sed potius est temporis voti implendi determinatio, solumque conditionis effigiem habet. Nam reuera, qui sic vouet, nullo modo habet suspensum consensum, sed omnino, & absolutè vouet: tamen quia pater indiget eius auxilio, non vult exequi votum illud eo viuente.

QVÆSTIO CIX.

Quæres, quando ergo dictio, si, sit vera conditio, & reddat votum conditionale?

RESPONDEO quando affectus vouentis non fertur directè in rem promissam, sed in aliud, quod cupit obtinere, quod ponitur sub conditione: vt cum quis in infirmitate positus vouet religionem, *si sanus euaserit*, in quo casu voluntas vouentis non est directè circa religionem, sed in sanitatem ad quam obtinendam offert Deo religionem, pendétque obligatio hæc à futuro euentu. Si autem animus vouentis affectus sit omnino ad religionem, at defectus sanitatis impediat, voueátque religionem si à morbo liberetur, votum est absolutum; quia huius voti sensus est, *quando sanus euasero, ingrediar religionem.* His itaque declaratis: Quæritur nunc. 1

QVÆSTIO CX.

An quando ista quinque vota sunt merè conditionalia, possit Episcopus in eis dispensare?

ET quidem quando vota hæc non sunt purè conditionalia, sed tantum apparenter, eo quod dictio, *si*, æquiualeat aduerbio, *quando*, certum est, non posse Episcopum in eis dispensare ante aut post impletam cõditionem. Quia sunt verè absoluta. 1

Secundò certum est, non posse Episcopum dispensare ante, aut post conditionis euentum, quando conditio est necessaria, vt si voueas castitatem, *si sol cras oriatur.* Quia cum ea conditio sit necessario euentura, habetur pro 2

Pro impleta, ac proinde votum est per se absolutum.

Tertio certum est, non posse Episcopum dispensare ante aut post impletam conditionem, quando conditio est de præterito, aut de præsenti, vt si voueas religionē, *si filius tuus hodie viuit, aut nudiustertius vixit*. Quia cum ea conditio non suspendat consensum, votum est omnino absolutum, si conditio tunc vera sit, siue vouens sciat, siue ignoret conditionem extare.

QVÆSTIO CXI.

Sed dubium est, quando votum est merè conditionale de futuro. Vt voueo religionem, si frater meus habuerit filios?

1 IN hac quæstione tres extant Doctorum opiniones. Prima sustinet nec ante, nec post impletam conditionem posse Episcopum dispensare. Ita Sot. *lib. 7. q. 2. art. 1.* Arag. 2. 2. *q. 88. art. 13.* Nauarr. *cap. 12. num. 43.* Valent. 2. 2. *d. 6. q. 6. p. 7.* Vega. 2. *to. sum. ca. 129. casu 99.* Cord. *sum. q. 152.* Azor. *lib. 11. cap. 19. q. 13.* & Roder. *in Bull. cruc. §. 9. num. 115.*

Secunda opinio docet posse Episcopum dispensare ante impletam
2 conditionem, non tamen post. Quia licèt votum fuerit à principio conditionatum, impleta conditione purificatur; & tam perfectum manet, ac si à principio fuisset sine conditione factum; ergo. Ita Less. *lib 7. cap. 40. dub. 18. num. 129.* Sayr. *lib. 6. cap. 11. num. 77.* Roder. *p. 2. sum. cap. 99. num. 2.* & Suar. *lib. 6. cap. 22. num. 3. & 11.*

Tertia verò sententia, quam sequor, tenet Episcopum iure ordinario, vel delegatum habentem facultatem generalem dispensandi vota, posse dispensare ante, & post impletam conditionem; Ratio est, quia vota hæc conditionalia non fiunt ex affectu religionis, sed commodi, quod vouens à Deo expectat. Vt v. g. cum in mortis periculo quis promittit peregrinationem, *si euaserit*, non id facit ex affectu peregrinationis, sed ex affectu vitæ, & timore mortis. Vnde obtento beneficio, multi dolent se vouisse.

Et confirmatur; Episcopus potest 3
dispensare in votis pœnalibus etiam post culpam commissam, quia ea, vt diximus, ex affectu rei promissæ non procedunt, sed potius ex affectu ad ipsam conditionem: ergo & in votis conditionalibus poterit similiter dispensare ob eandem rationem.

Nec obstat, quod post conditionem impletam videantur absoluta, & perfecta; quia semper proueniunt ex radice imperfecta: & ideò ad illa non extenditur reseruatio. Et ideò ita te- 4
nent Sanch. *lib. 8. de matrim. disput. 10. num. 13.* Tolet. *lib. 4. cap. 18.* & Antori. Gomes *in Bulla cruc. clausula 10. num. 99.* dicit praxi virorum sapientissimorum receptam esse hanc sententiam.

QVÆSTIO CXII.

An Episcopus possit dispensare in voto castitatis, quod alter coniux absque alterius licentia emisit?

LOp. *p. 1. cap. 47.* & Sayr. *lib. 6. cap. 11. num. 52.* negant. 1

Alij verò rectiùs docent posse Episcopum in hoc voto dispensare. Ratio est, quia id votum non est omnimodæ castitatis, cùm ad non reddendum debitum obligare nequeat. 2

Ita Roder. 1. *p. sum. cap.* 92. & Arag. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8.

Et hæc opinio mihi videtur certa in casu, quo id votum emissum est post matrimonium consummatum: quia non est votum integræ castitatis, & ita minimè obligat ad non reddendum.

QVÆSTIO CXIII.

Sed tota difficultas consistit, quando is hoc votum emisit ante matrimonij consummationem?

SED respondeo per distinctionem sic: Si is tale votum fecit animo ingrediendi religionem, sciens non aliter posse suum votum seruare, sed manendo in sæculo teneri reddere de-
1 bitum; non potest Episcopus in eo voto dispensare: quia censetur votum omnimodæ castitatis, quod vouens potest, & tenetur tunc adimplere, ingrediendo religionem. At si vouens animum non habuit ingrediendi religionem, nec de opposito cogitauit; vel si habuit tunc animum ingrediendi, voluit expressè non se obligare ad illam; aut solùm habuit animum ingrediendi, ignorans id esse vnicum medium seruandi perfectam castitatem, potest Episcopus dispensare. Quia cum hic in nullo horum casuum ingredi religionem teneatur, potest absque culpa reddere debitum: & ideo non est votum omnimodæ castitatis, quod solum Romano Pontifici reseruatur. Ita Sanch. *lib.* 4. *decalogi cap.* 40.

QVÆSTIO CXIV.

An quando alter solus cum licentia alterius continentiam vouit, possit Episcopus in hoc voto dispensare?

VEGA 2. *tom. sum. cap.* 129. *casu* 77. & Roder. *p. p. c.* 245. *num.* 14. tenent posse Episcopum dispensare, vt vouens petat debitum. 1

At ego distinguendum existimo sic. Aut hic tale votum cum licentia alterius coniugis emisit ante matrimonium consummatum animo ingrediendi religionem, sciens id esse medium necessarium ad votum seruandum: & tunc cum censeatur velle se ad religionem obligare, non poterit Episcopus etiam ad petendum debitum dispensare. Aut iam matrimonio consummato tale votum emisit, & tunc cùm nequeat ad religionem transire, & teneatur non obstante ea licentia reddere debitum, poterit Episcopus cum eo dispensare, vt possit petere debitum. 2

QVÆSTIO CXV.

An Episcopus possit dispensare in voto castitatis, quod vterque coniux emisit absque alterius licentia?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia non est votum integræ castitatis, si quidem eo non obstante, tenetur vterque reddere debitum. Secus si vterque ante matrimonium consummatum animo ingrediendi religionem id votum emisit: tunc enim est votum integræ castitatis, nec potest Episcopus in eo voto dispensare. 1

QVÆSTIO CXVI.

An quando vterque coniux seorsum

sum continentiam vouit cum alterius licentia, non per modum contractus, & reciprocæ conuentionis, facio, vt facias, *sed independenter ab alterius voto, possit Episcopus in eo voto dispensare?*

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia non est votum absolutæ, & omnimodæ castitatis. Siquidem eo non obstante, tenetur alter alteri debitum reddere.

QVÆSTIO CXVII.

An possit Episcopus dispensare in voto castitatis, quod vterque coniux communi consensu per modum contractus emisit?

1 MAIOR *in 4.dist.32.q.2.* absolutè affirmat, posse Episcopum in hoc voto dispensare.

Roder. *to.1.qq.reg.q.63.art.2.* tenet posse tunc Episcopum dispensare ad petendum debitum.

Sed omnino dicendum est, non posse Episcopum dispensare cum his coniugatis vt matrimonio vtantur, siue petendo, siue reddendo. Ratio est, quia est votum absolutæ, & integræ
2 castitatis, & obligat prorsus vtrumque coniugem ad non petẽdum, nec reddendum debitum. Et ideò ita tenent Sotus *in 4.dist.26.q.1. art.4.* Henriq. *lib.11. de matrim.q.15. num.8.* Arag. *2.2.q.88.art.8.* Lop. *p.1.cap.46.* Vega *2.to.sum. cap.34. casu 104. & cap.129. casu 68.* & multi alij.

QVÆSTIO CXVIII.

An quando ratione necessitatis fit hæc Episcopi dispensatio, sit solùm ad petendum, & reddendum debitum in eo matrimonio?

RESPONDEO sic, quia ad hoc solùm necessitas vrget. Vnde coniux hic si cum meretrice commisceatur, aut eo matrimonio soluto, ad aliud transeat, erit voti reus. Sanch. *lib.8.de matrim.d.9.num.22.* 1

QVÆSTIO CXIX.

An Episcopus possit dispensare cum eo, qui voto castitatis adstrictus matrimonium contraxit, vt petat debitum?

QVIDAM absolutè docent non posse Episcopum in hoc voto dispensare, nisi in casu grauis necessitatis, quando. s. voto ligatus caret sumptibus necessariis ad impetrandam dispensationem, vel periculum incontinentiæ ex mora illius imminet. Ita Tolet. *lib.4.cap.18.nu.1.* Azor. *lib.11.cap.19.q.8.* & plerique alij. 1

At verissima sententia est, posse semper Episcopum dispensare ad petendum debitum cum eo qui voto 2
castitatis adstrictus matrimonium iniit. Ratio Roder. *p.1.sum.cap.241. nu.2.* & Henriq. *lib.12.de matr.cap.2. num.9.* est, quia id non est in voto castitatis dispensare; sed ad quemdam solum effectum, nimirum vt debitum petat: nam hac dispensatione non obstante, si coniux fornicetur, aut eo matrimonio soluto ad secundas nuptias transeat, erit sacrilegus contra votum.

Sed hæc ratio non placet, quia etiam probaret posse Episcopum dispensare ad eum solum effectum, vt voto castitatis adstrictus semel matrimonium contrahat, manente voto integro

integro quoad reliquos effectus, quod nullus dicit.

Quare legitima ratio huius est, quia licet attento iure hæc dispensatio ad solum Pontificem pertineat: at consuetudine, quæ iurisdictionem præbet *cap. Cum contingat, de foro competenti*, introductum est, posse Episcopum in eo voto dispensare, nec ne-
3 cessarium est in hoc casu cōfugere ad potestatem habentem ex priuilegio dispēsandi: quia ratione dictæ consuetudinis id potest Episcopus etiam præsente Papa. Atque ita tenent Sot. *in 4. dist. 37. quæst. vnica art. 1.* Cordub. *sum. q. 146. p. 2.* Henriq. *lib. 12. de matrim. cap. 2. num. 9.* Roder. *p. 1. cap. 241. num. 2.* Vega *2. tom. sum. cap. 129. casu 51. & casu 118. p. 2.* Valent. *4. p. d. 10. q. 5. p. 5.* Lop. *p. 1. c. 46.* Emman. Sà *verb. Debitum coniugale num. 4.* & plerique alij.

QVÆSTIO CXX.

An Episcopus poßit dispensare cum eo qui voto castitatis ligatus matrimonium contraxit, quando nondum matrimonium est consummatum?

1 IN qua re conueniunt omnes, Episcopum non posse dispensare omnino in voto castitatis cum eo qui post illud, matrimonium contraxit. Quia est votum absolutæ, & integræ castitatis, quod Romano Pontifici reseruatur.

Sed dubium est, An possit cum eo dispensare, vt debitum petat?

2 Azorius *lib. 11. cap. 19. q. 20.* qui dicit hunc ratione voti castitatis implendi teneri ingredi religionem, tenetur subinde dicere non posse Episcopum in eo voto dispensare. Quia ille potest adhuc implere votum, ingrediendo religionem.

At quia multò probabilius est, hunc non teneri religionem ingredi, sed posse matrimonium cōsummare reddendo debitum; asserendum est, posse Episcopum dispensare, vt hic tali voto ligatus debitum petat. Quia 3
tenetur debitum reddere, nisi ad religionem transeat, ad quam vt diximus minimè tenetur. Vnde versabitur in magno incontinentiæ periculo, si petitio debiti sibi interdicatur: ac proinde poterit cum illo Episcopus dispensare ad petendum debitum. Ita Sot. *in 4. dist. 38. q. 2. art. 1.* & Roder. *p. 1. cap. 241. num. 2.*

QVÆSTIO CXXI.

An qui ex commißione potest dispensare in votis, vel iuramentis Deo factis, poßit eadem etiam commutare?

ILLVSTRISSIMVS Caiet. *2. 2. q. 89. art. 9.* Nauarr. *cap. 12. num. 79.* Valent. *2. 2. d. 6. q. 6. p. 7.* Azor. *lib. 11. cap. 10. q. 4. & cap. 18. q. 7.* & Sanch. *lib. 8. de matrim. disp. 2. num. 15.* absolutè negant. Ducuntúrque quia hæ facultates sunt omnino inter se distinctæ: ergo cui conceditur vna, non eo ipso conceditur altera. 1

Tum quia maior peritia desideratur ad rectè commutandum, quàm ad dispensandum: nam ad commutandum expendi debet, an sit æquiualens id, in quod votum commutatur, quod non est cuiusuis definire.

At dicendum est, eum cui facultas dispensandi in votis vel iuramentis Deo factis delegata est, posse consequenter eadem commutare. Ratio est, 2
quia *ex Regula 53. Cui licet de reg. iuris in 6.* Cui licet quod amplius est, licet quoque id quod minus est. Quæ regula

gula ad minus verum habet secundum omnes, quando minus continetur in maiori tanquam pars in suo toto, vel tanquam species in suo genere. At commutatio est minus, quam dispensatio, cum contineatur in ea tanquam pars in suo toto: quia dispensatio omnino vinculum voti dirimit; commutatio autem dissoluit solùm in parte, nempe vt impleatur in alia materia æquiualenti: ergo qui potest ex commissione dispensare, potest etiam commutare.

Tum quia, qui potest totum debitum remittere, multò magis potest etiam partem eius remittere: Sed qui
3 habet potestatem dispensandi, potest totum voti vinculum remittere: ergo multò magis & poterit partem, nempe vt id in aliam rem æquè gratam Deo, quod est commutare.

Tum quia, qui habet potestatem dispensandi, non cogitur relaxare votum, sed potest imponere aliquod onus licèt minus; hoc autem est commutare in minus, vel vt alij loquuntur partim ralaxare, partim commutare; immò, vt rectè Caiet. annotauit 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 12. regulariter est melius non dirimere votum purè, sed miscere semper aliquam commutationem, quia sic certius est non errari.

4 Et confirmatur, nam quando Papa dispensat, ita facit: ergo qui alteri committit potestatem dispensandi, concedit illi vt meliori, & securiori modo illa vtatur: ergo non cogit illum ad dispensandam purè, sed meliori modo quo id fieri potest: ergo si ipse iudicet expedire commutationem miscere, potest facere ex vi illius potestatis.

Tandem potestas dispensandi, vt rectè notat Nauarrus §. *in Leuit. notab.* 27. est fauorabilis: ergo tanquam priuilegium Principis est amplè interpretandum & extendendum ad commutationem. Et ideò ita tenent Sot. *lib.* 7. *q.* 4. *art.* 3. Arag. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. Couar. *cap. Quamuis pactum p.* 1. §. 3. *num.* 10. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 18. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 15. Less. *lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 104. Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 30. *num.* 5. & Suar. *lib.* 6. *cap.* 12. *numer.* 10.

Dixi notanter, *ex commissione*, quia 5
qui iuris authoritate habet potestatem ordinariam dispensandi, potest etiam commutare, vt patet de Episcopo, & de eo qui iure, vel consuetudine, vel præscriptione Episcopalem habet iurisdictionem, & de hoc nullus vnquam dubitauit: Sed quod in dubio versabatur, erat de eo qui ex commissione potest vota dispensare.

Et ad primum argumentum contrariæ opinionis, respondeo, dispensa- 6
tionem simpliciter, & commutationem voti non esse omnino diuersas, sed vnam in altera contineri: sicut pars in toto, & minus continetur in maiore: vel sicut secundum quid continetur in simpliciter, sub eodem genere dispensationis; nam omnis commutatio etiam in æquale, est dispensatio quædam vinculi, saltem quoad determinationem ad talem speciem solutionis.

Ad secundum respondeo, non minorem peritiam desiderari ad rectè faciendam puram dispensationem, quàm ad commutationem, quia in dispensatione expendi debet, an subsit causa iusta, vt votum omnino condonetur, quod sanè difficilius est, quàm aliquid inuenire, quod æquè sit gratum Deo. Et ideo qui est idoneus, vt ei concedatur potestas dispensandi, sine dubio reputari debet idoneus vt detur ei potestas commutandi.

QVÆST.

QVÆSTIO CXXII.

An is, cui conceditur facultas dispensandi vota, iure possit quoque iuramenta relaxare?

1 IN qua re conuenit inter omnes, eum qui ordinariam, vel delegatam potestatem habet dispensandi in votis, non posse dispensare in iuramentis promissoriis homini factis: quia tunc intercederet præiudicium tertij.

QVÆSTIO CXXIII.

Sed dubium est de iuramentis quæ soli Deo fiunt.

1 IN qua quæstione etiam est certum, eum qui ratione muneris, quo fungitur, ordinariam habet authoritatem dispensandi vota, posse quoque iuramenta soli Deo facta dispensare: vt patet de Episcopo, & de eo qui iure, vel præscriptione Episcopalem habet iurisdictionem.

QVÆSTIO CXXIV.

Tota igitur quæstio est de eo, qui virtute Iubilei, vel priuilegiorum delegatam facultatem habet dispensandi in votis: An eo ipso possit in iuramentis quæ soli Deo fiunt dispensare?

1 ILLVSTRISSIMVS Caietan. 2.2.*q.* 89.*art.*9. Sot. *lib* 8. *quæst.*11. *art.*9. Henriq. *lib.*7.*de indulg.cap.*30.*num.*5. Arag.2.2.*q.*89.*art.*12. Sayr. *lib.*5.*cap.*8. *num.* 9. & Suar. *lib.*6. *cap.*14. *num.*6. affirmant.

At verò Nauarr. *cap.* 27. *num.*275. allegans in suum patrocinium D.Th. 2.2.*q.*89.*art.*8.Less.*lib.*2.*c.*40.*dub.*16. *num.* 108. Azor. *lib.* 11. *cap.*10. *q.*2.& 2
Petr.de Ledesm. 2.*tom.sum. tract.*11. *cap.*4. rectiùs negant. Et ratio est, quia votum & iuramentum sunt vincula omnino specie diuersa: ergo in facultate dispensandi in votis, non intelligitur concessa facultas dispensandi, vel commutandi iuramenta.

Dices; cui conceditur maius, censetur etiam concessum quod est minus, *cap.Cui licet de reg.iuris in* 6. Sed iuramenti promissorij vinculum per se spectatum minus est, quàm votum; ergo. 3

Respondeo hanc regulam iuris intelligendam esse quando illa sunt subordinata, & minus includitur in maiori, tanquam pars in toto, vel in genere; non autem quando disparata, & omnino distincta sunt.

QVÆSTIO CXXV.

An facultas, quam Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 6. de reformat.*concedit Episcopis, absoluendi, & dispensandi circa casus omnes occultos, excepta irregularitate ex homicidio voluntario, competat etiam aliis Prælatis habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem, & Prælatis religionum.*

FRANCISCVS Suar.*de censuris disp.* 41.*sect.*2.*nu.*13.negat. 1

At verò Roder. *tom.*1. *qq.regul.q.* 61.*art.*9.affirmat, & meritò quidem. quia hi in sua diœcesi plenam Episcoporum iurisdictionem habent, abillisque sola consecratione distinguuntur, & confessarios pro suis diœcesibus approbant.

Tum

2 Tum quia id Concilij decretum, cum sit fauorabile, ample est interpretandum.

Tum quia Religionum Prælati in suis Monasteriis iurisdictionem habent quasi Episcopalem.

Tandem, Pius V. hoc ipsum declarauit in Breui quodam dato ad petitionem Prouincialis Prouinciæ Castellæ ordinis Prædicatorum, cuius tenorem refert Roderic. *vbi supra.*

QVÆSTIO CXXVI.

An dispensatio absque consensu Prælati facta valeat?

1 RESPONDEO non valere. Ratio est, quia actus non operantur vltra agentium intentionem. *l. Non omnis initio ff. si certum petatur.* Suar. *lib. 6. cap. vlt. num. 2.*

QVÆSTIO CXXVII.

An dispensatio absque consensu subditi acceptantis facta, sit valida?

1 RESPONDEO regulariter non valere. Ratio est, quia regulariter intentio superioris non est, cum subdito inuito dispensare: Et in hoc omnes conueniunt.

Sed quod in dubium vertitur, est: An si Prælatus velit omnino votum subditi relaxare, valeat dispensatio, quamuis subditus repugnet?

2 Arag. 2. 2. *q.* 89. *art.* 9. & Suar. *lib.* 6. *cap.* 1. *ad finem.* putant non valere. Probat Aragon. quia est actus iurisdictionis spiritualis.

Sed hæc ratio non valet, quia absolutio ab excommunicatione est actus iurisdictionis spiritualis, & tamen confertur inuito.

Suares autem probat, quia dispensatio est beneficium, quod in inuitum non confertur.

Nec hæc ratio valet, quia irritatio, & absolutio ab excommunicatione sunt etiam beneficia, & fauores, & tamen concessæ inuito valent.

Quare pro certo tenendum est talem dispensationem valere. Ducor, 2
quia subditus non potest sua voluntate præiudicare spirituali superiorum potestati, quæ est ad liberandum voti obligatione, dispensando in eo, si causa iusta subsit.

QVÆSTIO CXXVIII.

An, vt dispensatio conualescat ob defectum consensus, satis sit, vt ficte consentiens internum consensum præstet?

RESPONDEO sufficere, sicut quando matrimonium est nullum ob 1
defectum consensus alterius coniugis, id conualescit, accedente postea vero illius consensu. Cum enim externè dispensatio sit valida, & solus consensus internus desideretur, eo accedente, nil ad eius valorem deest.

QVÆSTIO CXXIX.

An voto adstrictus, teneatur aliquando eius relaxationem petere?

RESPONDEO teneri, & hoc in 1
duobus casibus. Primò quando voventi imminet graue, ac proximum transgressionis periculum; tunc enim vouens non quidem ex vi voti, sed lege charitatis tenetur sub mortali consulere suæ saluti spirituali, petendo eius voti relaxationem.

Secundò, quando dubitat, an sit peccatum exequi, vel non exequi suum votum, nec id dubium potest aliter vincere: tunc enim, vt ea perplexitate liberetur, tenetur relaxationem sui voti petere.

QVÆSTIO CXXX.

An ad dispensationem voti, iusta, & rationabilis causa requiratur?

1 RESPONDEO requiri. Ratio est, quia potestas dispensandi data est Prælato ad ædificationem, non ad destructionem: vt habetur 2. *Cor.* 10. Atqui ad destructionem cederet, si Prælatus sine aliqua debita, & iusta causa in votis dispensaret. Ita D.Tho. 2.2.*q.*88. *art.*12. & Caiet. *ibidem*. Sot. *lib.*7.*quæst.*4.*art.*4. Valent. 2.2.*d.*6.*q.*6. *p.*7. Arag. 2.2.*quæst.*88.*art.*12. Nauarr. *cap.*12.*num.*76. Tolet. *lib.*4. *cap.*18. & Lop. *p.*1.*cap.*49.

QVÆSTIO CXXXI.

An dispensatio facta sine iusta causa teneat? Vt si Prælatus sine iusta causa dispenset in voto, vel iuramento, & quocumque alio præcepto obligante ex iure diuino.

1 QVIDAM, quos tacitis nominibus refert D.Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.*12. *ad* 2. putant posse Prælatos ad libitum absque alia causa validè dispensare in votis subditorum: sicut pater, dominus, ac vir possunt ab libitum sine causa validè irritare vota filij, serui, & vxoris. Fundamentum horum authorum est, quia in omni voto includitur illa conditio, *Nisi Prælatus aliud disposuerit*, quam colligunt *ex cap. Venientes de iureiur.*

Communis tamen tam Theologorum, quàm Canonistarum sententia habet, dispensationem in voto, & iuramento, & quocumque alio præcepto obligante ex iure diuino, concessam, etiam à Romano Pontifice, absque legitima causa esse irritam, & nullam. Ratio est, quia voluntas inferioris non est per se efficax ad mutandam voluntatem superioris solo suo arbitrio. 2

Tum quia potestas dispensandi data est Ecclesiæ ad ædificationem, non ad destructionem: esset autem manifestissima destructio, si Prælatus pro sua mera voluntate, absque iusta causa votorum vincula relaxaret: vt testatur D.Bernard. *lib.*3.*de consideras. ad Eugen. cap.* 23. & tradit eleganter D.Thom. 2.2 *quæst.* 88. *art.*12. Caiet. *ibidem*, & *in summ. verb. dispensatio.* Nauarr. *cap.*12. *num.*76. & Sot. *lib.*7. *q.*4.*art.*3.

Hinc, non valet dispensatio cuiuscúque inferioris in lege superioris, si iusta, & legitima causa desit: vt si Episcopus dispenset in lege Papæ, aut ieiunij, aut obseruationis festorum, &c. Quia tunc dispensatur in alienis bonis, & in aliena voluntate superioris; 3 atque adeò Prælatus dispensans, non id instar domini efficit, sed instar ministri, & œconomi, qui, si contra domini voluntatem bona dissipat, non transfert dominium, vtpote qui sola administrandi, iuxta domini beneplacitum, potestate fungitur: ergo Prælatus indiget causa iusta vt validè dispenset in lege superioris.

Quare non est audiendus Rodericus *p.*1 *sum.cap.*24. *nu.*5. qui dicit inferiorem habentem plenitudinem potestatis à superiore concessam, qualem habet Nuncius Apostolicus in casibus sibi à Pontifice commissis, posse valide absque iusta causa dispensare. Quia illa potestatis pleni- 4 tudo

tudo non accipienda est ad dissipationem, sed vt secundum iura dispenset: atque ita dispensatio ab ipso absque iusta & legitima causa facta, est irrita.

Hinc, dispensatus à Papa super pluralitate beneficiorum sine causa iusta, non est tutus apud Deum: & similiter religiosus dispensatus à Papa, vt ad laxiorem religionem transeat, si causa legitima non subsit, non
5 est tutus in conscientia. Quia in his quæ iuris diuini, & naturalis sunt, Papa ius non habet, quando nulla iusta, & rationabilis causa subest, & consequenter peccat mortaliter Papa sic dispensando sine causa, & qui scienter huiusmodi voti dispensatione vtitur, eodem etiam modo peccat.

Nec obstant quæ in contrarium sunt adducta. Nam primò Pater, Dominus, ac vir potestate dominatiua sunt præditi, & ideò liberè possunt tamquam domini voluntatem filij, serui, & vxoris infringere, eorum vota ad libitum irritando. At potestas spiritualis Prælatorum, est solùm dispensatoria, & cum non sit in destructionem, sed in ædificationem data, nequeunt ad libitum vota suorum subditorum relaxare.

6 Secundò falsum est eorum fundamentum: quia nulla talis conditio includitur in votis: aliàs non probaretur inde posse Papam dispensare in votis: sed posse irritare illa, quod falsum esse supra ostendimus.

Nec *in cap. Venient.* dicitur in iuramento voluntatem Prælati esse exceptam, sed ius superioris, quod longe diuersum est.

QVÆSTIO CXXXII.

An is, cum quo Prælatus in voto, vel iuramento, aut lege humana dispensauit, sit tutus in conscientia, si postea constet causam non fuisse omnino iustam?

NAVARRVS *prælud. 9. num. 13.* & Philiarch. *de off. sacerd. tom. 1. p. 2. lib. 3. cap. 4.* tenent non esse tutum. 1

Cæterùm absque dubio dicendum est, ad validam dispensationem sufficere, vt causa prudenter, ac bona fide, adhibita diligenti consideratione, pro rei qualitate à Prælato putetur iusta, licet verè non sit omnino talis.
Quia non est credendum aliam esse 2
Pontificis intentionem circa suas leges, & Dei circa suas, in quibus permittitur inferiori dispensare. Id enim recta Ecclesiæ gubernatio postulat, quò scrupulis obuietur, ac tutæ sint conscientiæ subditorum. Atque ita tenet Azor. *tom. 1. lib. 7. cap. 29. quæst. 6.* vbi sic ait: *Si Prælatus aliquis bona fide lege ieiunij aliquem liberet, putans causam esse iustam, relaxatio prodest: quia bona fide facta est.* & Sanch *lib. 8. de matrimonio disputat. 17. num. 9.* sic ait. *Nisi Prælatus prudenter, ac bona fide dispensarit iudicans eam causam esse iustam, tunc enim tutus erit subditus, quamuis postea constet causam non fuisse sufficientem.* Et Less. *lib. 2. de iust. cap. 40. dub. 17. num. 19.* Sic ait. *Sufficit tamen vt causa bona fide, adhibito diligenti examine putetur iusta: tunc enim dispensatio erit valida, etiamsi postea causa deprehendatur non fuisse omnino talis: Deus enim ab homine non aliud exigit, quam vt faciat quod in se est.*

QVÆSTIO CXXXIII.

An si Prælatus nulla causæ cognitione præmissa dispēset in lege diuina,

vt voto, aut humana superioris, cum reuera erat causa legitima, talis dispensatio sit valida?

1 NAVARR. *Cap.fin.num* 4. *de simonia* Azor. *tom.*1.*lib.*5.*cap.* 15. *quæst.*9.*&* 10. Sanch.*lib.*8.*de matrim. disp.*34.*num.*26.& Suar. *lib.*6. *cap.*27. *num.*7. negant esse validam.

Cæterum quamuis hæc sententia sit satis probabilis, probabiliorem tamen credo contrariam, quæ asserit talem dispensationem esse validam in foro cõscientiæ. Ratio est, quia cogni-
2 tio ista non est absolutè necessaria, vt valeat dispensatio, sed vt legitimè, & absque peccato fiat: nec se exponat periculo faciendi actum inualidum contra ius diuinum: si ergo ex parte Dei subest iusta causa, dispensatio valet, etsi cognitio causæ non præcesserit.

Tum quia valet lex temerè, & absque causæ cognitione indicta, si reuera causa boni communis intercedat: ergo idem de legis dispensatione dicendum est.

3 Tum quia Henriq. *lib.* 12. *de matrim.c.*3. *in fine* ait, clausulam dispensationis, (*si preces veritate nitantur,*) non habere vim conditionis, sed monitionis, cum instructione, & præcepto quodam.

Tum quia vt rectè Minchaca *lib.*1. *contr.su. Illustr.cap.* 28. *num.* 6. tenet factum in foro conscientiæ, valere, quando finis habetur, quamuis forma, & solemnitas eiusdem iuris prætermittatur.

4 Dices: Conc. Trident. *sess.*25. *cap.* 18. decernit dispensationem sine causæ cognitione factam esse subreptitiam.

Respondeo Concilium intelligi præsumptiuè pro foro externo. Et ideò ita tenent Armil. *verb. dispensatio num.*14. Lop. *p.*1. *cap.*4. & Suplem. Gabr. *in* 4. *distin.*38. *quæstion.*1. *artic.*5.

QVÆSTIO CXXXIV.

An, vt dispensatio sit valida, requiratur vt causa sit manifestè iusta?

RESPONDEO ad dispensandam non requiri vt causa sit manifestè iusta, sed sufficere, si prudentis arbitrio sit dubium an sit iusta: quia in hoc dubio ad mitiorem partem inclinandum est. 1

Tum quia multis scrupulorum occasionibus exposita esset dispensandi potestas, si ad causas solas certas extenderetur; & vix auderent superiores dispensare. Immo inutilis esset hæc potestas, cum rarò constet de causæ sufficientia. Et ita sentit D. Thom. 2. 2 2.*q.*88.*art.*12. Syluest. *verb. dispensatio q.*14. *num.*20. vbi sic ait. *Prelati dispensare possunt, quando eis constat de causa legitima, & etiam si dubitent. Quia ad clementiorem partem declinandum est.* Palac. *in* 4. *dist.*38. *dist.*3. vbi dicens dispensationem exigere causam iustam, addit: *Et per causam huiusmodi, subaudi non euidenter iustam, sed probabilem, vel dubiam.* & Sanch. *lib.*8. *de matrim. disp.*17.

QVÆSTIO CXXXV.

An, si causa est notoria, peccet Prælatus si absque causæ cognitione, dispenset?

IOANNES Medina *tract. de pœnitent. quæst. de dispensat. super confessione reuelanda*, affirmat peccare. 1

At pro certo tenendum est, eum non peccare. Et ratio est, quia in notoriis non requiritur ordo iuris, nec notorium eget examinatione causæ.

Tum

Tum quia id examen exigitur, ne Prælatus temerè dispenset, quæ temeritas cessat, vbi certus est de causa.

QVÆSTIO CXXXVI.

An cum dubia est sufficientia causæ ad dispensandum, dispensante superiore, aut habente ad id priuilegium, subditus sit tutus in conscientia?

1 RESPONDEO esse tutum. Ratio est, quia in hoc dubio subditus potest stare iudicio dispensantis. Ita D.Tho.2.2.q.88. *art.* 12. *ad* 2. Sot. *in* 4. *dist.* 21. *q.* 2. *art.* 2. vbi tractans de dispensatione voti à Pontifice concessa absque causa esse irritam, subiungit, si manifestus error non interueniat, præsumi causam iustam. & *lib.* 7. *de iust. q.* 4. *ar.* 2. vbi ait, tunc dispensationem in voto esse irritam quando manifestè constat nullam esse causam. Sayr. *lib.* 4. *cap.* 12. *num.* 25. Arag. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. & Suar. *lib.* 6. *cap.* 17. *num.* 6. & 20.

QVÆSTIO CXXXVII.

An, quando Prælatus in voto dispensat, censeatur ex iusta causa dispensare, cum de ea non constat?

1 RESPNDEO censeri iusta de causa dispensare. Ratio est quia subditi non est facta sui Prælati discutere. Ita Sot. *in* 4. *dist.* 20. *q.* 2. *art.* 2. & *lib.* 7. *q.* 4. *art.* 3. & Suar. *de censuris disp.* 41. *sect.* 3. vbi ait, in foro interno sufficere, vt non constet subdito de causæ defectu, quamuis in externo opus sit causam probare.

QVÆSTIO CXXXVIII.

An, qui absque causa legitima in lege dispensat, peccet?

ET quidem certum est, eum qui in re graui absque iusta causa in lege diuina, aut cuiuscumque superioris dispensat, peccare mortaliter. Quia ea dispensatio est ipso iure irrita, & ideò à legis transgressione non excusat. 1

QVÆSTIO CXXXIX.

Sed dubium est, quando quis in propriis legibus dispensat.

PALVD. *in* 4. *disp.* 38. *q.* 4. *art.* 4. docet eum non peccare. 1

At pro certo tenendum est, eum etiam si Romanus Pontifex sit, qui absque causa iusta cum aliquibus, in suis legibus dispensat, peccare. Quia violat ius naturæ dictans partem suo toti congruere debere, excipiens temerè, & imprudenter aliquos per dispensationem. Vnde talis dispensatio potius dissipatio censenda est authore D.Bernard. *lib.* 3. *de consid. ad Eug. ad finem*, & colligitur ex Conc. Trident, *sess.* 24. *de matrim. c.* 5. & tradit D.Tho. 1. 2. *q.* 97. *art.* 4. Caiet. 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. & *in sum. verb. dispensatio in initio.* Sot. *lib.* 1. *q.* 7. *art.* 3. Valent. 2. 2. *d.* 5. *q.* 7. *p.* 2. Azor. *lib.* 5. *c.* 15. *q.* 2. & alij. 2

QVÆSTIO CXL.

Sed, An hic legislator, qui in propria lege dispensat absque iusta causa, peccet mortaliter, non conueniunt Doctores.

CAIET. *in sũ. verb. dispẽsat. in princ.* tenet eum peccare mortaliter. 1

At verius est, cessante scandalo, ac aliorum iniuria, eum non peccare nisi venialiter. Ratio est, quia his cessantibus, non est res grauis, quempiam à legislatore, absque iusta causa, à legis obligatione eximi. Cum lex illa à legislatoris voluntate vim habeat. Ita Valent. 1.2.*d*.7.*q*.5.*p*.9. & Nauar. *præludio 9. num.* 14.

QVÆSTIO CXLI.

An qui talem dispensationem petit, sciens deesse causam iustam, peccet?

1 ET quidem certum est, eum peccare. Quia rem illicitam petit à legislatore, estque ei in culpa adiutor.

Sed tota difficultas consistit, an peccet mortaliter?

Petr. de Ledesm. *sum. Sacrament. vbi de*
2 *matrim. cap.* 27. *num.* 6. ait hunc peccare mortaliter.

Couar. 4. *decret.* 2. *p. c.* 6. §. 9. *num.* 7. ait eum peccare venialiter, & forsan mortaliter.

At tenendum est, hunc eodem modo peccare, quo peccat qui sic dispensat. Vnde si dispensans peccat mortaliter, vel venialiter iuxta supradicta; petens quoque reus erit culpæ mortalis, vel venialis; quia cooperatur dispensantis peccato, ad idque inducit.

QVÆSTIO CXLII.

An, qui dispensatione sine causa concessa vtitur, peccet?

1 NAVAR. *in Man. cap.* 12. *num.* 57. tenet eum, si desit scandalum, ac aliorum damnum, non peccare.

At verius est, eum in vsu talis dispensationis peccare. Quia licet ablata sit illius legis humanæ obligatio, ratione dispensationis: at superest obligatio legis naturalis, quæ dictat neminem debere absque causa legitima à suo toto discrepare. Vnde, etsi hic non peccet aduersus illam legem humanam, at peccat contra hoc ius naturæ. Et ideò ita tenent Caiet. 1.2. *quæst.* 96. *art.* 5. Sot. *lib.* 1. *quæst.* 7. *art.* 3. Valent. 1.2.*d*.7.*q*.5.*p*.9. Cord. *in suo quæst. lib.* 4.*q*.8. & Azor. *lib.* 5. *cap.* 15. *q*. 3. 2

QVÆSTIO CXLIII.

Sed maius dubium est, An hic qui tali dispensatione vtitur, peccet mortaliter?

PETR. de Ledesm. *sum. Sacram. vbi de matrim. cap.* 27. ait eum peccare mortaliter. 1

At omnino tenendum est, eum non peccare, nisi venialiter, si desit scandalum, & iniuria aliorum notabilis. Quia qui tali dispensatione vtitur, non consentit peccato dispensantis; cùm id peccatum omnino transierit: solúmque superest in illius vsu ea partis cum toto deformitas, quæ secluso scandalo, vel alio damno, non est ita grauis, vt peccatum mortale inducat. Ita Nauar. Sotus, Couar. Cord. Valent. & alij supra. 2

QVÆSTIO CLXIV.

An hic, cum quo sine causa legitima est dispensatum in lege, teneatur iure naturæ, non obstante dispensatione, talem legem adimplere?

RESPONDEO teneri. Ratio est, quia si hic peccat venialiter vtens tali 1

tali dispensatione, quia agit contra ius naturæ, quod dictat indecens esse partem non conformari suo toto: ergo eodem iure naturæ, tenetur legem seruare sub culpa veniali.

QVÆSTIO CXLV.

An ad dispensandum in voto, requiratur causa illius executioni obstans?

1 RESPONDEO requiri causam obstantem. Ratio est, quia vt dispensatio hæc legitima sit, debet redundare in Christi honorem, aut Ecclesiæ vtilitatem: vt rectè docet D.Th. 2.2. *quæst.* 88. *artic.* 12. ex illo Pauli 2. *Cor.* 2. *Nam & ego quod*, &c. At deficiente causa obstante voto exequendo, non cedit in honorem Christi, aut Ecclesiæ vtilitatem, sed potius expediret id votum impleri; ergo. Ita Caietanus 2.2.*q.*88.*art.*12. Sot.*lib.*7.*quæst.* 4.*art.*3. Nauar.*de indulg. super* §.*in Leuit.notab.*27.*nu.*2. Arag.2.2.*quæst.*88. *art.*12. Valent.2.2.*d.*6.*q.*6.*p.*7. & Sanches *lib.*8.*de matrim.disp.*20.*nu.*3.

QVÆSTIO CXLVI.

An eadem causa executioni voti obstans sit necessaria, dum votum commutatur in minus?

1 RESPONDEO sic. Ratio est, quia tunc admiscetur nonnulla voti dispensatio. Sot. *lib.*7. *quæst.*4. *art.*3. Arag. 2.2. *quæst.* 88. *art.*12. & Sanch. *lib.*8. *de matrim.disp.*20 *num.*4.

Hinc non est iusta dispensandi causa, conferre magnam pecuniæ summam, si nulla causa executioni voti obstans reperiatur. Quia vt diximus dispensatio causam obstantem executioni voti requirit. At posset esse commutatio, si eleemosyna hæc eroganda, esset æqualis obsequij diuini, ac votum. Ita Arag.2.2.*q.*88.*art.*12.

QVÆSTIO CXLVII.

Quænam sint causæ iustæ dispensandi in votis?

RESPONDEO in hoc certam regulam dari non posse, sed arbitrio superioris esse relinquendum, quæ sit iusta causa, iuxta Nauar. *cap.* 12.*num.* 77. tamen ex D.Thom.*in* 4. *dist.*38.*q.*1.*art.*4.*q.*3. & 2.2.*q.*88. *art.* 12. Soto *lib.*7.*q.* 4. *art.* 3. Sylu. *verbo votum* 4. §. 6. & aliis infra citandis colliguntur aliquæ causæ in particulari, quibus adductus superior in votis dispensare potest. 1

Prima causa iusta dispensandi in voto est vtilitas Ecclesiæ, & honor Dei.

Secunda causa dispensandi est difficultas magna superueniens, casu quo non sit talis, vt voti obligationem extinguat, vt v.g. vouit quis peregrinationem ad limina Apostolorum, iterque illud pedibus conficere: & postea effectus est podagricus, ex quo non potest commodè votum implere, tunc licitè cum eo dispensari potest. Quod intelligitur quando hæc difficultas est denuo suborta. Quia si à principio inerat, & fuit cognita, vel præuisa, non est iusta causa dispensandi, nisi aliquid noui accidat dispensatione dignum. Quia tota illa difficultas fuit voluntariè Deo oblata. Ita Suar.*lib.*6.*c.*17.*nu.*11. 2

Tertia causa sufficiens ad dispensandum in voto, est vehementis transgressionis periculum in eo qui vouit, hoc est, quando verisimiliter timetur vouentem sæpius violaturum esse votum. Vt si coniugatus habeat votum castitatis, est causa sufficiens ad dispensandum cum illo, vt possit petere debitum, ne obligatio pro charitatis perfectione inducta, vergat in eius dispendium: idque 3

in

in Christi honorem, ac Ecclesiæ vtilitatem redundat, ne homines laqueis irretiti sint. Ita Nauar. *cap.* 12. *num.* 78. Suar. *lib.* 6. *c.* 17. *nu.* 9. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 30. & Valent. 2. 2. *d.* 6. *q.* 6. *p.* 7.

4 Temperat hoc Magister Sotus *lib.* 7. *q.* 4. *art.* 3. quando transgressionis periculum consurgit ex infirmitate, vel passione, quibus attentis votum est seruatu difficile, ac viribus impar. Secus si periculum consurgat ex malitia, ac prauo eiusdem vouentis habitu.

At hæc limitatio displicet, quia eo habitu supposito, & magna fragilitate inde acquisita, res illi promissa, est reddita viribus impar, ac votum illi est factum inutile, vtpote quod non medicinæ, sed laqueo, non vitandis peccatis, sed augendis deseruit.

Hinc, non est iusta dispensandi causa v. g. in voto, vel iuramento non ludendi, vehemens ludendi desiderium, ac tentationes pati; vt rectè docet

5 Nauar. *cap.* 12. *num.* 11. Sed tunc tantum, quando eæ tentationes eò vouentem trahunt, vt frequenti voti transgressione, voti transgressionis eum periculo exponant.

Hinc, non est audiendus Sotus, qui, *loco supra citato*, ait, solam priuatam vouentis vtilitatem, non esse causam dispensandi in religionis voto. Nam contrarium constat ex dictis, diximus enim frequentes voti transgressiones ex praua vouentis affectione prouenientes, esse iustam causam, vt cum eo ad ineundum matrimonium dispensetur; Cum tamen priuatum vouentis bonum causa hæc respiciat. Nauar. *cap.* 12. *num.* 77. Azor. *lib.* 11. *cap.* 19. *q.* 17. & Lop. *p.* 1. *cap.* 49. Quod Sanch. *lib.* 4. *decalogi cap.* 45. intelligit dummodo aliqua commutatio misceatur, vt solet Pontifex miscere. Immo Caiet. *tom.* 1. *opusc. tract.* 17. defendit priuatam vtilitatem esse iustam causam dispensandi in voto castitatis solemni, nedum in simplici. Cuius opinio quamuis quoad votum solemne displiceat, placet tamen quoad votum simplex, de quo in præsenti loquimur.

Quarta causa dispensandi est necessitas boni communis: vt v. g. vouit quis ingredi religionem, sed commune bonum Reipublicæ postulat, vt matrimonium contrahat; in hoc casu hæc iusta causa est, vt cum eo dispensetur. Quia bonum commune est priuato præferendum. Ita Caiet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. vbi bene ait, nihil referre, etiamsi illa boni communis causa sit excitata ex hominum malitia, vt si bellum sedari non posset, nisi puella voto castitatis ligata nuberet, est iusta dispensandi causa. 6

Hinc, non est iusta causa dispensandi in voto castitatis, aut religionis, necessitas conseruandi progeniem alicuius nobilissimi Ducatus, aut Marchionatus, nisi aliqua cõmutatio commisceatur: vt rectè Nauarr. *lib.* 3. *consl. tit. de voto consl.* 32. *num.* 3. & Henriq. *lib.* 11. *de matrimon. cap.* 3. *num.* 9. annotarunt. 7

Quinta causa sufficiens ad dispensandum in voto, est copia, & numerositas familiæ, eiúsque nocumentum ex absentia patrisfamilias si peregrinationis, quam vouit, exequatur votum. Quia his subuenire, est quidem opus pietatis, sed interdum præfertur operi religionis. Nauarr. *cap.* 12. *nu.* 77. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 30. & Suar. *lib.* 6. *cap.* 17. *num.* 13.

Sexta causa dispensandi in voto, est repentina deliberatio, vt quando quis ex subito iracundiæ calore, aut alia subita passione non tollente iudicium necessarium ad voti valorem, aut ex leuitate, aut facilitate aliquid vouet. Ratio est, quia cum obligatio voti vim habeat ex libera vouentis voluntate, 8

luntate, qua se ad id adstrinxit, diminutio huius voluntatis de se minuit obligationem: & ideò præbet iustam dispensandi causam: vt colligitur *ex cap.2.de voto ibi, Nos autem, &c.* & tradit Nauarr.*cap.12.num.26.& 77.* Caietan.*2.2.quæst.88.art.1.* Sot.*lib.7.q.1. art.2.* Arag.*2.2.q.88.art.1.* Sayr. *lib.6. cap.12. num.30.* & Suar.*lib.6. cap.17. num.8.& 14.* qui hoc limitat, vt intelligatur hæc causa, nisi votum noceat, sed reperiatur postea vtile: tunc enim non erit hæc causa sufficiens dispensandi in voto.

9 At hæc limitatio displicet, quia non tollitur defectus prudentis, ac maturæ deliberationis, ex accidentario euentu, qui hâc dispensandi causam præbet.

Ex quo colligitur primò, metum mortis procedentem ex naufragio, aut ex alia causa non incussa ad extorquendum votum, præbere sufficientem dispensandi causam. Quia regulariter is metus prudens consilium, ac maturam deliberationem excludit. Quod est verum, etiamsi is metus sit leuis, si matura deliberatio desit. Quia cum defectus prudentis deliberationis præbeat hanc causam, nil refert qualitas metus ad votum conducentis. Ita Suar.*lib.6.cap.17.nu.8.* & Sayr. *lib.6.cap.12.num.30.*

10 Secundò sequitur, dolum quoque quo votum emissum est, esse iustam dispensandi causam. Quia ille valde minuit voluntarium. Ita Sayr. *lib.6. cap.12.num.30.*

Tertiò sequitur, errorem circa causam voti impulsiuam, aut quando ea causa cessauit, præbere iustam dispensandi causam Quia minuit etiam voluntarium.

Dixi consultò (*impulsiuam*) quia quando est error circa causam finalem, qui omnino impedit valorem voti, nulla dispensatione indiget.

11 Septima causa dispensandi in voto est, quando materia promissa est facta mala, aut inutilis, aut moraliter impossibilis, aut maius bonum impediens: vt docent D. Thom. *2. 2. q. 88. art.10.* & ibi Caietan. communiter recepti. Quod intelligitur in casu dubij, quia quando clarum est aliquam ex quatuor causis supradictis interuenire, potest tale votum absque vlla dispensatione, vel commutatione omitti. Ratio est, quia votum debet esse de re licita, vtili, possibili, ac meliori. Vnde deuiat à fine, & ratione voti, non solum quando contrarium est certum, sed etiam in casu dubij: nam etiam id dubium derogat seueritati voti. Sic enim explicant D.Tho. *2.2.q.89 art.9.ad 3.* Sot.*lib.8. q.1. art.* & Azor.*lib.11.cap.19.q.17.*

Octaua causa dispensandi in voto, 12
est maior vtilitas, & maior spiritualis ipsius vouentis fructus. Ratio est, quia per votum principaliter intenditur spiritualis vouentis vtilitas. Ita Suar. *lib.6.cap.17 num.10.* qui optimè addit, id esse verum, quamuis ea spes sit cum aliquo dubio.

Nona causa dispensandi in voto est, cum ob defectum debitæ materiæ, aut finis, vel alterius circumstantiæ redditur dubia voti obligatio, quamuis id dubium non sufficiat ad irritandū votū. Quia aliàs esset inutilis authoritas Prælatorum ad dispensandū, cum dispēsatio nulla exigatur in casibus certis excusantibus à voti obligatione. Ita D.Thom.*2.2.q.89. art.9. ad 3.* Cord. *in summ.q.147.* Azor. *lib.11.cap.19.q.17.* & Suar.*lib.6.cap.17.num.10.*

Decima, & vltima causa dispensan- 13
di in voto est incommoditas inplendi, vel difficultas ex parte operis, vt quia res voto promissa est ardua, & viribus vouentis impar, vt austerum aliquod ieiunium, aut longa peregrinatio pedestris: non tamen quando ex corrupta eiusden vouentis affe-

ctione procedit; quia tunc non est causa legitima dispensandi, si illa difficultas fuit causa vouendi. v. g. Titius videns se esse deditum gulæ, propter hoc vouit ieiunare, dum postea hoc facit cum magna difficultate, difficultas ista non potest esse causa idonea dispensandi, quia cum id votum sit factum ad medendum huic prauo habitui, hæc non potest illius tollendi causa esse legitima. Quod Philarch. *de offic. sacerdot. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. censet esse verum, quando est spes emendationis: at quando non est talis spes, est causa legitima ad alleuiandum eius peccatum, ne sit etiam contra votum.

14 Hic autem est aduertendum, quod non semper singulæ causæ supradictæ sufficiunt ad totalem voti dispensationem, cui nulla commutatio admixta est, sed sæpe plures debent concurrere, aut aliqua commutatio commisceri: & quo causa dispensandi maior fuerit, eo minori commutatione opus erit. Et ideò Pontifex semper admiscet aliquam commutationem, dum dispensat, quia raro concurrit causa sufficiens ad meram dispensationem: vt rectè docent Caiet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. Suar. *lib.* 6. *cap.* 17. *num.* 4. & Sayr. *lib.* 6. *cap.* 17. *num.* 15.

QVÆSTIO CXLVIII.

An peccet, si facultatem dispensandi, ac commutandi habens, dispenset omnino, nulla commutatione admixta?

1 SOT. *lib.* 7. *de iust. q.* 4. *art.* 3. & Roder. *p.* 1. *sum. cap.* 102. *num.* 4. affirmát. Quia infidelis dispensator est, qui cum minori iactura potens aliquid efficere, cum maiori facit. Et idem dicunt de petente.

Cæterum tenendum est vtrumque culpa vacare, quando causa sufficiens talis dispensationis adest. Ratio est, quia certum est Prælatos gaudere potestate non solùm commutandi vota, verùm etiam dispensandi omnino absque commutatione admixta: ergo quoties adest iusta causa totalis dispensationis, nullum est peccatum ea vti. Quia tamen causæ ad omnino di- 2
spensandum sunt raræ, est optimum consilium admiscere dispensationi aliquam commutationem; & quo causa dispensandi maior est, eo minor commutatio exigitur. Atque ita tenent Caiet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. vbi sic ait. *Possunt Prælati ex causa dispensando, in minus commutare, sicut etiam possunt ex causa dispensare absolutè.* Nauarr. *cap.* 12. *num.* 63. vbi sic ait. *Qui habet authoritatem dispensandi poterit omnino relaxare absque eo quod loco voti aliquid iniungat.* Hoc idem docent Suar. *lib.* 6. *cap.* 17. *num.* 18. & 21. & Less. *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 17. *num.* 120.

QVÆSTIO CXLIX.

An maior causa exigatur ad dispensandum in voto, quam in lege humana?

QVÆSTIO est, cuius meminit 1
Suar. *lib.* 6. *cap.* 17. *num.* 14. Respondet autem ipse affirmatiuè. Quia strictior est obligatio iuris diuini naturalis, quo votum obligat, quàm obligatio iuris humani, quo lex humana obligat.

QVÆSTIO CL.

An minor causa exigatur ad dispensandum in tempore executionis voti, quàm in ipso voto?

RESPON

RESPONDEO sic. Ratio est, quia priori casu eademmet obligatio manet, & sola executio differtur, at posteriori tota aufertur. Et quo maior est dilationis mora, eo maiori causa opus est, quia est maior dispensatio.

QVÆSTIO CLI.

An quando votum sæpius repetitur circa eandem materiam, dispensatio illius maiorem causam requirat, quàm si semel tantum emissum esset?

1 QVÆSTIO est cuius meminit Azor. *lib.* 11. *cap.* 14. *q.* 1. Respondendum est ergo iuxta mentem eius negatiuè. Ratio est, quia votum repetitum idem reputatur, & nullam nouam obligationem inducit, sed solam pristinam confirmat.

QVÆSTIO CLII.

An sit causa iusta ad dispensandum in voto castitatis, morbus cui periti medici iudicant actibus venereis solis succurri posse?

1 ET quidem loquendo de solemni voto castitatis, clarum est, non esse causam sufficientem. Quia cum eius voti dispensatio in graue damnum status religiosi cedat, multo grauiorem causam dispensandi, & solum boni communis petit. D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. *ad* 3. & ibi Caiet.

QVÆSTIO CLIII.

Sed dubium est de voto castitatis simplici?

DANTON. 2. *p. tit.* 11. *cap.* 2. §. 9. *ad finem* negat esse causam sufficientem. 1

Sed contrarium tenent Sotus *lib.* 7. *q.* 4. *art.* 2. & Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 20. *num.* 26. & meritò, quia negari nequit materiam voti notabiliter esse mutatam, & grauem difficultatem superuenisse à vouente non excogitatam: & quamuis iure optimo possit vitæ periculum eligere ob castitatis seruandæ amorem: at res ita ardua est, vt meritò credendum sit, velle Deum, qui huius obligationis creditor est, vt Prælatus vices eius gerens, ex hac causa id votum partim relaxet, partim verò commutet. 2

QVÆSTIO CLIV.

Quanam causa sit iusta dispensandi cum aliquo religioso, vt ad aliam religionem laxiorem se transferat?

RESPONDEO ad hoc, vt aliquis religiosus se transferat ad aliam religionem laxiorem, iusta, & sufficiens causa est infirmitas, seu debilitas, & delicata complexio ad obseruandas austeritates suæ religionis. Item vrgens parentum necessitas vtpote, si in religione propria non sit commoditas ad subueniendum eis. Item iusta ignorantia eorum quæ promittuntur in tali religione, vt si quis propter suam simplicitatem non intellexit regulam, nec eius præcepta obligatoria tempore professionis, & postea videt se strictius obligari, licitè posset Prælatus cum illo dispensare, vt ad aliam religionem laxiorem transeat. 1

QVÆSTIO CLV.

An causa sufficiens ad dispensandum, vt quis poßit ad laxiorem ordinem transire, sit difficultas, & molestia obseruandi præcepta religionis?

1 RESPONDEO si difficultas sit in re ipsa, quia temerè non commensurando vires suas, & religionis austeritates cum sua tenui complexione professionem emisit, sufficiens est causa dispensandi. At verò si difficultas illa ortum habet ex prauo suo habitu, & deprauata consuetudine, non est causa sufficiens dispensationis. Quia nemo debet ex delicto reportare commodum. Ita Sotus *lib. 1. q. 7. art. 3.*

QVÆSTIO CLVI.

An si difficultas ex aliqua causa accidat post professionē, vtpote ex aliqua infirmitate, vel ex quacumque alia ratione, sit causa iusta ad dispensandum, vt quis ad aliam laxiorem religionem transeat?

1 RESPONDEO non esse causam sufficientem. Ratio est, quia in tali casu religionum Præfecti cum ipso dispensare possunt, & debent in austeritatibus religionis. Verùm si dicti superiores nollent cum eo dispensare,& fratres murmurarent, dicentes hunc relaxare relgionem, magis præ oculis habentes exteriorem austeritatem, quàm charitatem, causa sufficiens erit ad dispensandum cum illo. Ita Sot. *lib. 1. q. 7. art. 3.* & Roder. *tom. 3. qq. regul. q. 52. art. 9.*

QVÆSTIO CLVII.

An persecutio magna sit sufficiens causa ad dispensandum, vt ille qui persecutionem patitur, ad aliam laxiorem religionem transeat?

RESPONDEO esse causam sufficientem, si is qui persecutionem sustinet non dedit causam ad talem persecutionem, sed gratis odio habetur. Ratio est, quia tunc ad Christianam charitatem talis causa referri potest. Sed si dedit causam talis persecutionis, minimè erit talis persecutio causa sufficiens ad dispensandum. Quia nemo ex peccato debet commodum reportare. Ita Nauarr. *in cap. Statuimus num.* 10. Quod Roder. *tom. 3. q. 52. art. 9.* limitat, nisi ipse prædictæ causæ datæ iam egerit pœnitentiam, & per signa exteriora contritionis emendatum se ostenderit: nam si hoc non obstante, persecutio apud falsos fratres non cessat, *non video* (ait Roder.) *cur ipsi dispensatio debeat denegari.* 1

QVÆSTIO CLVIII.

An ex taciturnitate veri, aut falsi expreßione corruat dispensatio?

MOLINA *tom. 3. de iust. disputat. 650. num. 2.* & Couar. *4. decret. 2. p. cap. 8. §. 9. n. 1.* tenent dispensationem esse irritam, quoties veritas illa tacita non tantum est causa finalis, sed etiam impulsiua concessionis: quia nimirum ea veritas significata retraheret Prælatum, vel à dispensatione, vel saltem eam difficilius concessisset. 1

Syluest.

Syluest. *verb rescriptum q. 6. & 7.*
2 *& verb. legitimus quæst. 3.* docet solum vitiari dispensationem tacita veritate, quæ est causa finalis dispensationis, id est, qua cognita minimè Prælatus concessisset: secus quando est solum causa impulsiua, quia nimirum ea declarata, tandem dispensasset, quamuis maiori cum difficultate.

At verò Nauar. *cap. 22. nu. 86.* Henriq. *lib. 11. de matrim. cap. 2. nu. 6.* Lop. *p. 2. cap. 112.* & Emman. Sà *verb. dispensatio num. 10.* docent non ex omni
3 veritatis taciturnitate reddi dispensationem irritam, quamuis ea narrata Prælatus non concessisset, sed tunc solùm, quando tacetur veritas, quam iura iubent exprimi. Pro quo

Primò dico, quod quando ex iure positiuo, aut stylo curiæ, aut ex consuetudine est aliquid in dispensationis impetratione exprimendum, taciturnitas illius, aut falsa eius expressio reddũt dispensationem irritam, etiam si ignoranter id factum fuerit; & quamuis constet, quod veritate cognita, Prælatus eadem facilitate concessisset. Ratio est, quia tanquam formam exigunt iura eius rei expressio-
4 nem. At forma ad vnguem est obseruanda etiam in minimis *l. 1. ff. de libert. & posthum.* Quare ea deficiente, corruit dispensatio. Ita Suar. *lib. 6. cap. vlt. num. 5.* & Sanch. *lib. 8. disp. 21. num. 15.*

Secundò dico, quod quando nec ex iure, nec ex stylo curiæ, nec ex consuetudine constat, aliquid specialiter esse in dispensatione exprimendum, existimo sententiam Syluestri esse verissimam, nimirum tunc dispensationem esse subreptitiam ex veritatis taciturnitate, quando ea veritas tacita est circa qualitates intrinsecas
5 tangentes substantiam ipsius voti, & illis expressis Prælatus illam non concederet, vel non eodem modo, quo concessit; sed quibusdam moderationibus adhibitis: secus quando veritas tacita est circa qualitates dispensationis extrinsecas, & eodem prorsus modo concederet, etsi difficilius. Atque ita solius causæ finalis taciturnitas vitiabit gratiam. Et in casu dubij an causa in dispensatione tacita, vel falsò expressa, sit finalis, ita vt sine illa dubitatione non concederetur, vel tantum sit impulsiua, præsumi esse causam impulsiuam, vt latè probat Sanch. *lib. 8. de matrim. d. 21. num. 20.*

Hinc, non est audiendus Nauar. 6
lib. 5. consil. tit. de homic. consil. 4. num. vnico, vbi asserit dispensationem irregularitatis ex homicidio presbyteri contractæ, esse subreptitiam, si taceatur occisum fuisse presbyterum. Quia cùm irregularitas homicidij inducta sit, non tam ob delicti grauitatem, quàm ob defectum perfectæ lenitatis, fuisse presbyterum, aut quemcumque alium hominem interfectum, est qualitas omnino extrinseca, & nil ad irregularitatem faciens.

Hinc, qui vouit in religione profiteri, & postea intendens super tali voto dispensationem obtinere, solum Romano Pontifici expressit se vouisse religionem, subreptitia est talis dispensatio. Quia non satis explicauit 7
substantiam voti, quod emisit: vota enim ingrediendi, & profitendi sunt substantialiter diuersa: nam primum solùm obligat ad ingressum bona fide, ita vt tempore probationis liceat ex iusta causa egredi. At secundum omnino obligat ad profitendum, vt rectè docet Nauarr. *cap. 12. num. 46.* Lop. *p. 1. cap. 44.* Roder. *p. 2. cap. 97. nu. 5.* & Vega *2. tom. cap. 129. casu 29.*

Hinc, qui vouit se futurum religiosum, & deinde volens super tali voto dispensationem impetrare, solum Romano Pontifici explicauit, se vouisse religionem, valida est ista dispensa

8 pensatio. Quia vtrumque votum solis verbis differt, & reipsa idem est, ad solúmque ingressum bona fide ad experiendum, obligat: vt contra Caiet. qui perperam inter vtrumque votum distinguit, tenet Azor. *lib.* 11. *cap.* 22. *quæst.* 7.

Hinc, qui habens votum castitatis, dicit se vouisse non ducere vxorem, vel non fornicari, & petit dispensationem, subreptitia est talis dispensatio. Quia est error in substantia voti dispensandi.

Hinc, qui vouit se suscepturum ordinem sacrum, & deinde petit dispensationem voti non nubendi, subrepti-
9 tia est ista dispensatio. Quia illa vota sunt substantialiter diuersa; & licèt ex priori sequatur etiam obligatio ad non nubendum, plus tamen inuoluit.

Hinc, qui habens votum certum, petit dispensationem voti dubij, sub-
10 reptitia est dispensatio. Quia est error in substantia rei, in qua dispensatur, cùm votum dubium non sit verè votum. Quæ ratio idem probat in commutatione, & irritatione.

QVÆSTIO CLIX.

An omnis expressio falsi vitiet dispensationem?

1 NAVAR. *cap.* 22. *num.* 86. Lop. *p.* 2. *cap.* 112. Roder. 2. *tom. qq. regul. q.* 46. *art.* 6. & Couar. 4. *decret.* 2. *p. cap.* 6. §. 10. *num.* 14. tenent in vniuersum dispensationem esse subreptitiam, etiamsi causa falsò expressa sit impulsiua.

At pro certo tenendum est, solius causæ finalis falsæ expressione vitiari dispensationem, nimirum quando Prælatus ea falsitate non expressa,
2 gratiam minimè concessisset. Secus quando concessisset, etsi multo maiori difficultate. Ratio est, quia eamdem libertatem exigit donatio, ac gratia à Prælato concessa, cùm vtrumque à mera alterius voluntate emanet: immo maiorem postulat donatio, vtpote quæ nullam debiti rationem habet; quam tamen habet aliquo modo dispensatio ex iusta causa concessa. Sed donatio procedens ex causa falsa impulsiua, non est irrita, sed tantum vbi falsitas processit ex causa finali: vt rectè Med. *C. de restit. q.* 24. Nauar. *cap.* 17. *num.* 107. ergo dispensatio Prælati procedens à causa impulsiua falsa, valet.

Tum quia clausula in his literis contenta, *si preces veritate nitantur*, intelligitur de substantialibus, id est de his ex quibus dispensatio pendet, ita vt alias non concederetur. Ita Henriq. *lib.* 12. *de matrim. cap.* 3. *num.* 7.

QVÆSTIO CLX.

An dispensatio sit subreptitia, si votum non contrahendi matrimonium, sit factum in fauorem tertij, qui illud acceptauit, & hæc circunstantia taceatur?

RESPONDEO esse subreptitiam, 1
quia vltra votum, est ius parti acquisitum, quod absque eius consensu, relaxari non potest.

QVÆSTIO CLXI.

An dispensatio quæ fit ex duplici causa, vna vera, altera falsa, sit valida?

RESPONDEO si causa vera sit 1
sufficiens ad dispensationem eodem modo concedendam, quo concessa

cessa est; & falsa solum faciliori concessioni deseruiat, valida est dispensatio; quia cum sola ea causa vera, sit omnino sufficiens, illa reputatur causa finalis, & sufficienter fundat dispen-
2 sationem. Secus autem quando neutra per se sufficit, sed solùm vtraque simul, quia cùm neutra per se sufficiat, censetur vtraque simul causa finalis. Ita Nauar. *lib. 5. Cons. tit. de pœnit. & remiss. cons.* 20. *num. vnico* Cord. *in sum. q.* 45. Henriq. *lib.* 12. *de matrim. cap.* 3. *nu.* 7. & Vega *to.* 1. *sum. cap.* 88.

Hinc, qui vouit se peregrinaturum, & postea petens super tali voto dispensationem, vltra debilitatem, quæ cum aliqua commutatione est sufficiens ad dispensandum, allegauit falsam paupertatem, & ideo absolutè
3 fuit cum eo dispensatum, subreptitia est dispensatio. Quia non expressa causa falsa, non concederetur pura dispensatio, sed admixta cum aliqua commutatione.

QVÆSTIO CLXII.

An quando substantia voti falsa exprimitur, vt dicendo esse votum non contrahendi matrimonium, cùm sit castitatis, aut religionis, dispensatio sit subreptitia?

1 RESPONDEO esse subreptitiam. Ratio est, quia est error in substantia voti commutandi. Suar. *lib. 6. cap. vlt. nu.* 6.

QVÆSTIO CLXIII.

Sed quid, si proponatur votum grauius, cum sit minus, vt si non fornicandi sit, & castitatis proponatur: aut sit votum Compostellanum, & proponatur vltramarinum?

RESPONDEO si vtrumque est omnino diuersum, ita vt neutrum includatur in alio est subreptitia dispensatio: vt si proponatur votum vltramarinū, cum sit Compostellanum, aut votum castitatis, cum sit ieiunandi. Cum enim sint diuersa vota, nec 1
vnum includatur in altero, dispensatio in vno nequit explicari, vt censeatur in altero concessa. Si tamen vnum includatur in altero, tanquam pars in suo toto, vt si sit votum non fornicandi, vel non nubendi, & explicetur votum castitatis, valida erit dispensatio. Quia cùm dispensans in toto censeatur in eius parte dispensare, illa vota verè emissa clauduntur in dispensatione. Ita Suar. *lib. 6. c. vlt. nu.* 8.

Hinc qui vouit non contrahere 2
matrimonium, & deinde volens super tali voto dispensationem impetrare, dixit esse votum ordinis sacri, valet talis dispensatio: quia hoc vltimum obligat ad non contrahendum matrimonium, & ad aliquid amplius.

Hinc, qui vouit non fornicari, & dixit esse votum suscipiendi Sacerdotium, dispensatio est subreptitia. Quia 3
votum suscipiendi sacerdotium non obligat ad non fornicandum, ac proinde votum verum non clauditur in expresso falso.

QVÆSTIO CLXIV.

Sed quid si sit votum, & proponatur iuramentum?

RESPONDEO esse validam dispensationem. Ratio est, quia etsi 1
ex natura rei votum, & iuramentum factum Deo in eius cultum sint diuersæ speciei, at moraliter, & in ordine ad dispensationem æquiparantur, & id iuramentum habet eundem modum

modum dispensationis, & commutationis cum voto.

QVÆSTIO CLXV.

An ad dispensandum, irritandum, & commutandum vota, sufficiat interna superioris voluntas?

1 RESPONDEO non sufficere. Ratio est, quia voluntas humana non potest inter homines operari, nisi illis innotescat. Suar. *lib.6. cap. vltim. num.vltim.*

QVÆSTIO CLXVI.

An ad dispensandum, irritandum, & commutandum vota, certa verborum forma requiratur?

1 RESPONDEO non requiri, sed sufficit ea quibusuis verbis, aut signis vel factis nota fieri subdito. Ratio est, quia nullo iure certa verborum forma præscribitur. Suar. *lib.6. cap.vlt.num. vltimo.*

QVÆSTIO CLXVII.

An is qui potestatem dispensandi habet, censeatur facto ipso dispensare, quoties admittit ad aliquem actum eum, quem scit impedimentum iuris habere? Vt si admittat ad matrimonium eum, quem scit votum castitatis habere?

1 ET quidē si is qui admittit, sit supremus Princeps vt Papa, vel Rex alius non cognoscens superiorem, eo ipso dispensare creditur, quoties impedimentum est iuris humani, & sciens admittit, vel concedit contrarium. Vt si Papa ad ordines, vel beneficia promoueat eum, quem scit esse irregularem; vel Rex, lege inhabilem, vt seruum, Iudicem constituat. Ratio est, quia vt valida sit supremi Principis in lege humana dispensatio, non exigitur causæ cognitio, sed eius voluntas dispensandi satis est, de qua satis colligitur, si inhabiles scienter promoueat.

Quod intelligitur primò, nisi Princeps vrgente necessitate tales iure humano impeditos promoueat: tunc enim non censetur perpetuò dispensare, sed ad tempus illius necessitatis. 2

Secundò intelligitur, vt censeatur tacita dispensatio, ea promotio quoad eum solum actum, ad quem Princeps scienter admittit. v. g. si irregularem admittit ad ordines, non censetur dispensare ad beneficia; nec si ad minores ordines admittat, videtur dispensare ad maiores.

QVÆSTIO CLXVIII.

Sed dubium est, An inferiores admittentes iure impeditos censeantur dispensare?

IN qua re etiam est certum, eos censeri dispensare, quando impedimentum est eorum legibus inductum & scientes id impedimentum, promouent, quamuis nullam causæ cognitionem præmittant: vt si Episcopus scienter iubeat, vel concedat fieri aliquid contra suam constitutionem, censetur tacitè dispensare in illa. Quia militat eadem ratio. Ita Nauar. *præludio 9.num.15. & cap.25. num.74.* & Azor. *lib.13.cap.13.q.vlt.* 1

QVÆST.

QVÆSTIO CLXIX.

Sed quod vertitur in dubium est. An Prælati inferiores admittentes scienter, iure communi inhabiles ad actum, quem dispensare possunt, censeantur dispensare?

1 IN qua quæstione duæ extant Doctorum opiniones. Prima absolutè negat, quia huiusmodi dispensatio causæ cognitionem requirit. Sic Caietan.2.2.q 104. *art*.5. Nauarr. *præludio* 9.*num*.15. *& cap*.25.*num*.74.Henriq.*lib.de excomm.cap*.13.*num*.3. Azor. *lib*.5.*cap*.15.*q.fin*. Roder.*tom*.2. *qq.regul.q*.46.*art*.1. & plerique alij.

Secunda verò opinio,quam sequor, tenet, censeri eos dispensare, quamuis causæ cognitionem non præmit-
2 tant. Vt si Episcopus ordinet eum, quem scit esse irregularem, vel superior mittat subditum impeditum ad ordines; vel sciens votum, vel impedimentum subditi,videat illum facere contrarium, & non contradicat, cum facilè possit, cēsetur hac ipsa dissimulatione dispensare. Ratio est, quia nisi tali dissimulatione intenderet dispensare, mortaliter peccaret non reprehendendo, cùm nullam habeat causam tacendi,vt suppono.

Tum quia talis dissimulatio censetur ratihabitio de præsenti, quæ etiam confert iurisdictionem ad assistendum matrimonio, & ad audiendas confessiones: vt cum Parochus videt aliquem sacerdotem assistere matrimonio, vel audire confessiones, nec contradicit, cùm facilè possit, censetur hac ipsa præsentia, & taciturnitate ei conferre authoritatem pro illis actibus, in quibus dissimulat, alioquin grauissimè peccaret, non contradicendo: ergo eadem sufficiunt ad dispensationem. Quia cum Prælato ex officio incumbat delictis subditorum obuiare, cum ea videt, ac facile contradicere potest: præsumeretur grauissimum Prælati delictum non contradicentis, nisi ipsum censeri dispensare dicamus. Et quamuis non præmiserit causæ cognitionem, id efficit, vt temerè dispensarit, atque ob id puniri possit, non tamen dispensationem esse irritam, si vere causa dispensandi aderat. Et ideò ita tenent Roder.*p*.1.*sum.c*.24.*nu*.6.Emman.Sa *verb.dispensatio num*.8.Suar.*de censuris disput*.41.*sect*.3. & Sayrus *thes.casuum tom*.1.*lib*.7.*cap*.14. *num*.11.12. *&* 13. addit idem esse dicendum, siue Prælatus ille iure communi, siue ex priuilegio, vel consuetudine possit dispensare. Quia eadem est ratio, cùm concurrat potestas, & voluntas præsumatur ex illo actu.

Dixi *(scienter)* quia si per ignorantiam, vel errorem id fecerit, tacitè cōstitutionem non creditur relaxare: quoniam quod ita fit, voluntarium non est. 3

Nec obstat, quod Prælatus non possit absoluere ab excommunicatione per solum factum: vt colligitur *ex cap. Cum consideres*. Quia forma verbalis excommunicationis est à iure præscripta, vt ex loco citato constat, quamuis non certorum verborum formula,secus in dispensationibus.

QVÆSTIO CLXX.

An dispensatio prosit à tempore concessionis?

RESPONDEO dispensationem solum prodesse,suúmque effectum sortiri à tempore quo de ea certior fit is, cui conceditur. Ratio est, quia dispensatio est quasi quædam donatio, hæc autem non valet absenti ante ac- 1

ceptionem. Quæ ratio à fortiori idem concludit de commutatione.

Sed an idem sit dicendum de irritatione, non conueniunt Doctores. Sed omnino dicendum est, non esse eamdem rationē, cùm non sit tam beneficium eius cui votum irritatur, quàm actus dominij, omnino independentis à subdito; & ideò prodest
2 à tempore quo superior irritauit, quamuis vt licitè vouens agat contra votum sic irritatum, opus sit, in eo notitia irritationis. Ita Vasq. 1. 2. *q.* 95. *art.* 3. *d.* 156. *cap.* 4. *num.* 30. & 31.

QVÆSTIO CLXXI.

An, qui facultatem habet relaxandi vota possit id facere per alium.

1 ET quidem certum est, eum qui iuris authoritate habet potestatem ordinariam dispensandi, posse id facere per alium: vt patet de Episcopo, & de religionum Præfectis, qui Episcopalem habent iurisdictionem.

QVÆSTIO CLXXII.

Sed dubium est de habente potestatem delegatam.

1 SED respondeo, non posse. Ratio est quia ei non demandatur iurisdictionis potestas, sed nudum ministerium, v.g. vt votum commutet vel relaxet. Ita Syluester *verbo delegatus quæst.* 8. Obseruandum tandem hîc est, easdem causas desiderari, ac sufficere ad relaxanda iuramenta, quæ non homini, sed in solius Dei honorem sunt facta; quæ desiderantur, ac sufficiunt in similium votorum dispensationem, quia huiusmodi iuramenta sunt instar votorum.

QVÆSTIO CLXXIII.

An confessarij nostræ Congregationis possint ex vi Priuilegiorum, in votis dispensare?

QVÆSTIO est, cuius meminit Roder *tom. p. qq. regular.* & *in* 2. *p. summa casuum conscientiæ*, dicendúmque est iuxta mentem eius, quòd per priuilegium concessum ab Innoc. VIII. Mendicantibus, possunt confessarij nostræ Congregationis dispensare in votis, in quibus possunt Episcopi, exceptis votis peregrinationis vltra duas diætas, vt habetur in compendio priuilegiorum Mendicantium *verb. dispensatio*, & per duas diætas intelligit viginti leucas idem Roder. *in addit. ad Bullam Cruc.* §. 9. *nu.* 141. quamuis *in sum. p.* 2. *cap.* 100. *num.* 3. dicat esse quatuordecim leucas, sed creditur esse errorem textus. 1

Item per priuilegium, Benedictinis concessum ab Eugenio IV. à Martino V. & Pio II. possunt confessarij nostri dispensare in votis quorumcumque fidelium vtriusque sexus, etiam Episcopo reseruatis, & ea commutare in alia pietatis opera toties, quoties expedire videbitur. Vt habetur *in compendio Benedictinorum vallis Oletti pag.* 45. & refertur *in compendio Societ. Iesu verb. dispensatio* §. 10. 2

QVÆSTIO CLXXIV.

An virtute huius priuilegij possint confessarij nostri dispensare in quinque votis sedi Apostolicæ reseruatis, quando in eis potest Episcopus dispensare?

RESPONDEO posse confessarios nostræ Congregationis virtute huius 1

huius priuilegij diſpenſare in omnibus votis Romano Põtifici reſeruatis, quando hæc,licet videantur cadere in materiam reſeruatam,reuera reſeruata non ſunt:vt ſunt vota pœnalia, & conditionalia, vel vota partialia, aut temporalia &c.in quibus diximus ſupra poſſe Epiſcopum diſpenſare. Secus autem quando hæc vota reuera ſunt reſeruata: tamen per accidens in aliquo caſu ratione vrgentis neceſſitatis diximus fas eſſe Epiſcopo diſpenſare. Ratio prioris partis eſt, quia Pontifex in eo priuilegio conceſſit religioſis omnia vota Epiſcopo reſeruata, id eſt, in quibus iure ordinario,& per ſe poſſunt Epiſcopi diſpenſare:at in caſu poſito poſſunt Epiſcopi per ſe,& iure ordinario diſpenſare, eo quod reſeruatio cum ſit odioſa, non intelligitur niſi de votis, quæ ita ſuam perfectionem conſequuntur,vt Pontifici ſint reſeruata: ergo. Ratio autem poſterioris partis eſt,quia in iis caſibus ſunt verè vota illa reſeruata, nec iure ordinario poteſt Epiſcopus in illis diſpenſare, ſed per accidens ex quadam benigna voluntatis reſeruantis interpretatione:nam tunc eius induſtria ſpecialiter deſideratur. Ita tenent Henriq.*lib.6.de pœnit.cap.*14.*nu.*7.Roder.*to.*1.*qq regul.q.*41.*art.*9.*& q.*63.*art.*6.Suar.*lib.6.cap.*26. *num.*18.*&* 19. & Sanch. *lib.*8. *de matrim. d.* 15. *num.*10.

2 Per Priuilegium conceſſum à Pio V. Franciſcanis de obſeruantia, poſſunt confeſſarij noſtri, ſi ſint viri docti, & iuxta normam Conc. Trident. approbati,ex commiſſione Prouincialis diſpenſare ad petendum debitum, cùm his, qui poſt votum ſimplex caſtitatis matrimonium contraxerunt. Vt habetur *in cõpendio Societ. Ieſu verb. diſpenſatio.* §.4 & in *cõpendio Minorum tit. diſpenſatio*], & teſtantur Card. *in ſum.q.*136.*p.*2.Roder.*to.*1.*qq.regul.q.*63.*art.*2.Henriq.*lib.*12.*de matrim.cap.*2.*num.*9. & Sanches *lib.*8. *de matrim. diſp.*16.*num.*3.

QVÆSTIO CLXXV.

An virtute huius Priuilegij poſſint confeſſarij noſtri in eo voto diſpenſare,ſi nondum ſit matrimonium conſummatum?

AZORIVS *lib.*11.*cap.*19.*q.*20. negat poſſe tunc diſpenſare, & probat, quia ante matrimonij conſummationem tenetur hic religionem ingredi. 1

At multò probabilius eſt,poſſe confeſſarios noſtræ Congregationis in eo voto diſpenſare, quamuis nondum matrimonium ſit conſummatum. Et ratio eſt,quia verius eſt, hunc non teneri religionem ingredi,vt votum caſtitatis ſeruet:& ita ſi manet in ſæculo prout licitè poteſt tenetur conſummare matrimonium, reddendo debitum, ac ſubinde in magno incontinentiæ diſcrimine verſabitur,ſi petere debitum illi interdicatur. 2

Tum quia facultas generalis eſt; ergo generaliter eſt intelligenda.

Tum quia diſpenſantes in hoc caſu, non diſpenſant in voto caſtitatis, cùm non obſtante matrimonio remaneat obligatus qui fecit votum ad eius impletionem, & ſi coniugi ſit ſuperſtes, non poteſt iterum contrahere abſque diſpenſatione impedimenti. Et ideò ita tenet Roder. *p.*1.*ſum.cap.*241.*num.*2,Sayr.*lib.*6.*cap.*11.*nu.*104. & Vega 2. *tomo ſumma cap.* 129. *caſu* 118.*p.*2.

QVÆSTIO CLXXVI.

An virtute huius priuilegij poſſint confeſſarij noſtri diſpenſare ad

petendum debitum, si votum castitatis sit emissum post matrimonium?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia id priuilegium expresse loquitur de voto castitatis ante matrimonium emisso. Ita Roder. *p. 1. sum. cap. 241. nu. 14. & tom. 1. qq. regul. q. 63. art. 2.* & Vega *2. to. c. 129. casu 77.*

QVÆSTIO CLXXVII.

An confessarij nostri virtute huius priuilegij possint dispensare, vt petat, vel reddat debitum, si id votum sit religionis, & matrimonium nondum sit consummatum?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia solum ad dispensandum in voto castitatis ad petendum debitum, priuilegio fruuntur.

2 Item per priuilegium concessum à Paulo III. Societ. Iesu Cōfessarij nostrę Congregationis possunt commutare omnia vota, exceptis vltramarinis, & Petri, & Pauli de Vrbe, S. Iacobi in Cōpostella, castitatis, & religionis. Quod priuilegium cum eadem exceptione extendit Greg. XIII. ad vota iurata, dummodo commutatio non fiat in præiudicium tertij: vt habetur *in compendio eiusdem Societatis tit. commutatio* §. 1.

3 Per Priuilegium concessum ad Eugenio IIII. Monachis S. Benedicti Cōgregationis Casinensis, aliàs S. Iustinæ de Padua an. 1536 pridie Kal. Iulij superiores nostræ Congregationis dispensare possunt cùm omnibus, & singulis præsentibus, & futuris intrare volentibus in eandem Congregationem in omnibus, & singulis votis peregrinationis etiam vltramarinæ, & Apostolorum Petri, & Pauli, & S. Iacobi, & quibusuis aliis votis, etiam si talia sint, propter quæ sedes Apostolica merito sit consulenda, & ea in alia pietatis opera commutare, voto religionis duntaxat excepto, quamdiu sub obedientia dictæ Congregationis vixerint.

Per Priuilegium concessum ab Eugenio IIII. Congregationi S. Iustinæ, superiores nostræ Congregationis possunt dispensare cum ingredientibus in Congregationem in voto religionis, etiamsi arctiorem religionem ingredi voluissent; si quis tamē à Congregatione ante professionem recesserit, dispensatio nulla erit. Hoc priuilegium refertur *in priuilegiis Dominicanorum fol. 152. & in compendio Minorum tit. Nouitius, & tit. Dispensatio §. 28. & in compendio priuilegiorum Societatis Iesu tit. commutatio.* 4

Per Priuilegium eiusdem Eug. IIII. Congregationi sancti Georgij in Alga concessum, de quo in impressis *fol. 113.* possunt recipi in Congregationem quicumque aliquam religionem intrandi, & ibi permanendi ex quauis causa, votum fecerint. 5

Aduertendum tamen, quod ad hoc semper requiritur causa rationabilis. 6 Nam Romanus Pontifex non concedit nisi id quod potest: at communis est sententia, ipsum non posse dispensare, nisi ex causa legitima, vt aliquis ex strictiori ad laxiorem transeat. Sed causa videtur esse iusta, & rationabilis ad id, si is existimet melius Altissimo famulatum dedicare in hac Religione, quàm in arctiori.

Quæ doctrina intelligitur, quando hic post emissum votum strictioris Religionis, ad laxiorem transit virtute supradicti priuilegij: at quando non virtute huius dispensationis, sed sua sponte laxiorem ingreditur Religio- 7
nem,

nem, profiteturque in illa, licèt profitendo suo voto satisfaciat, non tamen liberatur à peccato mortali, quod cõmisit intrando laxiorem, cum promisisset strictiorem. Nauar. *c.* 12. *n.* 48.

QVÆSTIO CLXXVIII.

An confessarij nostri possint vti hac dispensandi, aut commutandi vota, facultate, cum solis subditis Episcopo Diœcesis, in qua sunt Religiosi?

1 RODER. *super Bullam* § 9. *nu.* 120. affirmat. Quia priuilegium concedit sola vota in quibus potest Episcopus dispensare: sed Episcopus illius diœcesis in solis votis suorum subditorum potest dispensare: ergo idem dicendum est de Religiosis illius diœcesis.

2 At omnino tenendum est, nostros confessarios virtute prædicti priuilegij posse dispensare, & commutare vota, non solùm subditorum illius diœcesis in qua sunt; sed etiam quorumcumque, vndecumque ad se venientium. Ratio est, quia illa restrictio, *vt possint dispensare in solis votis, in quibus possunt Episcopi*, intelligitur sic, vt nequeant dispensare in votis Romano Pontifici, qui toti orbi præest, reseruatis: nec est cur ea restringenda sit ad subditos illius diœcesis, in qua sunt Religiosi.

QVÆSTIO CLXXIX.

Vtrum confessarij hac dispensandi in votis facultate possint in solo Sacramento confessionis vti?

1 ET quidem certum est, superiores erga suos subditos posse commutare, & dispensare etiam in foro exteriori Quia hoc faciunt per viam authoritatis, & ordinariæ potestatis, quemadmodum Episcopi erga suos subditos.

QVÆSTIO CLXXX.

Sed quod vertitur in dubium est, de confessariis, qui ex commissione possunt vota dispensare?

CORDVBA *in sum. q.* 152. Sayr. *lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 10. & Sorbus *in compendio priuilegiorum Mendicantium verb. votum in suis annotationib.* tuẽtur partem affirmatiuam. Quia in prædictis priuilegiis petitur, vt dispẽsaturus sit confessor ab ordinario approbatus. 1

At multò verius est, posse cõfessarios ea facultate dispensandi, vel commutandi vti extra confessionem. Ratio est, quia in priuilegiis dispensandi, concessis Religiosis supra relatis, nulla fit mentio confessionis, quia ea potestas non est data simul cum potestate absoluendi à peccatis. 2

Tum quia quando priuilegium non restringit expresè vt dispensatio fiat in Sacramento confessionis, aut in foro pænitentiæ, non est opus confessione, licèt petat vt dispensans sit confessor approbatus, quia nomen confessoris est magis muneris, quã actualis exercitij, & solùm requiritur, vt pro munere audiendi confessiones sit approbatus: Nec etiam sufficit vt dispensatio necessario fieri debeat in confessione, si priuilegium dicat, dispẽsationem concedi pro solo conscientiæ foro, quia forum conscientiæ latius patet. quàm forum pœnitẽtię sacramentalis, & per illam clausulam solum excluditur, ne dispẽsatio valeat pro foro externo. Nã Episcopis concedit Trid. *sess.* 24. *de reform. c.* 6. absoluere in solo conscientiæ foro à quibuscumq; casibus occultis Et tamen praxis habet, vt extra confessionẽ absoluãt. Et ideò ita tenent Nauar. *lib.* 5 *Consi. tit. de priuileg. cons.* 11. *n.* 2. vbi ait verba, hæc *absolue in* 3

foro conscientiæ, non importare, vt absolutio sit in solo pœnitentiæ foro, sed vt nullatenus pro foro externo prosit. Et *in Man.cap.*27.*nu.*41. cum multis aliis tuetur, iudicem nedum sacerdotem, posse absoluere ab excommunicatione in foro conscientiæ: cum tamen sit incapax audiendi confessiones. Emman. Sà *verb. excommunicatio, vbi de absolutione ab ea nu.*1. vbi ait, habentem facultatem absoluendi, vel dispensandi in foro interiori, posse id extra confessionem exequi. Suar. *lib.*6.*cap.*16.*num.*4. Roder.*to.*1.*qq.regul.tom.*1.*q.*61. *art.*10. & Sanch.*lib.*8. *disp.*34.*nu.*19.

4 Nec obstat ratio in contrarium adducta, quia prædicta priuilegia petunt, dispensaturum esse confessarium approbatum ab ordinario, non eo quod necessariò auditurus sit confessionem, sed quia, vt sciat dispensare, exigitur scientia, & cum hæc non constet summo Pontifici, petit, vt sit ab ordinario approbatus, & ad audiendas confessiones idoneus.

Ex quo sequitur dispensationes commissas à sacra pœnitentiaria discreto confessori pro solo conscientiæ foro, posse expediri extra confessionem, vt Sanch. & Suar. *vbi supra* annotarunt.

QVÆSTIO CLXXXI.

An Priuilegia dispensandi, & commutandi vota, & absoluendi à reseruatis, concessa religiosis nostræ Congregationis quoad sæculares, suspendantur per Bullam cruciatam?

NAVAR. *lib.*5. *cons.tit.de priuileg. cons.*16.*num.*1. Lop.2.*p.cap.*2.& Roder.*in addit. ad Bullam* §.12.*nu.*4. censent ea suspendi. Immo in anno Iubilei suspendi, tenet Nauar. §.*in Leuit.notab.*28. 1

Contrarium his omnibus meritò affirmant Henriq.*lib.*6. *de pœnit.c.*16. *num.*7.*& lib.*7.*de indulg.cap.*28. *nu.*7. Roder. *tom.* 1. *qq. regul. q.* 61. *art.*14. Immò nec in anno Iubilei centesimi suspenduntur, vt tenet idem Henriq. *eodem libro* 7.*de indulg.cap.*28. *num.*7. *& cap.* 21. *num.* 3. & dicit probabile idem Nauar.*eod.notab.*28.*fine.* 2

Et hæc satis de dispensatione.

DE



DE VOTORVM COMMVTATIONE,

LIBER QVARTVS.

1 EGIMVS de irritatione, & dispensatione votorum, consequens nunc est, vt de eorum commutatione in hoc libro exactè disputemus, de qua differunt Scholastici cum Magistro Sent. *in* 4. *dist.* 38. D. Thom. 2.2.*q.* 88. *art.* 12. & Caietan. *ibidem* Sotus *lib.* 7. *de iust.q.* 4.*art.* 1. Valent. 2.2. *disput.* 6.*q.* 6. Suar. *lib.* 6 *de relig.cap.* 18. Sayr. *lib.* 6.*cap.* 12. & Nauarr. *in Man. cap.* 12. Summistæ verò, vt Syluest. Tab. Ang. Armil. & alij *verbo votum, & verbo commutatio* & vt à definitione eius exordiamur, quæritur in primis.

QVÆSTIO I.

Quid sit commutatio voti?

1 RESPONDEO quod est *Permutatio materiæ voti in aliam materiam meliorem, vel æqualem.* Vt si votum peregrinationis commutetur in ieiunium, vel orationem. Vnde quamuis per dispensationem voti vinculum dissoluatur: per commutationem tamen non dissoluitur, sed sola materia voti transfertur, manente eodem vinculo. Quare vouens, ad id in quod votum commutatur, tenetur ex eiusdem voti vinculo, non autem ex vi alicuius alterius præcepti; vt rectè Caietan. *in summ. verb. votum cap. vltimo.* & Sotus *lib.* 7. *de iust. q.* 4. *art.* 1. annotarunt. Vnde non est audiendus Syluest. *verb. votum.* 4. *in principio* qui dixit in commutatione annullationem obligationis voti interuenire.

Hinc, plus est in voto dispensare, quàm votum commutare. Quia per dispensationem voti vinculum relaxatur, non item per commutationem. 2

QVÆSTIO II.

An ad commutationem voti, regulariter superioris authoritas requiratur?

RESPONDEO requiri. Ratio est, quia cum votum sit promissio facta Deo de illo, quod ipsi est gratum, voti commutatio fieri debet tantum in id, quod Deo est gratum, & acceptum. Quid autem tale sit, pendet ex ipsius voluntate, quod definire, spectat 1

regulariter ad Prælatos, & Pastores, qui in Ecclesia gerunt vicem Dei, de quibus dixit Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.* Et ita tenet D. Thom. communiter receptus 2.2.q 88. art. 12.

Dixi consulto (*regulariter*) quia interdum quis propria sua authoritate votum suum commutare potest.

QVÆSTIO III.

Quinam possint vota commutare?

1 RESPONDEO, Prælati habentes iurisdictionem spiritualem in foro exteriori. Quales sunt Romanus Pontifex, Episcopi, ac cæteri Ecclesiarum Antistites, qui in aliquos Episcopalem iurisdictionem habent. Vnde Prælati religionum, vt Generales, Prouinciales, Abbates, Priores, Supriores eandem potestatem habent circa suos subditos: quia eorum iurisdictio quasi Episcopalis reputatur. Sed inferiores sacerdotes nullatenus possunt vota commutare, nec etiam Parochi curati: quia non habent iurisdictionem quasi Episcopalem, nisi ad hoc priuilegio pontificio muniantur. Romanus igitur Pontifex vniuersim potest omnia, & omnium Christianorum vbique degentium vota commutare. Episcopi in sua diœcesi habent potestatem commutandi omnia vota simplicia suorum subditorum, præter ea, quæ reseruantur à Papa. Prælati verò Regulares eandem potestatem habent circa suos subditos.

2 Ex quo colligitur primò, nec laicum, nec fœminam esse huius authoritatis capacem. Quare Abbatissa nequit vota Monialium commutare, sicut etiam ostendimus eam non posse in Monialium votis dispensare. Quia vtraque potestas est actus iurisdictionis spiritualis.

Secundò colligitur, hanc potestatem commutandi vota non esse apud infideles. Quia in eis nulla potest esse iurisdictio spiritualis. Quæ omnia secus se habent, loquendo de potestate commutandi vota in id, quod certò, & euidenter est melius; cùm enim ea nullius iurisdictionis actus sit, sed proprio euiusque vouentis arbitrio fieri possit, est apud laicos, & fœminas, & infideles.

QVÆSTIO IV.

An Prælatus possit cogere subditum, vt commutationem acceptet?

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia subditus non vouit nisi, v. g. ieiunium: si ergo illud non permittitur, non potest cogi ad aliud diuersum: quia non potest cogi ad vouendum, cùm votum sit actio personalis. 1

QVÆSTIO V.

An commutatio sine consensu subditi acceptantis, sit valida?

BEIA *in suis responsis p. 2. casu 9.* affirmat valere. 1

Arbitror tamen contrarium esse tenendum: nam per commutationem illam, acceptatur, & emittitur votum circa materiam subrogatam: at obligatio voti circa illam materiam nequit contrahi absque vouentis voluntate, cum votum sit actio personalis.

QVÆSTIO VI.

An vt commutatio valeat ratione ficti consensus, sufficiat, vt fictè consen

consentiens consensum internum præstet?

1 RESPONDEO sufficere, quia cum talis commutatio externè sit valida, & solus consensus internus desideretur, eo accedente, nil ad eius valorem deest.

QVÆSTIO VII.

An ad commutandum votum in melius, & magis Deo acceptum, superioris authoritas requiratur, an potius propria vouentis authoritate commutari valeat?

1 ET quidem, si res sit dubia, an id in quod votum debet commutari, sit melius, necne, non potest quis votum illud absque Prælati licentia in aliud commutare. Ratio est, quia cùm votum sit promissio facta Deo de re illi grata, voluntas Dei non per subditum, sed per Prælatum Christi vices gerentem exploranda est, vt ipse in persona Dei definiat quid Deo gratum, & acceptum sit. Ita D.Thom. 2.2.*q*.88.*art*.12. Caiet. *ibidem*, Sot. *lib*.7. *q*.4.*art*.3.& Suar. *lib*.6.*cap*.18.*n*.8.

2 Ex quo colligitur, non satis esse opinionem probabilem excessus illius materiæ subrogatæ. Quia etsi hæc sufficiat ad rectè operandum non tamen satis est ad soluendum vnum pro alio, quando de creditoris voluntate non constat.

Tum quia hic assensus opinatiuus non affert euidentiam, sed solam probabilitatem vt rectè docet Valent. 2.2.*disp*.6.*q*.6.*p*.7.

Sed quod in dubium vertitur est: An ad commutandum votum in id quod certò, & euidenter est melius, superioris authoritas exigatur, an potiùs propria vouetis authoritate commutari valeat.

Quæstio hæc intelligitur, quando nulla est iusta causa commutandi, sed sola pro ratione voluntas.

Richard. *in* 4. *dist*. 38. *q*.1. *art*.8. D. Bonau. *ibidem q*. 2.*art*.2. Palac. *dist*.3. *fol*.875.& Syluest. *verbo votum* 4 *q*.7. tenent exigi Prælati authoritatem. Ex- 3
cipiunt tamen votum religionis, in quod ex iuris dispositione, omnia alia vota commutari possunt sine Prælati licentia. Huius sententię videtur apertè D.Thom. *in* 4. *dist*.38 *q*.1. *art*.4.*q*. *vlt*. *in corpore*, vbi hæc ait. *Commutatio est quidam contractus, qui perfici nequit, absque consensu vtriusque partis, & ideò nequit fieri sine consensu eius, qui vicem Dei gerit in terris. Quare si vtrumque votum est compossibile, debet vtrumque seruari, nisi authoritate superioris minus precedens in votum maius commutetur*. Hæc S.Thom.

Angelus *verbo votum* 4. *num*.2. ait, 4
sufficere ad hanc commutationem licentiam petitam, etiamsi non sit obtenta.

Sed dicendum est, nulla opus esse superioris authoritate ad commutandum votum in rem euidenter præstantiorem, & meliorem, sed quemcumque posse propria authoritate sic commutare. Ratio est, quia votum ideò obligat, quia est promissio de re grata Deo, sed qui commutat votum in rem meliorem, reddit Deo rem gratiorem: ergo satisfacit voto, etiamsi non accedat Prælati authoritas, cùm hæc ex D.Thom. 2.2.*q*.88.*art*.12. re- 5
quiratur ad voti commutationem, vt ipse definiat in persona Dei id in quod fit voti commutatio, esse Deo gratius, & acceptius: quoties igitur hoc certum est, nulla erit authoritas Prælati necessaria.

Tum quia in eo quod melius est, censetur contineri, quod minus est.

Vnde dando melius, optimè soluit, quod promiserat.

Et est conclusio definita *in cap. Peruenit 2. de iureiur.* vbi dicitur, *Promissum etiam iuratum non frangit, qui in*
4 *melius illud commutat.* Et *in cap. Scriptura de voto*, dicitur, *Reus fracti voti non habetur, qui temporale obsequium, in perpetuam noscitur religionis obseruantiam commutare.* Et ideò ita sentiunt D.Thom. 2.2. *quaest.* 88. *artic.* 12. Caietan. *ibidem & in summ. verb. votum cap. vltim.* Sot. *lib.* 7. *quaest.* 4. *art.* 3. Nauarr. *cap.* 12. *num.* 75. Arag. 2.2. *quaest.* 88. *artic.* 12. Cord. *summ. quaest.* 149. Azor, *lib.* 11. *cap.* 18. *quaest.* 1. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 5. Valent. 2.2. *d.* 6. *q.* 6. *p.* 7. Toler. *lib.* 4. *cap.* 18. *nu. penult.* & Suar. *lib.* 6. *cap.* 18. *num.* 4.

Obiicies, debitor soluens rem meliorem, non satisfacit suæ obligationi, sed tenetur rem promissam soluere, vt habetur *in lib. 2. ff. si certum petatur:* ergo.

5 Respondeo disparem esse rationem de homine, & de Deo; non enim quo melior est res, est homini gratior: At Deo, quo opus est melius, eo est gratius.

Dices, *in cap. 1. de voto, & voti redempt.* dicitur, commutationem voti pendere ab arbitrio superioris.

6 Respondeo esse necessariam superioris authoritatem, quando commutatio fit in æquale, vel quando dubitatur, an id in quod fieri debet commutatio voti, sit melius.

Dices, religionem laxiorem professus non potest ad actiorem religionem transire, nisi petita facultate à superiore *cap. Licèt de regularibus.*

7 Respondeo cùm quis laxiorem religionem est professus, se illi iam tradidit: & ideò non potest ad aliam religionem transire, præsertim cum canones eiusmodi trāsitum prohibeant, ne cum detrimento religionis, vel ex ira, leuitate animi, aliàve perturbatione fiat.

Ex quo colligit Arag. 2.2. *q.* 88. *art.* 8. votum castitatis, & religionis in nullam aliam rem posse commutari sine authoritate Prælati, quia nihil his votis potest esse melius, vt constat ex illo Prou. 16. *Omnis ponderatio non* 8
est digna animæ continentis. Hoc idem colligit Sotus *lib.* 7. *quaest.* 4. *art.* 3. de voto vltramarino, quia Romanus Pontifex *in cap. Ex multa de voto.* Eius commutationem sibi reseruat. Sed verius est dicere, quod si constat id, in quod fit commutatio esse melius, non esse necessariam Prælati authoritatem.

QVÆSTIO VIII.

An vota quæ in alicuius tertij vtilitatem fiunt, possint propria authoritate in euidenter melius commutari?

HENRIQ. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 30. 1
num. 5. & Syluest. *verbo votum* 4. *q.* 7. negant.

Cæterùm, quamuis hoc satis probabile sit, at probalius existimo posse, dummodo talia vota purè, & nudè soli Deo fiant, & non homini. Ra- 2
tio est, quia per hæc vota, soli Deo oritur obligatio & nullum ius acquiritur homini: & ideò per commutationem, non fit illi præiudicium, etiam si cedat in aliquod incommodum eius, seu in carentiam commodi, quod est longè diuersum.

QVÆSTIO IX.

Quid nomine maioris boni hic intelligatur?

RESPON

1 RESPONDEO non intelligi omne id, quod ex genere suo est opus excellentioris virtutis, atque adeò gratius, & magis acceptum ex natura operis; sed id quod omnibus expensis est melius, commodius, & aptius vouenti ad finem voti sibi propositum. Vnde in voti commutatione, potius attendenda est vtilitas vouentis, quam materiæ magnitudo.

2 Hinc, qui ad carnis macerationem vouit ieiunium, si illud postea sine licentia Prælati commutet in eleemosynam, non censetur rectè votum commutasse in melius: quia licèt per se, & ex suo genere melior sit eleemosyna, quàm ieiunium, cum hoc sit opus temperantiæ, & illa misericordiæ actus, quam constat esse temperantia excellentiorem; tamen ad libidinem refrænandam non est adeò vtilis, ac ieiunia, & aliæ corporis castigationes. Suar. *lib. 6. cap.* 18. *numer.* 8.

Hinc, qui ad auaritiam comprimendam, eleemosynam vouit, non potest deinde ipsemet eiusmodi votum in orationem commutare. Quia licet oratio ex natura rei sit opus maioris virtutis, tamen ei, qui vouit est minus aptum, & opportunum remedium ad eum finem consequendum.

3 Hinc, votum recitandi septem Psalmos pœnitentiales, potest sine licentia Prælati commutari in votum dicendi Rosarium, & peregrinationem ad Beatam Mariam Montis Regalis, in peregrinationem ad Domum Lauretanam; & ieiunium ordinarium in ieiunium solius panis, & aquę, aut in aliam austeriorem pœnitentiam, vt flagellationis, vel cilicij: & votum inseruiendi alicui hospitali paruo, quod parum indiget suo seruitio, in votum seruiendi alteri maiori in quo, ob multitudinem infirmorum est multum laborandum: & omnia vota personalia, & realia in votum religionis: & votum ingrediendi religionem laxiorem in arctiorem. Ratio horum est, quia hæc vota commutantur in id, quod continet id quod vouit, & aliquid amplius, ac proinde est aptius remedium ad finem voti consequendum.

Hinc, qui vouit dare centum alicui Ecclesiæ, & postea occurrit occasio dandi ea in dotem puellæ, cuius honor aliàs periclitaretur, potest sine licentia Prælati, huic ea præstare. 4

QVÆSTIO X.

An ad voti commutationem in id, quod est æquale bonum, Prælati authoritas requiratur?

ET quidem, si res sit dubia, vtrum id, in quod votum debet commutari, sit æquè bonum, necne, manifestum est, ad hanc voti commutationem necessariam esse superioris authoritatem, vt expresè definitur, *in cap. de voto, & voti redempt.* & tradit eleganter Sotus *lib. 7. quæst. 4. art. 3.* 1

Quæstio igitur est, quando pro certo, & manifestè constat id, in quod fit commutatio, esse æquè bonum, & gratum Deo.

Bartholomeus Medina *in sua instructione confess. lib. 1. cap. 14. §. 7.* Lop. *p. 1. cap.* 49. Roder. *p. 2. cap.* 102. *num.* 4 Henriq. *lib. 7. de indulg. cap.* 30. *num.* 5. Et multi alij tenent in hoc casu non esse necessariam superioris authoritatem; sed quemcumque posse propria authoritate sic commutare: nam eo ipso, id in quod votum commutatur, est Deo æquè gratum, 2

gratum, & acceptum. Hanc opinionem censent esse probabilem Arag. 2.2.*q*.88.*art*.12.& Suar. *lib.6.cap*.20. *num*.4.

2 Ex quo inferunt, eum qui vouit intrare certam religionem, & postea eligit aliam æqualem; vel si promisit certam pecuniam, & postea dat calicem eiusdem valoris, abundè suo voto satisfacere.

Sed communis, & verior sententia est, non posse propria vouentis authoritate commutationem voti fieri in rem æquè bonam, sed superioris au-

3 thoritate indigere. Et ratio est, quia non est certum acceptari à Deo eam commutationem, cùm nulla vtilitas in ea eluceat: ergo oportet intercedere authoritatem Prælati interpretantis vice Dei eam voluntatem.

Tum quia in hac æqualitate materia promissa excedit, eo quod ad Dei cultum spectet perseuerantia in priori voto, vbi aliquid euidenter melius loco illius non præstatur, quo compensetur recessus à priori voto.

4 Tum quia cum sit difficillimum, immo ferè impossibile vtriusque materiæ æqualitatem nosse euidenter, non est verisimile talem commutationem esse relictam vouentis arbitrio; sed potiùs ad eam requiri superioris authoritatem, qui loco Dei eam ipsam æqualitatem definiat.

5 Et videtur esse conclusio definita *in cap*. 1.*de voto*, vbi dicitur, requiri authoritatem Prælati, quoties incertum est, an res sit gratior Deo: ergo multò magis requiritur, quando ad summum constat esse æqualem, & non meliorem. Et ideò ita sentiunt Caiet. 2.2.*q*. 88.*art*.12.*& in sum.verbo votum cap.vlt*. Sot.*lib.7.q.4.art*.3. Couar.*de pactis* 1.*p*.§.3.*nu*.4. Cord.*sum.q*.149. Tolet.*lib.4.cap*.18.*num.penult*. Arag. 2.2.*q*.88.*art*.12.Azor.*lib*.11.*cap*.18.*q*. 2.Sayr.*lib.6.cap*.12.*num*.8. Emman. Sà *verb.votum nu*.2.Suar.*lib.6.cap*.19. *num*.3.& alij communiter.

Potest tamen prima opinio recipi 6
in casu, quo vtriusque materiæ æqualitas esset euidens; at dubium est, an posterior in quam debet fieri commutatio, sit melior, aut probabile est, eam esse præstantiorem. Quia tunc talis commutatio cederet in maiorem Dei gloriam, si quidem potest augere, non tamen minuere Dei cultum.

QVÆSTIO XI.

An commutatio voti in bonum euidenter æquale, possit arbitrio, vel iudicio priuati confessoris fieri?

LESSIVS *lib.2.de iust.cap*.40.*dub*. 1
16.*nu*.105.& Viuald. *candel.Sacram*.3.*p.cap*.14.*num*.16. affirmant.

Alij verò rectius negant. Ratio est, 2
quia iurisdictio ordinaria confessoris carentis potestate delegata ad commutandum, solùm extenditur ad forum pœnitentiæ, ad quod nec dispensandi, nec commutandi potestas pertinet, sed ad Ecclesiæ gubernationem in foro externo; & sic censetur in hoc casu quasi persona priuata. Sic Suar. *lib.6.cap*.19.*num*.6.

QVÆSTIO XII.

An qui vouit rem vsu consumptibilem, vt v. g. vinum, satisfaciat voto, dando oleum eiusdem valoris?

RESPONDEO satisfacere. Ra- 1
tio est, quia inter hæc non est moralis mutatio, sed tanquam idem reputantur. Quod secus contingit in aliis

aliis, quæ non habent tam facilem commutationem, & quæ ratione suæ speciei peculiarem æstimationem habent, vt domus, equus, & id genus alia, quæ non vnico vsu consumuntur. Vnde si promisisti pecuniam, non satisfacis voto, dando calicem valoris eius pecuniæ, quia fortasse Ecclesiæ est vtilior pecunia, quam calix, qui licèt ratione materiæ, & operis possit vendi, tamen illud ipsum est grauamen minuens æqualitatem. Vnde in his rebus, sicut nemo in cuius vtilitatem res cedit, potest inuitus ad commutationem compelli, ita etiam respectu Dei fieri non potest, sine consensu eiusdem partis vel superioris, qui vice Dei solutionem approbet. Ita Suar. *lib. 6. cap. 19. num. 12.*

2 Hinc, qui vouit tradere filium determinatum religioni, non satisfacit suo voto offerendo alterum. Quod probant rationes allatæ. Quod intelligitur nisi filius oblatus cæteris omnibus pensatis, sit aptior religioni illi, quia tunc commutatio esset in euidenter melius: nec filius promissus tenebatur religionem ingredi, vtpote qui paterno voto ligari nequit, nec ipse vouit.

QVÆSTIO XIII.

An hæc æqualitas in votis commutandis, sit accipienda mathematicè?

1 Respondeo minimè, sed moraliter, & ad boni viri arbitrium cessante fraude, & lata culpa, iudicanda est; ita vt prudenter aut nulla, aut parua differentia esse credatur. Ratio est, quia cùm æqualitas mathematica consistens in puncto indiuisibili, sit cognitu impossibilis, vana esset commutandi potestas; si hæc æqualitas sic scrupulosè capienda esset.

Tum quia Deus non est superstitiosus, sed potius est illi acceptum cæteris paribus, quod alacriori, & promptiori voluntate ei persoluitur. Ita Suar. *lib. 6. cap. 19. nu. 9.* & Lop. *p. 1. cap. 50.*

QVÆSTIO XIV.

An qui absque debita æqualitatis inuestigatione commutat vota, peccet mortaliter?

Respondeo eum peccare mortaliter. Ratio est, quia deficit in re graui, lædit enim diuinum cultum notabiliter. Quare optimum consilium erit, quando mera commutatio fit, commutari in aliquid parum melius, quia sic commutans tutiùs & Dei negotium fideliter agit. Ita Caiet. *in summa verbo votum cap. vltimo.* Suar. *lib. 6. cap. 19. num. 14.* & alij. 1

QVÆSTIO XV.

An commutatio fieri possit in materiam, de cuius æqualitate dubitatur?

Respondeo posse. Ratio est, quia quando res est ita dubia, modica potest esse inæqualitas, & ista censetur æqualitas moralis. Quia in moralibus iuxta Aristotelem, quod parum distat, quasi nihil distare videtur. Et ob hæc dubia, conceduntur potissimè priuilegia commutandi, censendúmque est voluisse delegantem concedere aliquam benignitatem. Ita Suar. *lib. 6. cap. 19. num. 9.* 1

QVÆSTIO XVI.

An qui priuata authoritate commutat suum votum in rem euidenter æqualem, peccet mortaliter?

1 SVAR. *lib.6.cap.19.num.14.* tenet eum peccare mortaliter. Quia facit actum nullum; nisi per ignorantiam, vel adhæsionem ad aliam opinionem, quam putat probabilem, excusetur.

Cæterùm nullatenus placet mihi hæc sententia, sed existimo eum solùm peccare venialiter. Quia est infidelis in re modica, quæ deficit, vt res illa sit melior. Sicut peccat venialiter, qui modicum materiæ promissæ
2 omittit. Nec ratio in contrarium allata obstat, quia eam commutationem valere ostendemus inferius. Et ideò ita sentit Petr. de Ledesm. *2.tom.sum. tract.10.cap 8.*

QVÆSTIO XVII.

An ad commutandum votum in minus bonum, superioris authoritas requiratur?

1 RESPONDEO requiri. Ratio est, quia in tali commutatione admiscetur dispensatio, qua condonatur pars eius, quod ex voto debetur Deo: ad dispensationem autem, vt diximus, semper necessaria est Prælati authoritas: ergo & ad commutationem in minus bonum. Quare admonet Caiet. *2.2.q.88.art.12.* quod quando petitur commutatio simul etiam petatur dispensatio, vt commutatio sit securior.

QVÆSTIO XVIII.

An commutatio absque consensu Prælati facta, sit valida.

RESPONDEO non esse validam. 1
Ratio est, quia actus non operantur vltra agentium intentionem. *l.Non omnis initio ff.si certum petatur.*

QVÆSTIO XIX.

An cùm in Iubileis, aut per Bullam cruciatam, vel priuilegium confessario datur absolutè facultas commutandi vota, intelligatur concedi facultas etiam commutandi in id, quod est minus bonum?

BARTHOL. Med. *in sua instruct. lib.1. cap.14. §.7.* Arag. *2.2.q.88. art.12.* Lop. *p.1. cap. 47.* Tolet. *lib.4. c.18.num.penult.* Sà *verb. votum vbi de votorum irrit.num.10.* *Henriq.lib.7.de indulg.cap.30.nu.5.* Less. *lib.2.cap.40. dub.16. num. 109.* & Roder. *2. p.sum. cap.102.num.4.* volunt concedi etiam facultatem commutandi vota in aliquid minus. Quia aliàs priuilegium nihil operaretur, cùm absque eo possint vota absque iusta causa in melius, & Deo gratius authoritate propria, & in æquè bonum cum causa iusta authoritate Prælati commutari. 1

Tum quia beneficium Principis est largissimè interpretandum *l.Beneficium ff.de constitut.Principum,* Et eo modo est intelligendum, vt aliquid operetur, quod stando in iure communi, non licebat.

Angelus *verbo votum 3.n.26.* Cord. *sum.q.140. & 150.* & Viuald. *candel. sacram.p.3.cap.14. nu.20. & 58.* idem admittunt cum hac limitatione, si iusta commutandi causa adsit.

Alij verò rectius docent, non intelligi concedi facultatem commutandi in id quod est minus bonum. 2
Ratio est, quia etsi Priuilegia hæc fauorabilia sint, non sunt tamen extenden-

tendenda vltra verborum proprietatem, commutatio autem propriè significat æqualitatem.

Et confirmatur; nam voti commutatio, eo ipso quod fit in minus, transcendit limites puræ commutationis, & nonnihil habet dispensationis admixtum: ergo qui commutat, in minus, ex parte voti vinculum soluit, cùm tamen facultas commutandi id minime significet, quoniam permutatio rerum, æqualitatem inter ea quæ permutantur, requirit, vt Arist. 3. *Eth.* testatur.

Nec tamen rectè inferunt, parùm, aut nihil operari priuilegium commutandi vota, quia cum in euidenter æquale propria authoritate commutatio fieri nequeat, non parum est beneficium, vt in illud possit commutari authoritate confessoris.

Nec placet limitatio Angeli &c. quia causa illa nõ potest variare commutationis naturam, & concedere facultatem admiscendæ dispensationis
3 ei, qui sola commutandi gaudet. Et ideò huius sententiæ sunt, Sotus egregius Thomista *lib. 7. q. 4. art. 3.* Caiet. *2. 2. q. 88. art. 12. & in sum. verbo votum cap. vltimo* Syluest. *verb. votum 4. fine* Palud. *in 4. d. 38. q. 4. art. 3.* & ibi Supplem. Gabr. *q. 1. art. 5.* Rosel. *verbo votum 5. nu. 6.* Alcozer. *sum. cap. 16. vbi de commut. votorum.* Beia *in suis responsis 1. p. cap. 49.* Couar. *de pactis 1. p. § 3. num. 4.* Azor. *lib. 11. cap. 18. q. 6.* Sayr. *lib. 6 cap. 12. nu. 9.* & Suar. *lib. 6. cap. 12. nu. 6. & cap. 19. num. 7. & 8.*

QVÆSTIO XX.

An ad commutandum votum iusta, & legitima causa requiratur?

1 INNOCENTIVS *cap. 1. de voto nu. vnico,* & Archid. *cap. Presbyter dist.* 82. *num. 3.* censent ad commutandum votum, etiam in melius, necessariam esse causam legitimam.

Lopius *p. 1. instruct. confess. cap. 49.* 2
& Rodér. *p. 2. sum. cap. 102. nu. 4.* dicunt requiri causam, quando commutatio fit in minus. Et ideò sentire videntur, secus esse, quando fit in melius, aut in euidenter æquale. Pro quo,

Primò dico, quod commutatio quæ fit in id, quod certo, & euidenter est melius, iustam, & rationabilem causam non requirit. Ratio est, quia huiusmodi commutatio nulla Prælati authoritate eget, sed proprio vouentis arbitrio fieri potest.

Tum quia, cum ex ea commutatione magis augeatur cultus diuinus, is solus excessus est legitima causa. 3
Ita Sot. *lib. 7. q. 4. art. 3.* Sayr. *lib. 6. cap. 12. num. 25.* Azor. *lib. 11. cap. 18. q. 3.* & Suar. *lib. 6. cap. 18. nu. 9.*

Secundò dico, quod quando commutatio fit in rem certò æqualem & probabile est, esse meliorem, aut dubium est, an sit melior, nulla causa desideratur. Ratio est, quia vt diximus hæc commutatio potest propria vouentis authoritate fieri.

Tum quia, qui sic commutat, fideliter tractat negotium Dei, cùm sit certus de nulla iactura, & dubius de lucro. Ita Suar. *lib. 6. cap. 18. num. 10.*

Tertiò dico, quod commutatio in 4
æquale bonum, iustam, & debitam causam requirit. Ratio est, quia hæc commutatio indiget authoritate Prælati, cuius vsus non potest esse ad libitum, sed rationi consentaneus: ergo aliquam causam requirit.

Tum quia, eo ipso quod opus reddendum secundum se non est melius, est magis consentaneum excellentiæ diuinæ, ac fidelitati ei debitæ, soluere in propria specie, quod fuit promis- 5
sum: ergo vt non fiat hoc, quod per se debitum

debitum est, aliqua causa postulatur. Sic Caiet. 2. 2. *q*.88. *art*. 12. Couar. *de pactis* 1.*p*.§.3.*num*.4. Sayr. *lib*.6.*cap*.12. *num*.8.& 25. Azor. *lib*. 11. *cap*. 18. *q*. 3. & Suar, *lib*.6.*cap*.19.*num*.5.& 14.

Quartò dico, quod quando commutatio fit in minus, aut in rem, de cuius æqualitate dubitatur, à fortiori iusta aliqua causa desideratur. Ratio est, quia huiusmodi commutatio Prælati authoritate indiget.

6 Tum quia miscetur dispensatio; ad dispensationem autem vltra Prælati authoritatem, semper necessaria est causa. Ita Suar. *lib*.6. *cap*. 18. *num*.10. & Roder. *p*.2.*summ*.*cap*.102.*num*.4.

Quintò, & vltimò dico, quod priuilegium non confertur simpliciter, sed cum aliquo onere, ob bonum commune, vt fit per Bullam Cruciatam, vel Iubilæum, & tunc nulla alia est opus causa, quàm conferre eleemosynam in belli subsidium præscriptam in Bulla, & exequi opera in Iu-
7 bileo definita. Quia ob eam causam Pontifex id priuilegium concedit. Ita Suar. *lib*.6.*cap*.19.*num*.10. & Roder. *in addit.ad Bullam Cruc*.§.9.*n*.107.

QVÆSTIO XXI.

An ad commutationem voti requiratur causa illius executioni obstans?

1 SOtus *lib*.7.*q*.4.*art*.3. Sayrus *lib*. 6.*cap*.12.*nu*.26. & Azor. *lib*. 11.*cap*. 18.*q*.3. volunt, requiri causam obstantem, qualis est impotentia, vel incommoditas, seu difficultas præstandi promissum.

Nihilominus contrariam sententiam existimo veriorem. Et ratio est, quia per commutationem non tollitur voti vinculum, sed eo manente, sola materia commutatur, vnde satis est, si id in quod commutatur, sit melius, & Deo gratius. Immo, vt ait Illustrissimus Caiet. sufficit, id in quod 2
fit commutatio, esse æquale: redundat enim honor Christi, & vtilitas Ecclesiæ ex hoc etiam, quod Prælatus in persona Christi gratiosum se præbet ei, qui suæ Maiestati voluntariè se obligauit, condescendendo benignè illi, & acceptando illud, quod est æquale, & ad quod exequendum maior est vouentis propensio, vt non quasi gemens, sed cum gaudio debitum suum soluat, quandoquidem *hilarem datorem diligit Deus* 2.Cor.9.

Sic enim facilius homines inducentur hac benignitate ad vouendum. Quamquàm vt commutans tutior sit, conari debet, vt commutet in aliquid parum saltem meliuѕ. Si autem sit dubium, an sit æquale, sufficit notabilis aliqua molestia in implendo, vel magna fragilitas cum periculo violandi, vel repugnantia parentum. Et ideò ita tenent Caiet. 2.2.*quæst*.88.*ar*.12.& *in sum.verbo votum cap.vltim.* Cord. *sum*. *q*.149. Less. *lib*. 2. *cap*.40. *dub*.16. Valent. 2.2.*d*.6 *q*.6.*p*.7. & Suar. *lib*.6.*c*.19. *num*. 10.

QVÆSTIO XXII.

An commutatio quæ fit in æquale, aut minus bonum sine iusta causa sit ipso facto irrita?

NAVAR. *lib*.3 *consil.tit. de voto, cons*. 19. *num*. 1. Lop. *p*. 1. *cap*. 50. & 1
Azor. *lib*. 11.*cap*. 18 *q*. 12. tenent absolutè commutationem in minus bonum, sine iusta causa, esse ipso facto irritam.

Alij verò è contrario docent eam esse validam. Pro quo

Primò dico, quod si Prælatus sine causa commutet votum in æquè bonum,

num, talis commutatio tenet. Quia in hoc casu adest potestas in superiore, vultque de facto commutare, & in
2 solo modo peccauit. Nec puto aliquid supplendum, cum substantiæ commutationis nihil desit, sed soli rationabili vsui, idque in re leuissima cùm leuissimam causam petat commutatio.

Secundò dico, quod si Prælatus sine vlla causa legitima commutet votum in minus, valet quidem commutatio, sed tenetur vouens supplere ad æqualitatem faciendam. Ratio est, quia mitius agitur cum Deo, quàm cum hominibus. *l. Celsus ff. de receptis arbitris.* At inter homines commutatio iniusta defectu æqualitatis inter res permutatas, non est omnino irrita, sed valet, cum obligatione supplendi excessum, vt constat *ex l. C. de rescind. vendit.* & tradit Molina *tom. 2. de iust. disp.* 349. ergo à fortiori idem est dicendum in commutatione voti, quæ est contractus initus à vouente cum Deo. Quod existimo tunc fieri posse ad arbitrium boni viri, sine nouo consensu Prælati, quia iam quantum in ipso est, in commutationem consensit ex causa iusta, vt supponitur.

Tertiò dico, quod quando commutatio voti est facta proprio vouentis arbitrio, aut alterius carentis iurisdictione in bonum æquale, aut in mi-
3 nus, non est omnino irrita: sed tenetur vouens vel ad prius votum redire, vel supplere quod commutationi defuit, vt esset in bonum euidenter melius. Ratio est, quia Deus pro sua benignitate semper est paratus ad acceptandam voti commutationem factam à quocumque: & quando fit à non habente iurisdictionem in æquale, aut in minus, est inuitus quoad solum modum: ergo verè satisfit Deo, supplẽdo propria authoritate, quod ad iustam commutationem deerat.

QVÆSTIO XXIII.

An Prælatus commutans votum in bonum æquale, aut minus, absque causa iusta, peccet mortaliter?

SVAR. *lib. 6. cap. 19. num.* 14. tenet 1
eum peccare mortaliter. Quia abutitur sua potestate in re graui, facitque actum de se nullum.

At ego existimo Prælatum, qui commutat votum in æquale absque iusta causa, solum esse culpæ venialis reum. Quia vt diximus, talis commuta- 2
tatio valet, & abusus potestatis est in re leuissima, parumque in ea cultus diuinus læditur, cùm commutatio hęc leuissimam causam petat. f. vt vouens libentiùs, & alacriùs Deo seruiat, & vt gratitudo quædam ex parte Dei ostendatur.

QVÆSTIO XXIV.

Quænam sint iustæ causæ dispensandi, & commutandi vota?

RESPONDEO in hoc, certam om- 1
nino regulam dari non posse, sed arbitrio Prælati, vel prudentis confessoris definiri debet, quæ sit iusta causa. Nihilominus ex D. Thom. *in 4. d. 38. q. 1. art. 4. q. 3.* Sot. *lib. 7. q 4. art. 3.* Nauar. *cap. 12. nu. 76.* Sylu. *verb. votum 4. §. 6.* & aliis colliguntur aliquæ iustæ causæ in speciali, quibus motus superior dispensare, vel commutare poterit. Quarum prima est leuitas, vel facilitas vouentis.

Secunda est infirmitas, ac debilitas eiusdem ad exequendum votum. f. ad ieiunandum, vel peregrinandum.

Tertia est, habere numerosam fa-

miliam, quæ absque notabili nocumento, patrisfamilias absentiam, tolerare non potest.

Quarta est necessitas publica, vel priuata.

Quinta est metus etiam ab intrinseco conceptus, vt in naufragio.

Sexta est repentina deliberatio.

Septima est vtilitas vouentis, & magna fragilitas eiusdem.

Octaua est puerilis ætas.

Nona est incommoditas implendi, vel difficultas ex parte operis.

Decima est, quando vouens facilè executionis voti obliuiscitur, & faciliùs illud frangit.

Vndecima, & vltima, quæuis causa reddens executionem voti illicitam, vel inutilem, aut moraliter impossibilem, aut maioris boni impeditiuam, est satis iusta, & rationabilis causa ad dispẽsandum, vel commutandum vota secundùm D.Tho.2.2.*q.*88.*art.*10. & Nauar.*cap.*12.*num.*76. Quod non procedit, quando clarum est, aliquam ex quatuor causis prędictis interuenire, quia tunc commutatio necessaria non est, sed sufficit interpretatio, qua declaretur votum in eo casu non habere vim.

QVÆSTIO XXV.

An, qui à Papa priuilegium habet commutandi vota, possit eadem reseruata commutare?

RESPONDEO, non posse. Ratio est, quia vt habetur *ex regula* 81. *iuris in 6.* generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter concessurus. Ex qua regula *in cap. Si Episcopus de pœnit. & remiss in 6.* probatur, quod si Episcopus suo subdito generaliter concedat facultatem eligendi sibi confessarium, non ideò potest electus absoluere à casibus eidem Episcopo reseruatis.

Tum quia *in extrauag. etsi dominici* 1. *sub finem de pœnit. & remiss.* habetur talium votorum commutationem non concedi nisi ex speciali causa, & certa scientia Papæ.

QVÆSTIO XXVI.

Quot, & quænam vota commutanda Romano Pontifici reseruentur?

1 RESPONDEO quinque. s. votum castitatis perpetuæ, Religionis, peregrinationis in Hierusalem, ad sacra limina Apostolorum Petri, & Pauli in vrbem, & ad sanctum Iacobum Compostellæ, vt habetur *ex extrauag. Etsi dominici*, vbi Sixtus IIII inter cætera, sedi Apostolicæ, horum quinque vota reseruauit. Et ita obseruat praxis Curiæ Romanæ, quia in priuilegiis ad solam commutationem concessis per Bullam, aut Iubileum, aut alia religionis indulta, solent hæc omnia, aut aliqua illorum excipi. Quia ob horum votorum grauitatem, voluit Pontifex ea in propria specie solui, nisi aliud ipse indulserit.

QVÆSTIO XXVII.

An possint hæc commutari in opera euidenter meliora, præter religionem?

1 ARAG.2.2.*q.*88.*ar.*12. Sayr.*lib.*6. *cap.*12.*nu.*14. & Valent.2.2.*d.*6. *q.*6.*p.*7. affirmant, quia cum commutatio hæc in maiorem Dei cultum cedat, non censetur à Pontifice impedi-ri: id enim videtur contra bonos mores, vtpote quod meliori bono obstat.

2 At omnino dicendum est, id fieri non posse. Ratio est, quia iure optimo potuit Pontifex in his votis grauioribus,

bus, hoc sibi iudicium reseruare, an expediat illa commutari: ac proinde ex quo sibi reseruauit, tollitur inferioribus qualiscumque ea commutandi facultas. Nec hoc est contra bonos mores, quia per hoc non prohibetur simpliciter maius bonum, sed præscribitur modus transeundi ad illud ex licentia supremi vicarij Christi, cui aliud bonum erat in specie promissum. Ita Sot. *lib. 7. q. 4. art. 3.* Sanch. *lib. 4. decalogi cap. 51. num. 4.* & Suar. *lib. 6. cap. 21. num. 17.*

QVÆSTIO XXVIII.

An votum religionis possit commutari in perpetuam continentiam?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia etsi id votum non obliget ad profitendum, sed solùm ingrediendum ad experiendum, & si ei religio placuerit, manendum ibi perpetuò: præstantius tamen bonum reputatur, quàm quodcumque aliud perpetuum votum. Vnde vniuersi fatentur, quodcumque votum posse in votum religionis commutari.

QVÆSTIO XXIX.

An votum peregrinandi in terram Sanctam, possit propria authoritate in votum solemne religionis commutari?

1 SOTVS *lib. 7. q. 4. art. 3.* negat. Quia Papa in *cap. Ex multa de voto,* illud sibi reseruat.

Alij verò rectiùs docent, huiusmodi votum regulariter posse sine licen-
2 tia Papæ in votum solemne religionis commutari. Ratio est, quia bonum religionis est melius, Deóque gratius. Vnde quando Papa sibi reseruat alicuius voti commutationem, est intelligendum hoc, quando non pro certo constat id, in quod votum commutatur, esse melius. Et ideò ita sentit Less. *lib. 2. de iust. disp. 40. dubitat. 16.*

Dixi consultò (*regulariter*) quia si aliquis magnus Princeps votum faceret de acquirenda terra Sancta, non posset ita facile huiusmodi votum in vitam religiosam commutare. Quia in re tam graui probabiliter dubitari potest, an vita religiosa sit melior. Vnde in hoc casu consulendus esset summus Pontifex, & secundum eius authoritatem faciendum. Quidquid
contra hoc obmurmuret Syluester 3
verb. votum 4. q. 7. qui putat sine licentia Papæ posse huiusmodi votum in votum solemne religionis commutari, authoritate iuris canonici *in cap. Scriptura de voto, & voti redempt.* vbi Pontifex absolutè decernit omnia vota in religionem licitè commutari posse. Quod non est improbabile.

QVÆSTIO XXX.

An, qui à Papa priuilegium habet commutandi vota, possit vnum reseruatum in aliud reseruatum euidenter melius præter religionem commutare? vt votum S. Iacobi in votum ad limina Apostolorum, vel hoc in votum Hierosolymitanum, vel hoc in votum castitatis, &c.

RESPONDEO non posse. Ratio 1
est, quia cùm Pontifex hanc sibi commutandi facultatem absolutè reseruarit, præcluditur inferioribus aditus ad hæc etiam inter ipsa commutanda. Ita Suares, *libro 6. cap. 21. num. 17.*

QVÆSTIO XXXI.

An hæc poßint in votum solemne religionis commutari?

1 ET quidem certum est apud omnes, in vniuersum omnia vota non reseruata, in sæculo, vel in nouitiatu emissa, non solùm personalia & mixta, verùm etiam & realia, posse ex natura rei, vel certè ipsius iuris authoritate, in votum solemne religionis commutari: vt expressè colligitur *ex cap. Scripturæ de voto*, & tradit D. Tho. 2.2. *quæst.* 88. *art.* 12. communiter receptus.

QVÆSTIO XXXII.

Sed dubium est de votis Romano Pontifici reseruatis.

SVNT, qui negant.

1 Communis tamen opinio habet, absolutè, & in vniuersum omnia vota simplicia etiam reseruata Papæ posse in votum solemne religionis commutari. Ratio est, quia omnia alia vota sunt operum particularium: per religionem verò homo totam vitam suam Deo dedicat: particulare autem in vniuersali includitur.

Tum quia qui solemniter profitetur, totaliter moritur mundo, & viuit Deo, ad quam vitam solemnis illa professio dirigitur: quo fit, vt cessante præterita vita, cessent etiam omnia vota in ipsa facta, non solùm personalia, sed etiam realia, & mixta.

2 Tandem est conclusio definita *in dicto cap. Scripturæ de voto*, vbi Alexander III. ait: *Reus fracti voti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam religionis obseruantiam noscitur commutare.* Et ideò ita sentiunt D. Thom. 2.2. *q.* 88. *art.* 12. Caiet. *ibidem*, Sot. *lib.* 7. *q.* 4. *art.* 3. Nauarr. *cap.* 12. *nu.* 78. Arag. 2.2. *q.* 88. *art.* 12. Valent. 2.2. *d.* 6. *q.* 6. *p.* 7. & Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 18. *quæst.* 1.

QVÆSTIO XXXIII.

An omnia vota, etiam religionis, poßint in Episcopatum commutari?

VIVALD. *cand. sacram. p.* 3. *cap.* 14. *num.* 73. affirmat posse, quia bonum Episcopatus est melius, Deóque gratius. 1

Contrarium tamen arbitror esse dicendum, quia talis commutatio fieri non potest sine aliquo iure positiuo: hoc autem non inuenitur in Episcopali statu, sicut in religioso. Nec immeritò, quia licèt Episcopatus sit perfectior: tamen quoad onera votorum, & exercitia religionis, & quoad subiectionem voluntatis excedit status religiosus, & ideò magis liberari debuit ab antecedentibus votis, & oneribus voluntariis. 2

Tum quia Episcopi status dicitur perfectior, non quia hominem perfectiorem, Deóque gratiorem reddat, quàm religio, aut illum ad perfectionem magis adducat; sed quia secundùm rectum ordinem perfectionem supponit: est enim status postulans perfectam charitatem, qua possit animam suam ponere pro ouibus suis, & eas ad perfectionem adducere.

QVÆSTIO XXXIV.

An vota personalia Nouitiorum ante professionem emissa poßint durante nouitiatu commutari in exercitia consueta religionis?

RESPONDEO posse, non solùm authoritate Prælati, vel Magistri 1

gistri Nouitiorum, verum etiam priuata ipsorum, in exercitia probationis commutari, donec vel profiteantur, vel egrediantur. Ratio est, quia hæc commutatio fit in id, quod certò, & euidenter est melius. Regulariter tamen hæc vota etiam Papæ reseruata, non solent commutari, sed suspendi, donec per professionem transeant in onus religionis. Si tamen contingat eos tempore nouitiatus habitum religionis dimittere, tenebuntur illa vota implere, quia solùm facta est commutatio, vel suspensio pro tempore nouitiatus. Ita Less. *lib.2. de iust. cap.40. dubit.16.*

QVÆSTIO XXXV.

Sed de votis realibus Nouitiorum est maior difficultas?

1 SYLVEST. *verbo votum 4. quæst.7.* negat.

Alij verò docent posse commutari in onera religionis authoritate Prælati. Ita Lessius *loco citato.* Quæ opinio certa mihi est, in casu, quo ex huiusmodi votis realibus non esset ius alicui tertiæ personæ, vel Ecclesiæ acquisitum, aut debita essent incerta, quæ non cedunt in præiudicium tertij alicuius cogniti. Vt si vouit dare calicem certæ Ecclesiæ, aut Monaste-
2 rio, aut dotem alicui puellæ pauperi, cùm ex tali voto non acquiratur ius tertiæ personæ, seu Ecclesiæ. Secus si esset ius acquisitum alicui tertio ex huiusmodi votis factis ab eo, vt si promisit dare alicui centum, & ipse promissionem acceptauit; quia tunc si habet vnde soluat ante religionis ingressum, soluere tenetur, nec per professionem huiusmodi vota extinguuntur: vt rectè docuit D.Thom. *2.2.q.189.art.6.ad 3.*

QVÆSTIO XXXVI.

An votum ingrediendi religionem arctiorem possit authoritate Episcopi in laxiorem religionem commutari?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia hoc non est commutare votum religionis absolutè, sed quandam religionis qualitatem. Si tamen quis duriorem religionem fuerit professus, posset Prælatus regularis iusta de causa, cum consensu tamen capituli, huiusmodi votum in laxiorem religionem commutare, vt cum Sylu. & D.Anton. resoluit Less. *lib.2. c.40. dub.18. nu.124.* 1

QVÆSTIO XXXVII.

An qui vouit religionem strictiorem ingredi, possit id votum commutare in votum profitendi in laxiori?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia ratione prioris voti non tenebatur perseuerare, si postea inuenit bona fide eum statum sibi non conuenire. At ratione posterioris tenetur perseuerare in laxiori. Plus autem est, teneri in hac profiteri, quàm illam ingredi ad experiendum, cum libertate non permanendi. Ita Palud. *in 4.d.38. q.3.art.1.* D.Anton. *2.p.tit.11.c.2.§.8.* & Sylu. *verb.votum 4.q.7.* 1

QVÆSTIO XXXVIII.

An qui potest vota, vel iuramenta commutare, possit etiam in eisdem dispensare?

ET quidem de potestatem ordinariam commutandi habente, vt 1

de Episcopo, & religionum Prælatis, qui Episcopalem habent iurisdictionem erga suos subditos, nullus dubitat.

Sed tota difficultas est de eo, qui ex commissione potest vota vel iuramenta commutare.

2 Syluest. *verb. votum. 4 quæst. 3.* Tab. *verb. dispensatio §. 9.* Toletus *lib. 4. cap. 18.* & Palac. *in 4. d. 38 d. 3.* affirmant.

Sed omnino asserendum est, eum cui per priuilegium facta est facultas commutandi vota, vel iuramenta, non posse eo ipso in eisdem dispensare. Ratio est, quia longè minus est commutare, quàm dispensare: nam qui in voto dispensat, ex toto dissoluit obligationem voti: sed qui commutat, obligationem voti non tollit, sed transfert in aliam materiam, quod longè minoris est difficultatis: ergo qui ex commissione potest vota commutare, non potest in eisdem di-
3 spensare. Vnde cum in Iubileis, & in Indulgentiis solùm concedatur confessoribus facultas commutandi vota, non autem dispensandi, qui aliunde facultate dispensandi in votis, vel iuramentis Deo factis non gaudent, virtute illorum, vota, & iuramenta solùm commutare, non autem dispensare possunt: id quod Parochi, & alij confessores, qui solùm virtute Iubilei, & Priuilegiorum commutare possunt, diligenter animaduertere debent, ne alioquin in errores facilè incidant.

QVÆSTIO XXXIX.

An, qui potest voti vinculum commutare, vel dispensare, possit quoque iuramentum soli Deo factum commutare, vel dispensare, & è contra?

IN qua re certi iuris est, eum qui ordinaria authoritate potest vota commutare, vel dispensare vota, posse quoque iuraméta soli Deo facta commutare, vel dispensare, vt patet de Episcopo, & de eo qui iure, vel præscriptione Episcopalem habet iurisdictionem. 1

QVÆSTIO XL.

Sed dubium est de eo, cui per Bullam, aut Iubileum, aut Priuilegia Religionis, commissa est facultas in foro conscientiæ commutandi, vel dispensandi vota; an eo ipso authoritatem habeat commutandi, vel dispensandi iuramenta quæ soli Deo fiunt?

ET quidem iuxta concessionem factam confessariis deuotæ Societatis IESV à Paulo III. qua ipsis indulget, vt possint vota etiam iurata commutare, non est dubium, quin confessarij qui fruuntur priuilegiis Societatis (quales sunt omnes confessarij nostri) possint commutare etiam iuramenta, quæ non vergunt in præiudicium tertij. 1

QVÆSTIO XLI.

Totum ergo huius controuersiæ dissidium versatur de eo, qui huiusmodi Priuilegio Societatis caret.

CAIET. 2. 2. *q. 89. art. 9.* Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 30. ar. 5.* Arag. 2. 2. *q. 89. art. 9.* Suar. *lib. 6. cap. 14. num. 6.* Sayr. *lib. 5. cap. 8. num. 9.* & Roder. *p. 1. sum. cap. 192. num. 10.* vbi refert Sot. *lib. 8. q. 1. art. 9.* affirmant. 1

At verò Nauarr. *cap. 27. num. 275.* allegans

allegans in suum patrocinium D. Th. 2.2.q.89.*art.*8. Azor.*lib.*11.*cap.*10.*q.*2. Less.*lib.*2.*cap.*42. *dub.*12. *num.*60. & alij multi recentiores negant, & meritò quidem, quia iuramenti vinculum est specie distinctum à voto: ergo priuilegium præcisè concessum ad vota, non potest extendi ad iuramenta: quia priuilegium etiam fauorabile non potest extendi vltra proprietatem terminorum, quibus conceditur iuxta regul. textus *in cap. Porrò de priuileg.* Cùm ergo iuramentum non sit votum, extensio ab vno ad aliud esset progredi vltra terminos priuilegij.

Tum quia, quando Pontifex vult vtrumque concedere, vtrumque exprimit: ergo quando alterum tacet, signum est, tantum alterum velle concedere.

2 Dices, cui conceditur maius, censetur etiam concessum quod est minus *cap. Cui licet de regulis iuris in 6.* Sed iuramenti promissorij vinculum per se spectatum, minus est, quàm votum: ergo in facultate concessa ad vota comprehenditur à fortiori potestas similis super iuramenta, quia communiter hæc iuramenta reputantur vota.

Respondeo hanc Regulam iuris intelligendam esse, quando id quod minus est, in maiori continetur tanquam pars in toto, vel species in genere, non autem quando disparata, & omnino diuersa sunt.

QVÆSTIO XLII.

An, qui per Bullam, aut Iubileum, aut priuilegium potest vota commutare, vel dispensare, possit quoque commutare, vel dispensare iuramenta adiecta contractui, in quo est turpitudo ex parte creditoris, vt quando est metu extortū, aut soluendi vsuras, &c.

BARTHOLOMEVS à Ledesm. *in sum. sacram. tract. de matrim. dub.* 23. & Rodet. *p.*1. *sum. cap.*231. *num.*4. *& cap.* 244. *num.* 4. affirmant posse. Quia per huiusmodi iuramenta nullum homini illi, cui fiunt, ius acquiritur, sed soli Deo, & subinde voti rationem induunt, non aliter, quàm si soli Deo fierent. 1

At dicendum est, non posse. Ratio est, quia etsi per illa nullum homini, cui fiunt, ius compareτur, at cùm non fiant intuitu pietatis, nec Deo, nullam voti rationem induunt, sed meræ promissionis humanæ, ac proinde nomine votorum non clauduntur. Et ideò ita tenent Sanch. *lib.*1. *de matrim. disp.*32. *num.*17. & Suar. *lib.*6. *cap.*14. *num.*13. 2

QVÆSTIO XLIII.

An huiusmodi iuramenta possint relaxari, vel commutari virtute priuilegiorum concedentium relaxationem, vel commutationem iuramentorum absque tertij præiudicio?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia cum in his iuramentis extortis nullum ius acquiratur tertio, ex illorum relaxatione, nulli infertur præiudicium. Ita Petr. de Ledesm. *de matrim. q.*47. *art.*3. *dub.*3. 1

QVÆSTIO XLIV.

An qui ita iurauit possit adire Iudicem, vt compellat creditorem ad remittendum huiusmodi iuramenta?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia cum possit cogere ad secundum iuramentum, eadem ratione potest 1

potest compellere ad relaxandum, quando ratio ad id faciendum præscribit. Immo si pars nolit, Iudex etiam sæcularis poterit id efficere, non quidem absoluendo, vel relaxando, sed decernendo aduersarium nullam actionem habere aduersus iurantem.

QVÆSTIO XLV.

An is, cui per priuilegium concessa est facultas delegata ad vota commutanda, possit quoque vota iureiurando communita commutare?

1 ET quidem, quando priuilegium est ad vota iurata, quale est in nostra Congregatione ad ea commutanda, non est dubium, quin possit, qui tali priuilegio gaudet, vota iuramento firmata commutare.

QVÆSTIO XLVI.

Sed quæstio est, quando in priuilegio de sola votorum commutatione mentio fit, vt contingit in Bulla Cruciata, & Iubileo, quæ solam commutandi vota, facultatem concedunt.

1 SVAR. *lib.6. cap.14. num.19.* tenet eum, qui potest vota commutare, posse etiam, licèt sint iuramento firmata. Quia etsi votum, & iuramentum speculatiuè sint duo vincula speciè diuersa, tamen moraliter in ordine ad Deum, & religionem æquiparantur.

2 Henriq. *lib.7. de indulg. cap.30. nu. 5.* Azor. *lib.11. cap. 10. quæst.2. & cap. 18. quæst.16. & cap.19. q.19.* & Roder. *tom.1. qq. regul. q. 63. art.5. & 2. p. sum. cap.102. in fine* & Sayr. *lib.5. cap.8. num. 9.* & Nauarr. *in Man. cap.27. nu.278.* negant habentem facultatem commutandi vota, posse etiam vota iurata commutare.

At verò Sanch *lib. 8. de matrimon. disp.2.* distinguit. Si iuramentum præstetur ad voti emissi confirmationem, tunc qui per priuilegium potest vota cōmutare, potest eadem iureiurando communita commutare: & in hoc sensu putat veram esse primam opinionem. Quia tunc iuramentum est voto accessorium, ac proinde, satis est sola potestas ad tollendum voti vinculum, quo sublato, cessat iuramenti obligatio. Si verò non præstetur in voti confirmationem, sed independenter ab illo, vt si prius peregrinationem vouit, & postea huius voti immemor, vel omninò indepenter ab illo, eandem peregrinationem iurauit, tunc qui per priuilegium facultatem habet vota commutandi, non potest votum, & iuramentum simul concurrentia commutare. Quia cùm sint duo vincula diuersa, nec vnum pendeat ab alio, vt sic illo sublato cesset: maiora, & fortiora sūt vno solo, quod priuilegium indulget. Et in hoc sensu vera est opinio secunda. In dubio autem an iuramentum posterius factum sit præstitum ad solam confirmationem voti, credit sic præsumi, quia semper solet sic præstari, quoties votum præcessit: ac proinde facultas concessa circa vota, extendetur in eo dubio ad votum simul cum iuramento. 3

Ex his opinionibus, secunda mihi videtur verior, atque tenenda. Ducor, 4 quia in hoc casu concurrunt duo vincula expressa diuersæ speciei, quæ apertè fortiora sunt vnico solo expresso, quod ea priuilegia concedunt.

Tum quia potestas ad dissoluendum minus vinculum, non extenditur ad maius: sed votum iuratum est maius vinculum,

vinculum, quàm nudum votum: vt D.Thom. 2.2.*q*.89.*art*.2.fatetur: ergo facultas data tantum ad votum, nõn potest extendi ad votum iuratum.

5 Tum quia votum metu extortum est nullum, at iuramento firmatum subsistit: & qui simpliciter promisit soluere vsuras, nullo iure cogitur eas soluere; cogitur tamen qui promisit, & iurauit se soluturum: ergo non eo ipso quod votum relaxatur, iusiurandum dirimitur.

Tandem, nostra Congregatio per concessionem factam deuotæ Societati IESV à Paulo III. habet priuilegium commutandi vota: quod priuilegium extendit Greg. XIII. ad vota iurata, dummodo commutatio non fit in præiudicium tertij: ergo signum est prius priuilegium non extendi ad talia vota.

6 Dices: quando votum est materia iuramenti, necesse est, vt cui vi priuilegiorum, vel Iubilei facultas committitur commutandi vota, habeat quoque vt possit commutare iuramentum, quia sublata materia iuramenti, iuramentum ruit.

Respondeo ex priuilegio, vel Iubileo solùm concedi facultatem commutandi votum simplex, non autem quod est iuramento communitum.

QVÆSTIO XLVII.

An Priuilegia Bullæ, & Iubilei sint fauorabilia?

1 NAVARR. *lib*.2.*consil. tit. de iureiur.consl*.1.*nu*.6. censet esse odiosa, & restringenda, quia continent iuris communis relaxationem.

Sed dicendum est esse fauorabilia, & amplianda. Ratio est, quia Priuilegia sunt beneficium Principis, sine præiudicio alicuius; sunt opus liberalitatis, clementiæ, & charitatis: ergo sunt fauorabilia, & amplianda.

Tum quia talia priuilegia ordinantur immediatè ad pleniorem absolutionem faciendam, quæ quoad hanc partem est fauorabilis: vt latè probat Suar. *de indulg.in* 3.*tom. disputat*.56. *sect*.2. 2

Tum quia hæc indulta ordinantur principaliter, non ad bonum priuatum, sed ad publicum totius Ecclesiæ, ad subueniẽdum publicæ eius necessitati; ergo sunt fauorabilia. Sic Nauarr.*§.in Leuit.notab*.34.*num*.46.Lop. 2.*p.cap*.9. Henriq. *lib*.6. *de pœnit. cap*. 16.*num*.3. *& lib*. 7. *de indulg. cap*.30. *num*.4. & Suar. *lib*. 6. *cap*.16. *num*.3. qui addit multos viros doctos nostri temporis id sensisse. Quam opinionem Sanch.*lib*.4. *decalogi cap*.54.*num*. 7.putat esse probabilem.

QVÆSTIO XLVIII.

An, qui potest commutare, vel relaxare vota, possit etiam commutare, aut relaxare pœnam ob eorum violationem incursam? Vt si vouisti non ludere sub pœna erogandi centum aureos pro qualibet illius voti transgressione, & lusisti decies, & ideò teneris in eleemosynam dare mille ex illa voti violatione.

NAVARR. *lib* 3. *consil. tit. de voto consl*.33.*&* 35. Azor. *lib*.11. *cap*. 18.*q*.11. Graff. 1.*p.decis. lib*.1. *cap*.28. *num*.4 & Sayr. *lib*.6. *cap*.12. *num*.20. negant. Quia aliud est pœna, aliud votum, & ideò potestas concessa ad commutandum votum, non est concessa ad pœnam mutandam, quia illa priuilegia nullam pœnæ mentionem faciunt. 1

Tum quia hanc pœnam non produxit votum, sed eius violatio.

2 At multò verius est, posse confessorem per Bullam, vel Iubileum, vel Priuilegium, non solùm voti obligationem, sed pœnam incursam ex fractione eiusdem voti commutare, vel relaxare. Ratio est, quia illa pœna non debetur, nisi ex vi voti, quod ab initio obligauit ad illam: ergo potestas commutandi, vel dispensandi in eo voto, extendit se ad pœnam incursam ob violatum votum.

Tum quia, si materia principaliter ac directè intenta potest commutari, multò magis ipsa pœna, quæ per quandam consequentiam fuerat promissa.

Tum quia virtute Bullæ, vel Iubilei, aut Priuilegij potest commutari, vel relaxari votum pœnale castitatis, vel religionis, etiam iam post incursam pœnam non solùm quoad votum in posterum, sed etiam quoad pœnam iam ex voti violatione debitam: ergo.

3 Immo, cùm solus Deus sit huius pœnæ creditor, poterit ea commutari proprio vouentis arbitrio in rem euidenter meliorem. Et ideò ita tenent Sanch. *lib. 8. de matrimonio disp.* 15. *nu.* 14 Less. *lib. 2. cap.* 40. *dub.* 16. & Suar. *lib. 6. c.* .. *num.* 19.

Neque contra hoc vrget fundamentum Nauarr. quia quando pœna tantum debetur ex voto, non rectè distinguitur contra votum: nam est quoddam particulare votum, vt dictum est.

QVÆSTIO XLIX.

An per Priuilegium possint commutari, aut dispensari non solùm ea vota, quæ quis fecerat ante id priuilegium, sed etiam alia quæ fecit post illud?

ET quidem, quando priuilegium est perpetuum, certum est, posse commutari, aut dispensari, non solùm vota ante id priuilegium facta, sed etiam facienda. Quia cùm priuilegium sit perpetuum, amplectitur omne tempus. Ita Suar. *lib. 6. c.* 13. *n.* 2. 1

Secundò etiam constat, quando priuilegium est temporale, vt Bullæ cruciatæ, vel Iubilei, posse commutari, aut dispensari vota quæcumque emissa non solùm ante concessionem Romæ factam; sed etiam postea, ante tamen publicationem. Quia cùm ex tunc incipiat priuilegium hoc suum effectum sortiri, vota vsque tunc emissa censentur, ante concessionem facta Suar. *supra num.* 3.

QVÆSTIO L.

Sed quod in dubium vertitur est: An possint commutari, aut dispensari etiam vota emittenda post publicationem?

SOTVS *lib. 7. q. 4. art. 3.* Cord. *sum. q.* 149. Angles *de voto* & Lop. 1. *part. cap.* 50. tenent virtute Iubilei, aut Bullæ. Commutari, aut dispensari non posse, nisi vota ante publicationem facta. Ducuntur, quia commutatio, aut dispensatio ad instar legis non extenditur nisi ad præterita. 1

Mihi verò longè probabilius videtur, posse commutari, aut dispensari vota tam facta, quàm facienda post publicationem Bullæ, vel Iubilei. Ratio est, quia, vt Glossa *in cap. Quia circa. de priuil.* testatur, verba indefinitè, & generaliter expressa in priuilegiis extenduntur ad futura. Atqui verba Bullæ, & Iubilei, quæ votorum commutationem indulgent, sunt generalia, & indefinita, vt constat: ergo extenduntur ad vota etiam futura. 2

Tum

Tum quia poteſtas abſoluendi à cenſuris,& caſibus reſeruatis conceſſa in Iubileo, vel Bulla, extenditur ad futura, vt omnes Doctores tradunt: ergo & poteſtas diſpenſandi,& commutandi: Patet conſequentia ex paritate rationis.

3 Tum etiam quia fauores ſunt ampliandi. *Argum. cap. Odia de reg.iuris in 6.* maximè quando ex tali ampliatione nulli infertur nocumentum. Cùm ergo facultas commutandi, vel diſpenſandi vota ex Iubileo, vel alio priuilegio conceſſa ſit in fauorem pœnitentis lucrantis Iubileum, intelligi debet facultas hæc ſe extendere ad omnia vota, quæ tam ante, quàm poſt publicationem Iubilei, vel priuilegij facta ſunt. Et ideò ita ſentiunt Nauarr. §. *in Leuit. notab.*24. *num.*4. *& cap.*12.*num.*80.Arag.2.2. *quæſt.*88. *artic.*12.Henriq. *lib.6 de pœnit. cap.*16. *num.*3. Roder. *in Bulla* §.9. *num.*111. Azor.*lib.*11.*cap.*18.*quæſt.* 9. Lop.*p.*2. *cap.*9.*vbi de clauibus.* Emman.Sa *verbo votum num.*21. Petr.de Ledeſm.2.*tom. ſumm.tract.*11.*cap.*4. *dub.*5. Suar.*lib.*6. *cap.*13.*num.*4. Et in hanc partem inclinat Cordub. *in ſuo quæſt. lib.* 5. *quæſt.*37.

4 Illud tamen eſt hoc loco obſeruandum, quod ſi indulgentiam Iubilei conſecuturus indigeat abſolutione à reſeruatis, ſimúlque commutatione votorum,poterit vtrumque pro libito à diuerſis confeſſariis obtinere, putà adeundo vnum confeſſarium, vt eum à reſeruatis abſoluat,& alium,vt commutet. Immo non eſt neceſſarium, vt commutans vota ſit confeſſarius eius, qui commutationem petit: non enim id requirit forma Iubilei, ſed tantum vt ſit confeſſarius ex approbatis ab ordinario.

QVÆSTIO LI.

An votum factum in fauorem vnius Eccleſiæ, poſsit commutari in opus quod ſit in commodum alterius? Vt ſi vouiſti te daturum 100.*Eccleſiæ B. Mariæ Montis Regalis,& poſtea vides pauperes fame morientes: An poſsis in eorum ſubſidium illa centum donare?*

RESPONDEO, ſi votum tuum eſt ſecretum, per quod nullam Eccleſiæ B. Mariæ Montis Regalis habet contra te actionem, potes tale votum propria authoritate, & ſine conſenſu alicuius in euidenter melius commutare, applicando illa centum pauperibus fame morientibus, vel dando illa alteri operi magis pio. Ratio eſt, quia cùm per huiuſmodi votum nullum ius ſit tali Eccleſiæ acquiſitum, eſt de illo iudicandum, perinde ac de votis in Dei ſolius honorem factis, in quibus diximus, licitam eſſe talem commutationem. Dixi *(in euidenter melius)* quia in æquale, vel in minus bonum, neceſſaria eſt Epiſcopi authoritas abſque conſenſu illius Eccleſiæ, vel perſonæ. Si autem votum tuum fuit iam notum, & Prior prædictæ Eccleſiæ illud votum ſciens tibi gratias egit, acceptando illud, tunc non potes abſque eiuſdem Prioris conſenſu illa centum alteri operi magis pio donare. Ratio eſt, quia ei acquiſitum eſt ius per acceptationem. Vnde talis commutatio cederet in illius præiudicium, fierétque illi iniuria. Ita Caietan. *tom.*2. *opuſc.de voto quæſt.*3. Nauarr.*cap.*12.*num.*78. Sylueſt.*verb.votum* 4.*quæſt.*7. Leſſ.*lib.*2.*cap.* 40. *dub.* 11.Azor.*lib.*11.*cap.*19. *quæſt.*12.Sayr. *lib.*6.*cap.*11.*num.vltim.* & Suar. *lib.*6. *cap.*15.*num.*7.

QVÆSTIO LII.

An si votum dirigatur ad sanctum illius Ecclesiæ Patronum, vt promitto D. Bernardo me daturum eius Ecclesiæ calicem, possit propria authoritate in melius commutari?

1 RESPONDEO, si votum dirigatur ad sanctum, solùm acquiritur ius ipsi sancto, cui gratum est, tale votum in melius commutari. Si autem dirigatur ad Prælatum illius Ecclesiæ, Prælatus nullum ius acquirit, nisi votum acceptetur. Vnde ante acceptationem potest in melius commutari ad commodum alterius, propria authoritate. Post acceptationem non potest sine eiusdem Prælati consensu, quia ei acquisitum est ius per acceptationem. Ita Suar. *lib. 6. cap.* 18. *nu.* 11.

QVÆSTIO LIII.

An confessarius requisitus per Bullam, aut Iubileum, vt votum commutet, si nolit sine iusta causa commutare, peccet?

1 RESPONDEO eum peccare. Ratio est, quia cum confessarius sit Iudex delegatus in pœnitentis fauorem, tenetur ius ex priuilegio illo sibi concessum tribuere. Sicut Episcopus dicitur infidelis *cap. Quanto* 2. *quæst.* 5. denegans dispẽsationem subdito petenti ex iusta causa. Ita Sayr. *lib. 6. cap.* 12. *num.* 18.

QVÆSTIO LIV.

An confessarij Regulares habentes priuilegium absoluendi à casibus reseruatis vel dispensandi, aut commutandi vota, teneantur pœnitentes ab eisdem absoluere, seu cum ipsis dispensare, aut ipsorum vota commutare?

RODER. *in explicat. Bullæ cruc.* §. 9. *num.* 144. *& qq. regular. tom.* 1. *q.* 61. *art.* 15. & Sanch. *lib.* 4. *decalogi cap.* 54. *num.* 12. negant eos ad id teneri, sed posse, & interdum debere in grauioribus criminibus pœnitentes ad proprios ordinarios remittere. Quia nullus adstringitur suo priuilegio vti. 1

At verò Henriq. *lib. 7. de indulg. cap.* 18. *num.* 2. & Nauarr. *præludio* 9. *num.* 12. allegans Caietan. 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. docent confessarios prædictos habentes legitimum priuilegium, vel Bullam omnino teneri eos pœnitentes absoluere, & cum eis dispensare, vel eorum vota commutare. Ratio est, quia licèt vnusquisque possit priuilegio suo renuntiare, non tamen in casu, quo id vergit in præiudicium alterius, vt in proposito contingit: nam postquam confessarius pœnitẽtis peccata in confessione audiuit; iniuriam ei proculdubio irrogaret, si ipsum, cùm possit, non absolueret; aut eum non dispensaret: hoc enim esset cogere pœnitentem cum ipsius confusione, & verecundia bis propria peccata confiteri, quod grauamen est, atque iniuria non parua; ac proinde si sine iusta causa audita confessione reseruatorum, remitteret ad ordinarium pœnitentem, grauiter peccaret.

Hinc, qui potest dispensare, vel commutare, & non vult sine causa iusta, peccat ad minùs venialiter.

QVÆSTIO LV.

An commutatio voti virtute Bullæ, vel Iubilei, vel Priuilegij necessariò fieri debeat in confessione?

NON

1 NONNVLLI sentiunt eam debere fieri in confessione. Quia in Iubileo, & in priuilegiis regularium, vbi hæc facultas committitur, expressè dicitur, *confessionibus diligenter auditis*.

Tum quia in eo triplici priuilegio datur hæc facultas soli confessario per ordinarium approbato, & ideo videtur in sola confessione concedi, in quo solo est confessor, & iudex qui commutat. Ita Lop. *2. p. cap. 9. vbi de clauibus*. Sayr. *lib. 6. cap. 11. num. 105. & lib. 5. cap. 60. nu. 10.* Vega *2. to. sum. cap. 129. casu 34.*

2 Alij verò rectiùs negant. Pro quo, dico primò posse vota commutari à confessario approbato per ordinarium virtute Bullæ cruciatæ extra confessionem. Ratio est, quia in dicta Bulla nullatenus dicitur: vt auditis confessionibus commutatio fiat: sed solùm vt fiat à confessario ex approbaris ab ordinario, & pro solo conscientiæ foro. Ita Suar. *lib. 6. cap. 16. num. 4.* Sot. *lib. 7. q. 4. art. 3.* Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 30. num. 6.* & dicit esse probabile Roder. *2. p. sum. cap. 101. nu. 6.*

Secundò dico, posse etiam vota commutari à confessario per ordinarium exposito virtute Iubilei, aut priuilegiorum religionis extra Sacramentum confessionis. Ratio est, quia cum adeo multum inter se distent absoluere à peccatis, & vota commutare, nec hoc confessione indigeat, non credendus est Pontifex velle totum priuilegium limitare per illam clausulam, *auditis confessionibus*. Sed
3 singula singulis referenda sunt, & ita illa refertur ad absolutionem à peccatis, quæ immediatè sequitur.

Tum quia in priuilegiis religiosorum nulla fit mentio confessionis: quia non est datum simul cum potestate absoluendi à peccatis.

Non obstat, quod detur hæc facultas soli confessario, quia nomen confessoris magis est muneris, quàm actualis exercitij.

4 Nec etiam obstat, quod dicatur in foro conscientiæ tantum, quia forum conscientiæ latius patet, quàm forum pœnitentiæ sacramentalis: & per illa verba solùm excludit, ne dispensatio valeat pro foro externo, sed tantùm ad conscientiæ securitatem. Et ita docuit Nauar. in ordine ad absolutionem à censuris *in Cons. 11. de priuileg.* & Roder. *lib. 1. qq. regul. q. 61. art. 10.* Est autem eadem ratio de commutatione votorum, vt per se constat, & optimè tractat Sanch. *lib. 8. de matrim. d. 34.*

5 Ex qua doctrina optimè colligit Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 10. num. vlt.* non opus esse, vt commutans vota virtute Bullæ, aut Iubilei, aut Priuilegiorum religiosorum, sit confessor vouentis. Quia solùm requirunt, vt sit confessarius per ordinarium approbatus.

QVÆSTIO LVI.

An confessarius vi Bullæ, vel Iubilei, vel priuilegiorum religionis possit commutare vota emissa sub spe obtinendi prædicta priuilegia?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia contrarium nullo iure, vel ratione probatur.

Tum quia quamuis dissidium sit inter Authores, an facultas absoluendi à reseruatis ibi concessa, extendatur ad reseruata ex illorum priuilegiorum confidentia commissa; probabilior tamen sententia habet, illam extendi. Quod absque dubio dicendum est de commutationis, & dispensationis priuilegio, cùm non sit malum vouere sub spe obtinendi

commutationem, vel dispensationem. Et ita tenent Sanch. *lib.*4. *decalogi cap.* 54. *num.* 18. & Suar. *lib.* 6. *cap.* 13. *num.*7.

QVÆSTIO LVII.

An possint virtute Bullæ, vel Iubilei, vel Priuilegiorum commutari vota reseruata in eis excepta, quando potest in eis Episcopus dispensare?

1 RESPONDEO posse commutari, quoties Episcopus in illis potest dispensare, eo quod à perfecta votorum reseruatorum ratione deficiunt, aut quia non est dispensatio in substantia voti reseruati, sed in aliqua eius circumstantia. Quia aperta Pontificis mens est, in eo solo casu vota hæc reseruare, in quo Pontifici reseruantur, & ita praxis explicuit. Secus quando Episcopus potest in eis dispensare ratione solius necessitatis imminentis, eò quòd Pontifex non possit facile adiri: tunc enim non possunt ea, per hæc priuilegia commutari.

2 Hinc, virtute Bullæ, vel Iubilei, vel Priuilegij potest commutari votum temporale castitatis, vt ad decem, vel viginti annos: vt docet Henriq. *lib.*7. *de indulg. cap.*30. *num.*6. Et votum castitatis coniugalis, & votum non petendi debitum etiam ex alterius licentia emissum. Immo & votum non petendi, nec reddendi ex communi consensu factum. Et votum virginitatis seruandæ, quando constat mentem vouentis fuisse nolle se ad castitatem obligare, sed solùm se integrum seruare à primo libidinis actu. Similiter votum assumendi ordines sacros, vel habitum tertij ordinis B. Dominici, & B. Francisci: & votum disiunctiuum, cuius altera pars est reseruata, vt castitatis perpetuæ, vel ieiunij perpetui, si nondum pars reseruata electa sit; & votum perseuerandi in religione, vt tempore probationis liceat ex iusta causa egredi. Tandem potest commutari, vt votum religionis non impleatur tempore definito, sed aliquamdiu eius executio differatur. Ratio horum omnium est, quia in his omnibus potest Episcopus dispensare. Henriq. *lib.*7. *de indulg. c.*30. *nu.*6. Arag. 2. 2. *q.*88. *art.*12. Sayr. *lib.*6. *cap.* 12. *num.*23. & alij.

Hinc, vota castitatis emissa à coniugatis posse commutari per Bullam, vel Iubileum in iis omnibus casibus, in quibus, eo quòd à vera perfectione voti deficiant, diximus posse in eis Episcopum dispensare. Quia hæc non sunt vota omnimodæ castitatis. 3

Hinc, vota pœnalia, & conditionalia castitatis, & religionis etiam post incursam pœnam, & impletam conditionem, posse per Bullam, vel Iubileum, vel priuilegium commutari. Quia hæc non sunt Romano Pontifici reseruata, sed potest Episcopus in eis dispensare.

QVÆSTIO LVIII.

An virtute Bullæ, vel Iubilei, vel Priuilegij possit commutari votum castitatis eius, qui eo ligatus matrimonium contraxit, vt possit petere debitum?

VIVALD. *candelab. sacram.* 3. *p. cap.*14. *num.*41. affirmat. Quia in hoc potest Episcopus dispensare. 1

At probabilius existimo contrarium. Quia, etsi verum sit posse Episcopum in hoc dispensare; id tamen non est quasi iure ordinario, & ex natura

tura reseruationis, sed id est solius Pontificis,& sola consuetudo iurisdictionem in hoc tribuit, quæ id non obtinuit, vt id votum per priuilegia prædicta commutetur.

QVÆSTIO LIX.

An virtute Bullæ, vel Iubilei possit commutari votum arctioris religionis in laxiorem?

1 IN qua re conueniunt omnes,id votum posse commutari per Iubileum,qui in quodcumque opus pium commutari vota concedit.

Sed dubium est, an etiam virtute Bullæ commutari possit? Lop.2.*p.instruct.confess.cap.*9.*de clauibus*,negat, quia Bulla tantum concedit commutationem in temporale belli subsidium.

At multo probabilius est, posse id votum per Bullam commutari in alia pietatis opera, addita aliqua eleemosyna in belli subsidium,quæ suppleant
2 eum religionis strictioris excessum. Ratio huius est,quia,vt inferius dicemus,non est necessarium,totam commutationem voti in belli subsidium fieri,sed partem.

QVÆSTIO LX.

An votum, quod i m fuit aliàs per potestatem habentem legitimè commutatum, possit iterum quoad illam materiam subrogatam virtute horum trium priuilegiorum commutari? v.g. vouit quis ieiunium, fuit ei hoc votum commutatū in eleemosynā. Quæritur nunc: An per hoc triplex priuilegium, hæc eleemosyna possit in aliam materiam cõmutari?

RESPONDEO posse. Ratio est, 1
quia per hoc triplex priuilegium datur generalis facultas commutandi vota omnia,exceptis Romano Pontifici reseruatis.

Tum quia, si per hæc priuilegia conceditur eorum votorum commutatio, quæ omnem vim, & robur ad sui obseruantiam habent,cur ergo eadem vota iam aliquantulum per commutationem primam mollificata, & modificata non poterunt per eadem priuilegia iterum commutari? Ita Cord.*in sum.q.*150.

QVÆSTIO LXI.

An possit Iubileus bis obtineri illis duabus hebdomadis?

HENRIQ. *libro* 7. *de indulgent.* 1
cap. 11. *num.*1. *& lib.* 6. *de pœnit.cap.*16.*num* 3. affirmat. Cui fauet Nauarr.§. *in Leuit.notab.*32. *num.*47. *& notab.*37.*num.*7. *quæst.*4. vbi agens de anno Iubilei, dicit posse aliquem pluries intra illum annum, effectum, & omnem gratiam illius iubilei obtinere, si Romæ existens pluries opera requisita faciat.

Cæterùm nullatenus placet mihi hæc sententia, sed existimo Iubileum semel tantum in vna, vel altera hebdomada obtineri posse, & non semel in prima, ac iterum in secunda,quòd
forma Iubilei satis apertè id demonstret:non enim dicit copulatiuè vt in 2
vna, & altera hebdomada obtineri possit:nec indefinitè, vt pro illis duabus hebdomadis compararetur; sed expressè sub forma disiunctiua dicit, qui prima hebdomada post publicationem, vel in sequenti post illam. Ita Suares, *lib.* 6. *cap.* 16. *num. vltimo.*

QVÆST.

QVÆSTIO LXII.

An commutatio voti necessariò fieri debeat præcisè intra tempus, quo Bulla, vel Iubileus durat? Perinde est, ac si quæreretur: An commutatio hoc modo fieri possit. Ex nunc commuto votum tuum in id, quod ego postea, aut talis vir doctus præscribet.

1 RESPONDEO, posse, sicut potest confessarius ex nunc absoluere pœnitentem remittendo vt de obligatione pœnitentiæ, vel restitutionis consulat virum doctum. Ratio est, quia verè fit commutatio intra tempus Iubilei, nec illi viro docto delegatur facultas commutandi, non enim ille commutat, sed confessarius. Præscriptio autem materiæ subrogandæ non est necessarium vt intra Iubilei, vel Bullæ tempus, fiat, potestque cuicumque viro docto committi: etiam si sit laicus, non est enim iurisdictionis actus, sed prudentiæ. Et ideo ita sentiunt Nauar. *in Man. cap. 16. num.* 13. Roder. *addit. ad Bullam* §. 9. *num.* 115. Viuald. 3. *p. cap.* 14. *num* 40. Less. *lib.* 2. *de iust. cap* 40. *dub.* 16. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 12. *nu.* 21. Graff. 1. *p. decis. lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 47. & Suar. *lib.* 6. *cap.* 16. *num.* 15.

Hinc, si pœnitens recordetur se emisisse votum, non tamen speciei eius in particulari, poterit prudens cōfessarius determinare aliquam ma-
2 teriam per modum commutationis, vel omnino tollere votum per dispensationem, si causa iudicata fuerit generaliter sufficiens: vel etiam poterit aliquod maius tempus concedere ad reuocandum in memoriam speciem voti, etiam si opus sit transgredi tempus præfixum Iubilei. Quia iam acceptauit potestatem, & inchoauit causam, & quodammodo concessit commutationem, vel dispensationem tempore habili, quod sufficit ad firmandam iurisdictionem, vt tempore congruo possit in particulari commutatio consummari. Ita Suar. *vbi supra.*

QVÆSTIO LXIII.

An hic peccet contra votum, si antequam confessor, aut vir ille doctus materiam præscribat, prius votum frangat?

RODER. *add. ad Bullam* §. 9. *num.* 115. affirmat. Quia illa voti commutatio est in pendenti, donec confessarius, aut vir doctus materiam subrogandam definiat. 1

At dicendum est, hunc non peccare contra votum, etiamsi ante præscriptionem nouæ materiæ contra prius votum faciat, quia obligatio voti circa materiam prius promissam iam est extincta, & translata in aliam materiam in genere: ille enim acceptando talem commutationem, implicitè vouit id quod ille Doctor præscripturus est, ac proinde ante illius præscriptionem, votum non obligat. Ita Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 40. *dub.* 16. *num.* 109. 2

QVÆSTIO LXIV.

An, qui tempore Iubilei, aut Bullæ per obliuionem, vel alia de causa non curauit vota sua commutari, vel relaxari, possit postea votorum illorum commutationem ab eodem confessore, vel ab alio approbato ab Ordinario petere etiã post annum?

RESPON

1 RESPONDEO posse, si durante tempore Iubilei, aut Bullæ opera ad Iubilei consecutionem præscripta præstitit, & præcessit aliqua commutatio generalis, quia nimirum confessarius tempore Iubilei omnia pœnitentis vota commutauit in id, quod ipse, vel alius vir doctus iudicauerit. Quia iam tempore habili vota commutata sunt, sola materiæ subrogandæ declaratione in posterum relicta. Atque ita in simili loquentes de absolutione generali à censuris reseruatis & dispensatione in irregularitatibus tradunt Nauar. *cap.* 26. *n.* 13. Sayr. *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 14. *num.* 8. *&* 9. vbi dicunt generalem absolutionem aut dispensationem virtute priuilegij factam, extendi ad obliuioni tradita: ac proinde quæcumque postea in mentem venerint, iam cessasse reseruationem. Quare colligunt sanum semper consilium esse, vt tempore Iubilei, aut Bullæ faciat pœnitens secum dispensari, & se absolui, quantum extenditur potestas confessoris, vt sic gaudeat dicto priuilegio quoad oblita. Et in hoc omnes Authores conueniunt.

QVÆSTIO LXV.

Sola difficultas est, quando ea commutatio generalis non præcessit, quia aut nulla vota commutauit, aut ea sola quæ pœnitens commutanda confessori patefecit.

1 SVAR. *lib.* 6. *cap.* 16. *num.* 36. negat. Quia ea commutandi potestas delegata confessario est ad tempus limitatum, quo Iubileus, aut Bulla durat; ergo eo exacto expirauit omnino facultas.

2 Sed multò verius existimo, posse transacto Iubilei tempore commutari vota oblita, quæ tempore Iubilei commutari poterant, ac dispensari in irregularitatibus, & absolutionem à reseruatis impendi. Ratio est, quia quamuis opera in Iubileo præscripta ad eum assequendum, alligentur tempori designato in eo, ita vt eo tempore elapso fieri nequeant; at iis completis eo tempore, pœnitens comparat priuilegium, vt absoluatur ab omnibus reseruatis, & in quibuscumque secum dispensetur, & vt commutentur sibi vota vsque ad finem Iubilei facta, quod vtique priuilegium certo tempori non alligat Iubileus, vt ex eius tenore constat: ergo.

Tum quia ratio, ob quam peccata tempore Iubilei oblita, non manent eo elapso reseruata, non est quod pœnitens sit ab eis tempore illo Iubilei indirectè absolutus dum à cæteris confessis absolutus est, vt rectè docet Suar. 4. *tom. in* 3. *p. d.* 31. *sect.* 4. *num.* 20. Sed quia ius acquisiuit pœnitens per ipsum Iubileum, vt possit postea cuilibet ea reseruata confiteri, quorum oblitus est. Quæ ratio æquè in hoc casu militat: similiter enim dicemus per Iubileum acquisisse ius, quo posset eius vota relaxare. Quippe eodem tenore vota reseruata, & peccata reseruata conceduntur. Quæ doctrina diligenter annotanda est à confessoribus, qui non aliunde, quàm ex virtute Iubilei vota commutare possunt. Et ideò huius sententiæ sunt Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 15. *num.* 17. Suar. *de pœnit. disp.* 31. *sect.* 4. Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 11. *num.* 4. Sà verb. *indulg. num.* 14. & Less. *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 16. 3

QVÆSTIO LXVI.

An si pœnitens tempore Iubilei, voti emissi memor, noluit commutationem petere, possit postea, Iubileo transacto eam petere?

Pp RESPON-

2 RESPONDEO posse. Ratio est, quia etsi semel noluerit eo priuilegio vti, cùm tamen id sit perpetuum, poterit mutata sententia pro casibus ante Iubileum admissis, eo vti. Et idem dic de irregularitatibus, & reliquis in Iubileo contentis. Ita Sanch. *lib.8. de matr. disp.32.n.2.*

QVÆSTIO LXVII.

An, qui tempore Iubilei nullam confessionem fecit, quia præmisso diligenti examine non inuenit in se culpam mortalem, impleuit tamen cætera opera in Iubileo præscripta, possit eo transacto, à reseruatis oblitis tempore Iubilei absolutionem, & votorum commutationem, & aliorum in eo concessorum, obtinere?

1 HENRIQ. *lib. 7. de indulgent. cap. 12. num. 2.* negat. Quia tempus delegationis præteriit, nec causa intra illud cœpta est.

2 Sed multò verius existimo, posse. Ratio est, quia semel obtentus Iubileus dat ius omni tempore eligendi confessorem pro iis, quæ vsque ad Iubilei finem reseruata erant. Ita Sanch. *lib.8. disp.15. num. 19.* Hanc opinionem censet esse probabilem Henriq. *vbi supra.*

QVÆSTIO LXVIII.

An virtute Iubilei, possit quis initio hebdomadæ à reseruatis absolui, ac eius vota commutari antequam requisita ad illum comparandum perficiantur?

1 RESPONDEO posse, dummodo bona fide procedat, & cum proposito obtinendi Iubileum. Ratio est, quia nullus ordo in Iubileo præscribitur, vt absolutio à reseruatis, aut commutatio votorum reseruatorum fiat in fine post obtentam indulgentiam, vel post factas alias diligentias; sed simpliciter conceditur in ordine ad indulgentiam.

QVÆSTIO LXIX.

An si absolutus à reseruatis per Iubileum, postea prætermittat ieiunium, orationes, vel alia opera necessaria ad consequendam indulgentiam, reincidat in pristinam casuum reseruationem, à quibus absolutus erat?

ET quidem si tempore absolutionis, verè eum non intendebat lucrari, certum est, eum non manere à reseruatis, & à votis commutatis liberum. Quia Pontifex Iubilei priuilegium non concedit nisi in ordine ad illum obtinendum. 1

QVÆSTIO LXX.

Sed dubium est, quando tempore absolutionis habebat propositum illum lucrandi, & postea verè non lucratus est.

ANGLES *de confess. q.3. art.5.* Roder. *in Bulla §.2. num.8.* Viuald. *candel. Sacram. in 3. p. cap.14.* & Suar. *lib.6. cap.16. num.6.* affirmant hunc reincidere in pristinam casuum reseruationem. Quia ea absolutio tacitam habet conditionem, *si postea iubileus obtineatur.* 1

At omnino dicendum est, nullatenus hunc reincidere in eandē casuum reseruationem, sed manere verè absolutum. Ratio est, quia quāuis hic fuerit à reseruatis absolutus in ordine ad futuram 2

futuram Iubilei consecutionem; at absolutio non pendet ab ea, vt à conditione de futuro, sic enim absoluere non licet. Nec absolutio illa à censuris, data est ad reincidentiam; id enim Iubileus non explicat, & solet Pontifex exprimere, quando id intendit, vt patet ex c. *Eos qui, de sententia excommunicat. in* 6. Ita Nauar. *de oratione miscel.* 59. *num.* 223. Cord. *in sum. q.* 21. Henriq. *lib.* 6. *de pœnit. cap.* 16. *& lib.* 7. *de indulg. cap.* 11. *num.* 4. Roder. *p.* 1. *sum. cap.* 184. *num.* 15. Hugol. *de censur. tab.* 1. *cap.* 10. *num.* 4. Emm. Sa *verb. absolutio num.* 19. Sanch. *lib.* 8. *de matr. disp.* 15. *num.* 20. & Suar. *tom.* 4. *vbi de confess. d.* 31. *sect.* 4. *num.* 5. *& tom.* 5. *de censuris d.* 7. *sect.* 5. *num.* 30.

QVÆSTIO LXXI.

An si quis in ea confessione oblitus est aliquod peccatū reseruatum, vel censuram confiteri, extincta sit reseruatio, adeò vt postea, possit cuicumque confessori illud confiteri?

1 SVAR. 4. *tomo vbi de confessione disp.* 31. *sect.* 4. *num.* 23. tenet esse valde probabile manere reseruationem, & in hanc partem magis inclinat.

2 Cæterùm contraria sententia est frequentissima, & tenenda, cuius Ratio est, quia cùm confessio illa fuerit valida (vt suppono) confessor absoluens directè à peccatis cōfessis, & indirectè ab oblitis virtute Iubilei, intendit omnino reseruationem tollere, cùm absoluat in quantum potest, & re vera possit: ergo ea reseruatio non reuiuiscit, non obtento postea Iubileo. Et ideò ita tenet Roder. *p.* 1. *sum. c.* 184. *n.* 15. Et idem dicendum est de irregularitate & dispensatione vel commutatione votorum si eorum dispensatio per priuilegium concedatur, & per obliuionem omittatur. Nauar. *c.* 26. *n.* 13. & Maiol. *lib.* 5. *de irreg. cap.* 51. *nu.* 6. Quod intelligitur quando tempore Iubilei pœnitens aliquam confessionem præmisit secus si nullam cōfessionem fecit ob peccati mortalis defectum quia Iubileus non tollit ipso facto reseruationem contractam, sed indulget facultatem confessario illam auferendi per absolutionem sacramentalem, quæ tunc non est impensa, nec modo impendi potest, cùm Iubileus non sit obtentus.

QVÆSTIO LXXII.

An vota commutata virtute Iubilei, quem postea pœnitens non lucratur, quia negligit facere opera ad Iubileum necessario requisita, reuiuiscant.

IN hac quęstione duæ extant Doctorum opiniones. Prima sustinet ea reuiuiscere. Sic Angles *de confess. q.* 3. *ar.* 5. *diff.* 4. & Roder. *in Bulla* 8. 2. *num.* 8. Hanc opinionem tribuit Suar. *lib.* 6. *c.* 6. *c.* 16. *nu.* 7. Viuald. *candel. sacrament. p.* 3. *c.* 14. *nu.* 63. Sed malè, quia oppositum tenet. 1

Secunda verò opinio, quæ mihi magis arridet, tenet ea nequaquam reuiuiscere, sed manere verè commutata. Ratio est, quia talis commutatio absolutè, ac nulla conditione apposita, sicut & absolutio à reseruatis, concessa est. Vnde cùm semel legitimè facta fuerit, ac proinde extinxerit eorum obligationem, non est dicendum ea postea reuiuiscere, non obtento Iubileo. Et ideo huius sententiæ sunt Henricus. *lib.* 7. *de indulg. c.* 11. *n.* 4. Roder. *p.* 1. *sum. c.* 184. *n.* 15. Emma. Sa. *verb. absolutio nu.* 18. Viuald. *candel. Sacram.* 3. *p. c.* 14. *nu.* 59. & 60. Sanch. *lib.* 8. *dist.* 15. *nu.* 22. & Suar. *lib.* 6. *c.* 16. *nu.* 9. 2

3 Et idem dicendum est, quando confessarius commutauit quidem votum, sed materiam in voti locum subrogandam non præscripsit, sed eam à se, vel ab alio postea determinandam remisit, quia verè iam erat facta commutatio. Secus autem est de votis tunc oblitis: non enim possunt finito Iubileo non obtento commutari. Quia cùm ea non sint verè sublata, nec auferendi priuilegium sit verè comparatum, nequibunt auferri. Secus etiam est, quando confessor non verè commutauit vota tempore Iubilei, sed ea commutanda distulit in aliud tempus post dictum Iubileum: tunc enim si postea non lucretur, nequibunt vota commutari. Quia res erat integra, priuilegium verò non est obtentum. Suar. *lib.6.cap.16.nu.15.*

4 Illud tamen est obseruandum, quòd confessarius potest non dispensare, vel commutare vota si velit, donec omnes diligentiæ ad Iubileum requisitæ compleantur: aut ante dispensare, vel commutare sub conditione, vt ea non sortiantur effectum, donec impleta sint omnia ad Iubileum assequendum necessaria. Quod non habet locum in absolutione à casibus reseruatis, & censuris, quæ debet præcedere & esse absoluta. Suares, *lib.6.cap.16.nu.10.*

QVÆSTIO LXXIII.

An si is intendebat lucrari iubileum, & fuit virtute illius absolutus à reseruatis, & votorum commutationem obtinuit, & postea voluntariè omittat onera Iubilei, peccet mortaliter?

1 SVAR. *lib.6.cap.16. num.11.* putat eum peccare grauiter. Quia facit contra virtuale pactum inclusum in eo beneficio recepto. Nam absoluens ac commutans virtute iubilei, censetur imponere onus exequendi necessaria ad eius consecutionem. Idque est tanquam pœnitentia iniuncta, & acceptata in satisfactionem pro talibus culpis.

2 Sed contrarium tenent Henriq. *lib.6.de pœnitent. c.16.nu.6.* & Sanch. *lib.8.de matrim. disp.15. num.24.* Ducuntúrque, quia hic nihil promisit, nec obligationem aliquam illi imposuit confessarius, nec iubileus talem obligationem requirit: nec de tali Pontificis intentione constat. Nec aliqua ratione probatur ex natura rei tale pactum in ea actione includi, sed satis est, vt pœnitens bona fide propositum habeat illum lucrandi.

QVÆSTIO LXXIV.

An quando virtute alicuius Iubilei, vel Bullæ datur facultas commutandi vota in subsidium certæ rei, v.g. belli contra infideles, possit arbitrio confessarij fieri commutatio in subsidium spirituale, quales sunt orationes, sacrificia, ieiunia pro fœlici belli exitu?

QVIDAM affirmant posse. Quia priuilegium absolutè petit conferri aliquid in belli subsidium, nec minoris efficaciæ est subsidium spirituale, quàm temporale, sed maioris. Alioquin vota pauperum tunc commutari non possent, nam nihil subsidij temporalis conferre possunt, vel certè adeò parum, vt pro nihilo reputetur. Sic tenent Ant. Gom. *in Bulla cruc. clausula 10.num.54.* Suar. *lib.6. c.19. num. 18.* & putant esse probabile Viuald. *candel. sacram. 3. p. cap.14.nu.19.* 1

& Less.

& Less. *lib.2. cap.4. dub.16. num.119.* Idem tenet Llamas *meth. curator. 3.p. cap.4.§.45.* limitans quando vota sunt personalia, & vouens ita pauper, vt non sit sufficiens subsidio temporali erogando. & Anton. Gomes *vbi supra* dicit posse virtute Bullæ, commutari vota in subsidium belli, vel aliud opus pium, si vouens pauper sit.

2 Alij verò rectius docent talem commutationem debere esse in temporale belli subsidium. Et ratio est, quia priuilegia iuxta eorum tenorem sunt interpretanda.

Tum quia praxis ipsa ita id satis testatur, & quando Pontifex est contentus orationibus, aut aliis piis operibus, id solet explicare: vt constat ex aliis eiusdem Bullæ clausulis. Et ideò ita tenent Sot. *lib.7.q.4. art.3.* Arag. 2.2.*q.88.art.12.* Lop. *p.1.cap.50. & p.2. cap.9.* Nauar. *cap.12.nu.80.* Cord. *sum. sum.q.149.& 150.* Roder. *add.ad cruc. §.9.num.109.* Angles *de voto*, Vega 2. *to.cap.129.casu 106.* Petr. de Ledesm. *2.tom. sum. tract.10. cap.8.* Sayr. *lib.6. cap.12.num.17.* Azor. *tom.1. lib.11.cap. 18.q.9.* & Sanch. *lib.8. de matrimonio disp.12.*

QVÆSTIO LXXV.

An tota commutatio debeat esse in temporale belli subsidium?

1 SOTVS, Aragona, Lopes, Nauar. Angles, Vega, Corduba, Rodericus, & Petrus de Ledesm. *vbi supra* affirmant totam commutationem debere esse in temporale belli subsidium.

At verò Henriq. *lib. 7. de indulg. cap.30.num.6.* Suar. *lib 6.cap. 9.nu.18.* Sanch. *lib.8.disp.13.* & Viuald. *cand. sacram.p.3.c.14.num.39.* rectius docent, posse commutari partim in temporale belli subsidium, & partim in alia quæuis pietatis opera pro fœlici belli exitu. Quod clarè indicant verba ipsius Bullæ ibi. *In aliquod subsidium huius expeditionis commutari.* Quasi dicat, aliquam commutationis partem debere esse in eleemosynam pro belli expeditione. Nam si tota commutatio esset necessario facienda in id subsidium, pauci vellent tali priuilegio vti, quia vel carerent pecunia æquali bonitati rei promissæ, vel nollent tantam pecuniæ quantitatem contribuere, quod in eius præiudicium redundaret. Arbitror tamen non sufficere minimam pecuniæ quantitatem, facta reliqua commutatione in alia opera pia, quia videtur id intentioni Bullæ aduersari, quæ potius subsidium temporale, quam spirituale subsidium spectat; sed eam prudentis confessoris arbitrio faciendam esse, attentis grauitate voti commutandi, ac facultatibus vouentis. 2

QVÆSTIO LXXVI.

An commutato voto in aliam materiam, omnino extinguatur prioris voti obligatio?

RESPONDEO quando commutatur votum in aliam materiam, extinguitur omnino vinculum voti circa priorem materiam, & transfertur idemmet in posteriorem materiam subrogatam: ac proinde hæc obligabit sub eodem voto. Quia Prælatus commutans non remittit priorem voti obligationem; sed solam materiam mutat, eo pacto, vt loco illius, accepret vouens aliam sub eiusdemmet voti obligatione. Sic D. Thom. *in 4.d. 38.q.1.art.4.q.3.* Caiet. *2.2.q.88.ar.12.* Valent. *2.2.d. 6. q.6. p.7.* Arag. *2.2.q. 88.art.12.* Emman. Sà *verb. votum vbi* 1

*de voti irrit.nu.*17.Henriq. *lib.*7. *de indulg.cap.*30.*num.*5. Sayr.*lib.*6.*cap.*11. *num.* 120. *&* *cap.*12. *num.*2. & Suar. *lib.*6.*cap.*20.*num.*1.*&* 5.

2 Hinc, si Prælatus votum commutauit, vt peregrinationem in ieiunium, & hic ieiunium non seruat, propter hoc non manet obligatus ad primum votum; sed bene fit reus transgressionis secundi voti. Quia obligatio semel extincta, non reuiuiscit.

Et idem dicendum est, quando commutatur iuramentum in aliam materiam, non enim extinguitur prioris iuramenti obligatio, sed extinguitur circa solam priorem materiam, & transfertur eademmet in materiam subrogatam: vt rectè Arag.2.2.*q.*89. *art.*9.& Suar.*to.*2.*de relig. tract. de iurament.lib.*2.*c.*36.*nu.*8.annotatunr.

3 Hinc, qui iurat certo termino soluere, tenetur ex vi iuramenti soluere, prorogato eo termino per creditorem. Quia in hoc casu, nulla noua obligatio inducitur, sed est eademmet soluendi debiti ab initio contracta, solâque solutionis dies differtur: ergo manet affecta obligatio illa eodem iuramento. Ita Azor.*lib.*11.*c.*10.*q.*13. & Suar.*lib.*2.*cap.*36.*num.*12.*&* 13.

QVÆSTIO LXXVII.

An is, cui votum commutatum est, si non impleuit commutationem, teneatur ad prius votum?

1 RODER. *addit.ad Bullam* §.9. *num.* 117.*&* 118.Sot.*lib.*7.*q.* 2. *art.*1. Arag. 2.2. *quæst.*88. *art.*3. Veg.2.*tom. cap.*129.*casu* 79. & Graff.1.*p.decis.lib.* 2.*cap.*30.*num.*3. affirmant hunc obligari ad prius votum, quando culpa sua materiam subrogatam non impleuit. Et probant, quia facta commutatione, est licitus transitus ad priorem materiam: ergo manet obligatio disiunctiua vnius, aut alterius materiæ.

Et confirmatur; nam quando vna materia commutatur in aliam, sub tacita conditione commutatur, *Si executioni mandetur materia loco prioris suffecta.*

Cæterùm nullatenus placet mihi hæc sententia; sed existimo hunc, qui ratam habuit commutationem voti, quamuis per malitiam omiserit materiam, in quam commutatum est, nullatenus teneri ad prius votum. Ratio est, quia per commutationem, votum circa priorem materiam est prorsus extinctum, & obligatio eius voti est prorsus translata in materiam subrogatam. At obligatio semel extincta non reuiuiscit, nisi propria voluntate iterum assumatur. *l. Qui res* §.*aream ff. de solut.* 2

Tum quia, etsi facta commutatione, liber maneat vouenti reditus ad priorem materiam, non inde sequitur obligationem manentem, facta voti commutatione, esse verè alternatiuam, sed verè est determinata ad materiam subrogatam, quamuis eo priuilegio fruatur vouens, vt possit loco illius priorem materiam exequi; & ideo obligatio per se cadit in materiam posteriorem, quamuis in priori impleri valeat ex interpretatiuo, & fauorabili creditoris consensu.

Nec iure probatur eam commutationem sub cõditione fieri; nec quando commutatur votum, ea conditio apponitur. Quod si is qui vouit, commutationem fictè acceptauit, non intendens ad illam obligari, non manet votum commutatum, ac proinde illud obligat. Verum quia ex parte commutantis fuit valida commutatio, satis est, vt illa possit vouens vti, vt internè commutationem acceptet. Si verò illam acceptauit, sine proposito 3

tamen

tamen illam adimplendi, valuit quidem commutatio, & tenetur vouens tale propositum mutare, illámque complere.

QVÆSTIO LXXVIII.

An si quis absolutè religionem vouit, & ingressus eiicitur post professionem in perpetuum, reuiuiscat prius id votum, ac proinde teneatur hic aliam religionem ingredi?

1 SOTVS *lib.7.q.2.art.*1. Arag.2.2.*q.*88.*art.*3.Roder. add. *ad Bullam* §. 9. *num.* 117. *&* 118. Viuald.*cand.sacram.*3.*p.cap.*14.*num.*28. Vega 2.*tom. sum. cap.* 129. *casu* 79. & Corrad. *in suis responsis* 1. *p. q.* 285. tenent id prius votum reuiuiscere ac subinde teneri hunc aliam religionem intrare. Quia huiusmodi votum non fuit determinatæ religionis, sed indeterminatæ,& vagæ.

Arbitror tamen contrarium esse affirmandum. Et ratio est, quia vota omnia in sæculo, vel in nouitiatu emissa,siue sint temporanea, siue perpetua, siue personalia, siue realia vel mixta prorsus per professionem ex-
2 tinguuntur.*cap.Scriptura de voto.* At obligatio semel extincta,non reuiuiscit, ac proinde si facta tali commutatione, contingat professum eiici,non tenetur aliam religionem ingredi.

QVÆSTIO LXXIX.

An post factam commutationem, liceat vouenti redire ad priorem materiam, & omittere commutationem?

1 IN qua re certum est in primis,quod si commutatio aliqua iusta causa facta est in minus bonum, integrum est vouenti non vti commutatione, sed implere votum prout à principio factum fuit.Ratio est, quia vnicuique fas est propria authoritate suum votum in melius commutare, nedum redire, omissa commutatione ad materiam meliorem prius promissam. Suar.*lib.6.cap.*20.*nu.*2.

Secundò,etiam certum est,quod si commutatio facta est in æquale bonum, non obstat, quin vouens possit satisfacere voto implendo quod vouit, relicto eo in quod commutatum fuit ipsius votum. Ratio est,quia talis commutatio facta est in fauorem, & commodum vouentis, vt ipsius vtilitati prospiciatur, ac faciliùs possit votum implere in materia subrogata: sed liberum est vnicuique non vti fauore sibi concesso:ergo.

Tum quia ea totali æqualitate existente, æquè colitur vtraque Deus,& aliquantulum excedit materia prior promissa, cedit enim in voti fauorem, vt prius votum in propria materia potiùs quàm in alia æquali impleatur.

Tum demum, quia huiusmodi commutatio tacita conditione hac fieri censetur, *si nolit prius votum adimplere*,in qua re, nec repugnantia,nec iniustitia cernitur. Et ita tenet Azor. *lib.*11.*cap.*18.*q.*10.

QVÆSTIO LXXX.

Sed tota difficultas est, quando commutatio voti facta est in melius?

AZOR. *lib.*11. *cap.* 18. *quest.*10. *&* 12. Sayr. *lib.6.cap.*12.*nu.*22. Less.*lib.2. cap.*40.*dub.*16.*num.*111. & Sanch.*lib.9.de matrim.disp.*4.*num.*21. existimant hunc, qui vouerat posse propria authoritate ad illud, quod 1

ante

ante promiserat tuta conscientia redire. Quia talis commutatio siue fiat in rem æqualem, siue in meliorem, tota est in fauorem vouentis, quia putat se facilius posse in materia illa siue æquali, siue meliori votum implere: sed is cui priuilegium datur, potest eo vti, & non vti, sicut illi placet, alioqui non tam esset fauor, quàm onus.

2 Alij verò probabilius sentiunt, non esse in potestate vouentis iterum ad prius votum redire, omissa materia, in quam facta est commutatio. Ratio est quia illa commutatio vim habet noui voti, quo acceptans talem commutationem obligat se ad reddendum Deo aliquid melius, quàm antea promiserat: ergo iam non licet illi respicere retro, quia illud virtute erit melius votum in minus commutare, quod propria authoritate non licet.

Tum quia commutatio in melius est absoluta, nec fit in vouentis fauorem, sed solius Dei, & in maiorem eius cultum, ergo is reditus non licebit, quando commutatio est facta in melius. Et ideò ita tenent Franc. Suar.
3 *lib.6.cap.*20. *num.* 1. *&* 4. Quam opinionem censeo esse verissimam in euentu, quo acceptans commutationem in melius, id efficeret consultò ad maiorem Dei cultum augendum, quia ea commutatio non in sui, sed in Dei fauorem est facta.

Hinc, qui prius Sacerdotium vouit, & deinde tale votum commutauit in votum religionis, non potest postea relicta religione Sacerdotium sumere. Quia posterior obligatio potuit derogare priori, & præualet.

QVÆSTIO LXXXI.

An voto sæpius commutato, fas sit ei qui vouit, ad quamcumque materiam ex eis, in quas facta est commutatio, redire?

RESPONDEO si omnes huiusmodi commutationes fuerunt iustæ, & licitæ in æquale bonum, integrum est ei qui vouit seruare posteriorem commutationem, vel ad suum primum votum redire si velit, vel primam, aut secundam voti commutationé eligere, reliquis posthabitis, v.g. peregrinatio est legitimè commutata in confessionem, & hæc in ieiunium, & hoc in Rosarium: satisfacit vouens recitando Rosarium, aut exequendo peregrinationem, aut confessionem illam, aut illud ieiunium. Quia omnes huiusmodi commutationes in vouentis fauorem sunt factæ. Ita Azor. *lib.* 11. *cap.*18. *q.*12. Less. *lib.*2. *cap.*4. *dub.* 16. *num.*111. & Sayr. *lib.*6. *cap.*12.*num.*22. 1

QVÆSTIO LXXXII.

An postquam vouens rediit ad prius votum nolens commutatione vti, possit iterum pœnitere, & ad materiam commutationis redire?

QVIDAM, quos tacitis nominibus, refert Suar. *lib.6. cap.* 20. *num.*13. negant. 1

Sed existimo sic distinguendum. Si commutatio facta fuit in minus, non potest is qui vouit, ad materiam commutationis redire. Quia renunciando ei commutationi, emisit de nouo prius votum, quod cùm sit melius, non potest propria authoritate in minus bonum commutare. Quòd si commutatio facta fuit in æquale, similiter non poterit vouens ad materiam subrogatam redire; quia vt dictum est, non licet propria authoritate commutare votum in bonum euidenter æquale. Tandem si commutatio facta fuit in melius, integrum erit ei, ad illud redire. Ita Suar. *lib.*6. *cap.*20. *num.*13. 2

QVÆST.

QVÆSTIO LXXXIII.

An in commutatione facienda, seruanda sit etiam similitudo? id est, an votum personale possit in reale, & è contra commutari?

1 ILLVSTRISSIMVS Caietan. *in summ. verbo dispensatio votorum circa finem.* Nauar. *cap. 12. nu. 77.* & Angles *quæst. de voto art. 4. diff. 7.* docent seruandam esse hanc similitudinem: ideò enim dicunt, vota realia redimenda esse, & in votis mixtis, vt peregrinationis, expensas redimendas esse, onera verò personalia esse commutanda in alia proportionalia.

2 At probabilius existimo contrarium. Quia cùm solius maioris cultus diuini, aut æqualis sit in commutatione voti ratio habenda, & hæc æqualitas inueniri possit in vtraque materia, non est necessarium in hac commutatione seruare vnitatem physicam, vel similitudinem, sed proportionem, aut æstimationem moralem ad maiorem Dei cultum. Et est conclusio definita *in cap. 2. de voto*, vbi votum personale peregrinationis Hierosolymitanæ commutatur in eleemosynam, quæ est quid reale. Et ideò ita sentit Suar. *lib. 6. cap. 19. num. 16.* Vnde quando Doctores dicunt expensas peregrinationis esse commutandas in eleemosynas, & laborem itineris in opera personalia, id intelligendum est de consilio, non autem de necessitate præcepti.

QVÆSTIO LXXXIV.

An commutatio voti peregrinandi in terram sanctam, sit in eius fauorem facienda?

1 RESPONDEO minimè, sed instar aliorum votorum fieri potest: & quamuis Romani Pontifices soliti sint huiusmodi votum in eleemosynam commutare in eius loci subsidium, vt constat *ex cap. Magnæ de voto.* Id tamen procedebat, quando vrgebat necessitas succurrendi expeditioni bellicæ in illius terræ subsidium, quæ cùm hodie prorsus cessarit, non est opus, vt ea commutatio in fauorem illius loci fiat. Ita Suar. *lib. 6. c. 19. n. 17.*

QVÆSTIO LXXXV.

An ad commutationem voti sit attendendum maius, aut minus, aut æquale bonum materia promissæ, & eius in quam commutatio fit, iuxta excellentiam virtutis, cuius est actus; ita vt semper censeatur commutatio fieri in melius, quoties commutatur in opus excellentioris virtutis: Vt si commutetur ieiunium in orationem?

RESPONDEO minime. Ratio est, quia cùm votum tendat in Dei obsequium à vouente exhibendum, non semper est Deo gratius, quod per se est excellentius, sed quod pro tempore, & loco est melius, commodius, & aptius saluti spirituali vouentis. 1

Hinc, qui ad domandam carnis libidinem vouit ieiunium, si illud postea confessarius commutet in eleemosynam, non censetur rectè votum commutasse: quia licèt eleemosyna per se, & ex genere suo sit ieiunio melior, tamen ad domandam libidinem, non est adeò apta, ac ieiunium.

Hinc, qui ad auferendam auaritiam, vouit eleemosynam, non rectè fiet commutatio si illam confessarius in orationem commutet. Ratio est, quia licèt per se, & ex natura rei, oratio sit actus excellentioris virtutis, quàm 2

eleemosyna;tamen ad tollendam auaritiam, non est adeò vtilis vouenti: quàm eleemosyna.

Hinc, qui ad obtinendam castitatem, peregrinationem vouit, si illam postea confessarius commutet in ieiunium, censetur rectè votum commutasse. Ratio est, quia ad castitatem assequendam magis conducit ieiunium,quàm peregrinatio.

QVÆSTIO LXXXVI.

An in votis commutandis habenda sit ratio difficultatis implendi rem promissam, ac materiam subrogatam?

1 RESPONDEO sic. Ratio est, quia difficultas auget meritum. Vnde votum ieiunij à paupere factum, si in eleemosynam commutetur, potest in minorem commutari, quàm si diues illud fecisset. Quia exigua pecunia pauperis magis Deo placet, quàm ingens diuitis.Et pauciora ieiunia debēt in eiusdem voti commutatione imponi laborantibus, cholericis, & debilibus,quàm oriosis,flegmaticis,& robustis.Quia, ratione difficultatis,pauciora in illis æquiualent pluribus horum.

QVÆSTIO LXXXVII.

An ad commutandum votum peregrinationis expendi debeant expensæ,quas facturus erat, qui vouit?

1 RESPONDEO sic. Ratio est, quia augent pondus, & æstimationem voti,*cap. Magnæ de voto*. v.g promisisti visitare Domum Lauretanam,& vlteriùs offerre ibi calicem argenteum: authoritate superioris,aut habentis ad id priuilegium, calix alicui alteri Ecclesiæ indigenti offerri poterit, & expensæ in itinere faciendæ erunt in vsus pauperum erogandæ. Ita Suar. *lib.6.cap.19.num.18.*

QVÆSTIO LXXXVIII.

An in hoc casu sint deducendæ expensæ,quas ipse vouens domi erat facturus?

RESPONDEO esse deducendas. 1
Ratio est, quia cùm illæ essent, cessante ea peregrinatione, faciendæ, non sunt Deo dicatæ per votum.v.g. erat in itinere singulis diebus sex Iulios argenteos consumpturus,& domi tres tantum,iis tribus deductis,cæteri sunt pauperibus erogandi. Ita Suar. *lib.6.cap.19.num.19.*

QVÆSTIO LXXXIX.

An in hoc casu habenda sit ratio expensarum, quas vouens iuxta sui status decentiam,& diuitias, s.equorum,& famulorum,facturus erat?

QVIDAM absolutè negant. Quia 1
hæ per accidens se habent ad votum, & eundo absque comitatu aliquo,illi voto satisfit.

Petr.de Ledesm.*2.tom.sum tract.10. num.8.* ait teneri virum nobilissimum ad expensas cum duobus famulis faciendas.

Roder.*p.2.sum.cap.102.n.4.* ait teneri hunc ad vnius famuli expensas.

Henriq.*lib.7.de indulg.cap.30.nu.5.* Arag.*2.2.q.88.art.12.* & Sayrus *lib.6. cap.12.num.20.* dicunt disiunctiuè teneri hunc ad expensas,quas solus, aut ipse cum vno, aut altero famulo facturus erat.

At dicendum est, habendam esse 2
rationem expensarum, quas vouens iuxta statum suum,& modestam ipsius consue

consuetudinem, facturus erat. Et ratio est, quia quamuis in rigore non promiserit hoc, sed tantùm ire; atque ita voto suo satisfaceret, si solus peregrinaretur: at res æstimandæ sunt moraliter prout ex parte rei futuræ sunt. Et ideo ita sentit Franc. Suar. *lib. 6. cap. 19. num. 20.* qui dicit esse communem.

QVÆSTIO XC.

An autem in his omnibus commutationibus habenda sit ratio expensarum, & laboris in eundo, non autem in redeundo, controuertitur inter Doctores?

1 HENRIQ. *lib. 7. de indulg. cap. 30. num. 5.* Roder. *p. 2. sum cap. 102. num. 4.* Angles *de voto* & Graff. *lib. 2. cap. 30. num. 10.* tenent tantum habendam esse rationem expensarum in eundo. Ratio est, quia solùm vouit ire, non autem redire, ac proinde planè voto satisfaceret non redeundo.

2 Alij verò rectiùs docent habendam esse etiam rationem expensarum, & laboris in morando, & redeundo. Ratio est, quia quamuis non vouit redire, sed solùm ire, huiusmodi autem reditus tacitè subintelligitur in voto peregrinationis, & reuersio è peregrinatione est accessoria ad perfectionem, & opus religionis consummans votum.

Et confirmatur; nam qui se obligat ad eundum aliquo, computat etiam reditus expensas ad iustam itineris mercedem, quantumuis redire non teneatur, reditúsque sit inutilis mittenti.

3 Et est conclusio definita *in cap. Magna de voto, & voti redemptione* vbi Innocentius III. ita votum transmarinum commutandum esse censuit; vt expensæ, quas vouens in eundo, morando, & redeundo facturus erat, commutentur in necessarios vsus terræ sanctæ, sine diminutione qualibet transferendæ: Nec dici potest, illud esse speciale in voto Hierosolymitano, quia Pontifex non intendit imponere onus quod non esset inclusum in voto: & ita eadem ratio est in quocumque alio simili voto. Ita Sayr. *lib. 6. cap. 11. num. 20.* Suar. *lib. 6. cap. 19. num. 20.* & alij.

QVÆSTIO XCI.

An ad huiusmodi expensas computandas, sit habenda ratio periculorum itineris, damni ex absentia imminentis rebus vouentis, & tributorum soluendorum infidelibus, vt transitum in Hierosolymam permittant?

RESPONDEO horum omnium habendam esse rationem. Ratio est, quia hæc omnia sunt Deo promissa per votum, & augent pondus, & æstimationem voti. 1

QVÆSTIO XCII.

An in commutatione voti sit ratio habenda expensarum, quas vouens in peregrinatione mendicando fecisset?

RESPONDEO minimè. Ratio est, quia nullis vouentis propriis erat huiusmodi peregrinatio peragenda. 1

QVÆSTIO XCIII.

An in commutatione voti, sit considerandus labor itineris?

1 RESPONDEO sic. Et ratio est, quia auget pondus,& æstimationem voti: vnde si vouens erat pedibus peregrinaturus,vltra expensas, labor vnius diei cum vnius diei ieiunio; & labor duorum cum ieiunio duorum dierum:& sic deinceps commodè commutari potest. Quòd si non erat pedibus iturus, tunc labor quatuor dierum in vnius diei ieiunium commutatur. Ita Sayrus *lib.6.cap.*12. *num.*20.& Azor.lib.11.cap.18.q.13. qui adhuc amplius loquitur, ait enim laborem quatuor vel quinque dierum posse in vnicum ieiunium commutari. Et ita intelligendus est Angles in materia de voto, vbi absolutè ait: *Pro quarto quoque die itineris, iure vnius ieiunij dies imponitur,*intelligendus (inquam) est, quando peregrinatio est equestris.

QVÆSTIO XCIV.

An is,cui concessa est potestas dispensandi, & commutandi vota, posit licitè vti pura dispensatione, si commutatio sufficiat ad subueniendū necessitati subditi?

1 SOTVS *lib.*7.*q.*4.*art.*3. & Roder. *p.*2.*sum.cap.*102.*nu.*4.absolutè dicunt non licere. Quia infidelis dispensator est is,qui quod potest facere cum minori iactura rerum domini, facit cum maiori: sed in casu posito, posset Prælatus cum sola commutatione materiæ voti absque dispensatione, occurrere necessitati eius, qui vouit: ergo infideliter faceret, si dispensaret.

2 At pro certo tenendum est, non solùm esse validam talem dispensationem, sed etiam licitam, si subsit causa iusta. s. obstans executioni voti. Quod constat ex vsu Ecclesiæ receptissimo: sæpe enim Prælati in votis dispensant absque commutatione. Tum quia non est infidelis dispensator, qui vtitur potestate data à domino, sed Deus dat Prælato potestatem indifferenter ad dispensandum, & commutandum,si causa subsit:ergo.

Verùm circa hoc potest dari casus, vt Prælatus debeat partim commutando, & partim dispensando occurrere necessitati vouentis. Vt si sit aliqua causa obstans executioni voti quoad partem, licèt non quoad totum:tunc enim poterit partim dispensare quoad tantum, & partim commutare, mutando. s. materiam voti in aliquid minus. Ita Valent. 2. 2. *d.* 6. *quæst.*6.*p.*7. 3

Illud postremò hoc loco est obseruandum, quod pro commutatione voti religionis semper debet imponi aliquod vinculum perpetuum, vt quod confiteatur singulis mensibus, ieiunet singulis feriis sextis, septem Psalmos pœnitentiales,aut Rosarium quotidie recitet, & det eleemosynam iuxta statum suum, & hæc omnia per totam vitam fieri debent. Et ita est in praxi Romæ in officio pœnitentiariæ. Ita Sot. *lib.*7. *q.*4. *art.* 3. & Arag.2.2. *q.*88.*art.*12.

Hinc, qui in votis commutandis prædictam diligentiam non adhibet, peccat mortaliter secundum Medinam *lib.*1.*instruct.confess.lib.*1. *cap.*14. §. 7. Vnde confessarij imperiti non 4 debent hoc onus commutandi vota in se suscipere, sed consulere in his casibus habentes commutandi peritiam,quia defectu huius, ego dum in Ecclesia Beatæ Mariæ Montis Regalis officium pœnitentiarij exercebam, audiui multas ridiculas commutationes.

Atque ista de commutatione sufficiant.

DE



DE RELIGIOSO STATV, AC DE VOTO SOLEMNI IN COMMVNI.

LIBER QVINTVS.

1 HACTENVS in quatuor libris proximè præcedẽtibus, de voti simplicis obligatione exactè egimus: nunc in hoc libro de religioso statu, ac de voto solemni in communi, ex professo agendum est, de quo disputat Magister cum cæteris Theologis *in 4.dist.*38.D. Thom.2.2. *q.*88.*&* *q.*187. 188. *&* 189.*&* Caiet. *ibidem.* Sotus *lib.7.de iust.q.*5. Valent. 2.2.*disp.*10 Azor.*tom.*1.*lib.*11.*cap.*23. Less.*lib.*2.*de iust.cap.*41.*dub.*1. Nauar. *comment.*1.*de regul.*& Sanch.*tom.*2.*operis moralis lib.* 5. Summistæ verò, vt Angelus, Syluester, Tabiena, Armilla, & alij *verbo votum*, & religio. Vt autem clariùs procedamus, prius de nomine, ac definitione status aliquid præmittendum est, Vnde quæritur in primis.

QVÆSTIO I.

Quid sit status?

1 PRo huius quæstionis solutione obseruandum est primò, statum bifariam sumi posse. Vno modo largè; & sic quæuis vitæ conditio, in qua homo ad tempus, vel in perpetuum permanet, status dicitur, vt status innocentiæ, status legis Mosaicæ, & Euangelicæ, status huius vitæ, & vitæ futuræ, status Beatorum, & status damnatorum, status incipientium, proficientium, & perfectorum: status Ecclesiasticus, & status sæcularis, status seruorum, & liberorum, viduarum, virginum, &c.

Secundò strictè, pro conditione vitæ immobili, per quam homo alteri obligatur. Et hoc modo sumitur hic, & potest sic describi: *Status est quædam vitæ conditio firma, & immobilis ad aliqua officia, & opera facienda.* Ita Caietan.2.2.*q.*154.*art.*5.Sot. *lib.*7.*q.*5. *art.* 1.& alij communiter. Hoc modo D.Thom.2.2.*q.*183.*ar.*1.tres personarum status in Ecclesia constituit, Episcoporum, religiosorum, & coniugatorum. Nam Episcopi immobili, ac solemni vinculo suæ Ecclesiæ obligantur: religiosi quoque immobili quadam suorum votorum obligatione solemni tenentur obstricti: coniu- 2

ges etiam sibi inuicem firma, & perpetua matrimonij coniunctione deuincti obligantur. Ex his duo sunt spirituales; & dicuntur status perfectionis: tertius verò est sæcularis, qui omnes in Euangelio Luc. 17. apertè colliguntur, nimirum laborantium in agro, molentium in mola, quiescentium in lecto. Qui laborant in agro, sunt Episcopi, qui laborant in vinea, domini; de quibus Apostolus 1. Cor. 3. *neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat &c.* Qui molunt in mola sunt coniugati, curis, & solicitudinibus circundati, & inuoluti. Qui recumbunt in lecto, sunt Religiosi, qui toti rerum cœlestium, & diuinarum contemplationi sunt dediti. Vnde D. Bernardus *serm. vltimo in vigilia Natiuit. Domini, & serm. 1. in Natiuit.* asserit hos tres status designatos tribus illis viris, de quibus dominus apud Ezech. cap. 14. *Si fuerint tres isti in medio eius Noë, Daniel, & Iob, &c.* per Danielem qui vitam egit cælibem, ait, significari religiosos. Per
3 Noë, qui arcam gubernauit Prælatos: Per Iob, qui filiis, & copia rerum abundauit, coniugatos. Obseruandum secundò, religionis nomen bifariam sumi posse. Primò pro virtute, quæ Deo optimo Maximo iustum, & debitum cultum, ac honorem exhibet, propter ipsius excellentiam quatenus creationis, & gubernationis rerum omnium, est primum atque vniuersale principium quæ & latria
4 dicitur. Et sic religiosi diei possunt omnes, qui sanctè, & piè Deū colunt.

Secundò pro peculiari vitæ instituto, per quod homo ex libera sua electione totaliter se ipsum in suauissimum, atque perfectissimum holocaustum Deo offert. Et sic per antonomasiam quandam, propriè vendicant sibi nomen religionis in Ecclesia, non solùm qui per communium præceptorum obseruantiam, verùm etiam per solemnem trium votorum essentialium professionem, nēpe obedientiæ, paupertatis, & castitatis perpetuæ, se totos perpetuò diuino cultui dedicant. Et sic religio nihil aliud est, quàm status hominum ad perfectionem christianam per obedientiæ, paupertatis, & continentiæ vota tendentium. Vnde religio est verbum compositum ex præpositione *re*, & *lego*, *legis* & significat, semel, atque iterum aliquid legere, iuxta Isidorum, *lib. 10. etymol. cap. 17.* vbi de mente Ciceronis dicit, quod religiosus à religione est appellatus; religio autem à relegendo, pro eo quod religiosus relegit, atque retractat, hoc est iterum, atque iterum legit, ac toto corde reuoluit, quę sunt diuini cultus; iuxta illud Prouerb. 3. *In omnibus viis tuis cogita illum*; vel dicitur *à reeligendo*, quod verbum etiam componitur ex præpositione *re*, & *eligo, eligis*, quod significat alicuius noui status, nouam electionem efficere. Secundum D. Augustinum *lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 4.* vbi sic ait; *ex eo religio dicitur à reeligendo, quia Deum reeligere debemus, quem per peccatum negligenter amiseramus.* Vel dicitur à *religando*, quod est verbum compositum ex præpositione *re*, & *ligo, ligas*; & significat iterum, atque iterum ligare id quod semel erat ligatum. Ita D. Aug. *lib. de vera religione cap. vltimo* vbi ait, *religet nos vni omnipotenti Deo vera religio.* Vnde religiosi per solemnem professionem trium votorum vinculis quasi de nouo se ligant, & cum Deo tanquam indeficienti principio, fineque vltimo iterum, atque iterum coniunguntur.

QVÆSTIO II.

Quinam dicantur, ac dici debeant Monachi?

RESPON

1 RESPONDEO propriè,& in rigore hi dicuntur Monachi, qui à secularium tumultu,& communi hominum consortio semoti, in desertis, vel in claustris communiter; aut in speluncis seorsum viuentes solitariam vitam agunt, eo quidem animo, vt soli Deo per contemplationem inhæreant. Nam monachus Græcè, secundum D. Hieronymum idem est, quod Latinè *solus*, siue solitarius, & à communi hominum secularium conuersatione semotus. Vnde idem Hier. *in epistola 4. ad Rusticum monachum: Si cupis esse quod diceris monachus i.solus, quid facis in vrbibus? quæ vtique non sunt solorum habitacula, sed multorum.* Quare Mendicantes, clerici,& Canonici Regulares,& sacerdotes Iesu propriè non debent dici Monachi, cum assiduè inter homines versentur, sed Regulares,aut Religiosi,aut etiam fratres. At loquendo de Monachis non strictè, propriè, & in rigore,sed vt communiter loquuntur iura, & tradunt Doctores in materia fauorabili, in qua verba sumuntur in latà significatione; Monachorum nomine veniunt omnes Religiosi, qui per tria substantialia vota in religione aliqua ab Ecclesia approbata emissa, penitus diuino obsequio mancipantur, siue habitent in desertis, siue verò in monasteriorum claustris.

QVÆSTIO III.

Quotnam sint genera Monachorum?

1 RESPONDEO duo,vnum Eremitarum, & alterum Cœnobitarum. Eremitæ sunt, qui solitarij in montibus,& in locis desertis; Cœnobitæ verò, qui in vnum locum, seu Monasterium aggregati, sub vno superiore communiter viuunt.

QVÆSTIO IV.

Quotnam sint in Ecclesia Religiosorum Regulæ à sede Apostolica approbatæ, sub quarum aliqua militant omnes Religiosi Ecclesiæ Catholicæ?

RESPONDEO quinque.Prima est D.Basilij. Secunda D.Benedicti. Tertia D.Augustini. Quarta D.Francisci de Assisiis. Quinta & vltima D.Francisci de Paula. Vnde Regularum Institutores quinque à sancta Romana Ecclesia approbati reperiuntur. Primus fuit ille magnus Basilius, sub cuius Regula in partibus orientalibus 9000. Monachi militabant. Secundus fuit S.Benedictus, sub cuius Regula, vt refert Trithemius. *lib. 1. cap. 2. de viris illustribus ordinis Benedictini*, quindecies mille Monasteria militabant.& *cap. 5. refert* ex hoc ordine fuisse summos Pontifices Romanos 18.Cardinales 184. Archiepiscopos 1164. Episcopos 3512. & *cap. 4.* ait numerum eorum qui sunt inter Sanctos relati, & ascripti vsque ad tempus Ioannis 22.fuisse quindecim millium quingentorum quinquaginta nouem.Tertius fuit S. Augustinus. Quartus S. Franciscus de Assisiis. Quintus & vltimus fuit S.Franciscus de Paula. 1

QVÆSTIO V.

In quot, & quibus votis essentia Religionis consistat?

RESPONDEO tribus votis constare, eisque perpetuis paupertatis, castitatis,& obedientiæ. Nec sufficit 1

seruari

seruari hæc tria sine voto, quia sic non constituunt statum, qui significat rem immobilem, & perpetuam. Vnde Nazaræi qui erant quoddam symbolum atque figura nostrorum Religiosorum, totam vitam Deo dedicabant, vt refertur *cap.6.Num.* Hinc, Greg. *hom. 20. in Ezech.* ait. *Cum quis omne quod habet omne quod viuit, omne quod sapit, omnipotenti Deo vouerit, holocaustum est, quod offertur ab his, qui seculum deserunt, & relicta Ægypto, sacrificium offerunt Deo in eremo, id est in statu Religionis.* Sed homo non potest totam vitam suam Deo actu exhibere, quia non est tota simul, sed successiue agitur: ergo id per voti obligationem fieri debet.

2 Quod hæc tria ad essentiam, & substantiam religionis requirantur; Probatur primò, quia religio est status hominum tendentium ad perfectionem, quæ principaliter consistit in coniunctione cum Deo fine ipsorum vltimo; quæ quidem coniunctio fit per charitatem iuxta illud Ioan. 1.c.2. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, &c.* Qua ratione D.Paulus ad Coloss.3. charitatem vocat vinculum totius perfectionis, pro eo quod nos ligat, ac veluti coniungit cum Deo optimo maximo. Sed hæc tria maximè iuuant ad charitatem habendam; ergo. Maior est per se nota. Minor verò probatur, nam de paupertate constat ex illo Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* Vnde Dominus Matth. 5. pauperes spiritu id est affectu, & libera electione beatos vocat, quia ipsis Regnum cœlorum repromittitur. Et in primitiua Ecclesia, omnia erant communia, nec quisquam aliquid suum esse dicebat, idque voto videntur promisisse: alioquin Ananias, & Saphira non adeò grauiter puniti fuissent, quod aliquid de pretio sibi retinuissent; nec Petrus diceret, illos mentitos Deo non hominibus. Mentiri enim Deo est, non seruare, quod voto ei promittitur, vt docent August. *serm. 27. de verbis Apost.* Chrysost. *hom. 12. in Act.* Greg. *lib. 1. registri Epist.33.* & Hier. *in Epist. ad Demetriadem.* Demum Apostolos votum paupertatis fecisse colligit D.August. *lib. 17. de Ciuitate Dei cap.4.* ex illis D.Petri verbis Matth.19. *Ecce nos reliquimus omnia.* Et Christus ipse pauperrimus fuit Matth. 8. & Luc. 9. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.*

3 De castitate dicitur Matth. 19. *Sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter Regnum cœlorum.* Postea subiungit ad eam, veluti adhortans, & inuitans. *Qui potest capere capiat.* Item 1.Cor.7. *de virginibus preceptum Domini non habeo: consilium autem do.* Ac si expreßè diceret, de cœlo aduenisse, & è cœlo venire debere continentiæ, & castitatis desiderium, quo permoti plurimi propter regnum cœlorum, semetipsos spiritualiter castrauerunt, quamuis non omnes capiant verbum istud, sed quibus datum est à Deo.

4 De obedientia patet Matth. 16. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum: tollat crucem suam, & sequatur me.* Quæ abnegatio maximè fit per obedientiam, dum iudicium, & voluntatem nostram in omnibus superiori subiicimus, per quam propria mactatur, & sacrificatur voluntas.

5 Secundò probatur: nam status religionis potest considerari tripliciter, vno modo vt est quoddam holocaustum, quo homo totaliter se dedicat Deo. Alio modo, vt est quædam disciplina, & exercitium tendens ad perfectionem. Tertio modo vt est

remo

remotio impedimentorum talis perfectionis.

Si primo modo consideretur, sunt illa tria necessaria: nam per obedientiam offert Deo animam, per castitatem offet Deo corpus, & per paupertatem bona externa.

6 Si secundo modo, eadem requiruntur, nam vt homo exerceat se ad perfectionem, debet exuere affectum, & solicitudinem rerum terrenarum, vt patet *Matth. 6.* quod fit paupertate voluntaria. Debet abstinere à voluptatibus carnis, quæ mentem ad spiritualia reddunt ineptam, vt constat 1. *Cor.* 7. quod fit cultu castitatis. Denique debet dirigi tanquam discipulus, ne proprio iudicio, & affectu fallatur, vt passim Scriptura docet *Prouerb.* 19. & *Eccles.* 6. quod fit per obedientiam.

Si tertio modo consideretur, eadem exiguntur, nam tria sunt, quæ perfectionem charitatis impediunt, rerum terrenarum immoderata cupiditas, mollis sensuum libido, & nimius propriæ voluntatis affectus. Quæ tria insinuantur 1. Ioan. 2. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Quæ mala vt obstruantur, hæc tria vota requiruntur, castitatis quidem, vt obstruatur concupiscentia carnis; paupertatis verò, vt concupiscentia oculorum; & demum obedientiæ votum, vt obstruatur superbia vitæ.

7 Tertiò, & vltimò probatur: nam status religiosus est vitæ conditio, qua homo mentis tranquillitatem acquirit: sed tria sunt, quæ præcipuè mentem hominis vexant, turbant, & distrahunt: nimirum facultatum, ac bonorum administratio, & hæc solicitudo per votum paupertatis homini aufertur: vxoris, liberorum, ac familiæ, gubernatio, quæ amputatur per votum continentiæ: & propriorum actuum dispositio; quæ amputatur per votum obedientiæ, quo quis se alterius dispositioni committit.

QVÆSTIO VI.

An fratres conuersi sint verè, & propriè Religiosi?

RESPONDEO, esse verè, absolutè, & simpliciter Religiosos. Ratio est, quia illi sunt verè, & propriè Religiosi, qui in religione per sedem Apostolicam approbata, aliorum religiosorum profitentur Regulam, & emittunt tria religionis essentialia, & substantialia vota nimirum obedientiæ, castitatis, & paupertatis in manu superioris, vt habetur *in cap. Ad Monasterium de statu Monachorum.* Atqui fratres conuersi faciunt hæc omnia vt per se constat: ergo sunt verè, propriè, & simpliciter Religiosi. 1

QVÆSTIO VII.

Vtrum Donati sint verè, & propriè Religiosi?

RESPONDEO non esse verè, propriè, & simpliciter Religiosos, sed solum impropriè, & secundùm quid. Ratio est, quia licet Donati in nostra Congregatione emittant tria religionis substantialia vota, vt fieri etiam dicitur in ordine S. Benedicti, non profitentur aliorum Religiosorum Regulam, sed aliam longè diuersam, neque emittunt prædicta vota in religione, pro religione approbata, sed tantummodo pro bono modo viuendi, vt scilicet inseruiant aliis verè, & 1

propriè Religiosis. Ita Nauarr. *lib.* 3. *consil. tit. de regular. consi.* 7. 12. & 81. & Rodet. *tom.* 3. *de regular. quaest.* 21. *art.* 1.

QVÆSTIO VIII.

An Donati sint, & dici possint personæ Ecclesiasticæ, & gaudeant priuilegio fori, & canonis, Si quis suadente diabolo.

1 RESPONDEO communem esse omnium Theologorum, & Canonistarum sententiam Donatos esse personas Ecclesiasticas, & gaudere priuilegio fori, & canonis. Ita tenet Syluest. *verbo Ecclesia* 1. *quaest.* 5. & probat *ex cap. Duo sunt* 12. *quaest.* 1. Eandem sententiam tenet Panorm. *in cap.* 2. *de foro comp.* Et probatur expressius *ex cap. Vt lex continent.* 17. *quaest.* 1. vbi Donati inter Ecclesiasticas personas connumerantur. Et licet Can. *Si quis suadente diabolo* solùm disponat de clerico; at alij canones ipsum extédunt ad Donatos Religionum; vt habetur *ex cap. Parochi*, & *cap. Ex tenore de sententia excommunicationis*. Vnde per priuilegium concessum ab Eugenio IV. & à Sixto IV. Ordini Minorum, & Carmelitarum, Donati gaudent omnibus priuilegiis fratrum.

QVÆSTIO IX.

An Donati possint matrimonium contrahere?

1 RESPONDEO Donatos qui expressè, vel tacitè votum castitatis emiserunt, nullatenus posse matrimonium contrahere. Ratio est, quia simplex castitatis votum est vnum de impedimentis, quæ impediunt quidem matrimonium contrahere, quamuis non dirimant contractum. Vnde prædicti Donati qui castitatis votum emiserût, quamuis non possint ratione voti contrahere; si tamen de facto contrahant, cùm ipsorum votum nón fuerit solemne sed simplex, matrimonium eorum erit validum. Ita Couarr. *in cap. Alma mater* 2. *p.* §. 2. *num.* 8.

QVÆSTIO X.

An Milites, & Equites ordinis Sancti Ioannis Hierosolymitani, & Hospitalarij, qui communiter Equites Melitæ nuncupantur, sint, ac dici debeant verè & propriè Religiosi?

FRANC. Sarmien. *in lib. de redit. Eccles.* 4. *p. cap.* 1. *numero* 13. negat. 1

2 At verissima sententia est, Equites Melitenses esse verè, absolutè, & simpliciter Religiosos, vtpote qui more aliorum tria vota solemnia emittunt, paupertatis, castitatis, & obedientiæ, sub regula ab Ecclesia approbata, nimirum à Gelasio II. anno Domini 1120. & ab Honorio II. anno 1124. & in ipsis prædictorum Pontificum diplomatibus absolutè, & simpliciter Religiosi appellantur. Et ita tenent Nauarr. *lib.* 3. *conf. tit. de regul. conf.* 21. & 23. Arag. 2. 2. *quaest.* 88. *art.* 11. Cord. *in sum. casuum quaest.* 148. & *q.* 178. & alij communiter.

3 Ex quo sequitur, eos gaudere priuilegio canonis, & fori vt vniuersi fatentur, & Pontificiæ constitutiones comprobant, & per eorum professionem verè dirimi matrimonium ratum,

ratum,non consummatum,& alia quæ ad verè religiosos spectant, ad ipsos etiam pertinere.

Addit tamen Nauarr. *loco supra citato*, quod quamuis huiusmodi milites verè, & propriè sint religiosi; ex priuilegio tamen,& concessione Romanorum Pontificum habent, vt in odiosis non veniant sub nomine aliorum religiosorum, & sic excipiuntur in Conc. Trid.*sess*.23.*num*.28. ne teneantur contribuere pro seminario: & possunt interesse agitationi taurorum, *ex motu proprio Greg. XIII. Dat. ann.* 1575.

QVÆSTIO XI.

An Equites Sancti Iacobi in Hispania Calatrauæ, & Alcantaræ, & similium sint aut dici possint verè,& propriè Religiosi?

1 SOTVS *lib*.7. *q*.5. *art*.3. Arag. 2.2. *q*. 88. *art*.11. Corduba *in suo quæstionario lib*. 1. *q*. 14. & Valent. 2.2.*d*. 10.*q*.4. *p*.2. censent non esse propriè, & simpliciter religiosos, sed solùm impropriè, & secundum quid, quia non simpliciter, & absolutè promittunt castitatem, sed castitatem coniugalem. Eandem opinionem tenet D. Thom. 2.2. *quæst*.186. *art*.4.*ad* 3. vbi respondens cuidam argumento in contrarium adducto sic ait. *Illi modi viuendi, secundum quos homines matrimonio vtuntur non sunt religiones simpliciter, & absolutè loquendo, sed secundum quid. in quantum participant in aliquo quadam quæ ad statum religionis spectant.*

2 Sed quamuis sententia hæc sit valde probabilis probabiliorem tamen iudico contrariam, nimirum esse verè, & propriè religiosos. Et ratio est, quia tria solemnia vota emittunt sub regula à sede Apostolica approbata:& quamuis hæc vota non sint de tam absolutis his rebus, ac in aliis religionibus promittuntur,at ipsa sedes Apostolica, cuius est religionum instituta confirmare, dispensauit, ne ita strictè emitterentur. Et ita sentiunt Nauar. *tract.de redd* 1. *Eccles.quæst*.1. *monit*.55. *num*.5.*& quæst*.3.*monit*.27.*num*.1 Couar.4 *decret* 2.*p.cap*.3.*§*.1.*nu*.18.Med. *de sacrorum hominum continentia lib*.4. *controu*.7.*cap*.19.& Roder.*qq.reg.to*.1. *q*.1.*art*.8.

Hinc, fratres, & sorores de tertio ordine Beati Dominici, & Beati Francisci propriè non sunt religiosi, quia non emittunt tria vota solemnia sub regula à sede Apostolica approbata. Vnde eorum regula potius est quidam modus bene viuendi: licèt sit per Papam approbatus; sunt tamen Ecclesiasticæ personæ, & religiosi largè, quia contrahere non possunt matrimonium, & promittunt obedientiam. 3

QVÆSTIO XII.

Vtrum ad essentiam religionis solemnitas trium votorum requiratur?

DThom 2.2.*quæstion*.88.*art*.11. *& quæstion*.184.*art* 4. Caietan. 2.2.*quæst*.188.*art*.1. Sot.*lib*.7. *quæst*.5. *artic*.1.& Nauarr. *cap. Non dicatis* 12. *quæst*. 1. *num*. 15. tenent ad essentiam religionis solemnitatem trium votorum requiri. 1

Alij verò vt Less. *lib*.2. *de iust.cap*. 41. *dub*.1.& Valent. 2 2.*disp*.10 *q*.4. *p*.2.negant de status religiosi essentia, esse vota solemnia,sed sat esse ad eum verè, & propriè constituendum, vota simplicia. Pro quo 2

Primò dico, iure canonico, communi,

3 muni, & antiquo ad religionis essentiam, solemnitatem trium votorum requiri, vt constat ex *cap. religioso de sententia excomm. in 6.* & ex *Clement. 1. de religiosis domibus*, & ex *cap. Porrectum de regular.* Et in hoc sensu loquuti sunt D.Thom.& cæteri Theologi omnes, & canonici Iurisconsulti,& Summistæ.

4 Secundo dico, quod iure nouo Pauli III. Iulij III. Pij IV. Pij V. & Greg. XIII. factum est, vt religio in tribus tantum simplicibus votis consistat: nam suis diplomatibus institutum denotæ Societatis Iesu approbatum, inter cætera habet, vt qui finito biennio nouitiatus emittunt coram aliis tria hæc vota simplicia, eo ipso desinunt esse Nouitij, atque adeo incipiunt verè, & propriè esse religiosi. Fundamentum huius est, quia solemnitas votorum sola Ecclesiæ constitutione est introducta vt expressè habetur *in cap. vnico de voto in 6.*

5 Dices: religio est status quidam consistens in conditione vitæ immobili,vt tradit D.Thom.*2.2.q.183.art.1.* sed qui se adstringit ad tria vota simplicia,potest ad vitam secularem redire:ergo.

6 Respondeo non esse in eius, qui prædicto modo vota memorata emittit,arbitrio positum, retrocedere, séque vllo modo illa obligatione eximere, ea enim sunt promissio perpetua, perinde ac professio, idcóque obligant in perpetuum ab eo instanti, quo emissa sunt.

7 Nec obstat,quod possit quis dimitti,& votis huiusmodi liberari,quia ad immobilitatem status, non requiritur vt nullo modo possit ab ea vitæ conditione dimoueri;sed tantum vt ab ea nequeat suo arbitrio liberari.Nam, & professi ex vrgentissima causa possunt authoritate Pontificia votis solemnibus liberari.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum ad essentiam religionis requiratur, vt professionem emittens, voueat certam Regulam?

RESPONDEO requiri. Ratio est, 1 quia religiosi in iure vocantur regulares: ergo astringuntur alicui certæ regulæ, à qua sumunt hanc denominationem:aliàs non potius dicerentur regulares, quam clerici, qui nullam regulam profitentur. Et est conclusio definita à Bonifacio VIII. *cap. vnico de voto, & voti redemptione*, & in Conc. Trident.*sess.25.cap.1.de regular.* vbi dicitur, *regulares omnes tam viri, quàm mulieres vitam instituant ad regulæ, quam professi sunt, præscriptum.* Et tradit egregiè D. Thom.*2.2.q.88. art.7.* dicens quod votum fit solemne in professione certæ regulæ.

QVÆSTIO XIV.

An Religio, Ecclesiæ approbationem requirat?

RESPONDEO requirere.Ratio 1 est, quia sine hac approbatione non potest esse status spiritualis,supra omnem Christianorum statum, cuius obligationi obseruandi diuina præcepta, superaddit obligationem obseruandi consilia Euangelica; nisi peculiari modo à Christo descendat, mediante.s.ipsius in terris Vicario; sicut omnes gradus Ecclesiastici,& iurisdictiones spirituales, iuxta illud Apostoli ad Ephes. 4. *Ex quo omne corpus compactum, & annexum per omnem iuncturam subministrationis*, &c. Vnde religiosus obedit Prælato tanquam Christo, in eóque ille Christum intuetur,

tuetur, vt in eo qui potestatem à Christo habet ad gerendum per eam vicem ipsius.

2 Et est conclusio definita à Bonifacio octauo *c. unico de voto* vbi sub excommunicatione latæ sententiæ prohibetur, ne deinceps vllus nouus ordo instituatur sine expressa sedis Apostolicæ approbatione. Quæ censura non comprehendit eos, qui statum cum votis simplicibus instituunt, cùm huiusmodi status non sit religio, sed modus viuendi honestus.

Hinc, non est audiendus Azor. *lib. 11. cap. 25. quæst. 5.* qui dicit non fuisse olim Ecclesiæ approbationem necessariam ad veram religionis rationem,
3 quòd D. Basilius, D. Benedictus, D. Augustinus non petierint aliquam suæ regulæ approbationem. Quia semper talis approbatio fuit necessaria: olim tamen Religiosorum instituta confirmare Ecclesia consueuit publica Episcoporum authoritate.

QVÆSTIO XV.

An talis approbatio sit de essentia religionis?

1 RESPONDEO sic. Ratio est, quia religio sine tali approbatione non habet tantam stabilitatem, nec potestatem iurisdictionis, nec eximit hominem à iurisdictione sæculari. Ex quo fit professionem in tali religione à Romano Pontifice non approbata esse nullius valoris. Et ratio est, quia talis professio ab Ecclesia prohibetur: ergo qui eam amplexatur, tenetur illam deserere, ac proinde non tenetur voto paupertatis, castitatis, & obedientiæ.

2 Tum quia ille non intendit se obligare ad hæc tria vota, nisi in religione, vt sic vouendo fiat verè religiosus: quare cùm illa non sit vera religio, nec ipse in ea vouendo fiat religiosus, non videtur teneri.

QVÆSTIO XVI.

A quo hæc approbatio fieri debeat?

RESPONDEO à Romano Pontifice, vt habetur *in cap. Ne nimis de religiosis domibus*, & *in cap. Religionum de relig. dom. in 6.* vbi sancitur, vt nulla hominum in commune viuentium congregatio, etiam tribus votis adstricta pro religione habeatur, nisi Romani Pontificis authoritate, & testimonio approbetur. 1

QVÆSTIO XVII.

Vndenam proueniat religiosorum diuersitas?

AD hoc dicò primò, quod diuersitas religiosorum non prouenit ex aliquo quod religioni est essentiale, nam tria vota, & Ecclesiæ approbatio, quæ sunt de essentia religionis, sunt omnibus communia, & sic omnes religiones quoad essentialia sunt eiusdem speciei.

Secundò dico, quod hæc diuersitas ordinum prouenit ex duobus. Primo ex regula, quam Religiosi sequuntur. 2 Alij enim sancti Basilij, alij sancti Augustini, alij sancti Benedicti, alij sancti Francisci regulam seruant.

Secundò ex variis constitutionibus regulæ superadditis, quibus religiosi vtuntur, vel ad vota sua meliùs seruanda, vel ad functionem sibi propriam meliùs obeundam. Sic 3 enim inter ordines magnam varieta-

tem, videmus, in habitu, victu, ieiuniis, aliisque piis exercitiis. Omnes Monachi orientalis Ecclesiæ, seu Græci sub regula sancti Basilij militant, at propriis constitutionibus discernuntur. Dominicani, Canonici Regulares Augustiniani, Seruitæ, Hieronymiani, Hospitalarij, Cruciferi, Præmostratenses sub vna sancti Augustini regula militant, at diuersis omnino constitutionibus gubernantur. Monachi nigri, Cluniacenses, Cistercienses, Camaldulenses, Cælestini, ordo montis oliuarum, & alij vnam, & eamdem regulam seruant, at variis institutis differunt. Conuentuales, Obseruantes, Recollecti, Capucini sub regula sancti Francisci militant, at propriis constitutionibus distinguntur.

4 Verùm tota hæc religiosorum diuersitas potest commodè ad tria genera reduci iuxta tres modos, quibus Deum diligere, eique seruire possumus. Primò quidem inhærendo ipsi per contemplationem. Secundò seruiendo ei in membris suis per actionem, vt alendo pauperes, suscipiendo peregrinos, armis protegendo Ecclesiam. Tertio per vtrumque simul Deo obsequium præstando, quod faciunt qui concionibus, & sacramentorum administratione populo seruiunt.

5 Ex his enim modis tria genera religiosorum ordinum distinguuntur. Quidam enim sunt instituti, vt opera vitæ solitariæ, & contemplatiuæ exerceant. Tales ferè sunt, quos antiquiores Patres instituerunt, Antonius, Pachomius, Basilius, Benedictus, Bruno, Bernardus, &c. Horum cultores propriè vocantur Monachi, quia solitudini vnitati, quæ Deus est, sunt intenti.

6 Alij instituti sunt ad opera vitæ actiuæ, vt sunt Equites Hierosolymitani, sancti Ioannis, sancti Iacobi, sancti Stephani, sancti Lazari, & aliorum, qui Deo inseruiunt, Ecclesiam armis contra hostes fidei protegendo: alij quidam ægrorum curam gerendo in xenodochiis, & alij alia Christianæ vitæ opera corporalia erga egentes exercendo, Deo gratum obsequium præstant.

Alij denique sunt instituti ad vitam contemplatione, & actione mixtam, vt sunt Ordines sancti Dominici, sancti Francisci, &c. qui vacantes tum sibi meditatione diuinorum, curando adhærere Deo, tum etiam proximo sacramentorum administratione, aliisque spiritualibus remediis salutem eius procurando. 7

Hæc autem religiosorum varietas ad Ecclesiæ ornatum spectat: sicut ad Reipublicæ politicæ ornamentum pertinet, habere omnia genera artium, quæ vitam nostram summoperè iuuant, & oblectant: ita Ecclesiam quæ spiritualis quædam Respubliea est, exornat tanta religiosorum ordinum varietas ad excolendam vitam spiritualem. 8

Deinde ista varietas est valde Ecclesiæ vtilis, sic enim quampluribus patet aditus ad perfectionem; nam qui non est aptus ad vnam religionem, est aptus ad aliam, & è contra.

Ex quo colligi potest, quis ordo religionis sit perfectior: perfectio enim religionis principaliter attenditur ex fine: Secundariò ex exercitiis, quibus vtitur ad finem consequendum. Illa ergo religio absolutè est perfectior, quæ ordinatur ad finem præstantiorem. Itaque religio illa cuius proprius finis est vacare vitæ contemplatiuæ est potior ea quæ in vitæ actiuæ operibus exequendis, & obeundis versatur. Et 9

ratio

ratio est, quia vita contemplatiua conuenit homini secundum id, quod optimum est in illo, hoc est secundum intellectum, & partem intellectiuam, & respectu propriorum obiectorum scilicet intelligibilium: at verò vita actiua conuenit eidem secundum exteriora, corporalia, & sensibilia: ergo vita contemplatiua est præstantior, & multò perfectior, quàm vita ipsa actiua, iuxta illud Luc 10. *Martha. Martha sollicita es, & turbaris erga plurima, porrò vnum est necessarium, Maria autem optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Vnde Gregorius *homil.* 14. *in Ezech.* ait, *Pars Marthæ non reprehenditur, sed Mariæ laudatur.* Neque enim bonam partem elegisse Mariam dicit, sed optimam vt etiam pars Marthæ bona iudicaretur. Vita verò mixta id est quæ non solùm contemplationi vacat, sed etiam contemplata in alios transfundit perfectior est, quam quæ soli contemplationi vacat. Tales sunt in Ecclesia religiones illæ, quarum est alios docere, conciones ad populum habere, Sacramenta ministrare, Christi fidem, & religionem propagare. Quia sicut illuminare maius est, quam lucere, & calefacere, quam calere solùm, ita maius est contemplata tradere aliis, quàm solùm contemplari.

Tum quia illa maximè est affinis statui Episcoporum, quibus incumbit alios perfectionem docere.

10 Tum quia hoc fuit officium tum Christi, tum etiam Apostolorum, qui accenderunt lucernam, non vt ponerent eam sub modio, sed super candelabrum, vt alios illuminarent.

Tum quia, vt ex D. Gregorio docet D. Thom. *in opuscul.* 28. *cap.* 21. nullum est sacrificium Deo gratius, quam studium salutis animarum: ob hanc enim Deus creauit mundum, factus est homo, tanta fecit, & pertulit, ob hanc Euangelia, Sacramenta, & omnis ordo Ecclesiasticus. Et quamuis vita contemplatiua videatur tutior, sedatior, & lenior, vita tamen actiua est fæcundior, vtilior, & fructuosior: contemplatiua suauior, & iucundior; actiua operosior, & laboriosior: contemplatiua superior, & altior; actiua humilior, & demissa magis. Non igitur vita contemplatiua omni ex parte est actiua præstantior, nisi quatenus contemplatiua tota in Deo diligendo, & fruendo consistit, & actiua præcisè in diligendo proximum. At verò actiua, quæ ex Dei contemplatione, & amore perfecto saluti proximorum studet, ea tenus cõtemplatiua videtur esse præstantior: nam & Deum amat, & saluti aliorum studet. Vnde *in capite. Nisi cum pridem de renunciatione* habetur. *Maria optimam partem elegit, & licet vita contemplatiua sit magis secura, actiua est fructuosior: illa est suauior; hæc vtilior, cùm in fœcunditate sobolis, lippitudo Liæ, Rachelis pulchritudini præferatur.*

Rursus inter eas religiones, quæ 11 vitæ contemplatiuæ, vel actiuæ incumbunt, illa religio potior censeri potest, quæ maximè in obedientia vincit, ac superat, cuius votum potissimum esse inter vota religionis docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 186. *articulo* 8. ex eo quod voluntatem hominis alienæ subiiciat, & obliget. Vnde Gregorius *libro* 35. *moralium cap.* 12. obedientiam victimis anteponit: nam per sacrificium aliena caro, per obedientiam verò propria voluntas immolatur.

Item

Item in eodem genere, illa religio est potior, quæ ordinatur ad præstantiorem actum instituti vitæ, quod ipsa amplectitur. Sicque inter religiones sectantes vitam actiuam, potior est illa, quæ instituitur ad redemptionem captiuorum, quam quæ ad receptionem hospitum.

Denique inter eas, quæ eundem finem habent potior est, quæ ad plura charitatis opera ordinatur, quàm alia, vel quæ habet statuta conuenientiora ac consequendum finem sibi propositum.

12 Ex quo colligitur primò perfectionem religionis non esse austeritate metiendam, vt docet D. Thom. 2.2.*q.* 188. *art.* 6. *ad* 3. quia fieri potest, vt hæc austeritas minus sit accommodata ad finem principalem religionis. Moderata tamen austeritas præsertim per ieiunium adfert maxima commoda, sed potissimum octo.

Primò, excutit mollitiem animi in rebus asperis.

Secundò carnis tentationes sedat.

Tertiò, bonam valetudinem præstat, arcendo omne penè genus morborum: nam ferè omnes morbi ex eo proueniunt, quod homo plus corpori indulgeat, quàm par sit.

Quartò, longæuitatem præstat, iuxta illud Ecclesiast. 37. *Qui abstinens est, adiiciet vitam.*

Quintò, animum ad meditationem & amorem rerum diuinarum aptiorem reddit, quia qui se à carnis solatiis auocant, merentur solatia spiritus.

Sextò, flagella impendentia auertit, & pro peccatis satisfacit.

Septimò, quæuis beneficia à Deo impetrat, iuxta illud. *Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris, & præmia.*

Octauò, & vltimò meretur vitam æternam Matth. 6.

Secundò neque etiam ex rigore paupertatis, vt quod nihil omninò nec in communi quidem possideatur vt docet D. Thom. 2. 2. *q.* 188. *art.* 7. quia fieri potest, vt hic paupertatis modus minùs sit conueniens ad functiones, ad quas potissimum religio est instituta.

Tum quia votum paupertatis non petit, vt nihil in communi à religiosis possideatur, sed vt singuli non habeant nisi necessaria, cùm assidua dependentia superioris.

Ex quo sequitur, non hoc ipso quod arctius est religionis institutum, hoc est seuerius, & durius, esse sanctius, atque perfectius: sed illud est perfectius, quod per aptiora instrumenta, atque præsidia ad propositum sibi finem assequendum procedit. v. g. asperior est corporis nuditas, quàm ieiunium: ad castitatem verò comparandam, ac tuendam magis accommodatum est ieiunium, quod libidinis incendia extinguit, quàm corporis nuditas, vt dicit D. Thom. 2.2.*q.* 188. *art.* 6. 13

QVÆSTIO XVIII.

An ad perfectionem religionis necessarius sit chorus?

SOTVS *lib.* 10. *q.* 5. *art.* 3. affirmat: ait enim ordinem illum qui choro caret, vix mereri nomen religionis. 1

Alij verò negant, & meritò quidem, quia diuinæ laudes non minùs piè, ac religiosè persoluuntur sine cantu, quàm cum cantu. 2

Tum quia fieri potest, vt chorus impediat finem principalem, ob quem talis religio est instituta, nimirum prædicationem, administrationem sacramentorum, conuersionem infidelium, &c.

Tum

Tum quia perfectio consistit in officiis charitatis erga Deum, & proximum, quæ omnia possunt sine cantu præstari.

3 Tum quia vota essentialia, & cætera pietatis exercitia non requirunt chorum Vnde *cap.2. In sancta Romana d.93.* dicitur, esse valde reprehensibile, vt cantui vacent, qui ad prædicationis officium sunt destinati: ergo religio cui hoc officium incumbit, non debet habere chorum. Et D.Th.2.2. *q.91. art.2. ad* 3. ait, Diaconi, & Prælati, quibus competit per prædicationē, & doctrinam animos hominum prouocare in Deum, non debere cantibus insistere, ne per hoc à maioribus retrahantur. Vnde illustrissimus Caiet.2.2. *q.*188.*a.*7 ait ad talem religionem non debere omnes recipi ad professionem, sed solùm idoneos ad officium prædicandi, & confessiones audiendi, & ministros eorum necessarios.

QVÆSTIO XIX.

An status Episcoporum sit perfectior statu Religiosorum?

1 RESPONDEO esse perfectiorem. Ratio est, quia nulli licet à maiori statu ad minorem transire: sed potest aliquis à statu religionis transire ad statum Episcopalem 18.*q.*1. ergo status. Episcoporum est perfectior statu religiosorum.

2 Tum quia Episcopi sunt perfectæ vitæ magisti, religiosi verò discipuli: at plus est, perfectionem docere, quàm perfectionem religiosam addiscere. Sicut enim Angeli, alij aliis sunt præstantiores, quia nimirum alij alios illuminant, purgant, & perficiunt, vt docet S. Dionys. *in cælest. hierarch. cap.5.* Sic in Ecclesiastica hierarchia Episcopi sunt cæteris perfectiores, quoniam eorum munus est illuminare, purgare, atque perficere eos, quibus præsunt. Vnde religiosus suo muneri satisfacit, si vitæ perfectionem discat, si ad eam aspiret, si ei studeat; Episcopus verò suum munus, & officium non implet, nisi perfectionem vitæ doceat: non quòd Episcopus teneatur esse perfectus, sed quod eius munus sit alios eam vitæ perfectionem docere. Vnde quamuis Episcopus charitatis sit expers, in statu tamen perfectionis esse dicitur, quia ex suæ vitæ instituto tenetur illuminare reliquos, purgare, atque perficere: ergo si suo munere rite fungi velit, cogitur Christianæ vitæ perfectionem docere. Similiter religiosus licèt in peccato mortali sit, in statu tamen perfectionis esse censetur, quia tribus votis obstrictus, vitæ perfectioni studet, licèt nondum sit assecutus. Quare D. Basilius meritò vitam religiosam palæstram virtutum, pœnitentiæ gymnasium, charitatis scholam, perfectæ vitæ institutum, diuinorum consiliorum exercitationem, & disciplinam morum vocauit.

QVÆSTIO XX.

An vita Eremitarum, qui vitam solitariam agunt, sit melior, quàm vita religiosorum, qui in societate viuunt?

NONNVLLI putant vitam religiosorum, qui in societate viuūt esse meliorem. Quia Eccles.4. dicitur. *Melius est duos esse simul, quàm vnum, habent enim emolumentum societatis suæ.* Vnde D.Basilius *in reg. disputatis q.7.* de hac materia agens, ait se ita sentire, ita intelligere, ad multa vtilius esse, si vno, & eodem loco, plures simul viuant, & D.Hieronymus scribens ad Rusticum monachum sic ait: *Mihi* 1

placet, vt habeas sacrum contubernium, ne ipse te doceas. Et postea subdit. *In solitudine citò subrepit superbia, dormit quando voluerit, facit quod voluerit.* Et D. Bernardus de hoc ipso argumento tractans inquit. *Malum quod nemo videt, nemo arguit. Vbi non timetur reprehensor, securius accedit tentator, licentius perpetratur iniquitas. In conuentu verò bona, si quæ facis, nemo prohibet, malum autem facere, si vis, non licet; mox enim à pluribus deprehenditur, arguitur, emendatur. Sicut è contrario bonum quod vident plures, mirantur, venerantur, imitantur.*

2 At D.Thomas 2.2.q.188.art.8.rectius docet, vitam eremiticam esse meliorem. Et ratio est, quia vita solitaria est perfectorum, qui alieno ductu, & magisterio non indigent, sed per seipsos sibi sufficiunt iuxta illud: *Perfectorum est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni; ac mali*: vita verò socialis est eorum, qui ad perfectionem exercentur. Vnde D. Pater August. *in lib. de operibus Monachorum cap. 23. tomo 3.* illos sanctiores esse dicit, qui à conspectu hominum separati, nullius ad se præbent accessum, viuentes in magna intensione orationum. Quare vita communis mihi videtur commodior, vtilior, fructuosior, & actuosa magis; vita solitaria durior, & arctior: Communis mitior, & tolerabilior; solitaria tranquillior: communis turbulentior, solitaria securior: communis solicitior; solitaria pacatior: communis fœcundior.

QVÆSTIO XXI.

An perfectio christianæ vitæ essentialiter in charitate consistat?

1 RESPONDEO affirmatiuè. Ratio est quia perfectio vniuscuiusque rei in eo posita est, vt fini suo vltimo, quamarctissimè coniungatur; finis autem hominis Deus est: charitas vero maximè vnit hominem cum Deo, iuxta illud primo Io.4. *Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Et Coloss.3. *charitas est vinculum perfectionis*, idest, vinculum quod ligans hominem cum Deo, hominem reddit perfectum: ergo perfectio humanæ vitæ essentialiter attenditur secundum charitatem. Vnde *in collat. patrum*, Abbas Moyses de religiosis loquens, ait; *Ieiuniorum inediam, vigilias, labores corporis nuditatem, lectionem, cateráque virtutes debere nos suscipere, nouerimus: vt ad perfectionem charitatis istis possimus conscendere.* Et D.Dionys. etiam *cap. 6. celest. hierarch.* dicit, eos qui nominantur Dei famuli, ex Dei puro seruitio, & famulatu vniri ad amabilem perfectionem.

QVÆSTIO XXII.

An aliquis in hac vita possit esse perfectus.

RESPONDEO posse. Ratio est, quia lex diuina nō inducit ad impossibile, inducit autem ad perfectionem, iuxta illud Matth. 5. *Estote perfecti, sicut, & pater vester cælestis perfectus est:* ergo videtur quod aliquis in hac vita possit esse perfectus. Ita D. Tho 2.2.q.184.art.2. 1

QVÆSTIO XXIII.

Vtrum perfectio consistat in præceptis an in consiliis?

RESPONDET D.Tho.2.2. q.184. art.3. perfectionem hominis per se, & 1

se,& essentialiter consistere in præceptis diuinis, secundario autem & accidentaliter, & quasi instrumentaliter in diuinis consiliis, quæ omnia ad charitatem ordinantur; sed diuersimodè: nam præcepta ordinantur ad remouendum ea quæ sunt charitati contraria, cum quibus, scilicet charitas esse non potest; consilia autem ordinantur ad remouendum impedimenta actus charitatis, quæ tamen cum charitate non pugnant, sicut est matrimonium, & similia.

2 Ex quo colligitur primo charitatem Dei esse obiectum, ac terminum vltimum perfectionis, ad quam debent aspirare omnes religiosi.

3 Secundò colligitur illa tria vota essentialia, obedientiæ, castitatis, & paupertatis esse instrumenta apertissima, atque vtilissima ad hanc perfectionem acquirendam: nam vt quis perfectè Deum diligat, debet & se totum Deo tradere, & omnia impedimenta remouere, vtrumque autem consequitur per hæc tria vota. Tradit enim Deo se totum, quando tradit animam, corpus, & res externas, nihil enim habet aliud. Tradit autem animam per obedientiam, corpus per continentiam, res externas per paupertatem.

QVÆSTIO XXIV.

An Religiosi sint in statu perfectionis?

RESPONDEO affirmatiuè. Et ratio est, quia ad statum perfectionis requiritur quædam vitæ conditio firma, & immobilis ad ea, quæ sunt perfectionis: atqui religiosi voto perpetuo adstricti, diuina mandata obseruanda curant, & paupertatem, castitatem, & obedientiam perpetuam profitentur, in quibus essentialiter perfectio religiosæ vitæ consistit: ergo religiosi sunt in statu perfectionis.

QVÆSTIO XXV.

An religiosus teneatur ad vitæ perfectionem tendere?

IN qua re conuenit inter omnes, religiosum, mox vt professus est, non teneri esse perfectum, sed animum tendendi ad perfectionem habere. Ratio est quia status religiosus non est status perfectionis acquisitæ, sed est schola perfectionis acquirendæ: ergo illum profitēs non tenetur esse perfectus, sed niti progredi ad perfectionē. Vnde sicut qui scholas ingreditur, non profitetur se scientem, sed profitetur se tendentem ad scientiam acquirendam; ita qui statum religionis assumit, non profitetur se esse perfectum, sed profitetur ad hoc tendere, & operam dare, vt profectionem habeat: ideoque suam professionem non transgreditur, si non sit perfectus, sed solùm si contemnat ad perfectionem tendere; similiter nec mentitur, aut fingit hunc statum perfectionis profitendo, ex eo quod non sit perfectus; sed ex hoc quod ab intentione perfectionis animum reuocat. 1

Secundò etiam conuenit, religiosum ex vi professionis non teneri actu tendere ad perfectionem sub præcepto, alioquin quando desinit actu tendere committendo aliquod peccatum peccaret mortaliter; & sic religio esset ei laqueus: sed tenetur habere tantum intentionem saltem virtualem proficiendi. 2

Tertio etiam conuenit, non teneri religiosum ad perfectionem tendere per omnia supererogationis opera, per quæ potest ad illam peruenire; sed per illa solum, quæ sunt in sua re-
3 gula præscripta. Ratio est, quia religiosus ex vi voti non tenetur nisi agere vitam regularem iuxta suum institutum ab Ecclesia approbatum. Nec finis religiosi status, qui est perfectio charitatis, exigit amplius, quam ad eam tendere per sola media suæ religionis, in qua quisque professus est, cùm abundè perfectio hæc per illa media ab Ecclesia approbata obtineri possit.

Hinc, religiosus, qui non habet animum tendendi ad perfectionem qua quis in hac vita fertur in Deum semper, præterquam dum necessaria vitæ ipsum impediunt, quæ est possibilis in via, non tamen est communis omnibus habentibus charitatẽ, quæ perfectio est secundùm regulam suam, est in statu æternæ damnationis, licèt non ex eo solùm, quòd actu non ten-
4 dat in eam. Quæ doctrina secundum Nauarr. *in cap. Cui portio* 12.*q*.1.*n*.10. est terribilis multis religiosis, qui nec actu, seu actualiter, nec virtute, seu virtualiter habent animum in dies proficiendi in charitate, nec curant plusquam boni clerici, vel laici ad eam tendere.

5 Dixi consultò (*per suam Regulam*) ad denotandum religiosum non aliter teneri ad perfectionem ascendere, quàm agendo vitam regularem vt præclarè docuit Illustriss. Caiet. 2.2.*q*. 184.*ar*.5.*ad* 2. vbi sic ait. *Et propterea caueant sibi multum religiosi, ne animũ proficiendi deponant, quem tunc proculdubiò habent, cum intendunt viuere secundum Regulam, & constitutiones suas, licèt interdum in multis deficiant, aliquando mortaliter, aliquando venialiter.*

Hinc, religiosus contra hoc præceptum tendendi ad perfectionem, peccat, si seruans Regulam, & constitu- 6
tiones intendit perfectionem vitę religiosæ non attingere. Quia licèt religiosus non teneatur ad perfectionem peruenire; tenetur tamen non habere animum illam non attingendi, alioqui frustra per obseruantiam suæ Regulæ ad illam tenderet, cum intentione repugnante fini, ad quem tale medium ordinatur.

Hinc, religiosus qui totam suam Regulam, vel maiorem eius partem violat, peccat mortaliter. Ratio est, 7
quia cùm religiosus sub mortali teneatur quotidie tẽdere ad perfectionem, per obseruantiam suæ Regulæ, sequitur eo ipso peccare contra istam obligationem tendendi ad perfectionem, quod totam, vel maiorẽ partem suæ regulæ, & statutorum principalium sui ordinis violat. Quod est verum, etiamsi Regula, vel statuta religionis ad nullam culpam obligent. Vnde huiusmodi derelictio Regulæ, est veluti quædam apostasia à sua professione.

Hinc, non est audiendus Syluest. *verbo religio* 1.*q*.3. *&* 12. vbi ait religiosum qui intendit seruarẽ vnum 8
medium, seu vnum statutum principale religionis, per quod tendat ad perfectionẽ vtpote per humilitatem, vel asperitatem habitus, licèt nolit, nec intendat alia statuta religionis seruarẽ, non esse in statu damnationis, quia etsi teneatur ad perfectionem tendere; non tenetur tamen currere: esset tamen extra statum salutis, si omnia principalia statuta, quibus venitur ad perfectionem, intenderet violare. Non est inquam audiendus, & certè videtur Syluest. deceptus ex verbis D. Tho. 2.2.*q*.184.*&* 186. non bene intellectis, dicit enim D. Thom. quod sufficit quod quis per vnã viam seu modum ad perfectionem tendat.

Ex

Ex quibus verbis putauit Syluest. sufficere ad salutem, si religiosus per obseruantiam vnius statuti, ad perfectionem tendat: cùm tamen D. Tho. per vnum modum, vel viam intendat statum, vel religionem, seu Regulam, quia sufficit quod quis per obseruantiam suæ regulæ ad perfectionem tendat, quod colligitur ex ratione, quam adducit, quia religiosus vnius religionis non tenetur ad exercitia aliarum religionum, quibus peruenitur ad perfectionem; sed solùm ad statuta suæ religionis ad quæ secundùm suam regulam tenetur.

QVÆSTIO XXVI.

Sed quod in dubium vertitur est: An præceptum hoc tendendi ad perfectionem, sit peculiare præceptum distinctum à præcepto seruandi tria vota, ac reliqua religionis statuta?

1 ILLVSTRISSIMVS Caiet. 2.2.q.184. ar.5. Tabiena *verbo religio 4 num.5.* & Corduba *super Regulam S. Francisci cap.1.q.3.d.3.* videntur sentire hoc esse speciale præceptum ab aliis distinctum.

2 Alij verò Doctores non minoris nominis sentiunt cõtrarium esse probabilius, & probant quia religiosus non tenetur aliter ad perfectionem niti, quàm obseruando tria vota, & alia religionis statuta: ergo signum est euidens non esse hoc præceptum distinctum à præcepto seruandi illa. Sicut præceptum quo quis tenetur esse bonus, non est speciale præceptum distinctum à præceptis particularibus, scilicet non furandi, non fornicandi, &c. sed imbibitum in illis, alias peccans mortaliter in quacumque specie peccati, duplex peccatum committeret vnum illius speciei, in qua specialiter delinquit, alterum verò contra hoc præceptum, quo tenetur esse bonus, quod non est dicendum.

Et confirmatur, nam si esset distinctum præceptum tendendi ad perfectionem secundùm suam Regulam, 3 quotiescũque religiosus peccaret cõtra Regulam, duplex peccatum committeret, alterum contra Regulam, alterum contra præceptum non fornicandi, & alterum contra votum seruandæ castitatis.

Tum quia D. Tho. 2.2.q.186.ar.2. ad 2. & eius sequaces eodem modo 4 loquuntur de religioso, quo de sæculari, dicentes teneri vtrumque ad perfectionem iuxta suum statum procurandam, obseruando sui status præcepta, & consilia non contemnendo. At nullus dicit id præceptum in sæcularibus esse distinctum ab aliis præceptis, ad quæ secundum suum statum tenetur; ergo idem dicendum est de hoc præcepto respectu religiosi.

Hinc, non est audiendus Caietanus, qui ait, religiosum facientem contra vota, & reliqua suæ religionis præcepta non peccare contra præceptum 5 tendendi ad perfectionem, dummodo animum retineat illam procurandi. Quia vt diximus, religiosum tendere ad perfectionem, est obseruare vota, & præcepta suæ religionis: ergo qui aliquod votum, vel præceptum, violat, ad perfectionem non tendit, licèt animum habeat tendendi ad perfectionem in aliis occasionibus: in illa tamen in qua peccat, præceptum, quo tenebatur procurare perfectionem, euitando illud peccatum, violat.

QVÆSTIO XXVII.

An Religiosus teneatur in vita perfectione proficere?

RESPONDEO teneri. Ratio est, quia religiosus præter diuinæ legis præcepta, tenetur quidquid vouit im-
1 plere, & Regula præcipit obire. Vnde D. August. *in Serm. de verbis Apostolorum, Semper* (inquit) *tibi displiceat quod es, si vis venire ad id, quod non es: nam vbi tibi placuisti, ibi remansisti: si autem dixisti, sufficit, periisti. Idem, semper adde, semper ambula, semper profice: noli in via deficere, noli retroire, noli deuiare: remanet enim qui non proficit.* Et D. Bernardus *epist. 91. ad Abbat. Aut ascendas* (inquit) *necesse est, aut descendas. Si attentes stare, ruas necesse est. Minimè profectò est bonus, qui melior esse non curat: & vbi incipis nolle esse melior, ibi etiam desinis esse bonus.* Et *epist. 253. Ad Abbatem Garinum. Vera virtus finem non habet, tempore non clauditur: nunquam iustus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit satis est.* Et infra. *Quod si studere perfectioni, esse perfectum est, profectò nolle proficere, deficere est. Vbi ergo sunt, qui dicere solent, sufficit nobis: nolumus esse meliores, quàm patres nostri.*
2 *O monache non vis proficere: non. Vis ergo deficere? nequaquam. Quid ergo? sic mihi* (inquis) *viuere volo, & remanere in quo perueni: nec peior fieri patior, nec melior cupio. Hoc igitur, quod esse non potest.* Idem Bernardus *infra.* Hinc planè colligitur, quia nolle proficere, non nisi deficere est: inter profectum enim & defectum in hoc statu mortalis vitæ, nihil medium inuenitur. Necesse enim est spiritum, aut proficere semper, aut deficere. Vnde frequens apud eundem D. Bernard. illud proloquiũ; *In via Dei non proficere, deficere est,* vel *in via Dei non progredi, regredi est.*

QVÆSTIO XXVIII.

An Religiosus peccet, si in vita perfectione non proficiat?

AD hoc dico primò, quod Religiosus qui vult omnem legem 1
seruare, & quidquid vouit implere, & exequi quidquid regula sui instituti fieri iubet, eo ipso vult ad vitæ perfectionem progredi. Ratio est, quia hæc omnia ad vitæ perfectionem faciunt.

Secundò dico, quòd religiosus, qui omnia præcepta seruat, vota item, & quidquid regula præscribit, quam ex instituto profitetur, cætera autem 2
Christi consilia prætermittit, non peccat, dummodo illa non contemnat. Ratio est quia vbi nulla est violatio legis, ibi nullum est peccatum, quia non peccat, nisi qui aliquod præceptum perfringit, sed religiosus qui nullum consilium seruat, præter ea, ad quæ vi voti sui, & ratione regulæ obligatur, nullum præceptum violat: ergo non peccat.

Tertio dico, quod religiosus peccat, qui vult omnia supradicta seruare, sed nihilominus apud se constituit, cætera omnia Christi cõsilia prætermittere. Ratio est, quia etsi liceat omittere consilia, at fas non est, animo deliberato decernere, nil aliud efficere, nisi id quod ratione sui muneris, & officij debet. Quia hæc voluntas aditum præcludit Spiritui sancto, qui semper hominem præmouet ad meliora & perfectiora. Ita Caiet. 2. 2. *q.* 186. *ar.* 2. Cord, *cap.* 1. *super regul. S. Franc. q.* 3. Valent. 2. 2. *d.* 10. *q.* 4. *p.* 4. & Azor. *lib.* 11. *c. vlt. q.* 11.

Quartò, & vltimò dico, quod religiosus qui facit omne bonum, quod potest, prout sui instituti ratio, & regula præcipit, & cætera Christi consi- 4
lia contẽnit peccat mortaliter. Ratio est, quia qui cõsilia contemnit, Christum

ſtum Dominum eorum authorem contemnit. Is autem conſilia contemnit, qui ea tanquam inutilia, futilia, & vana prætermittit, aut ideò negligit, quia ſunt à Chriſto data.

QVÆSTIO XXIX.

An Religioſus cæteris paribus deterius peccet, quàm ſæcularis?

AD hoc dico primò quod Religioſus qui cõtra memorata tria vota peccat. ſ. fornicatur, furatur, vel Superioris mandato non obtemperat,
1 grauius peccat, quàm ſæcularis. Ratio eſt, quia religioſus fornicando, furando, &c. non ſolùm peccat contra præcepta legis diuinæ, ſed etiam contra votum religionis.

Secundò dico, quod religioſus qui peccat ex contemptu in eodem genere peccati, grauius peccat, quàm ſæcularis. Ratio eſt, quia religioſus peccando fit magis ingratus diuinis beneficiis, quibus eſt ſublimatus ad ſta-
2 tum perfectionis. Vnde Apoſtolus *ad Heb.* 10. dicit quod fidelis grauiora meretur ſupplicia ex hoc quod peccando Filium Dei conculcat per contemptum. Et Dominus conqueritur Hier. 11. *Quid eſt, quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa.* Et D. Aug. dicit *in epiſt.* 137. *ad plebẽ Hipponenſem. Ex quo Deo ſeruire cœpi, quomodo difficilè sũ expertus meliores, quã qui in Monaſteriis profecerũt: ita non ſum expertus peiores quã qui in Monaſteriis eeciderũt.*

Tertiò dico, quod religioſus qui peccat cum ſcandalo aliorum, magis peccat, quàm ſæcularis. Ratio eſt, quia ad vitam religioſi plures reſpiciunt.
3 Vnde dicitur Hier. 23. *In prophetis Hieruſalem vidi ſimilitudinem adulterantium, & iter mendacij, & confortauerunt manus peſſimorum, vt non conuerteretur vnuſquiſque à malitia ſua.*

Quartò, & vltimò dico, quod religioſus qui non ex contemptu ſed ex infirmitate, vel ignorãtia aliquod peccatum, cõmittit quod non eſt contra votũ ſuæ profeſſionis, vel cum offenſione aliorũ, leuius peccat, eodem genere peccati, quàm ſæcularis, quia peccatũ religioſi ſi ſit leue, ex multitudine bonorum operum, quæ facit quaſi 4
abſorbetur: ſi verò ſit mortale, ſtatim ab eo reſurgit, primò propter intentionem, quam habet rectam ad Deũ, quæ etſi ad tempus interrumpatur, de facili ad ſaniorem mentem erigitur, iuxta illud Pſal. 36. *Cum ceciderit iuſtus non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam.* Secundò, quia à pluribus ad reſurgendum adiuuatur, iuxta illud Eccle. 4. *Si vnus eeciderit ab altero fulcietur.* Cui fauet illud memorabile D. Bernardi proloquium; *In monaſterio homo viuit purius, cadit rarius, ſurgit velociùs, incedit cautiùs, quieſcit ſecuriùs, irroratur frequentiùs, purgatur citiùs, moritur confidentiùs, remuneratur copioſiùs.* Quæ rationes tantùm probãt religioſum minus peccare extenſiuè, ſeu quoad durationẽ. At probari poteſt etiã minus peccare intẽſiuè. Quia cum religioſus in bonis operibus cõtinuè verſetur, nõ ſolet ex infirmitate, aut paſſione delinquere, niſi ea paſſio ſit vehemens, quæ multum voluntarij actus, ac proinde culpæ minuit.

QVÆSTIO XXX.

An ingreſſus religionis magnam requirat deliberationem.

AD hoc dico primo, quod ex parte religionis, ac per ſe non opus eſt multa conſultatione, & diuturna deliberatione vti. Ratio eſt, quia reli- 1
gionis ſtatus Chriſti Domini conſiliũ eſt, & ingreſſus in religionem eſt melioris vitę ſuſceptio, & qui de hoc dubitat, quantũ eſt in ſe, iniuriam videtur irrogare Chriſto Domino, qui de tali ingreſſu conſilium dedit. Vnde

D. Au

D.August.*in lib.de verbis Domini serm. 7.*dicit, *Vocat te oriens, idest Christus, & tu attendis ad occidentem, idest ad hominem mortalem errare potentem*: quasi dicat, non hoc consonum est rationi.

2 Secundò dico, quod nec per comparationem ad vires eius, qui ingressurus est religionem, sunt necessaria multorum consilia. Ratio est, quia is qui religionem intrat, non confidit in virtute sua, neque in multitudine virium suarum, sed in Deo, & in auxilio eius, qui præstò adest sperantibus in eum iuxta illud Isai.40. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas, sicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Vnde August.*lib.8.suarum confess.c.11.* dicit de seipso, quod ante tempus suæ conuersionis, dum sui status mutationem pertimesceret, atque formidaret, videndo tot pueros, ac puellas, & iuuentutem multam, & homines omnis ætatis, viduas graues, & virgines, Deo deseruire, anus quædam irridere sibi videbatur, irrisione quadam hortatoria, ac sibi dicere. Tu non poteris, quod isti, & isti: an isti & isti in semetipsis possunt, & non in Domino Deo tuo? Quid in te stas, & non stas? proiice te in eum, noli metuere: Non te subtrahet, vt cadas. Proiice te secure, ipse accipiet te, & saluabit te.

3 Tertiò dico, quod ex parte ingredientis, & ex accidenti contingere potest, vt multorum consultatione opus sit ad ingressum religionis, vt v. g. quando specialia adsunt impedimenta ex parte ingressuri, qualia sunt morbus, æs alienum, & id genus alia. In his desumendum est consilium non ab hominibus sæcularibus nil nisi mundana sapientibus, etiam si sanguine essent coniunctissimi: animalis enim homo non percipit ea quæ sunt Spiritus; sed à viris probis, & doctis qui possunt rectè consulere circa ea, quæ perfectionis sunt, & homini conueniunt. In quibus tamen non debet consultatio diuturna præcedere iuxta illud Hieron. in Epistola ad Paul. *Festina, quæso te, & hærenti in salo nauiculæ funem magis præcide, quam solue.* Et D. Ansel.*epist.1.* *Festina ad tantum bonum, quia nullo bono efficaciùs peruenies ad summum bonum. Plures vidi promittentes, & differentes, quos ita mors tulit, vt nec id perficerent, quo se impediebant, nec id inciperent, quod promittebant.*

Quartò, & vltimò dico, quod omnino expedit volenti ingredi religionem, vt à Deo consilium capiat per orationes, eleemosynas, ac frequentem sacramentorum vsum: atque vt seipsum probet diligenter, an sit animo paratus ad præstandum ea omnia, quæ religiosum institutum requirit, exemplo volentis ædificare turrim, qui prius computat sumptus, qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum. 4

QVÆSTIO XXXI.

An nobis liceat alicui persuadere religionis ingressum?

IN qua re conuenit inter omnes, non esse bonum, inducere quemlibet etiam idoneum ad faciliter vouendum religionem, quia quod inductione alterius fit votum, non omnino sponte fit, & experientia teste, difficiliùs tales ferunt onera religionis, qui ingressi sunt coacti voto, quam qui ingrediuntur liberi & sine voto, vt rectè docet Caiet. 2.2.q.189. *articulo 2.* 1

QVÆST.

QVÆSTIO XXXII.

Sed quod habet difficultatem est: An nobis liceat inducere quempiam ad religionis ingressum.

1 RESPONDEO licere. Ratio est, quia qui alium ad statum religionis inducit, eum à mundanæ vitæ periculis propè innumeris auocat, & ad perfectionem adducit iuxta illud Apostoli Iacobi in sua Epist. can. c. vlt. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, seruabit animam suam à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Et Daniel 12. *Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Vnde D. Bernardus, electum Dei organum & summus spiritualis doctrinæ magister *in sermone de conuers. ad clericos*, ait, *Fugite de medio Babylonis, & saluate animas vestras conuolantes ad vrbes refugij, vbi possitis & de præteritis delictis agere pœnitentiam, & in præsenti obtinere gratiam, & futuram gloriam fœliciter praestolari. Non vos retardet conscientia peccatorum, quia vbi illa abundarunt, superabundare gratia consueuit: non pœnitentia austeritas vos deterreat: nec enim condigna sunt passiones huius temporis ad præsentem culpam, quæ remittitur, nec ad præsentem consolationem, quæ inuenitur, nec ad futuram gloriam, quæ promittitur.*

QVÆSTIO XXXIII.

An sit Simonia aliquem munusculis ad ingressum religionis inuitare?

1 AD hoc dico primò, quod licitum est, absque vllo pacto, & lege munera dare ad captandam beneuolentiam, & ad inuitandum ad religionem, & Baptismum, & ad reliqua opera Spiritualia. Ratio est, quia est liberalis omninò donatio, nullo pacto, aut conditione vestita, & in egregium finem dirigitur.

Hinc, qui conscius talis intentionis donantis, munera accipit, non peccat, nec tenetur postea votis donantis annuere. Quia ea donatio liberalis omnino fuit. Ita Molina *to. 1. de iust. disp. 93. in fine.* 2

Secundò dico, quod licitum est munera dare ad tollenda impedimenta retardantia à religionis ingressu, aut à Baptismi susceptione, v. g. est aliquis qui vult religionem ingredi, sed impeditur, eo quod est ære alieno grauatus, integrum est conuenire cum illo sic. Soluam debita, & ingredere religionem. Similiter est Iudæus baptismum optans, impeditur timore restituendi vsuras, licitum est ei offerre pecuniam ad eas restituendas, dummodo baptizetur. Ratio est quia hoc non est spiritualia emere, sed solùm obstacula tollere. Ita Syluest. *verb. Simonia 9. q.* 8. Rosell. *verb. simonia 1. numero 19.* & Armil. *ibid. num. 30.* 3

Tertiò dico, quod verius est, non esse simoniam dare munera cum pacto, & conditione, vt is, cui dantur, ingrediatur religionem, recipiat baptismum, sacramenta frequêtet, dummodo non dentur in pretium illius operis spiritualis, sed ad alliciendum ad illa. Ratio est, quia simonia est spontanea voluntas emendi, vel vendendi rem spiritualem pro temporali: vt docet D. Tho. 2. 2. *quæst. 100. articulo 1.* Sed qui acceptis muneribus religionem ingreditur, non vendit religionem, nec munera offerens eam emit. At de ratione venditionis est, vt venditor aliquid tradat, 4

& emptor aliquid accipiat : sed ingrediens religionem, nihil tradit, nec offerens munera aliquid recipit: ergo.

5 Tum quia qui munera offert, non obligat illum vt ei, vel alteri eius nomine, det aliquid spirituale, sed vt sibi consulat, & salutaria amplectatur.

Tum quia non est simonia offerre munera infideli ea lege, vt fidem Christi suscipiat : vt docet Syluest. *verbo gabella 5.q.2.num.3.*

6 Tum quia donare vitam infidelibus ad mortem damnatis, hoc pacto, & conditione, vt conuertantur, non est simonia, vt docet Med. *C. de restitut. quaest.* 27. *ad.* 4. ergo non erit simonica offerre alia munera eodem pacto. Probo consequentiam, quia ea condonatio vitæ pecunia est æstimabilis.

Tum quia contrahere matrimonium cum infideli hac lege, vt Baptismum Christi suscipiat, non est simonia, vt habetur *cap. Non oportet* 28.*quaest.* 1. ergo nec erit simonia alia munera offerre eadem conditione adiecta.

7 Tum demum, quia passim in scripturis promittit Deus bona temporalia his qui seruant præcepta eius, & id per modum pacti, vt constat Gen. 12. vbi dixit Deus Abrahæ : *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, faciamque te in gentem magnam.* Et Gen. 17. *Ambula coram me, & esto perfectus, ponámque fœdus meum inter me, & te, & multiplicabo te vehementer.* Quæ verba manifestum pactum continent. Ita Molina *tom.* 1. *disp.* 95. & Nauar. *cap. Inter verba nu.*20.

8 Quartò dico, quod pro ingressu monasterij, aut professione aliquid tanquam pretium dare, vel recipere, simonia est : vt expressè definitur *in cap. Nullus.* Et ratio huius est, quia religio est quid spirituale, & donum quoddam desuper acceptum: sed dona spiritualia emere aut vendere omni iure est prohibitum ; quia gratis sunt conferenda iuxta præceptum Christi Domini : *Quod gratis accepistis, gratis date.* ergo pro religionis ingressu, vel professione tanquam pretium nihil omnino dari, aut recipi potest.

Quinto, & vltimo dico, quod non 9
est simonia aliquid dare, vel recipere non tanquam pretium, sed tanquam eleemosynam gratis datam, & nullo præcedente pacto expresso, vel tacito exhibitam pro ingressu monasterij, vel professione : vt docet D. Tho. 2. 2. *quaest.* 100. *art.* 3. vbi ait, licere, facilius ad monasterium aliquem admittere, pro eo quod largas eleemosynas erogando suam deuotionem erga idem monasterium ostendit, quàm alium qui non id faciat, dummodo ex pacto pro ingressu monasterij nihil omnino detur, aut recipiatur. Vnde Sotus *lib.* 9. *quaest.* 6. *artic.* 2. generaliter dicit, quod pro victu, & vestitu aliquid recipere, nulla prorsus est simonia : ad quod probandum adducit exemplum de matrimonio : nam licet pro matrimonio qua ratione sacramentum est, nihil omnino possit vir ab vxore recipere, potest tamen pro ipsius victu, & vestitu.

QVÆSTIO XXXIV.

An aliquis possit ad religionem compelli?

RESPONDEO non posse. Ratio est 1
quia quisque in statu vitæ deligendo est sui iuris.

Tum quia nemo potest cogi ad Baptismum amplectendum, quem tamen Deus omnibus præcepit, tanquam necess-

necessarium ad salutem: ergo multò minùs ad religionem, quem statum Deus omnibus liberrimum esse voluit, vtpote ad salutem non necessarium.

Tum quia nemo potest in pœnam cogi ad matrimonium: ergo neque ad religionem.

2 Tum quia status supernaturalis non potest habere rationem pœnæ, cùm requirat liberam electionem, pœna autem sit contra voluntatem.

Tum quia eius excellentia, & sublimitas postulat, vt sponte & ex amore, non compulsione externa suscipiatur. Vnde omnibus dictum est: *Qui potest capere, capiat.*

Tum demũ, quia si hic status inuitis imponi posset, caderet in maximum animarum laqueum: quia vota religionis non nisi à volentibus, & animo bene ad illa affectis seruari possunt.

3 Excipiunt tamen Doctores tres casus, in quibus potest quis ad religionem compelli. Primus est, cum quis sponte religionem vouit, hic enim compelli potest, vt suum votum adimpleat: sicut is qui sponsalia contraxit, cõpellitur, vt matrimoniũ contrahat.

Secundus est, quando coniux iuris conscius, liberè consentit vt alter vitam religiosam profiteatur, vel ad sacros ordines ascendat; tunc enim, si is qui remanet in sæculo sit suspectus de impudicitiæ vitio, cogi potest ad pariter intrandum *cap. Significasti de conuersat. coniug.*

4 Tertius est, cum quis commisit crimen, ob quod iubetur detrudi in monasterium. Verùm in his casibus, non potest iure compelli quis ad professionem; quæ perinde, ac matrimonium requirit liberam electionem. Nec verò frustra erit talis inclusio, quia deseruiet ei in remedium aduersus incontinentiam, & in pœnam pro peccatis commissis.

QVÆSTIO XXXV.

An qui vi, vel metu, vel fraude quempiam ad religionem impellit, sit ipso iure excommunicatus?

ET quidem, certum est apud omnes, eum esse ipso facto excommunicatum per Conc. Trident. *sess.* 25. *cap.* 18. *de regul.* qui cum effectu mulieres ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum, vel ad profitendum cogit præter quàm in casibus in iure expressis, aut volentes intrare, vel profiteri sine iusta causa impedit. 1

QVÆSTIO XXXVI.

Tota igitur difficultas consistit de eo, qui per vim vel metum vel fraudem virum ad ingrediendam religionem compellit.

RESPONDEO non esse excommunicatum. Et ratio est, quia lex ad frequentiora respicit *iuxta leg. nam ad ea ff. de legibus.* Et vir non facilè compellitur. Peccat tamen mortaliter qui adolescentes ad iurandum religionem compellit, cum maxima deliberatione sit hic status assumendus. Roder. *to.* 3. *qq. reg. qu.* 14. *art.* 3. 1

Hinc, qui puellam inducit, vt inuita ad religionem transeat, vel consulit alteri, vt compellat eam intrare, non incurrit hanc excommunicationem, nisi de falso ipsa ingrediatur inuita; vt doctè defendit Nauar. *lib.* 5. *cons. tit. de sent. excom. cons.* 55. 2

Hinc hanc pœnam Concilij non incurrit, qui de licentia Episcopi procurat ponere filiam suã orphanam in aliquo monasterio, quousq; sit apta ad 3

3 matrimonium. Nec obstat Conc. Trident. dicens esse excommunicatum, qui mulierem indueit ad ingrediendum, vel habitum suscipiẽdum. Quia ly *ingrediendum*, debet intelligi, si ipsa ingrediatur in vita, prætendente persuasore, quod post ingressum tandem velit, nolit, habitum religionis suscipiat: non verò loquitur de eo qui hoc solùm prætendit, vt sit ibi recollecta, quousque inueniat aliquem, qui eam ducat in vxorem: vt contra Nauar. tenet eleganter Roder. *p. 2. sum. cap.* 8 *n.* 10.

4 Opinio tamen Nauarri potest habere locum, ob ea quæ dicunt Constitutio Pij V. & Sixti V. quod in nullo Monasterio possit esse aliqua sæcularis puella, nisi sub titulo nouitiatus, & cum intentione profitendi.

QVÆSTIO XXXVII.

An qui alicui dissuadet religionis ingressum, peccet mortaliter?

1 RESPONDEO eum peccare mortaliter, nisi id faciat aliqua iusta de causa; nam in Conc. Trid. *sess. 25. c.* 18. *de regular.* anathemati subiiciuntur omnes illi, qui mulieres volentes ingredi religionem impediunt. Iustæ autem causæ sunt quatuor. Prima est, quando volens ingredi est coniugatus, & sine licentia coniugis vult id facere.

2 Secunda est, quando creditur ipsum ineptum esse religioni.

Tertia est maior spiritualis vtilitas, tam ipsius retrahentis, quàm retracti, atque adeò maior Dei gloria.

Quarta, & vltima est, quando in Monasterio, vel religione, in quam ingredi cupit, malè contra disciplinam regulariter viuitur, & regula perpetuam obseruatur. Nau. *cap.* 12. *n.* 44.

QVÆSTIO XXXVIII.

An qui iniquo animo, atque peruersa intentione quempiam ab ingressu religionis retrahit, ad aliquam restitutionem teneatur?

DE hac quæstione latè egimus in nostro speculo confessariorum, disputatione 26. *q.* 8. *vide ibi.* 1

QVÆSTIO XXXIX.

An quilibet possit religionem ingredi?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia euangelica consilia, ad quorum obseruantiam religio obligat, sunt omnibus data à Christo. 1

Excipiuntur tamen aliqui, qui aliis obligati nequeunt ad religionem admitti, de quibus dicemus in sequentibus.

QVÆSTIO XL.

An filij sine consensu, & voluntate parentum possint religionem ingredi?

IN qua re conuenit inter omnes, filios, & filias, ante annos pubertatis, non posse sine consensu parentum religionem ingredi; quia vsque ad illam ætatem subduntur illis quoad vitæ dispositionem: vt constat ex *cap. Ad nostram de Regul. & ex p. significatum eo. tit.* 1

Sed dubium est de his, qui ad annos pubertatis peruenerunt: An videlicet possint etiam inuitis parentibus non indigentibus eorum auxilio, ad religionem migrare?

Respondeo posse, vt habetur expresse definitum *in can. Puella* 20. *q.* 2. *& in*

& in cap. Cum virum de regular. & in Conc. Toletan. X. *cap. vltimo* sic dici-
2 tur. *Puella, si ante 12. ætatis annum sponte sua velamen sibi sacrum assumpserit, possunt statim parentes, vel Tutores id factum irritum facere, si voluerint. Si verò in fortiori ætate adolescentula, vel adolescentes seruire Deo elegerint, non est potestas parentibus prohibendi.* Et ratio est, quia quilibet ingenuus post annos pubertatis est sui iuris, quantum ad ea, quæ ad personam, & statum suam pertinent.

Tum quia licet filiis, parentibus inuitis, matrimonium contrahere; ergo & iisdem inuitis, ad religionem migrare.

Tum quia magis obediendum est
3 Deo, quàm hominibus *Act.* 5. Deus autem consulit omnibus ingressum religionis, *Matth.* 19 ergo si parentes resistant, audiendi non sunt. Vnde Hieronym. in epist. de suspecto contubernio. *Si quis (inquit) te corripit, quod sis christiana, quod sis virgo, non cures, quod matrem deserueris, vt in monasterio inter virgines viueres: talis detractio laus tua est.* Item *Crudelitas ista pietas est, illum enim præfers matri, quem preferre iuberis, & animæ tuæ.* Idem ad Heliodorum, quæ prima est omnium: *Licet (inquit) paruulus ex collo pendeat nepos: licet sparso crine, & scissis vestibus vbera, quibus te nutrierat mater ostendat: licèt in limine pater iaceat, percalcato perge patre, siccisque oculis ad vexillum crucis euola: solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem.*

QVÆSTIO XLI.

An qui post religionis votum Episcopatum acceptat, teneatur Episcopatu dimisso religionem ingredi?

HENRIQ. *lib.* 10. *de Sacramento Ordinis cap.* 32. & Roder. *p.* 2. *sum. cap.* 6. *n.* 6. negant. Quia votum non infringit, qui illud in melius cómutat: *cap. Peruenit* 2. *de iuretur.* At 1
status Episcoporum est altior, atque perfectior statu religiosorú: *cap. Licet de regular.* Sunt enim Episcopi in statu perfectorum actiuè, religiosi verò in statu perficiendorum passiuè, vt perficiantur; vt ex D. Dionys. probat D. Tho. 2. 2. *q.* 184. *ar.* 7. ergo.

Communis tamen tam Theologorum, quàm Canonistarum sententia habet, hunc teneri Episcopatu relicto ad religionem transire. Ratio est, quia 2
acceptans Episcopatum admittit impedimentum religionis promissæ, & sic est voti reus.

Tum quia, quamuis non repugnet, vt religiosus creetur Episcopus: repugnat tamen, vt Episcopus fiat religiosus; quia vt Episcopus fiat religiosus, oportet vt omnia quę possidet, & Episcopatum renunciet, quod absque Romani Pontificis licentia fieri nequit.

Tum quia, vt doctè suo more aduertit Illustriss. Caiet. 2. 2. *q. vltima ar.* 3. tunc assumptio perfectioris status sufficit, ne dicatur votum imperfe- 3
ctioris status violari, quando status imperfectior clauditur in perfectiori, vt sunt diuersæ religiones. At status Episcoporum, & religiosorú non sunt huiusmodi: quippe ille est formaliter status perfectionis alienæ, hic autem propriæ: ergo.

Et est conclusio definita *in cap. Per tuas de voto.* vbi proposito simili casu de quodam electo Episcopo ad Ecclesiam Genuensem, qui prius religionis votum emiserat, consultus ab eo Innoc. III. quid facere deberet, in hæc verba prorupit. *Nos igitur tuæ* 4
discretioni consulimus, vt si tuam sanare conscientiam desideras, regimen Ecclesiæ

*memorata resignes, ac reddas altissimo vota tua. Quod si postmodum capitulum eiusdem Ecclesiæ,te duxerit canonicè eligendum,electionem de te factam recipere poteris.*Et ideò ita tenent D.Tho.2.2. *q.*189.*ar.*3.& ibidem Caiet.Sylu.*verbo religio* 2.*q.*20.Angel. *verb.votum* 2. *n.*12. Tab. *verb. Episcopus q.*7.*n.*8. & ibi Armil. *n.*10.& Azor. *lib.*11.*cap.*16. *q.*2.*& cap.*22.*q.vlt.* Vnde bene inferunt Syluest. *verb.votum* 3.*in fine*, & Angel.*loco memorato*, esse mortale acceptare Episcopatum, relicto religionis voto.

QVÆSTIO XLII.

An Episcopus sine expressa licentia Papæ ad religionem possit admitti?

1 CAIET. 2.2. *q. vlt.ar.*3. & Tab. *verb.Episcopus q.*7.*n.*8.affirmant posse.Quia *in cap.memorato Per tuas,* &c.Pontifex eam licentiam concessit illi Episcopo Genuensi, & in eo omnibus simile votum habentibus.

At omnino dicendum est,non posse Episcopum absque expressa licentia Pontificis petita,& obtenta ad re-
2 ligionem admitti. Ratio est,quia Episcopus est suæ Ecclesiæ obstrictus, sicut maritus vxori.Vnde sicut maritus absque vxoris consensu non potest religionem intrare,ita nec Episcopus absque consensu Ecclesiæ,cui præest, potest religiosum institutum suscipere, quem consensum Pontifex, qui omnium Ecclesiarum curam habet, sibi reseruauit:vt habetur *in cap. Nisi cum pridem de renunciatione*; vbi cuidam Archiepiscopo Calaritano sibi poscenti,vt ad religioné liceret transire in hęc verba respondit Innocent. III. *Quod si talibus mouetur de causis, quæ continentur ibidem,de licentia Apostolica id faciat, sin autem, authoritate Apostolica sibi nouerit esse penitus interdictum.* Et ponit ibi Pontifex sex causas, ex quibus Episcopus potest petere,& Romanus Pontifex consueuit concedere licentiam ad cedẽdum episcopatui, atque ingrediendam religionem,quę causæ sequentibus versibus comprehenduntur.

Debilis,ignarus,malè conscius, irregularis,quem mala plebs odit, dans scandala,cedere possit.

Tum quia derelinquere Episcopum suum Episcopatum ad ingrediendum religionem, est descendere, 3
cùm status Episcoporum altior,atque perfectior sit statu religiosorum: vt rectè probat D.Tho.2.2.*q.*184.*ar.*7. Cum hoc tamen stat secundum eundem D Tho. 2.2.*q.*185. *ar.* 4. quod Episcopus iusta aliqua de causa, licitè possit deserere Episcopatum, vt se ad religionem transferat, dummodo id fiat (vt dictum est) de licentia Papæ petita,& obtenta.

Cæteri autem Prælati citra Episcopum in quacunque dignitate, vel cura constituti, possunt dimissa prælatura ad religionem transire, & ad ipsam poterunt admitti; vt rectè docet Panorm,*in cap. Quod Dei timorem de statu monachorum.* Immo verò D. 4
Tho.2.2.*q.vlt.ar.*7. ait,quod Episcopo etiam inuito, hoc possunt facere Archidiaconi, & presbyteri curati. Immo,vt rectè docet Syluest.*verb.religio* 2. *q.* 8. idem est dicendum de Prępositis,Decanis,Archipresbyteris, & de omnibus inferioribus Episcopo.

Est tamen notandum, quod in euentu, quo aliquis prædictorum ad religionem transiret,beneficia, & di- 5
gnitates eorum nulli de iure conferri possent, nisi post professionem factam; vt habetur definitum *in cap. Benefic. de regul.*

QVÆ

QVÆSTIO XLIII.

An Episcopus teneatur votum Pontifici manifestare, dum eam licentiam petit?

1 LEssivs *lib.2.de iust.cap.41.dub.3.n.24.* putat eum ad id teneri.

Sed oppositum est verius. Quia hic nunquam promisit se votum manifestaturum.

2 Tum quia id fieri nequit absque proprij peccati acceptationis eius Episcopatus detectione.

QVÆSTIO XLIV.

An si Episcopus absque summi Pontificis licentia votum religionis emittat, tale votum sit validum, & obligatorium?

1 RESPONDEO esse validum, vt omnes Doctores tradunt. Vnde tenetur licentiam illud exequendi petere: nam sub hac conditione, *si Pontifici placuerit*, censetur factum. Ita Less. *lib.2.c.41.dub.3.n.24.*

QVÆSTIO XLV.

An coniux possit licitè, sine alterius licentia, emittere votum simplex religionis.

1 RESPONDEO si ante matrimoniũ tale votum emittatur, certum est, posse illud emittere. Quia tunc inuito altero coniuge talis transitus est licitus. Si verò post consummatum matrimonium fiat, est etiam certum, posse; si emittatur, implendum tempore soluti matrimonij, vel diuortij. Si autem absolutè emittatur, nullum est peccatum, quia intelligitur implendum tempore habili, in quo nulli infertur præiudicium.

QVÆSTIO XLVI.

An votum simplex religionis ab altero coniuge absque alterius consensu emissum, sit validum?

RESPONDEO si tale votum emittatur ante matrimonium consummatum, certũ est, illud esse validum, & obligare ad non consummandum, sed ad ingressum religionis: ac proinde erit peccatum mortale prima vice matrimonium consummare, siue petendo, siue reddendo. Quod si eo non obstante consummetur matrimoniũ, iam in posterum licebit petere, & reddere: at soluto eo matrimonio, vel facto diuortio ob adulterium, tenebitur vouens religionem ingredi. 1

QVÆSTIO XLVII.

Tota ergo controuersia cõsistit, quando post consummatum matrimonium tale votum emittitur?

RESPONDEO si id votum emittitur pro tunc implendum, est prorsus irritum. Quia est votum de re aliena. 1
Si autem absolutè fiat, erit validum, obligabitque pro tempore soluti matrimonij, vel ratione diuortij. Ita Henriq *lib.11.de matrim.cap.15.n.8.*

QVÆSTIO XLVIII.

An coniux post contractum matrimonium, possit altero inuito religionem ingredi?

ET quidem certum est primò, post matrimonium ratum, & nõ consummatum posse cõiugem altero inuito religionẽ intrare, & profiteri; ita enim 1

enim definitur *in cap. rerum 2. & in cap. ex publico 7. de conuersat. coniugator.* Et vt hoc possit fieri tribuit Ius duorum mensium spatium, in quibus vterque illorum potest negare debitum ad hunc finem. Vnde peccat mortaliter sponsus cogens vxorem ad consummandum matrimonium ante dictum bimestre, cùm priuet illam iure quod habet ad ingressum religionis, quia per hunc actum quamuis violentum, consummatur matrimonium. At in hoc casu potest ipsa ingredi religionem, sed quod non ideo soluitur ipsa profitente, & sic qui remanet in sæculo non potest ducere aliam vsque ad mortem dictæ religiosæ.

2 Secundò certum est, coniugem non posse ante consummationem matrimonij sibi facultatem auferre transeundi ad religionis statum, ne apponat impedimentum spiritui sancto vocanti fortè ad talem statum, ad quem ascendere potest absque iniuria vxoris quantumcumque inuitæ.

QVÆSTIO XLIX.

Sed quod in dubium vertitur est: An post matrimonium consummatum alter possit, altero inuito ad religionem transire?

1 RESPONDEO non posse, vt habetur definitum *in cap. Quidam 3. & in cap. Placet de conuers. coniug.* Vnde si vir religionem profiteatur inuita, vel ignorante vxore, vel ea consentiente, sed per vim, metum, vel dolum, vltra peccatum mortale quod vir committit, talis professio est irrita, atque adeo vxor poterit eum repetere, & ille tenebitur redire, & debitum coniugale petenti reddere: quia vxor petit, quod sibi iure debetur: exigere verò ipse debitum non poterit, quia potuit vir huic suo iuri cedere, & potuit ex hac parte castitatem vouere.

Excipiunt tamen Doctores tres casus, in quibus fas est, alterum altero inuito, ad religionem transire. 2

Primus est, si alter per vim, dolum, vel metum cadentem in virum constantem consummauit matrimonium ante duos menses expletos, qui ei à Iure conceduntur. Quia ei grauem iniuriam intulit ratione cuius, non debet innocens priuari suo iure. Ita Less. *lib. 2. de iustit. cap. 41. dub. 3.*

Secundus, si alter coniugum commisit adulterium, nam innocens potest religionem ingredi, & profiteri altero inuito. *cap. 21. Agathosa 27. quæst. 2.* Et idem dicendum est de crimine Sodomiæ *cap. Maritus de adult.* & tradit Less. *loco citato.*

Tertius, si alter incidit in hæresim. *capit. fin. de conuers. coniug.* & tradit Sanchez *lib. 2. de matrimon. disp. 23. numero 6.* 3

QVÆSTIO L.

An, si huiusmodi crimina sint occulta, alter possit religionem ingredi, & profiteri.

RESPONDEO non posse, nisi diuortio facto Iudicis ecclesiastici authoritate. *cap. Porro de diuortiis*, idque partim ad vitandum scandalum, partim ne possit repeti, & cogi ad reddendum debitum. Si tamen profiteatur, valida erit professio. Ita Rebell. *p. 2. lib. 3. cap. 4. sect. 2.* 1

QVÆST.

QVÆSTIO LI.

Sed quid si huiusmodi delicta sint publica, an tunc separatio fieri debeat Iudicis authoritate?

1 RESPONDEO etiam nunc expectandam esse Iudicis sententiam. Ratio est, quia dimittere coniugem ob adulterium, &c. illius est pœna; at pœna non est executioni mandanda, nisi post legitimam Iudicis sententiam: vt patet *ex cap. Cum secundum leges* 19. *de hæres. in* 6. ergo. Sufficit tamen in hoc casu sententia declaratoria criminis, vt docent Castro *lib.2.de iusta hæreticor. punitione cap.* 7.& Couar. *de matrim. p.2.cap.*7.§.8. Quòd si alter quoque adulterium, vel Sodomiam, &c.occultè commisit, non potest coniugem dimittere, vt religionem profiteatur, quia paria delicta mutua compensatione soluuntur. *Cap. final. de adult.* Idem dicendum est, si cognito illius peccato, debitum petiit, vel reddidit, quia illi censetur reconciliatus, & ius suum condonasse.32.*q.*1.*cap.*1.

QVÆSTIO LII.

An coniux, qui tria memorata crimina patrauit, post diuortium authoritate Ecclesiæ factum, possit altero coniuge contradicente se ad religionem conferre?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia facto diuortio authoritate Iudicis vterque suo iuri cessit *cap. Quam periculosum* 7. *quæstion.* 1.

QVÆSTIO LIII.

An mulier, quæ ante consummatum matrimonium, ad religionem transiuit, debeat iure compelli, vt post bimestre professionem emittat?

MENOCH. *de arb.lib.4.cent.2.casu* 333. tenet esse compellendam etiam nunc post Conc.Trident.vt intra bimestre profiteatur, ne alter coniux cogatur tanto tempore professionem expectare. 1

Contrarium tamen est proculdubio affirmandum; nam ex generali prohibitione Conc. Trident.*sess.*25.*cap.*15. *de regular.* planè colligitur, non valere talem professionem ante expletum annum probationis, ætatemque 16.annorum. Et ita in facti contingentia fuit decisum à Iudice Ecclesiastico, & in cancellaria regia approbatũ consultis super hoc pluribus viris doctis, prout refert & tenet Henriq. *lib.*11.*de impedim.matrim.c.*5.*num.*8.& Palac.4.*d.*27. *quæst.*2.*p.*582. Nec per hoc irrogatur iniuria sponso, qui tanto tempore castus cogitur expectare, quia ipsa vtitur fauore iuris concesso, non solùm in fauorem nouitij, sed etiam ipsius religionis, vt ipsa maturè integro probationis anno austeritates religionis experiatur, & religio eius mores Roder. *qq. regular. tom.*3. *q.*13.*art.*4. 2

QVÆSTIO LIV.

An coniuges accedente mutuo consensu, etiam consummato matrimonio, possint religionem ingredi, & profiteri?

RESPONDEO posse. Ita enim expressè definitur *in cap.Cum sit.* 1

cap. Vxoratus, & in cap. ad Apostol. de conuers. coniug.

QVÆSTIO LV.

Quid exigatur, vt matrimonio consummato licitè alter coniux ad religionem transeat?

1 ANGELVS *verbo matrimonium* 4. *num.* 8. dicit posse coniugem de consensu alterius religionem profiteri, quamuis manens in sæculo non emittat votum continentiæ in manu Episcopi: ac proinde solam coniugis licentiam videtur petere.

2 At omnino dicendum est, vt sit licitus huiusmodi ingressus, vltra consensum alterius coniugis requiri, vt consentiens etiam ad religionem transeat, si iuuenis est, vel de incontinentia suspecta. Si autem sit prouectæ ætatis idest sexagenaria, aut non de incontinentiæ periculo laboret, sufficiet votum continentiæ emittere in manu Episcopi. Ita enim expressè definitur *in cap. Cum sis de conuersat. coniug.* & *in cap. Vxoratus eod. tit. & in cap. ad Apostolicam eod. titulo.*

QVÆSTIO LVI.

An si vxor dispositionis iuris conscia, sciuit se non posse ad ingressum mariti consentire, nisi ipsa in religionem transeat, possit ad religionem compelli?

1 RESPONDEO eo casu si ipsa in sæculo manens, est de incontinentia suspecta, potest ad religionem compelli. Cùm professio alterius fuerit valida. *Cap.* 1. *de conuersat. coniug.* Ita Sanch. *lib.* 7. *de matrimon. disp.* 33. *num.* 4.

QVÆSTIO LVII.

An qui ad religionem transit, quo alter licitè profiteatur, teneatur eamdem profiteri?

NAVARR. *lib.* 3. *consil. tit. de conuers. coniug. cons.* 14. affirmat hunc non teneri religionem profiteri, sed esse in monasterio includendam, ne in sæculo manens periculum adulterij incurrat. Quia vltra proprium votum, nemo profiteri est cogendus. 1

Cæterùm absque dubio dicendum est, debere religionem profiteri, & ad id posse authoritate Iudicis compelli. Ita enim definitur *in cap. Cum sis de conuersat. coniug.* ibi *Nisi vterque ad religionem migrauerit.* Et *in cap.* 1. *eod. titul.* ibi. *Nisi vxor ad religionem transierit.* Non enim transit ad religionem, qui non profitetur. Et *in cap. Agathosa* 27. ibi. *Postquam copulatione coniugij viri atque mulieris vnum corpus efficitur, non potest ex parte conuerti, & ex parte manere in sæculo.* Et *in cap. Qui vxorem* 33. *quæst.* 5. ibi. *Qui vxorem suam velare permiseris, aliam non accipiat, sed similiter conuertatur.* At non dicitur conuerti, sed in sæculo manere, si non profiteatur. Et ideò ita tenent Syluest. *verb. diuortium q.* 30. Tab. *verb. matrim.* 1. *quæst.* 3. Sot. *in* 4 *d.* 27. *quæst.* 1. *art.* 4 Petr. de Ledesm. *q.* 64. *art.* 4. *dub.* 1. Barth. de Ledesm. *de sacramento ord. dub.* 14. Vega *tom.* 2. *cap* 34. *casu* 103. & Azor. *lib.* 12. *cap.* 1. *q.* 6. Quam opinionem censeo esse verissimam, si coniux erat iuris conscia petentis professionem ipsius, vt alter legitimè profiteretur. Quia sciens id desiderari ad legitimam alterius professionem, assensum illi præstans, videtur se ad illud obligare. Secus autem si erat iuris ignara, quia tunc non cogetur profiteri. Quia est valde durum, 2

durum, rem tam arduam iniungere ei, quæ nec exprefsè, nec tacitè eam promisit.

QVÆSTIO LVIII.

An in hoc casu sufficiat, si vir profiteatur in ordine equitum sancti Ioannis?

1 RESPONDEO non sufficere. Ratio est, quia etsi is ordo sit vera religio ab Ecclesia approbata, & professio in eo emissa sit solemnis: at eius professores mânent in sæculo cum periculo incontinentiæ, cuius contrarium requirit Pontifex *in dicto cap. Vxoratus.*

QVÆSTIO LIX.

An sufficiat votum temporale castitatis coniugis sexagenarij manentis in sæculo, nimirum dum coniux professus superstes fuerit?

1 RESPONDEO non sufficere. Quod apertè probant ea verba *cap. 1. de conuersat. coniug.* ibi. *Nisi vxor ad religionem transierit, aut perpetuò castitatem seruare promiserit.* Er illa alia *cap. ad Apostolicam eod. tit.* ibi. *Nisi reliquus perpetuam continentiam repromittat.*

QVÆSTIO LX.

An id votum castitatis coniugis remanentis in sæculo efficiatur solemne, eo ipso quod alter coniux professionem emittit, ita vt post profitentis obitum, nequeat manens in sæculo matrimonium contrahere?

PALVD. *in 4. dist. 38. q. 3. art. 5.* & Supplementum Gabr. *in 4. dist. 32. q. 1. art. 2.* affirmant. 1

At pro certo tenendum est, id votum nullatenus posse fieri solemne. Et ratio est, quia nullum votum potest fieri solemne, nisi in religione approbata, & in ordinis sacri susceptione. *Cap. vnico de voto in 6.* 2

QVÆSTIO. LXI.

An sufficiat votum castitatis, si coniux sexagenarius manens in sæculo sit de incõtinentia suspectus?

RESPONDEO non sufficere, sed opus esse, vt ad religionem transeat. Constat *ex cap. Cum sis ibi. Verum si ita vxor senex est, & sterilis, quod sine suspicione possit esse in sæculo.* Et ex *cap. Vxoratus eod. tit.* ibi. *Si autem talis fuerit, quæ suspicione non careat.* Et *ex cap. ad Apostolicam eod. tit.* ibi. *Nisi forte sit eius ætatis, vt sine suspicione incontinentiæ valeat in sæculo remanere.* Ex quibus locis clarè constat, iura non absolutè ponderare ætatem, sed simul petere, vt coniux de incontinentia suspectus non sit: ergo in quacumque ætate id periculum sit, non satis est votum castitatis manentis in sæculo, sed oportet vt ad religionem transeat. Ita Syluest. *verb. diuortium q. 13.* Cou. *4. decret. 2. p. cap. 6. §. 3. num. 3.* Sot. *in 4. d. 27. q. 1. art. 4.* & ibi Palac. *d. 2. col. 24.* 1

QVÆSTIO LXII.

An sufficiat id votum castitatis coniugis sexagenariæ, non suspectæ de incontinentiæ vitio, sed de aliis, vt de veneficiis, de furtis, &c.

RESPONDEO non sufficere. Quia eadem ratio militat in aliis vitiis, 1

 sicut

sicut de incontinentiæ suspicione. Quia cum non expediat vxoris saluti, virum tunc ingredi religionem, non est id permittendum. At si hoc non obstante, religionem profitcatur, tenet omnino professio. Quia iura principaliter ponderant incontinentię vitium, quod est contra fidem matrimonij.

QVÆSTIO LXIII.

An vxor sexagenaria manens in sæculo cum voto castitatis, sed incontinenter viuens post viri professionem, cogenda sit ingredi religionem?

1 RESPONDEO quod sic, vt habetur definitum *in cap. Significauit de conuersat. coniug.* vbi sic dicitur. *Si est talis ætatis, de qua suspicio haberi non potest, ipsam votum continentiæ obseruantem intrare monasterium compelli non permittatis.* Ergo à contrario sensu, si incontinenter viuit, cogenda est ingredi religionem. Et in hoc omnes Doctores conueniunt.

Sed dubium est, an in hoc casu teneatur vxor profiteri.

Anchar. *cap. Placet num.* 4. *q.* 1. putat eam ad id teneri.

Alij verò negant, & meritò quidem, quia textus dicti *cap. Significauit,* solùm dicit cogendam Monasterium ingredi.

2 Tum quia hæc non vouit religionem, & durum est eam velle obligare ad religionem vt continenter viuat: non ergo cogenda est profiteri, sed detrudenda, in monasterium, vt ibi continenter viuat.

QVÆSTIO LXIV.

An vir egressus ante professionem, sit cogendus redire ad vxorem manentem cum voto castitatis in sæculo?

RESPONDEO sic. Ratio est, quia effectus licentiæ non est secutus: ea enim licentia fuit ad ingressum cum effectu. Vnde votum quod manens in sæculo emisit, censetur factum ob causam professionis alterius coniugis, & sub conditione tacita, *si alter profiteatur.* Quare professione non secuta, votum cessat defectu conditionis, & sic vterque poterit petere, & reddere debitum, sicut prius poterat. 1

QVÆSTIO LXV.

An valeat coniugis professio, altero iuuene, & suspecto de incontinentia non profitente, sed manente in sæculo cum voto castitatis?

IOSEPHVS Angles *in flor. Theol. q.* 1. *p. vbi de matrim. q.* 1. *de essentialibus illius d.* 27. *ar.* 3. affirmat non valere. 1

At verissima sententia est, talem professionem esse validam. Ratio est, quia non est de essentia professionis coniugis, professio alterius, sed solùm desideratur vt professio sit licita. Vnde textus *cap. ad Apostolicam, capitis Cùm sis, & cap. Vxoratus de conuersat. coniug.* petentes vt coniux iuuenis simul profiteatur, explicant quid iure fieri debet, vt legitima sit professio, non tamen irritant contra factá, multa enim prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent. Atque ita sentiunt Palud. *in* 4. *d.* 27. *quæst.* 3. *art.* 2. Syluest. *verb. matrimonium* 8. *quæst.* 12. Rosell. 2

verb.

verb.impedimentum, 11.Tab.*verb.matrimonium* 1.*q*.3.*nu*.4. Sot.*in* 4.*d*.27. *q*.1.*art*.9. Nauar.*lib*.3. *conf.tit.de conuersat.coniug. conf*.14. *num*.3.Henriq. *lib*.11. *de matrimonio cap*.8. *num*.9. & Azor.*lib*.11.*cap*.1.*q*.6.

QVÆSTIO LXVI.

An professio coniugis facta de licentia alterius non vouentis castitatem, sit valida?

1 VICTORIA *in sum. vbi de matrimonio num*.253.& Emm. Sà *verbo religio nu*.33.tenent non valere.

Communis tamen tam Theologorum, quàm Canonistarum sententia
2 habet, talem professionem valere. Et ratio est, quia non est de essentia professionis coniugis votum castitatis alterius, sed solum desideratur vt professio alterius licitè fiat.

Et est conclusio definita *in cap.Ex parte el*.1.*de conuers. coniugatorum*, vbi decernitur validam fuisse professionem, vbi sola vxoris licentia adfuit. & ideò ita tenent Duran.*in* 4.*d*.32.*q*.2.*num*.6. Richar. *in* 4.*d*.27.*q*.4.*art*.2. & ibi Maioris *q*.2. Adrian. *quodlib*.1. *art*.3.*ad*7.Palac.4.*d*.27.*d*.2.Sylu.*verb. matrimonium* 8.*q*.12.Rosel. *verb. impedimentum, impedimento* 11. Henriq. *lib*.11.*de matrim.cap*.15.*nu*.9. Lop.*p*.2.*cap*.54. Azor. *tom.p.inst. moral.lib*.11.*cap*.1.*q*.6. Vega 2.*tom.sum.cap*.34.*casu* 104.& alij.

QVÆSTIO LXVII.

Quid faciendum, si vxoris consensu vir professus sit, & ipsa continentiæ votum non fecit, nec religionem intrauit?

RESPONDEO si de vxoris licentia vir professus sit, & ipsa continentiæ votum non fecit, nec religionem intrauit, inducenda est, vt id faciat. Cùm professio alterius fuerit valida, vt habetur *ex cap*.1.*de conuers. coniug.& ex cap. Agathosa* 27.*q*.2. Si nolit, & ipsa de incontinentiæ periculo laborat, tenetur Iudex Ecclesiasticus suspendere professionem viri ad vitam vxoris, vel donec ipsa faciat quod debet, & illum vxori tradere, ne vxor cum iuuenis sit, & in sæculo manens adulteria committat. Mortua vxore, redit vis professionis, & reuerti ad monasterium iure compellitur, quia cum consensu vxoris professionem fecerit, non potuit eius professio penitus annullari, sed ad eius vitam suspendi. Et ideò non potest aliam vxorem ducere: & si duxerit, matrimonium est nullum, *cap.Consuluit* 10. *cap. Ex parte* 9.*de conuers. coniug*. Ita Syluest.*verb.diuortium q*.17.& ibi Armil.*num*.12.Henriq.*lib*.11.*de matrim. cap*.15.*nu*.9.Lop.*p*.2.*cap*.54. Azor.*lib*.11.*cap*.1.*q*.6. & Sanch.*lib*.7.*de matr. d* 33.*num*.4.

Quare non est audiendus Palac. *in* 4.*d*.32.*d*.2.*col*.13.& 14.qui asserit eam 2
professionē reuocatione annullari, ac proindè matrimoniū postea cōtractū esse validum. Nam in *cap. Ex parte de conuers. coniug*. expressè iubetur professus hic, vxore postea ducta dimissa, ad monasterium, à quo ad priorem vxorem reuocatus fuerat, redire. At si matrimonium initum esset validum, non cogeretur ad monasteriū redire.

Ex quo sequitur professum hunc 3
reuocatum ad coniugem manentem in sæculo, teneri illi debitum reddere: quia aliàs frustra esset reuocatio, nec sufficienter consuleretur eius incontinentiæ. Ita Scotus *in* 4.*d*.32.*q*.*vnica*. Palud.*in* 4.*d*.27.*q*.3.*art*.2. & Palac.*in* 4.*d*.27.*d*.2.

QVÆSTIO LXVIII.

An licentians reuocare poßit facultatem semel concessam?

1 RESPONDEO post emissam validè professionem, non posse, si tamen ante professionem reuocet, non posse alterum validè profiteri, sed ad coniugem redire debere: peccabit tamen mortaliter reuocando sine causa. Ita Sanch. *lib.7. de matrim.d.* 33.*nu.*19.

QVÆSTIO LXIX.

An huic reuocato petenti debitum, alter reddere teneatur?

1 RESPONDEO non teneri. Ratio est, quia cum ea professio fuerit valida, validè mutauit statum, ac subinde visus est professus ille, iuri exigendi cedere.

QVÆSTIO LXX.

An hic reuocatus poßit debitum petere?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia cùm hic sit verè professus, est voto castitatis adstrictus: ac proinde tenetur ex parte sua continere.

QVÆSTIO LXXI.

An coniux professus de consensu alterius iuuenis, aut de incontinentia suspecta manentis in sæculo cum voto castitatis, poßit è monasterio extrahi, vt coniugi restituatur?

1 HOST. *in sum. tit. de conuersat. coniug. num.*8. tenet posse reuocari. Quia manens in sæculo non præstitit quod iura requirunt ad alterius professionem: erat quippe pariter professurus ratione iuuentutis, secus si esset senex, nec de incontinentiæ periculo laboraret.

Henriq. *lib.*11. *de matrimonio cap.*8. *num.* 9. putat posse Episcopum per dispensationem reuocare sic professum ob periculum incontinentiæ alterius, & probat quia in casu magnæ 2 necessitatis potest Episcopus dispensare in voto castitatis, præsertim cum coniugato. Sed hæc opinio falsa est, quia cum id votum sit solemne, non potest Episcopus super eo dispensare.

Sed communis, & verior sententia est, nulla ratione posse hunc professum reuocari. Ratio est, quia alter manens in sæculo cum voto castitatis concedens alteri licentiam profitendi iuri suo cessit: & licèt quando manens in sæculo est iuuenis, talis professio non approbetur vt licita *cap. Cum sis,* 3 *& cap. Ad Apostolicam*; at approbatur *cap.* 1. *eod. tit.* ad hunc effectum, ne possit hic professus è monasterio extrahi: siquidem disiunctiuè petit vt alter simul profiteatur, aut perpetuam castitatem emittat. Verba dicti cap. sunt ista. *Nisi vxor ad religionem transierit, aut perpetuò castitatem seruare promiserit, vir potest, & debet de monasterio reuocari.* & ideò ita tenent Maior. *in* 4. *d.*32.*q.*2. Sylu. *verb. matrim.* 8. *quæst.*12. Tab. *verb. matrim.*1. *q.* 3. Rosel. *verb. impedimentum, impedim.* 11. Nauar. *lib.*3. *consil. tit. de conuers. coniug. cons.*14. *num.*4. Azor. *lib.* 12. *c.*1. *q.* 6. & Sanch. *lib.*7 *de matrim. d.*33. *num.*9.

QVÆSTIO LXXII.

An talis professus sit è monasterio reuocandus, si coniux manens in sæculo nullum votum emisit?

DVRAND.

1 DVRAN. *in 4. dist. 32. q. 2. num. 6.* Goffred. *sum. tit. de conuer. coniug. num. 9.* & Host. *sum. eod. tit. nu.* 10. absolutè negant. Quia professio fuit valida.

Adrian. *in quodlib. art. 3. ad* 7. & Palac. *in 4. d. 27. d. 2.* tenent esse reuocandum, siue coniux sit conscius iuris, siue ignarus. Quia *in cap. 1. de conuersat. coniug.* absolutè conceditur reuocatio, vbi manens in sæculo non vouit perpetuam continentiam.

2 Alij verò rectiùs distinguunt. Si coniux manens in sæculo erat conscius iuris, disponentis alterum non posse fieri religiosum, nisi consensum præstans, perpetuam castitatem voueat, si sexagenaria sit, & si iuuenis pariter ad religionem transeat; non potest professus reuocari. Secus si ipse
3 huius iuris, inscius erat. Ratio est, quia hic huius iuris conscius, & sponte consensum profitendi alteri præstans, videtur tacitè vouere, & ad id se obligare, quod ad illius professionis valorem irreuocabilem desiderari cognouerat. Ita Sot. *in 4. d 7. q. 1. art.* 4. Henriq. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 8. *num.* 9. & alij supra citati.

QVÆSTIO LXXIII.

An quoties professus hic potest reuocari, possit propria authoritate è monasterio egredi?

1 INNOC. *cap. Quidam n. 3. de conuers. coniug.* & Turrecrem. *cap. Seriatim art. 3. num. 5.* affirmant posse propria authoritate exire.

At hæc opinio mihi displicet: & ideo existimo hunc non posse propria authoritate exire. Ratio est, quia
2 hic est verè professus, & tenetur ad obedientiam, & quamuis ab initio peccauerit emittens professionem, non seruatis quæ iura seruari præscribunt circa coniugem manentem in sæculo: at persistens in religione non peccat, quia non est amplius sui iuris: & licèt possit authoritate iuris reuocari, at dum coniux manens in sæculo eum non repetit, videtur iuri suo cedere, ac proinde professus nullum ius egrediendi habet. Posset tamen coniux sic professum reuocare, vt expresè definitur *cap. Quidam & cap. Licet de conuersat. coniug.* non posset tamen rapere de religione, sed authoritate Iudicis extrahere. Ita Palud. 4. *d.* 27. *quæst.* 3. *art.* 2. Syluest. *verb. diuortium quæst.* 14. Vega *tom. 2. sum. cap.* 39. *casu* 104. Sanch. *lib.* 7. *d.* 32. *num.* 15. & plerique alij.

QVÆSTIO LXXIV.

An professio vnius coniugis facta absque alterius licentia, aut cum ea dolo aut metu graui extorta, sit valida?

IN hac quæstione constat inter omnes votum illud non valere tanquam solemne, quia coniux dominium non habet sui corporis, ita vt possit illud in dominium religionis transferre absque licentia, qua alter coniux cedat iuri suo. Et est conclusio definita *in cap. Quidam de viro professo, vxore contradicente. Et in cap. Placet de muliere &c.* 1

QVÆSTIO LXXV.

Sed tota difficultas consistit: An habeat vim voti saltem simplicis continentiæ?

GOMES *in expositione Bullæ cruciata, tom.* 10. *num.* 69. negat. & 1

& in hanc partem inclinat Angl. *flor. 1.p.vbi de matrimonio q.1.*

At pro certo tenendum est, votum illud castitatis in ea professione emissũ habere vim voti simplicis, & obligare coniugem in quantum se obligare potuit: nimirum non posse in eo matrimonio petere debitum,& eo soluto ab alio contrahendo prohiberi: & ab aliis quæ contra castitatem pro-
2 missam pugnant. At si de facto contrahat,tenet matrimonium,quia reuera religiosus non est, licèt in contrahendo peccet propter votum castitatis emissum:tenetur tamen ad coniugem reuocatus reddere illi debitum.

Et est conclusio definita *in cap. Quidam de conuers. coniug.* vbi de viro professo vxore contradicente, ac ad eius instantiam reuocato sic dicitur.
3 *Respondemus quod votum non tenuit:vnde ratione voti ad monasterium non tenetur redire: Vlterius verò non poterit vxorem accipere: promisit enim se non exigere debitum, quod in eius potestate erat:& ideo quoad hoc votum tenuit,* & *in cap. Placet de muliere, quæ virum defunctum credens professa est, ac postea à viro reuocata*, vbi sic dicitur. *Respondemus quod licèt votum eius vsquequaque non tenuerit, eatenus tamen fuit obligatorium,quatenus se poterat obligare,promisit enim intrando monasterium se non exacturam carnis debitum, quod erat in potestate ipsius. Redire verò ad sæculum non erat in eius potestate:sed in potestate mariti, & ideo quantum ad ipsam tenuit votum, consultius itaque dicimus, & congruentius ad salutem. vt ad monasterium redeat. Si verò ad hoc induci non poterit,ipsam inuitam credimus non cogendam.* Et ideò ita tenet Roder. *p.1. sum.cap.238.num.4.*

4 Quam doctrinam censeo esse verissimam, nisi coniux ille emitteret votum castitatis in ea professione dependenter ab illa, tunc enim virtute talis intentionis ad nihil voluit se obligare, si professio illa fuit nulla. Quare vt in hoc casu hic maneat voto simplici castitatis adstrictus, opus est,vt habeat intentionem se obligandi independenter à professionis valore. At in iure præsumitur talem intentionem habere,quando de contraria non constat: vt habetur *ex dictis cap. Placet, & cap. Quidam de conuers. coning.* Et in casu dubij standum est huic iuris præsumptioni.

Hinc,non est audiendus Nauar.qui 5
cap.12.num.60. ait prædicta duo capita non negare huic coniugi facultatem petendi humiliter copulam, tanquam licitam,sed solùm vt iure debitam. Sicut coniux adulter potest ab innocente petere copulam vt licitam, non autem tanquam iure debitam. Non est inquam audiendus, quia est dispar ratio, adulter enim priuatur iure exigendi,in fauorem innocentis, cui potest innocens cedere reddendo, non quidem tanquam iure debitam,sed tanquam licitam. At hic professus priuatur iure petendi,non quidem in fauorem alterius remanentis in sæculo, sed ratione voti castitatis, quod in ea professione emisit. At voto castitatis astricto non solùm petere copulam tanquam iure debitam, verùm etiam vt licitam,interdicitur.

Hinc, falsa est doctrina Hostien. 6
cap. Quidam num. 1. qui dicit matrimonium contractum ab hoc coniuge inualidè professo post alterius coniugis mortem,esse inualidum. Quia licèt votum istud non fuerit solemne, at quia fuit votum in religione approbata emissum, habetur pro solemni, estque sufficiens ad irritandum subsequens matrimonium. Falsa est, inquam,hæc doctrina, quia id votum vt diximus,non fuit solemne,sed simplex.

QVÆST.

QVÆSTIO LXXVI.

An professio coniugis post consummatum matrimonium facta, altero contradicente, vim habeat voti simplicis ingressus religionis?

1 NAVAR. *lib.conf.tit. de conuersat. coniug. conf.6. num.3. & 4.* Henriq. *lib. 11. de matrim.cap. 5. num.* 10. Emman. Sà *verb.religio num.*32.& Vega *to.2.sum.cap.*34.*casu* 104. affirmant habere vim voti simplicis ingressus religionis, sicut votum illud solemne castitatis non obligat vt solemne, sed tanquam simplex.

2 Sed multò veriùs existimo id votum religionis omnino esse irritum. Et ratio est, quia matrimonium contractum, coniuge altero viuente, nullam prorsus vim obligandi habet: quia cùm sui dominio careat, id nequit validè in alium transferre; ergo nec professio absque coniugis licentia facta aliquam vim habet obligandi, etiam instar voti simplicis ingressus religionis. Quia in vtroque casu est alienatio sui contra Domini voluntatem.

3 Et est conclusio definita *in cap. Quidam de viro professo vxore contradicente*, vbi expressè habetur, votum religionis non tenuisse, & postea subiungit, virum non teneri ad religionem redire. Atque ita tenent Sotus *in 4.dist.27.quæst.1.art.4.* Roder.*p.1.sum. cap.* 238. *num.*4. & Sanch.*lib.7. disp.* 34. *num.*10.

QVÆSTIO LXXVII.

An si vir inuita vxore sit professus, & Iudicis authoritate restitutus vxori, teneatur post eius mortem, ad religionem redire?

1 PALVD. *in 4.dist.27. q.3.art.2.* & Syluest. *verb. diuortium quæst.* 16. *casu* 3. affirmant ad id teneri.

2 At pro certo dicendum est, hunc post alterius obitum non teneri ad religionem redire. Quia vt diximus, id votum religionis fuit omnino irritum: ergo ea mortua nullo iure compellitur ad religionem redire.

Et est conclusio definita *in cap. Quidam de conuers. coniug.* vbi asseritur hunc post coniugis obitum non teneri ad religionem redire. Et *in cap. Placet eod. tit.* solum dicitur, consultius, & congruentius ad huius salutem fore, vt ad monasterium redeat. At si ex vi voti ad redeundum teneretur, Pontifex non consultius, & congruentius ad salutem diceret, sed necessarium.

QVÆSTIO LXXVIII.

An coniux absque alterius licentia professus, possit propria authoritate è monasterio exire, si alter non repetat?

NAVAR. *lib. 3. conf.tit. de conuers. coniug.conf.6.num.3.& 4.* Henriq. *lib.11.de matrim.cap.5.nu.*10. Emman. Sà, *verb.religio num* 32. Roder.*p.1.sum. cap.*238.*nu.*3. & Vega *2.to.cap.*34.*casu* 104. negant. 1

At multò probabilius est posse. Ratio est, quia talis professio fuit nullius valoris.

Tum quia hic qui absque alterius consensu professus est, peccauit contra iustitiam, quia corpus, cuius ipse non erat dominus, in religionis dominium transtulit: ergo tenetur statim illud coniugi spoliato restituere, vt iniuriam ei illatam resarciat, ac proinde poterit hic propria authoritate exire, immo, & tenebitur, si commode 2

poterit: vt colligitur *ex cap. Accedens de conuersat. Et ex cap. 2. 33. quæst. 5. vbi* Glossa finalis, dicit videri ex eo textu colligi integrum esse coniugi, absque alterius licentia professo, è monasterio exire propria authoritate.

Tum quia ex sola non repetitione non præsumitur consensus, cùm possit etiam præsumi eum non reuocari gratia vitandæ litis, aut ignorantia iuris, aut timore maximè: quia sola eius voluntas non sufficit ad licitum ingressum, sed saltem requiritur votum perpetuæ castitatis in permanente in sæculo.

QVÆSTIO LXXIX.

An professio sine alterius licentia facta, reddatur valida, accedente postea eius consensu?

1 HENRIQ. *lib. 11. de matrimonio cap. 6.* affirmat.

At oppositum est verius. Quia cum talis professio fuerit irrita, non potest tractu temporis accedente nouo con-
2 iugis relicti in sæculo consensu conualescere, nisi professus ipse de nouo suam professionem ratificet.

QVÆSTIO LXXX.

An professio vnius coniugis facta sub tali conditione, vt si alter non contradixerit, sit in conscientia valida?

1 SYLVEST. *verb. diuortium q. 14.* & Angel. *verb. matrimonium 4. nu. 13.* tenent esse validam.

Verùm dicendum est, talem professionem esse irritam, & nullius va-
2 loris. Ratio est, quia per professionem homo se transfert in ius, & potestatem religionis: at is qui est in alterius potestate, non potest absque eius consensu in potestatem religionis transire: id enim cederet in prioris iniuriam: est ergo professio talis, nullius valoris.

Tum quia professio non potest esse in pendenti, nec Ecclesia potest supplere consensum, vt valida efficiatur professio, vt optimè docuit Nauar. *lib. 3. consil. tit. de regul. consil. 51. num. 5.* nec potest emitti sub conditione de futuro, ob id enim Ecclesia requirit ætatem congruam, & annum probationis expletum, & diligenter inquirit de conditione personæ, priusquam ad professionem admittatur, quia per illam statim inducitur status immobilis. Quare, vel tunc debet professio habere suum omnimodum valorem, & efficaciam, aut valore carere, quando fuit emissa. Cùm igitur tunc nullius valoris fuerit, non potest postea accedente nouo coniugis consensu conualescere absque noua ratificatione: vt apertè colligitur *ex cap. Quidam* vbi dicitur tale votum non tenere. Et *ex cap. Placet de conuersat. coniug.* vbi habetur, hunc non teneri ad monasterium redire.

QVÆSTIO LXXXI.

An coniux sine alterius licentia professus, nec ab eo in vita reuocatus, teneatur post eius mortem in religione perseuerare? Quæstio intelligitur, quando coniux in sæculo manens nec expressè, nec tacite consensit?

SYLVEST. *verbo matrimonium 8. quæst. 12. & verbo diuortium quæst. 14. & 16.* & Azor. *lib. 12. cap. 1. quæst. 6.* affirmant hunc teneri in religione 1
perse

perseuerare. Quia ex quo spoliatus dum vixit, professionem non reuocauit, nec coniugem repetiuit cum posset, eo defuncto statim efficitur omnino valida prior professio.

At multo probabilius est, hunc non teneri in religione perseuerare, sed posse secluso scandalo propria authoritate fugere. Ratio est, quia illa professio fuit omnino irrita, etiam in ratione voti simplicis ingressus religionis, vt habetur *ex cap. Quidam & ex cap. Placet de conuers. coniug.* ergo vt talis professio vim obligandi habeat, nouo consensu indiget. Sanch. *lib.7. de matrim. disp.34. num.19.*

QVÆSTIO LXXXII.

An coniux sine alterius licentia professus, conscius mortis illius, in religione persistens, censeatur habere ratam priorem professionem?

1 RESPONDEO censeri eam ratam habere, si sciens eius nullitatem, velit de nouo eam emittere, & seruentur cætera requisita, vt ea professio conualescat.

QVÆSTIO LXXXIII.

An quando spoliatus dum viueret, consensit expressè, vt professus persisteret in religione, possit post eius obitum exire?

1 ANGELVS *verbo matrimonium 4. num.16.* negat posse è monasterio exire. Quia persistens in religione cum illo consensu alterius coniugis videtur ratam habere priorem professionem. Quam opinionem censeo esse verissimam, quando noua ratificatio cum cæteris requisitis adest.

QVÆSTIO LXXXIV.

An coniux spoliatus, altero absque eius licentia professo, possit quoque professo inuito religionem ingredi?

HOSTIEN. *cap. Quidam, vers. non exigere, de conuers. coniugat. num.1. & ibi* Io. Andr. *in fine* affirmat posse. 1

At omnino dicendum est, non posse, professo inuito, alterum ingredi, & ingressum posse reuocari. Ratio est, 2
quia professio fuit omnino irrita, nec delictum professi præstat ius alteri diuertendi, quando delictum non est ex iis, ob quæ licitum est diuortium.

QVÆSTIO LXXXV.

An si vterque coniux absque mutua licentia profiteatur, talis professio sit valida?

INNOCENTIVS *cap. Quidam num.2. de conuers. coniug.* & ibi 1
Io. Andr. *num.2.* Anton. *num.5.* & Anchar. *ad finem* absolutè affirmant esse validam.

At dicendum est valere professionem, quando vterque fuit conscius professionis alterius. Quia facto ipso 2
sibi mutuo licentiam concedunt: secus quando fuit ignarus, tunc enim poterit vterque exire, & alterum reuocare, & neutra professio erit valida. Quia neuter legitimè consensit.

QVÆSTIO LXXXVI.

An quando coniux expoliatus nec consensit, nec dissensit, sed sciens alterius ingressum tacuit, & dissimulauit, possit professum repetere?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia talis professio fuit nulla, & vt coniux iure repetendi priuetur, licentia alterius desideratur: sola autem taciturnitas, & dissimulatio non reputatur consensus, & ideò existimo talem professionem nec vim simplicis voti religionis habere, sed solùm castitatis, sicut supra dixi, quando alter coniux contradixit. Sylu. *verbo matrim. 8. quæst. 12.*

QVÆSTIO LXXXVII.

An si toto vitæ suæ curriculo coniux in sæculo relictus dissimulauit, cum posset commodè reclamare, rata efficiatur professio?

1 NAVAR. *lib. 3. conf. tit. de conuers. coniug. conf. 5. num. 4.* Henriq. *lib. 11. de matrim. cap. 5. num. 10.* & Lop. *p. 2. cap. 54.* tenent ratam effici. Quia hoc ipso quod coniux dum vixit, professionem non reuocauit, cum posset, concessisse censetur, vt in religione permaneret.

At huius oppositum est verius, atque tenendum. Et ratio est, quia si ea professio semel fuit irrita, non video
2 quomodo solo consensu illo tacito coniugis possit fieri valida, sine noua ratificatione, & ita tenet Angelus *verbo matrimonium 4. numero 16.*

QVÆSTIO LXXXVIII.

An quando licentia coniugis fuit metu viri constantis, aut dolo graui extorta, possit alter in sæculo manens professum repetere?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia 1
vt coniux iure suo repetendi priuetur, licentia spontanea desideratur vt expressè definitur *in cap. Accedens de conuers. coniug.* & tradit Azor. *lib. 12. cap. 1. quæst. 6.*

QVÆSTIO LXXXIX.

An si coniux in sæculo relictus, post alterius professionem, adulterium commisit, possit sic professum reuocare?

RESPONDEO non posse, si ipse 1
professus innocens sit. Quia per adulterium perdidit omne ius, quod in coniugem habebat, vt expressè definitur *in cap. Veniens de conuers. coniug.* & tradit Sotus *in 4. d. 27. quæst. 1. ar. 4.* & Barth. à Ledesm. *de matrim. dub. 64.*

Dixi consultò (*si professus innocens* 2
sit:) quia si ipse quoque commisit in sæculo adulterium, vel post religionis ingressum, potest fieri dicta reuocatio.

QVÆSTIO XC.

An si tale adulterium sit occultum professo, possit hic in sæculo relictus in foro conscientiæ eum reuocare?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia 1
nō tenetur iure suo se priuare, donec

donec alter conscius illum iure suo spoliet. Ita Sanch. *lib.7. de matrimonio disp.35.*

QVÆSTIO XCI.

An coniux sine alterius licentia professus, post eius obitum in religione persistens, ignorans illius nullitatem, aut nolens ratificare, possit tuta conscientia reclamare?

1 RESPONDEO posse, vt habetur definitum in Conc. Trident. *sess.25. de regul. cap.19.* Verum vt id liceat Concilium tres conditiones exposcit.

Primò ne ante reclamationem habitum deponat.

Secundò, vt causas nullitatis coram superiore suo, & ordinario proponat.

2 Tertiò, vt id faciat intra quinquennium à die professionis numerandum.

QVÆSTIO XCII.

An inualidè professus, possit reclamare, qui non nisi habitu deposito potest causas nullitatis proponere coram ordinario?

1 RESPONDEO posse. Nec obstat Concilium, quia loquitur de eo qui temere habitum dimittit. Ita Nauarr. *Comment.4. de regul. num. vltimo,* & Azor. *lib.12. cap.4 q. vltimâ.*

QVÆSTIO XCIII.

An Concilium denegans audientiam post quinquennium, fundetur in præsũptione ratificationis professionis factæ in illo quinquennio?

RESPONDEO quod sic, ac proinde 1
si inualidè professus non ratificauit professionem, numquam quocumque tempore transacto est verus in foro conscientiæ religiosus, sed in solo foro exteriori præsumptus. Et ita poterit tuta conscientia transacto quocumque tempore dum professionem non ratificauit, secluso scandalo, non deductis causis nullitatis coram suo superiore, & ordinario, dimisso habitu effugere, & vxorem ducere: nec tenetur ex vi voti seruare Regulam, sed solum tenebitur ratione scandali vitandi eam in publico seruare, quoties ex non obseruantia scandalum aliis suboriretur. Quia cum hic non sit 2
verè professus, nullo vinculo adstrictus est religioni. Ita Nauarr. *Comment. 4. de regul. num. penult.* Henriq. *lib.11. de matrimon. cap.6. & 8. num.9.* & Emman. Sa *verb. religio num. 71.* vbi ait, credentem se non esse professum, posse etiam dimisso habitu in foro conscientiæ fugere, non obstante Tridentino. In casu tamen dubij an hic intra quinquennium animum ratificandi habuerit, iudicandum est in fauorem valoris professionis. Quia cum non constet de contraria voluntate, præsumptioni iuris, eiusque dispositioni standum est in vtroque foro.

QVÆSTIO XCIV.

An possit superior sciens hunc non ratificasse professionem, occultè illum dimittere non obstante Tridentino?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia 1
religio nullum ius habet in eum, sed solùm in falsa præsumptione fundatur: ergo secretò eum dimittens nullam iniuriam facit religioni. Sicut

Iudex conscius innocentiæ eius, qui secundum allegata, & probata est reus, potest secluso scandalo illi clam occasionem fugiendi exhibere. Ita Sot. *lib.5.quæst.4.art.2.* & Cord.*in suo quæst.lib.1.q.37.*

QVÆSTIO XCV.

An superior debeat fidem adhibere huic dicenti se esse fictè professum, aut eo quinquennio non ratificasse?

1 RESPONDEO non debere. Ratio est, quia non est maior ratio, cur debeat potiùs nunc credere dicenti se fictè professum, aut non ratificasse professionem eo quinquennio, quàm antea dum profiteri se finxit: stat enim contra ipsum præsumptio iuris Quod est certum, licet ille id iuramento affirmet, vt docet Caietan. 2. 2. *quæstion.*88. *artic.*1. Sot. *lib.*7. *quæstion.*1. *artic.* 2. Nauarr. *capit.*12.*num.*27. Valent.2.2.*d.6.quæst.6.part.*1. Arag.2. 2.*quæstion.*88.*artic.*1. & alij. At si omnibus diligenter consideratis Prælatus probabiliter coniiceret illum veritatem asserere, posset in foro conscientiæ illi credere, ac secluso scandalo illum occultè è monasterio dimittere. Quia in his rebus sufficit certitudo moralis.

QVÆSTIO XCVI.

An si inualidè professus non possit è monasterio fugere, teneatur ratificare professionem?

1 SAPIENTISSIMVS Nauarr. *comm.* 4.*de regul.num.* 74. affirmat teneri hunc ratificare professionem, ne malè suffragia præstet, monasterij alimenta recipiat, & ad ordines titulo professionis promoueatur, cùm verè non sit professus.

Arbitror tamen contrarium esse affirmandum. Quia status religiosorum est tantæ excellentiæ, & tam arduus, vt nulla ratione ac ob nullam culpã quis ad illũ sit inuitus adstringendus. Vnde non tenebitur ratam habere professionem, quo ea damna euitet, sed potest in religione permanere, expectando commodam fugiendi occasionem, qua oblata tenetur in partes remotas secedere, vbi sine scandalo viuere possit, quia sola necessitas eum à memoratis damnis excusat. 2

QVÆSTIO XCVII.

An hic religiosus volens suam professionem ratificare, teneatur nouitiatum iterare?

NAVARR. *lib.*3. *constit. de regul. consil.*26.*num.*17. affirmat teneri. 1

Sed oppositum quod tenent Sanch. *lib.7.disp.*37.*num.*47. & Azor. *lib.*12. *cap.*1.*q.*6. est probabilius. Et ratio est, quia quoties nouitiatus fuit validus, nulla ipsius iteratione opus est, ad professionem irritam, ratam habendam: nam Concilium solùm vult, ad professionis valorem esse præmittendum integrum nouitiatus annum. At in hoc casu, nouitiatus fuit validus, (vt suppono) ergo. 2

QVÆSTIO XCVIII.

Quid exigatur ad hoc vt hic cēseatur suam professionem inualidam ratificare?

RESPONDEO requiri, vt conscius illius nullitatis, eam ratificet, 1

cet, volens, vt ex tunc vim obligandi habeat. Vnde vt hic suam professionem ratificasse censeatur, non sufficit credere professionem, quam emisit, fuisse validam, & ideò proponere illam obseruare, sed oportet, vt resciat illius nullitatem, & velit illam nouè validare, idest, vt ita gratam habeat professionem, vt velit, quod professio antea facta nunc sit valida, etiam si prius fuisset irrita. Et ideò ita tenent Caiet. 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 5. Nauarr. *cap.* 12. *num.* 71. *& comment.* 4. *de regul. num.* 74. Azor. *lib.* 12. *cap.* 4. *quæstion.* 7. & Roder. *p.* 2. *summ. cap.* 5. *num.* 2.

QVÆSTIO XCIX.

An volens hic religiosus professionem à se inualidè factam, ratam habere, indigeat noua Monasterij acceptatione?

1 RESPONDEO non indigere, sed sufficere, vt ipse nulliter professus verè internè consentiat, quocumque tempore transacto, dummodo Prælatus qui ad professionem eum admisit, non reuocauerit consensum. Ita Nauarr. *lib.* 3. *conf. tit. de regul. conf.* 50. *num.* 1. Roder. *p.* 2. *summ. cap.* 94. *numer.* 5. & Emman. Sa *verb. religio. num.* 23.

QVÆSTIO C.

An possit vir sacris initiari absque vxoris licentia?

1 RESPONDEO virum nec ante, nec post consummatũ matrimonium posse ad ordines sacros transire absque vxoris consensu. Ratio est, quia per ordinis sacri susceptionem, non dirimitur matrimonium ratum, vt definitur *in extrauag. Antiquæ Ioan.* 22. Vnde præiudicium fieret vxori, si absque vxoris consensu ad sacros ordines ascenderet. Ita Roder. *p.* 1. *cap.* 161. *num.* 3.

QVÆSTIO CI.

An coniux vxore consentiente possit ad sacros ordines promoueri?

RESPONDEO posse: vt habetur definitum *in cap. Vxoratus de conuers. coniug.* At vt talis promotio licita sit, vltra consensum prædictum, requiritur vt vxor religionem ingrediatur, si iuuenis sit; aut de eius incontinentia dubitetur. Aut si nec iuuenis sit, nec de incontinentia suspecta, sufficit si extra religionem continentiam voueat in manu Episcopi, vt iure statutum est. 1

QVÆSTIO CII.

An si vir ante matrimonium consummatum habeat animum ingrediendi religionem, possit absque vxoris licentia ad sacros ordines ascendere?

RESPONDEO non posse, sed id est mortale vt constat *ex extrauag. Antiquæ Ioan.* 22. *de voto.* ibi. *Districtius inhibentes, ne quisquam durante matrimonio nondum etiam consummato, aliquem de sacris ordinibus præsumat suscipere, nisi prout sacris canonibus nouerit conuenire*, idest, vt ibi Glossa exponit, nisi petita licentia vxoris, cum voto castitatis. Tenetúrq; in hoc casu ipse ordinatus in foro conscientiæ ingredi religionẽ: non debet tamẽ compelli ad illam per censuras, sed potius potest compelli ad consummandum matrimoniũ, nisi intra certũ tẽpus ingrediatur religionẽ, mortua autẽ vxore 1

non

non poterit exercere ordinem receptum, nisi ingrediens, & profitens aliquam religionem approbatam: vt à iure definitum est. Roder. *p.1.c.223. num.3.* & alij.

QVÆSTIO CIII.

An votum assumendi ordines sacros absque vxoris licentia emissum, sit validum?

1 RESPONDEO si vir post matrimonium ratum tale votũ emisit animo ingrediendi religionem ante matrimonij consummationem, est validum votum. Quia est de re licita, & sibi permissa. Si verò absque animo ingrediendi religionem vouit, potest consummare matrimoniũ reddendo, & petendo. Tenebitur tamen id votum implere tempore soluti matrimonij, vel diuortij. Quia tale votum fuit validum, nec extinctum per vsum matrimonij, sed sopitum.

QVÆSTIO CIV.

An de licentia Romani Pontificis possit vir ante matrimonium cõsummatum sacris initiari absque vxoris consensu?

1 PALVD. *in 4.dist.27. quæst.3.art.3.* negat, quia Pontifex non potest vxori præiudicare.

Sed contrarium videtur mihi verius, quia Romanus Pontifex potest dispensando, matrimonium ratum dirimere.

Tum quia solum castitatis votum ordini sacro annexum impedit quominus coniugatus possit ad ordines promoueri.

At cum id votum solo iure canonico annexum sit ordini, vt supra diximus, posset Pontifex in eo dispensare. Quare posset vir inuita vxore ex priuilegio Pontificis, etiam post matrimonium consummatum, ad ordines sacros ascendere: solo enim iure canonico id prohibetur.

QVÆSTIO CV.

An possit vir ad minores ordines transire absque vxoris licentia?

HOSTIENSIS *cap. Coniugatus nu. 1.* & ibi. Innoc. *statim à principio* affirmant posse. 1

Cæterùm absque dubio tenendum est, coniugatum nec ad primam tonsuram posse promoueri absque licentia vxoris, cum voto castitatis ipsius manentis in sæculo. Ita enim definitur *cap.fin.de temp.ordin.in 6.* ibi *Nullus Episcopus vel quiuis alius clericalem præsumat conferre tonsuram coniugato, nisi volenti religionem intrare: aut ad sacros ordines promoueri, prout sacris canonibus est definitum.* Idest, vt ibi Glossa exponit, nisi perita licentia vxoris cum voto castitatis ipsius manentis in sæculo. Ita Azor. *lib.13. cap.13.q.7.* 2

QVÆSTIO CVI.

An si vir absque licentia vxoris sacris initietur, possit ab ipsa ad debitum coniugale reuocari?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia vir non potuit iuri vxoris derogare. Et est conclusio definita *in extrauag. Antiqua Ioannis 22. de voto.* 1

QVÆST.

QVÆSTIO CVII.

An si vir absque licentia vxoris ad summum Pontificatum promoueatur, possit ab ipsa reuocari?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia cum vir iure iustitiæ teneatur reddere debitum vxori, non potuit hoc ius iustitiæ lædi per pōtificatum, quantumuis bona fide assumptum, vt quia ea mortua crederetur. Ita Syluest. *verb matrimonium* 8.*q*.12 Maiol.*lib*.1.*de irregul. cap*.34.*nu*.3. & Azor.*lib*.14.*cap*.14.*qu*.13.

QVÆSTIO CVIII.

An si licentia vxoris metu cadente inviru constantē, aut dolo graui, extorta vir ad ordines promoueatur, possit ipsa virū reuocare?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia vt vxor iure suo reuocandi priuetur, licentia libera, & spontanea desideratur; at licentia vxoris sic extorta ad professionem viri, diximus supra non auferri vxori ius repetendi. Ita Syluest.*verb. diuortium quæst*.17.*& ibi* Armil.*num*.13. & Azor. *lib*. 13.*cap*. 14 *quæst*.12.

QVÆSTIO CIX.

An quando vxor nec consensit, nec dissensit, sed dissimulauit, possit virum repetere?

1 PALVD.*in* 4.*d*.37.*qu*.1. *art*.1. & D. Anton.3.*p. tit*.1.*c*. 8.negant posse vxorem virum reuocare, sed censeri vouere continentiam.

2 At verò Sylu.*verb.matrim*.8.*qu*.12. affirmat, & meritò quidem quia, vt vxor in sæculo relicta eo iure priuetur, licentia desideratur: sola autem taciturnitas,& dissimulatio non reputatur consensus.

QVÆSTIO CX.

An vir sacris initiatus matrimonio nondum cōsummato, inuita vxore, teneatur ad religionem transire?

RODER.*par*.1.*sum. cap*.223.*nu*.3. Azor.*lib*.13. *cap*. 14.*qu*.2.& Vega 2.*to.sum.c*.34.*casu* 48. affirmant hunc ad id teneri. 1

2 Sed omninò dicendum est, hunc non teneri religionem ingredi. Ita enim definitur *in extrauag. Antiquæ Ioan*.22.*de voto* ibi. *Ad ingressum huiusmodi sic ordinatum, si matrimonium consummatum non fuerit, per Diœcesanum instanter moneri præcipimus*. Sentit ergo Pontifex id non esse præceptum, sed consilium. Et ideò ita tenent Lop.*p*.1. *cap*.50. & Henriq. *lib*.11.*de matrimonio cap*.5.*num*.10. & dicit esse probabile Petr. de Ledesm *de matrim*. *qu*.53.*art*.4.

QVÆSTIO CXI.

An si hic promotus, ingredi religionem nolit, teneatur ad coniugale commercium redire?

RESPONDEO teneri. Ratio est, quia non potuit ea inuita, in eius præiudicium ad sacros ordines promoueri. Et est conclusio definita *in dicta extrauag. Antiquæ, Ioan*.22.*de voto*. 1

QVÆSTIO CXII.

Sed quid si ante matrimonium consummatum, in Romanum Pontificem absque vxoris licentia promoueretur, nolens ad religionem transire?

1 ANCHAR. *cap. vnico nu.3. de voto in.6.* & Bellamera *cap. Desponsatam nu.4.* affirmant hunc teneri matrimonium consummare.

2 Sed contraria sententia est verissima, quia posset hic Pontifex effectus in eo matrimonio rato dispensare: & satis iusta causa dispensandi tunc adesset. At si dispensare nollet, teneretur ad vxorem repetentem redire, & matrimonium consummare, non petendo, sed reddendo debitum.

QVÆSTIO CXIII.

An vir sacris initiatus matrimonio consummato, absque licentia vxoris, si ab ea reuocetur, teneatur reddere debitum?

1 RESPONDEO teneri. Ratio est, quia ordo superueniens non potuit priuare vxorem inuitam iure exigendi acquisito. Non poterit tamen petere, quia obligatur voto castitatis ordini annexo; ad id enim potuit se obligare. Ita: D. Tho. *in 4. d. 37. qu. 1. art. 2. ad 1. & 3.* Sot. *in 4. d. 38. q. 1. art. 1.* Henriq. *lib. 11. de matrim. cap. 15. nu. 9.* Valent. *4. p. d. 10. qu. 5. p. 3.* & Azor. *lib. 13. c. 14. q. 1.*

QVÆSTIO CXIV.

An si vir promotus ad ordines absque vxoris licentia, & sibi, officio Iudicis, restitutus petat debitum, vxor ipsa ei reddere teneatur?

1 NONNVLLI ex Thomistis, vt refert Petr. de Ledesm. *de matrim. qu. 53. art. 4.* putant teneri. Hanc opinionem putat esse probabilem Sanch. *lib. 7. de matrim. disp. 38. nu. 2.*

2 At multò probabilius est, non teneri vxorem reddere debitum huic petenti. Ratio est, quia hic non solum votum castitatis emisit, sed validè statum mutauit, ac proinde visus est omnino iuri suo exigendi cedere. Ita D. Tho. *in 4. d. 37. qu. 1. art. 2. ad 1.* Henriq. *lib. 11. de matri. c. 5. nu. 10* Roder. *part. 1. summ. cap. 223. nu. 4.* & Azor. *lib. 13. cap. 14. quest. 1.*

QVÆSTIO CXV.

An matrimonium contractum post vxoris obitum, ab eo qui ea inuita ad sacros ordines ascendit, sit validum?

GOFF. *c. Quidam de conuers. coniug.* affirmat valere quia matrimonium contractum à professo, post vxoris obitum, qui ab eius licentia professus est, censetur validum, quamuis contrahendo peccauerit; ergo. 1

Cæterùm absque dubio dicendum est, id matrimonium non valere. Ratio est, quia est dispar ratio de ordine, & de illa professione: nam ea professio fuit omnino nulla, & ideò vi dirimendi matrimonium caruit. At in nostro casu ordo sacer omnino valuit, cui, cum Ecclesiæ constitutione votum solemne castitatis annexum sit, per quod subsequens matrimonium dirimitur, sequitur id matrimonium post eius obitum contractum, non esse validum. Et ideò ita tenent Henriq. *lib. 11. de matrim. cap. 15. num. 9.* Anton. Gomes *in expositione Bullæ cruciatæ clausula. 10. nu. 69.* & alij multi. 2

QVÆSTIO CXVI.

An vt vir ad ordines promoueatur, opus sit, vt vxor in sæculo manens, votum castitatis emittat?

Ange

1 ANGELVS *verb. matrimonium* 4. *num*.8. absolutè negat.

Nauar. *lib.3. cons. tit. de conuersat. coniug.cons.13. num.6.* affirmat requiri votum castitatis, quando vxor est iuuenis, & de incontinentia suspecta: secus si senex sit, vel aliàs extra incontinentiæ suspicionem, quia tunc id votum non est necessarium.

2 Alij verò rectiùs docent opus esse eo voto, siue vxor sit iuuenis, siue senex. Sic enim definitum est *in cap. fin. de temp. ordina.* Et tradit eleganter D. Tho. *in 4. d.37. quæst.1. artic.2. ad 2.* vbi ait vxorem de cuius licentia vir ordinem sacrum suscipit, teneri perpetuam continentiam vouere Hoc idem docuit Azor. *lib.13. cap.13. qu.7.*

QVÆSTIO CXVII.

An vltra votum castitatis, opus sit, vt vxor religionem ingrediatur, quò possit licitè vir ad ordines promoueri?

1 ET quidem si vxor est senex non suspecta de incontinentia, certum est, non desiderari ingressum ipsius ad religionem vt expressè definitur *in cap. Episcopus d.* 77. & tradunt Ioan. Andr. *cap. coniugatus in fine.* & ibi Anchar. *in fine.* & Card. *qu.*4.

Sed tota difficultas versatur, quando vxor est iuuenis. Maiolus *lib.1. de irregul. r. cap.34. nu.3.* absolutè negat. Ioannes Andreas *cap. Coniugatus in fine*, & ibi Anchar. & Card. sic distinguunt. Si vxor sit iuuenis, & suspecta de incontinentia, opus est, vt religionem ingrediatur. Secus si iuuenis sit, sed non suspecta, tunc enim satis est votum castitatis in sæculo.

2 Cæterùm verissima sententia est, semper desiderari ingressum vxoris in religionem, si sit iuuenis, vt possit licite vir ad ordines promoueri. Et ratio est, quia vxor iuuenis, professi compellitur ingredi religionem: ergo & vxor promouendi ad ordines.

Tum quia vxor iuuenis quantumuis casta, est incontinentiæ periculo exposita manens in sæculo, eo quod mulieres inconstantes, & facilè volubiles sint. Et est conclusio definita *in cap. Episcopus d.* 77. quod est desumptum ex Conc. Agathen. *cap.1*6. & 17. ibi *Sanè si coniugati iuuenes consenserint ordinari, etiam vxorum voluntas ita requirenda est, vt sequestrato mansionis cubiculo, religione promissa, posteaquàm pariter conuersi fuerint, ordinentur.* Atque ita tenent D. Tho. *in 4. d.37. quæst.1. art.2. ad 2.* vbi ait, vxorem de cuius licentia vir ordinem sacrum suscipit, teneri perpetuam continétiam vouere: non tamen teneri religionem ingredi, si sibi non timeat de incontinentiæ periculo. Nauar. *cap. 22. num. 52. Sot. in 4. d.27. quæst.1. artic.4.* Henriq. *lib.11. de matrim. cap.5. nu.10.* Cord. *sum. qu.178.* Valent. *4. p. d.10. qu.5. p.3.* Lop. *p.2. c.94.* & Azor. *lib.13. cap.14. q.11.* 3

QVÆSTIO CXVIII.

An vir ad ordines promotus ex vxoris licentia manentis in sæculo cum voto castitatis, possit simul habitare cum vxore?

RESPONDEO non posse, vt expressè definitur *cap. Episcopus d.77* ibi *sequestrato mansionis cubiculo*. Vnde dicendum est, si illi coniuges sint iuuenes, ac de incontinentia suspecti, nulla ratione sunt permittédi simul habitare in eadem domo. Secus si suspecti non sint, tunc enim satis est cubiculum sequestrare, vt habetur *c. Omnino d.* ... 1

QVÆSTIO CXIX.

An vir sacris initiatus, sola vxoris licentia promotus, non seruata forma iure præscripta, possit ab ipsa reuocari?

1 SOTVS *in 4.dist.27.q.1.ar.4.* tenet hunc promotum posse reuocari.

At D.Tho. *in 4.d.37.q.1.ar.2.ad 2.* Sylu.*verbo matrimonium* 8.*q.*2.Maiolus *lib.1.de irregul.cap.*34.*n.*4 & Azor. *lib.*13.*cap.*14.*q.*1. negant posse hunc reuocari, quia vxor concedens licentiam censetur se voto castitatis ligare, ac proinde carere vsu coniugij, & per consequens carere quoque iure
2 reuocandi. Quam opinionem censeo esse verissimam, si vxor consensum præstans erat iuris conscia statuentis quid ipsa efficere debeat, vt vir sacris initietur. Secus si iuris ignara viro licentiam ordinandi concessit.

Quia si erat iuris ignara, non censetur votum castitatis emittere, nec ad illam se obligare: ac proinde poterit sic promotum reuocare, si vxor periculo incontinentiæ laborat. At quando vxor dicti iuris conscia fuit, eo ipso quòd licentiam concessit, censetur vouere castitatem.

QVÆSTIO CXX.

An vxor, quæ voto castitatis emisso concessit licentiam viro sacris initiandi, possit post eius mortem, validè aliud matrimonium inire?

1 SOTVS *lib.7.q.5.ar.3.* affirmat posse validè matrimonium contrahere, quamuis contrahendo peccet contra votum. Ratio est, quia cùm id votum simplex sit, non dirimit, sed impedit tantum matrimonium.

At pro certo tenendum est, non posse validè matrimonio copulari. Ita enim expressè definitur *in cap. Quia sunt d.*28. quod est Greg. Papæ 2
*lib.2.epist.59.& in cap.Si se d.*28.quod est ex Conc.Aurelian.& tradit Azor. *lib.*13. *cap.*14. *q.* 11. & in hoc omnes conueniunt, discrepant autem in huius ratione reddenda.

Palud.*in 4.d.38.q.2.ar.5.* putat legitimam causam, cur non possit validè aliud matrimonium contrahere, esse quia votum simplex vxoris efficitur solemne per actionum communicationem.

Alij vero rectiùs docent id prouenire non ex voto, quod cum sit sim- 3
plex, non dirimit, sed tantum impedit, sed ex Ecclesiæ constitutione. Ita Sanch. *lib.7.de matrim.disp.*40.*n.*7.

QVÆSTIO CXXI.

Quid exigatur, vt vir Episcopus efficiatur?

SOTVS *in 4.d.27.q.1 ar.4.* putat id 1
sufficere, ac necessarium esse, vt vir ad Episcopatum ascendat, quod sufficit, ac necessarium est, vt vir fiat religiosus; nimirum si vxor sit sexagenaria, vt voueat perpetuam continentiam, si autem iuuenis, vt ad religionem transeat.

At verissima sententia est, semper desiderari, vt vxor religionem profiteatur, quamuis sit ętate proucecta, nec suspecta de incontinentia, & hoc propter Ordinis Episcopalis excellentiam. Ita enim expressè definitur *in cap.Sanè de conuers. coniug.* ibi. *Prohibemus ne vxoratum præsumatis in Episcopum ordinare, nisi vxor prius professa* *centi*

2 *continentiam, sacrum sibi velamen imponat, & religiosam vestem, ac vitam assumat.* Atque ideò ita tenent Angel. *verb. matrimonium* 4.*n.*8.Rosell. *verb. impedimentum impedimento* 11. Sylu. *verb. matrimonium* 8.*q.*12. Armilla *ibi n.*11. Tabie. *verbo matrimonium* 1.*q.*3. Palac.*in* 4.*dist.*27.*d.*2.Couar.4.*decret.* 2.*p.c.*6.§.3.*n.*3.Pet.de Ledes. *de matrimon.q.*64.*ar.*4.Lop.*p.*2.*c.*49.& Maiolus *lib.*1. *de irreg.cap.*34.*n.*2. qui addit idem desiderari,vt vir fiat Cardinalis, quamuis Sanch. *lib.*7.*d.*41.*n.*2. existimet non plus desiderari,quàm necessarium esse diximus ad ordines assumendos.

QVÆSTIO CXXII.

An quando viri, aut vxores cum supradictis conditionibus religionem ingrediuntur post emissam solemnem professionem remaneant verè vxorati?

1 RESPONDEO manere. Ratio est, quia cùm matrimonium semel fuerit validum,postquàm fuit ratum, simul,& cõsummatum, & per solemne votum religionis non dissoluatur, verè remanent vxorati, & inter ipsos verè vinculum matrimonij durat, & solùm separantur quantum ad torum, cohabitationem, petitionem, & solutionem debiti propter emissam solemnem professionem.

QVÆSTIO CXXIII.

An vir post diuortium legitimè factum possit iure, absque vxoris licentia, sacris initiari?

1 RESPONDEO posse, si vxor fuit causa huius diuortij, quippe quæ adulterium publicè patrauit. Ratio est,quia vir potest iure religionem ingredi, & in ea profiteri vxore inuita: ergo potest ad sacros ordines promoueri.

Tum quia potest in sæculo manens debitum coniugale vxori perpetuò denegare: ergo potest sacros ordines suscipere: nec in eo casu vxor post eius obitum, cogitur à secundis nuptiis abstinere, quia nullum votum emisit.Ita Sylu. *verb. diuortium q.* 17. 2
Tab. *verb. matrimonium q.* 3. Armil. *verb.diuortium n.*11.& Azor. *lib.* 13.*c.* 14.*q.*13.

QVÆSTIO CXXIV.

An qui simplici voto tenetur sacros ordines suscipiendi, peccet mortaliter, matrimonium contrahendo?

RESPONDEO eum contra votum peccare. Ratio est, quia contrahendo, promissum præstare non potest.Ita Sot.*in* 4.*dist.*38.*q.*2.*ar.*2. 1

QVÆSTIO CXXV.

An post matrimonium contractum antequàm consummet teneatur hic religionem ingredi, vt suum votum adimpleat?

RESPONDEO eum ad id non teneri.Ratio est, quia non religionis, sed sacri ordinis suscipiendi votum emisit. 1.

QVÆSTIO CXXVI.

An qui sponsalia contraxit, iure possit religionem ingredi?

RESPONDEO posse. Ratio est,quia vt vniuersi fatentur, sponsalia 1

 etiam

etiam iureiurando roborata, per votum castitatis, aut vnius sponsi in religionis ingressum dissoluuntur, ita vt eo ipso alteri sponso liceat ad secundas nuptias transire. Sot. *in 4. dist. 27. q. 2. ar. 5.*

QVÆSTIO CXXVII.

An qui virginem sub promissione vera, vel ficta matrimonij deflorauit, possit ingredi religionem absque ipsius consensu?

1 RESPONDEO non posse, sed teneri stare promissis. Ratio est, quia ingressus religionis iam factus est ei illicitus; nõ enim potest intrare, nisi graue damnum irrogando puellæ.

Et confirmatur: puella bona fide ex parte sua compleuit contractum, cum damno suæ pudicitiæ: ergo alter tenetur complere ex parte sua. Neque puella tenetur admittere aliam compensationem. Tum quia pudicitia non est pecunia æstimabilis. Tum quia non tenetur subire infamiam amissæ virginitatis, vt ille votum suum impleat. Nau. *in cap. Cui portio 12. q. 1. n. 8. & lib. 4 consil. tit. de sponsal. cons. 21.*

2 Idem dicendum est de eo, qui post sponsalia contracta non deflorauit quidem puellam, sed magna familiaritate eius famam læsit, ita vt absque graui damno puellæ non possit recedere à contractu. Ratio est, quia non potest huiusmodi damnum aliter compensare. Ita Lop. *p. 1. c. 76.* & Corduba *lib. 1. sui quæstionarij, q. 13. d. 3.*

Idem iuris est de eo, qui puellam, vi, dolo, vel precibus valde importunis deflorauit, & vt huic iniuriæ satis-
3 faciat, liberè promisit ei coniugium, tunc enim tenetur eam ducere, nec potest, ipsa contradicente monastium institutum [illegible]

vota nostra non placent, quando iustitiæ legi aduersantur.

QVÆSTIO CXXVIII.

Quid, si puella sciuit eius votum, an tunc promittens teneatur eam ducere?

RESPONDEO non teneri. Ratio est, 1
quia tunc puella bona fide non contraxit, cum videret ipsum non posse matrimonium promittere. Nec in hoc casu tenetur aliter compensare damnum quia non fuit ab ipso decepta, sciuit enim ipsa promissum non posse ab ipso licitè impleri.

QVÆSTIO CXXIX.

An seruus perpetuus qui emi, & & vendi potest, possit religionem ingredi, domino suo inuito?

RESPONDEO non posse, vt habetur definitum *in cap. Si seruus. & cap. Si quis 17. q. 2.* Et ratio est, quia 1
seruus sui domini est, quo fit, vt ipse de se nullatenus possit disponere, neque ab aliis in religionem aliquam admitti sine voluntate, & consensu domini, aliàs enim ex vtraque parte esset furtum, vt de se patet, cùm sit contrectatio rei alienæ inuito domino. Quare etiamsi professionem fecisset, esset domino cum repetenti reddendus cum omnibus, quæ ad monasterium attulit, fide tamen accepta de eius impunitate, dummodo intra triennium repetatur, vt habetur *in dicto cap. Si quis incognitus 17. q. 2.*

Hinc, si seruus religionem aliquam ingrediatur, ibique profiteatur, & monasterium fuit in culpa, vtpote quia sciebat eum esse seruum, vel quia 2

regle

neglexit inquirere, cùm esset ignotus, remanebit in religione, sed monasterium satisfaciet domino pro damno secundùm boni viri æstimationem.

QVÆSTIO CXXX.

A quo die huiusmodi triennium sit computandum?

1 LEssivs *lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 3.* & Azor. *lib. 12. cap. 1. q. 3.* dicunt numerandum esse à die probationis inceptæ.

At probabilius est, computandum ab eo tempore, quo dominus conscius fuit admissionis serui in religionem, quòd ea præscriptio sit ob negligentiam domini non reuocantis
2 toto eo temporis spatio. At ignoranti negligentia imputari nequit. Et ideò ita tenent D. Anton. *3. p. tit. 16. c. 3. §. 4.* Rosell. *verb. religio 2. n. 1.* Syluest. *verb. religio 2. q. 3.* & Sanch. *lib. 5. cap. 4. n. 46.*

QVÆSTIO CXXXI.

An talis professio serui sit valida?

1 ET quidem quando profitetur elapso triennio computato à tempore scientiæ domini non reclamantis cùm possit, certum est professionem esse validam.

Sed tota difficultas est, quando intra id triennium profitetur, casu quo à domino reuocari potest.

Angel. *verb. religiosus n. 5.* Syluest. *verb. religio 2. q. 3.* Tab. *verb. religio q.*
2 10. D. Anton. *3. p. t. 16. c. 3. §. 4.* & Rosell. *verb. religio 2. n. 3.* docét eam professionem esse validam. Ex quo inferunt hunc à domino reuocatum, non posse ad nuptias transire; immò teneri postea effectum sui iuris redire ad monasteriũ, cùm reuera sit religiosus.

Cæterùm verissima sententia est, talem serui professionem esse irritam. Ratio est, quia cùm seruus sui iuris non sit, sed quidquid est, domini sit, non potest eo inuito omnino se religioni tradere sub obedientia Prælati, & si se tradit, traditio est nulla. At traditio illa ad professionis substantiam requiritur. Et ideò ita tenent Azor. *lib. 12. c. 1. q. 3.* & Sanch. *lib. 5. c. 4. n. 49.* 3

QVÆSTIO CXXXII.

An si huiusmodi seruus religionem professus, domino repetenti restituatur, teneatur in sæculo manens seruare castitatem?

RESPONDEO teneri. Ratio est, quia licèt nulla fuerit professio, validum tamen fuit castitatis votum, quo Deo se adstrinxit: ad hoc enim potuit sese simpliciter Deo obligare, domino inuito, non autem ad reliqua, quia professio quoad illa fuit irrita. Quod existimo verum, quando intendit se ad illud absolutè, & independenter à statu religionis obligare. 1

QVÆSTIO CXXXIII.

An ad ratiocinia obligatus possit religionem intrare?

IN hac quæstione duæ extant Doctorum opiniones. Prima dicit quod si ratiocinia sunt Reipublicæ, non potest qui ad illa est obligatus ad religionem transire, nisi prius rationem reddat iuxta textum *in cap. Legem dist. 53. & cap. vnico de obligat. ad ratiocinia.* Si verò ratiocinia sunt 1 priuatorum, quamuis sit honestum, vt prius se expediat, non est tamen hoc

hoc necessarium, immò potest religionem ingredi, & postea rationem reddere. Ita Sylvest. *verb. religio 2. q. 6.* Rosel. *verb. religio 2. nu.* 4. Angel. *verb. religiosus nu.* 10. Armil. *verb. religio n.* 5. & Tab. *ibid. qu.* 11. *nu.* 12.

2 Secunda verò opinio ait, in vniuersum ratiociniis obnoxium siue ratiocinia sint publica, siue priuata, non posse religionem ingredi. Et hæc opinio mihi videtur certa post constitutionem Sixti V. vbi dicitur, quod ratiociniis obligatus, & qui ita ipsis reddendis est obnoxius, vt ex huiusmodi causa, lis vel molestia monasterio timeatur, nullatenus potest ad religionem transire, neque in ipsa profiteri: & si contrarium fiat, professio erit nulla. Estque hoc quàm maximè rationi cogruum, cum & ipse in iure ordinari prohibeatur: vt habetur *in c. 1. de obligatis ad ratiocinia.* Et ideò ita tenet Roder. 2. *p. sum. c. 3. nu.* 8. *& t. 3. qq. regul. qu.* 10. *art.* 11.

QVÆSTIO CXXXIV.

An ære alieno grauatus, possit ad religionem transire?

1 IN hac graui, & perdifficili quæstione, duæ extant opiniones. Prima docet posse, si præsentibus suis bonis cedat, Quia persona liberi hominis secundum iura ciuilia non est creditori pro pecunia obligata, sed eius bona. Ita Palud. *in 4. d.* 38. Angel. *verb. religio.* §. 67. Sylvest. *verb. religio.* 2. *qu.* 4. Hoc idem sentiunt Rosell. *verb. religio 2. numero* 5. Armil. *verb. religio numero* 5. qui addunt monasterium creditori satisfacere debere ex his quæ religiosus secum detulit, aut ex his quæ post eius ingressum acquisiuit successione, donatione, vel testamento, quantum talia se extendunt, & non plus. Quam opinionem dicit Raymundus, esse veram etiamsi promissione, vel iuramento ad soluenda debita fuerit obligatus, modo id faciat feruore charitatis.

Secunda verò opinio negat talem debitis grauatum posse ad religionem transire, etiamsi suis cedat. Et probat quia religionis status cum iure naturali pugnare non debet: at iure naturali debitor est creditori obstrictus: ergo id violare non potest vt religionem ingrediatur; non enim sunt facienda mala, vt inde eueniant bona, vt dicit D. Paul. *Ad Rom.* 3. 2

Tum quia non licet præceptum omittere propter opus consilij; sed religionem suscipere est opus consilij, alienum autem restituere est præceptum: ergo nefas est alienum retinere, vt religionem profiteatur. Ita Ioan. Medina *C. de restit. qu.* 3. *causa* 8. *Nauar. Comm.* 1. *de regul. num.* 8. & Corduba *super cap.* 2. *Regul. S. Fran. qu.* 5. Pro quo

Primò dico, quod attēto iure antiquo professio ęre alieno grauati est valida, etsi profitēdo reddatur impotens ad soluendum, cùm tamen in sæculo esset soluēdo. Ratio est, quia persona debitoris nō est creditoris serua, nec ei debita, quamuis obligata sit ad illi satisfaciendum: ergo tenet eius professio, Ita Ioan. Med. *C. de restit. quæst.* 3. *causa* 8. & Petr. Nauar. *lib.* 4. *de restit. num.* 77. 3

Secundò dico, quod si debitor cùm habeat bona, vnde soluat, ante ingressum religionis suis creditoribus non soluit, nec curat vt tempore statuto illis satisfiat, peccat mortaliter. Ratio est, quia cùm soluendo sit, tenetur lege iustitiæ id ita curare, vt religionis ingressus in creditorum præiudicium minimè cedat: & si recipiatur, receptio, & professio erit omninò nulla vt Sixtus V. anno 1587. *in sua extrauag.* de si

definiuit, quam postea anno 1602. moderatus est Clemens VIII. quo ad hoc solùm, vt professio illorũ valeret.

4 Tertiò dico, quod quando debita illa sunt incerta, vaga, & indeterminata, quia eorum dominus, cui facienda est restitutio est incertus, non impediunt debitorem ab ingressu religionis, etsi soluendo non sit, cùm tamen in sæculo manens posset soluere. Quia nil ità pium est, ac se & sua religioni dedicare. Et habetur expresse ex illis verbis extrauag. *Quorum dominus facta diligenti inquisitione potest sciri.*

5 Quartò dico quod si onustus debitis non sit soluendo, nec vllam spem habet acquirendi in sæculo bona, quibus soluat potest etiam nunc post dictam cõstitutionem Sixti religionem ingredi. Quia cum extra religionem manens neque in toto neque in parte sit creditoribus satisfacturus, frustra in sæculo occasione debita soluendi maneret. Nec in hoc casu monasterium ad aliquid teneretur, nisi quatenus ex ingressu factum esset locupletius. Ita D.Tho.2.2.*qu.vlt.art.6.ad* 3. Sot. *lib.4. quæst.7. artic. vlt.tom.1.qq. regul.qu.*10.*art.*9. & Nauar. *Comm.*1. *de regul.nu.*8. qui addit idem esse dicendum, quando constaret fore vt in religione manens æquè, aut melius lucraretur bona, quibus creditoribus satisfaceret. Et hæc certa sunt.

QVÆSTIO CXXXV.

Sed dubium est, quando debita sunt certa, & nunc debitor non est soluendo, at probabilem spem habet manens in sæculo satisfaciendi, quia nimirum pollet viribus, industria, vel aliquo munere, quo potest honestè lucrari ea quæ debet: An videl. possit religionem ingredi: an verò teneatur ingressum differre donec soluat?

Et quidem certum est, posse eum religionem ingredi de consensu creditorum. Quia scienti, & volenti non fit iniuria. 1

QVÆSTIO CXXXVI.

Sed quod in dubium vertitur est, An possit eis inuitis religionem ingredi?

Medina *C.de restitut.quæst.3.causa octaua*, Valent.2.2.*d.*5.*qu.*6.*p.*7. & Angles *de voto* negant hunc posse ad religionem transire. Quia æquitas non patitur, vt cum damno creditorum ingrediatur, si illud in sæculo manens potest impedire. 1

Alij verò affirmant hunc posse statim religionem ingredi cedendo omnibus bonis suis in creditorum fauorem. Ratio est, quia liberi hominis persona non est creditoribus obstricta, sed eius bona: ergo illis cedendo satisfacit. Et ideò ita tenent D.Tho.2.2.*qu. vlt.ar.*6 & ibi Caiet. D.Ant.2.*p.tit.*11. *c.*2.§.1. Rosell.*verbo religio* 2.*n.*5. Angel *verb.religiosus nume.*6. Tab.*verb. religio q.*11.*n.*12.& *ibi* Armil.*n.*5. Sylu. *verb.relig.*2.*q.*4. & plerique alij. Hanc opinionem dicunt D.Ant. Ang. Sylu. & Tab. *vbi supra*, procedere, etiamsi iuramentum soluendi creditoribus adesset. Id enim intelligendum est, nisi is voluerit ad religionem migrare. 2

Et hæc secunda opinio mihi magis placet, quando debitor manens in sæculo non posset intra breue tempus nimirum biennium acquirere bona, quibus soluat. Nam si arte, & ingenio polleat, quibus breui temporis spatio in sæculo comparare possit bona ad soluendum, non est integrum 3

religionem ingredi. Quod si diu,non teneretur eo tempore expectare, sed posset statim ad religionem euolare. Nauar.*com.*1.*de regul.num.*8.Azor.*lib.* 11.*cap.*1.*qu.*5.Petr. Toletan.*de restitut. lib.*4. *num.*78. & 79. & Less. *lib.*2.*de iust.cap.*41.*dub.*3.

QVÆSTIO CXXXVII.

Sed grauius dubium est, quando are alieno granatus est voto religionis adstrictus, & tempus adimplendi votum instat.

1 SVPPLEM. Gabr.*in* 4.*dist.*38.*qu.*1.*art.* 5. censet hunc non posse religionem ingredi donec soluat.

2 At D.Thom.*in* 4.*d.st.*38.*q.*1.*art.*3. *quest.*1.*ad* 7. sentit integrum esse huic religionem ingredi,non solutis debitis. Et hæc posterior sententia mihi placet in casu,quo diximus supra, fas esse huic ad religiosorum statum transire non solutis debitis.Nam quando debitor spem probabilem habet satisfaciendi intra breue tempus non obstat votum religionis superueniens ei obligationi, ne expectare teneatur; non enim potuit voto ad id se obligare,cum creditorum damno,ne votum sit iniustitiæ vinculum. Quod si id votum religionis antecesserat debita, puto idem esse dicendum, quia superuenit notabilis mutatio obligationis iustitiæ soluendi debita creditoribus,quæ iustam differendi ingressus causam præbet.

3 Est autem hoc loco obseruandum, quod prædicta constitutio non habet locum primò in Monialibus, vt ipsemet Sixtus V. *in alia extrauaganti* declarauit. Vnde si mulier ratiociniis obligata,vel debitis onusta,ad religionem transiret,in pœnas prædictæ constitutionis non incurreret.

Secundò,non habet locum, quando debita non sunt magni momenti; vt constat ex illis verbis prædictæ cōstitutionis.*Ingenti are alieno grauati.*

Tertiò,quādo,etsi debita sint egregia, tamen debitorum facultates soluendo non sufficiunt,vt patet ex illis verbis. *Supra vires facultatum suarum.*

Quartò non habet locum,quando debita sunt incerta, ac proinde pauperibus restituēda.Quod patet ex illis verbis constitutionis *Quorum dominus facta diligenti inquisitione potest sciri.*

Quintò,non habet locum,quando ære alieno grauati sine graui sua culpa impotentiam hanc restituendi contraxerunt, vt constat ex illis verbis. *Multi decoctores post dilapidatam rem familiarem,& contractam ingentem vim æris alieni.* 4

Sextò,non habet locum in his,qui culpa sua eam ingentem æris alieni vim contraxerunt supra vires suarum facultatum,si omnibus bonis suis cedant, & omnia bona sua creditoribus relinquant, & nulla sit spes, quod in sæculo manentes possint aliquid lucrari vnde soluant. Quia Sixtus in ea constitutione loquitur de his qui ad religionem migrant, vt liberentur eo soluendi onere in creditorum præiudicium.

Septimò non comprehenduntur debitores,quando creditores consentiunt Quia tunc perinde est,ac si debitis solutis ad religionem transirent. 5

Octauò non clauduntur debitores quando monasterium,aut quiuis alius eorum debita solueret.Quia facta solutione, non dicuntur amplius ære alieno grauati.

Nonò,& vltimò,non habet locum quando debita magnæ quantitatis ex sola liberali promissione oriuntur, quamuis debitor sua culpa soluendo non sit.Quia hæ promissiones liberales ingressum religionis non impediunt, 6

diunt, nec is dicitur propriè ære alieno grauatus.

QVÆST. CXXXVIII.

An Equites S. Ioannis, S. Iacobi, S. Lazari & similium in ea constitutione comprehendantur?

1 ET quidem si loquamur de clericis religiosis ordinum militarium, qui intra claustra monasterij vitam communem sub obedientia superiorum degunt certum est, eos sub illa constitutione comprehendi, quia hi verè, & propriè religiosi sunt, & in communi viuunt, nihil habentes de proprio, instar aliorum religiosorum, prout etiam cócedit Sot. *lib. 7. q. 5. a. 3.*

QVÆST: CXXXIX.

Sed dubium est de militibus, & Equitibus prædictorum ordinum qui instar aliorum sæcularium in sæculo viuunt.

1 RESPONDEO eos non comprehendi. Et ratio est, quia etsi hi verè, & propriè sint religiosi, ex priuilegio, & concessione Romanorum Pontificum habent vt in odiosis non veniant sub nomine religiosorum.

2 Tum quia hi retinent sua bona, & in sæculo viuunt, & acquirunt bona. Vnde per religionis ingressum non efficiuntur impotentiores ad soluendum. Ita Nauarrus *lib. 3. cons. tit. de regular. cons. 12.* & Azor. *lib. 12. cap. 3. questio 8.*

QVÆSTIO CXL.

An debitor ad religionem admissus, laborare teneatur, vt creditori satisfaciat?

MAIOR *in 4. dist. 38. qu. 17.* Medina *C. de restit. q. 3. causa octaua.* Nauar. *Comment. 1. de regul. num. 8.* & Angles *de restitutione*, volunt eum intra monasterium teneri salua regulæ obseruantia, & dummodo id religiosorum statum non dedeceat. 1

Addit Medina, hoc debere fieri de Prælati licentia illúmque teneri eam petitam concedere: & si non posset in religione bona acquirere, nisi dimittendo habitum teneri ad id, & Prælatum quoque obligari ad eam licentiam concedendam: at si Prælatus iniustè eam licentiam deneget, excusatur religiosus.

Sed Angles ait, etiam Prælato nolente, teneri eum dimittere habitum.

At Nauarrus ait, Prælatum debere hanc licentiam concedere etiam multis horis ad diuina, vel ad Monasterij officia deputatis.

Alij verò vt Palud. *in 4. dist. 38. qu. 3. ad 2. nu. 15.* D. Anton. *2 p. tit. 11. cap. 2. §. 1.* Rosell. verb *religio 2. nu. 5. & verbo restitutio 16. num. 1.* Angel. *verb. religiosus nu. 7.* Sylu. *verb. religio 1. quæst. 4.* Tab. *verb. religio qu. 11. nu. 12.* Arag. *2. 2. qu. 62. art. 8.* & multi alij docent non teneri. Ratio est, quia cùm religionem professus cesserit suis bonis, restituendi præcepto, ac lege solutus est, vtpote qui incapax est aliquid proprium acquirendi, & religionis obsequio, cui se per professionem tradidit, magis tenetur. 2

Et hæc posterior sententia plus mihi placet: Quia extraordinarium medium est, & difficile cogi in religione manibus laborare, vt acquirat bona, quibus debita soluat. Et esto hic ingrediendo peccauerit, modo professus effectus, iam impotens est ad soluendum. Si tamen superior concederet licentiam religioso, vt extra monasterium, retento tamen habitu, vel Pontifex eo dimisso, opera 3

operaretur, adhuc censeo non teneri religiosum manibus laborare vt creditoribus satisfaciat, vt rectè Sanch. *lib. 4. decalogi cap. 19. n. 17.* annotauit.

QVÆSTIO CXLI.

An qui promisit se aliquid alicui sine iuramento, vel cum illo in eius vtilitatem facturum, possit eo non impleto religionem ingredi?

1 ABBAS *cap. Peruenit n. 2. de iureiur.* & ibi Alexan. *de Neuo n. 8.* negant.

Sed verius, ac probabilius multò est, quod docent Sylu. *verb. religio 2. q. 4.* Med. *C. de restit. q. 3. causa octaua,* & Azor. *lib. 11. c. 5. q. 4. & lib. 12. c. 1. q. 4.* nimirum posse, non impleta ea pro-
2 missione ad religionem transire. Huius rationem reddunt nonnulli, quia iuramentum non infringit, qui in melius illud commutat. *cap. Peruenit de iureiur.* Sed hæc ratio non valet, quia hoc in solo iuramento soli Deo præstito locum habet; nam iuramentum homini factum in eius vtilitatem nequit eo inuito in melius commutari.

Sed legitima ratio est, quia hæ liberales promissiones ita videntur intelligendæ: *Nisi velis ad religionem transire.* Si tamen hic tempore probationis è monasterio exeat, tenebitur promissis præstare, quod non sit conditio adimpleta, non enim ad religionem transiit cum effectu. Secus si post professionem expelleretur, quia tunc cum effectu transierat, ac proinde prorsus extincta erat obligatio.

Hinc, non est audiendus Nauar. *comment. 1. de Regul. n. 42.* qui ait hunc teneri promissum adimplere in religione, nisi sit actus incompatibilis cum religione. Quia si ei obligationi inest tacita conditio: *Nisi promittens religionem elegerit,* posito transitu, omninò extinguetur obligatio.

QVÆSTIO CXLII.

An filij possint ingredi religionem, si habent parentes in sæculo graui egestate oppressos?

ET quidem si necessitas illa parentũ sit extrema, vel extremę ęquiualeat, certum est, non posse filium prætermisso parentum obsequio ad religionem transire. Quia etiam ad subueniendum extraneo in hac necessitate constituto teneretur quilibet non obstante voto, non ingredi religionem, vt rectè docet D. Tho. *2. 2. q. 101. ar. 4.* 1

Secundò certum est, posse filium ingredi religionem, si egestas illa parentum sit parua, vt docet idem D. Th. *2. 2. q. 189. ar. 6.*

Tertiò, illud etiam certum est, quod si de facto filius ingrediatur religionem, & in ea profiteatur relictis parentibus in maxima, & extrema necessitate, licèt peccet mortaliter profitendo, professio tamen est valida, cùm nullum sit ius irritans ipsam professionem. Ita Nauar. *lib. 3. conf. tit. de regul. conf. 12.* & Roder. *2. p. sum. cap. n. 4. & tom. 3. qq. regul. q. 13. ar. 5.* 2

QVÆSTIO CXLIII.

Sed dubium est, quando necessitas est vrgens, non solùm personæ, sed etiam decentiæ status, putà quia oporteret parentes mendicare, vel seruire aliis cum notabili

bili indecentia status, aut conditionis suæ.

1 ALEXANDER Alensis 3.*p.q.*33.*in* 4.*ar.*2.& Abulen.*cap.*8.*Matth.* affirmant, posse. Quia *Matth.* 10. *&* *Luc.*14. dicitur non posse esse Christi discipulum, qui amore ipsius parentes non odit. & *Matth.* 8. *& Luc.* 9. adolescenti patrem sepelire volenti dixit Christus, vt patre deserto, ipsum sequeretur.

At verissima sententia est, non posse filios ob religionis ingressum deserere parentes in graui necessitate constitutos, quando ipsi nequeunt illis, nisi manendo in sæculo prouidere, nec eis aliter commodè, quàm per filiorum obsequium subueniri potest.

2 Ratio est, quia filij iure naturæ tenentur necessaria vitæ alimenta parentibus suppeditare: quod cum sit opus præcepti, regulariter propter nulla opera consilij etiam religionis est prætermittendum: nec sunt facienda mala, vt inde veniant bona, vt docet D.Paulus *ad Rom.* 3. Vnde *Matth.* 5. grauiter Pharisæi reprehenduntur à Christo, quod suaderent eroganda parentibus necessitate pressis, conuerti ad diuinum cultum. At eadem malitia est, si filiorum seruitium iure naturæ parentibus debitum, eo indigentibus, religioni impendatur. & *in Conc. Gangrensi relato cap.*1.*d* 30. approbato à Leone IV. *cap.* 1. *de libellis d.* 20. filij anathematizantur, qui ob ingressum religionis deserunt parentes in necessitate constitutos. Vnde talis ingressus esset mortalis, quia est transgressio præcepti grauissimi. Vnde Arist.8.*Eth.cap. vlt.* ait: *Diis, parentibus, & magistris æquiualens reddi non potest:* idque adeò vt honestius sit, si filius subueniat parentibus, quàm sibiipsi vt idem Arist. 9. *Eth.c.* 2.testatur: quin, & si extrema pressi sint necessitate pater, & filius, tenetur potius subuenire patri, quàm sibi vt rectè D.Tho. 2.2.*q.*26.*ar.*9.*ad* 3. annotauit. Atque ita tenent idem D.Th. 2.2 *q.vlt.ar.*6.*&* *q.* 101.*ar.*4. *ad* 4. & ibi Caiet. Nauar.*c.*14.*n.*14. Sylu.*verb. religio* 2.*q.*7. Tolet. *lib.*5.*cap.*1.*num.*5. Cord.*sum.q.*141.*ar.*1. Roder.2.*p.sum. c.*6.*num.* 4. *& tom.* 3.*qq.reg.q.*13.*ar.*5. Azor. *lib* 12.*c.*1.*q.* 8.& alij.

Quæ sententia procedit primò etiamsi tempore probationis ea magna parentum necessitas superueniat: teneretur enim filius egredi. Quia cum perseuerantia sit opus consilij, & subuentio parentum ita egenorum de præcepto, id non est omittendum propter consilium ingrediendi religionem. 3

Secundò procedit, etiam si filius voto, aut iuramento se obligasset ad ingressum religionis. Quia si vouit existente ea necessitate parentum, tale votum fuit illicitum, & nullum, & per consequens non debet in tali casu adimpleri: si autem vouit ante prædictam parentum egestatem, eadem etiam existente, iam illius redditio, seu adimpletio est omnino illicita, nec fieri debet, quousque ea parentum necessitas cesset. Nec obstant testimonia in contrarium adducta, quia intelliguntur, quando parentes obsequio filiorum non indigent multum.

Dixi consultò *(regulariter)* quia in duobus casibus relicta parentum necessitate integrum est filio religionem ingredi. Primo quādo filius non potest absque graui dispendio suæ salutis remanere in sæculo. Quia tunc non tenetur causa subueniendi parentibus se tali discrimini exponere; sed statim intrare potest religionem, quia ordo charitatis petit, vt filius salutem propriam spiritualem temporali parentum bono præferat. Immò, 4

& ad id tenetur s. saluti animæ suæ potiùs prouidere, quia secundum Ambros. *super Lucam. Necessitudini generis, pietas religionis antefertur.*

Secundò, quando parentes ipsi ita filium ad peccandum excitarent, vt verisimiliter filij lapsus in peccatum timeatur: vt rectè docet D. Tho. 2. 2. *q.*101. *ar.*4. Vnde Hieron. *in epist.* 1. *ad*
5 *Heliodorum*, inquit: *Per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, ad vexillum crucis euola: Nam summum genus pietatis est, in hac re, esse crudelem.* Si autem sit dubium, an hoc periculum sit tale, vt eius ingressus sit præcepto subuentionis parentum anteponendus, obligabit præceptum subueniendi parentibus. Quia cum excusatio sit dubia, in eo casu præceptum subueniendi parentibus possidet. Si verò sint rationes vtriusque probabiles, poterit filius vtramuis partem etiam minus probabilem sequi.

QVÆSTIO CXLIV.

An illa parentum necessitas debeat esse actualis?

1 Sanch. *lib.*4. *decalogi cap.*20. putat sufficere, si eorum necessitas probabiliter timeatur futura.

At Roder. *p.*2. *c.*6. *n.*4. censet eam debere esse actualem, quando filius ingredi vult religionem. Secus quando ea parentum necessitas solùm timetur probabiliter futura, quia tunc
2 potest bene ingredi. Quia non est curæ filiorum prouidere necessitatibus futuris parentum: vt rectè docet D. Thom. 2. 2. *q.* 101. *ar.* 2. *ad* 2. allegans D. Paulum in suum fauorem.

QVÆSTIO CXLV.

An si de facto filius parentibus in graui necessitate constitutis religionem ingrediatur, & profiteatur, talis professio valeat?

Respondeo valere, quamuis profitens peccet mortaliter. Ratio est, 1
quia secundùm iura antiqua professio facta ab eo qui est ingenti ære alieno grauatus, vel ratiociniis obligatus, tenet iuxta *cap.* 2. *de obligat. ad ratiocinia*, quamuis profitendo peccet: ergo etiam in nostro casu.

Tum quia nullo iure redditur irrita. Et ideò ita tenet Nauar. *lib.* 3. *consf. tit. de regul. consf.* 12. & Roder. *p.* 2. *sum. c.*6. *n.*4. Dices: *ex motu proprio Sixti V.* professio illorum qui obnoxij debitis super vires facultatum suarum professi sunt, est irrita: ergo, & in casu nostro, quo filius tenetur necessaria vitæ alimenta parentibus subministrare.

Respondeo licèt filius debitor 2
quodammodo sit, & parentes necessitate pressos sustentare teneatur; non tamen hoc est ex debitis intentis à Sixto V. vt constat *ex ipsius motu proprio*, vbi expresè loquitur de debitis ciuilibus, & de grauatis ære alieno, propter retentionem bonorum alicuius supra vires, & facultates suas; non autem de debito naturali filiorum erga parentes, & è contra.

QVÆSTIO CXLVI.

An filius professus teneatur è monasterio egredi, vt parentum necessitati subueniat, si in monasterio manens eorum indigentiæ commodè subuenire non potest?

Et

1 ET quidem certum est teneri eum egredi, etiam inuito superiore, si necessitas illa sit extrema. Ratio est, quia religiosus tenetur exire monasterium etiam contradicente Prælato, si possit subuenire etiam extraneo periclitanti in aquis, vel in igne; ergo à fortiori tenebitur succurrere parentibus fame periclitantibus, quia hoc ius naturale de succurrendo extremæ necessitati cuiusque, præualet voto obedientiæ. Sicut & possum rapere alienum pro succurrendo extremæ meæ, vel alterius necessitati, dum aliàs non patet remedium: vt rectè docet Illustriss. Caiet. 2.2.q.101.ar.4. Nauar. *cap.*14.*n.*14. Cord. *in sum.q.*141. Roder. 2 *p sum.c.*6.*n.*4. & Lop. *p.*1 *c.*54. Sed quæres.

QVÆSTIO CXLVII.

An in hoc casu possit is professus dimittere habitum?

1 BARTH. Med. *lib.* 1. *c.sum.c.*14.§. 14. & Angles *in materia de voto* negant posse hunc causa subueniendi parentibus in tali necessitate habitum dimittere.

Cæterùm absque dubio dicendum est, teneri hunc habitum dimit-
2 tere, si id opus sit. Quia præponderat ea necessitas, & ideò ita tenent Cord. *sum.q.*141. & Nau. *lib.*3.*consi.tit.de regul. cons.*30.*n. vnico.* communiter recepti.

QVÆSTIO CXLVIII.

Totum igitur controuersiæ dissidium consistit, quando necessitas est grauis.

1 PALAC. *in* 4.*d.*38.*d.*1. & Cord. *in Reg.S.Franc.c.*2.*q.*6.*ar.*1. absolutè dicunt, teneri hunc professum egredi inuito Prælato.

Nauar. *cap.*14.*n.*14. Tolet. *lib.*5. *c.*1.*n.*6. Lop. *p.*1.*c.*54. Roder. 2.*p.c.*6. *n.*4 & Med. *lib* 1.*c.*14.§.14. docent religiosum debere exire monasterium, si parentes antequam ipse emisit professionem supradictam necessitatem patiebantur, si in monasterio manens eorum inopiæ commodè subuenire non potest. Quia stante tali necessita- 2
te, ingredi non poterat: ergo ingressus tenetur egredi, quia cum eo onere in Prælati potestatem transiit. Professio tamen non est irrita, sed suspenditur executio, donec parentes habeant vnde viuere possint. Secus si superuenerit post professionem.

Alij verò rectiùs docent, nunquam 3
teneri professum è monasterio egredi ad subueniendum graui parentum indigentiæ, quamuis ea necessitas professionem præcesserit: nec verò potest absque legitima superioris licentia. Ratio est, quia iam mutauit statum, nec subest amplius patriæ potestati, sed Prælato: vnde illi obligationi subueniendi non tenetur satisfacere, nisi quantum potest, saluo statu. Sicut si esset vxoratus, non teneretur deserere vxorem ad subueniendum parentibus iuxta illud Gen. 5. *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Vel si esset clericus in sacris, non teneretur fieri miles, quamuis eo solo modo parentibus subuenire valeat, eò quòd status id non patiatur: ergo nec professus tenebitur monasterium dimittere, aut facere contra Regulam vt parentum inopiæ subueniat, id enim statui professi aduersatur.

Tum quia per professionem traditur religiosus Prælato, in eiúsque potestatem transit; ita vt mortuus mundo censeatur. At res vni tradita, 4
non potest auferri, vt parentibus subue

subueniatur, quando eorum inopia non est extrema. Vt si promisi quinquaginta alicui Ecclesiæ, possum ea dare graui parentum inopiæ, si non possum aliter eis subuenire: at si de facto Ecclesiæ ea tradidi, non possum deinde ea ab illa auferre, vt parentibus succurram.

5 Tum demum, quia religiosus iam mundo est mortuus, & Christo consepultus: vnde parentes debent eum veluti mortuum existimare, ac si non esset ac proinde non debet occasione sustentationis parentum exire claustrum in quo Christo consepelitur, & se iterum sæcularibus negotiis implicare: tenetur tamen saluis sui Prælati obedientia, & suæ religionis statu, pium studium adhibere, qualiter eius parentibus subueniatur. Et ideò ita tenent D. Tho. *quodlib. 3. artic. 16. &* *2. 2. quæst. 101. art. 4.* & ibi Caiet. Alex. Alens. *3. par. quæst. 33. in 4. artic. 1.* D. Anton. *3. part. 16. cap. 2. §. 1.* Rosell. *verbo religio. 2. num. 7.* Armil. *verb. pietas num. vnico*, & ibi Tabien. *fine.* Cord. *summ. quæstio 141. articulo 2.* Roder *tom. 2. qq. regul. quæstio 57.* Angles *de voto* & Emm. Sà *verb. religio*

6 *num. 2.*

Dixi consultò, *non teneri egredi*, quia etsi non teneatur, potest tamen cum his conditionibus exire. Primò cum licentia sui Prælati. Secundò, quando in religione non possit eis subuenire, vel concionando, vel legendo, vel confessiones audiendo, vel artem aliquam in cella faciendo, vel ab amicis suis, vel religionis eleemosynam pro ipsis petendo.

QVÆSTIO CXLIX.

Quisnam possit hanc licentiam indulgere religioso, vt dimisso habitu extra monasterium sit, ad subueniendum parentibus?

RESPONDEO solum Papam posse hanc licentiam concedere: vt apertè colligitur *ex cap. 2. Ne clerici, vel monachi lib. 6. & ex cap. Sanctimonialis d. 23. & ex cap. Clerici 2. de vita, & honestate clericorum.* vbi habetur, religiosum etiam ad dignitatem Episcopalem euectum debere gestare suæ religionis habitum. In Conc. etiam Trident. *sess. 25. de regul. c. 19.* habetur, quod non detur licentia cuiquam regulari dimittendi, seu occultè deferendi sui ordinis habitum. Verum in hoc casu professus extra claustrum existens tenebitur seruare omnia essentialia suæ religionis, & omnia illa quæ non impediunt sustentationem; & quæ si esset in claustro teneretur obseruare: at cessante necessitate parentum tenebitur ad monasterium redire, aliter non maneret tutus in conscientia. Ita tenet Nauar. *super cap. Nullum num. 48.* & Roder. *2. p. sum. cap. 6. num. 4.* 1

QVÆSTIO CL.

An teneatur Superior in hoc casu eam licentiam concedere religioso, vt habitu retento extra monasterium sit, ad subueniendum parentibus?

DOCTOR Nauarrus *com. 3. de regular. nu. 49.* putat teneri, quando necessitas præcessit professionem. 1

Sed omninò dicendum est, eum ad id non teneri. Quia tantùm tenetur religiosus in monasterio existens, modis suo statui decentibus parentibus subuenire.

QVÆ-

QVÆSTIO CLI.

An teneatur filius professus intra monasterium parentibus subuenire?

1 RESPONDEO teneri. Ratio est, quia cùm filius post professionem maneat verè filius, perseuerat in eo pietatis erga parentes obligatio, quam status religiosus non impedit, sed perficit: ergo salua sui status decentia, tenetur pro viribus in religione niti, vt per se, vel per alium suis parentibus subueniatur. Ita D.Thom. *quodlib.3.artic.16. & 2.2. quæst.* 101. *artic.4.ad* 4. & Caietan. *ibidem.* At si Prælatus nollet licentiam concedere, vt religiosus modis suum statum, & professionem decentibus parentum inopiæ subueniat, posset hic occultè, & absque ea, id efficere, quamuis Prælatus repugnet, idque sub pœna excommunicationis interdicat.

Quia in tali casu iniquè agit Prælatus licentiam denegans: & cùm talis licentia sit debita, poterit religiosus ea non obtenta, ea omnia facere, quæ posset ex Prælati licentia facere. Ac proinde poterit ex necessariis suo victui taxatis, & quæ ipse consumpturus erat aliquid sibi subtrahere, vt parentibus succurrat. Posset etiam tempore quo in rebus religionis non occupatur aliquod artificium religiosis honestum exercere, quo parentibus subueniat.

2 Quia hæc omnia posset ex licentia Prælati facere. Immò arbitror teneri hunc professum his modis subuenire parentibus, si commodè, & absque periculo possit, dummodo non faciat quid contra regulam, aut contra decentiam sui status religionis. Credo tamen eum teneri prius petere licentiam, nisi pro comperto habeat, fore sibi denegandam. Ita Cord.*summ.quæstion.*141.& Lop.*p.*1. *cap.*54.

In dubio autem, an Prælatus iniquè eam licentiam deneget, videtur non posse subditum ea vti. Quia ius superioris in subditi voluntatem possidet. 3

Sed verius est posse. Quia etsi in dubio potius sit superioris ius, sitque illi obedientia præstanda. Hoc tamen fallit, quando id vergit in graue præiudicium tertij, sicut contingit in casu nostro, cùm ea licentia denegata redundet in graue parentum damnum. 4

QVÆSTIO CLII.

An si filius ex ingressu religionis efficiatur impotens ad subueniendum parentibus, teneatur monasterium alimenta eius parentibus subministrare?

ANGELVS *verb.religiosus nu.* 31. & Syluest.*verb.religio 6.quæst.9.* affirmant. Quia monasterium in hoc casu recipiendo filium, iniuriam parentibus intulit: ergo tenetur illam resarcire, eos alendo. 1

At contrarium reputo verius. Quia cùm filius non ex iustitiæ, sed ex solius pietatis lege teneatur parentibus alimenta præbere, monasterium admittens filium hunc ad religionem, non peccat contra iustitiam commutatiuam, quæ sola restituendi obligationem inducit. 2

Posset tamen opinio Angeli recipi, in casu, quo monasterium in bona ingredientis succederet, tunc enim vt hæres, teneretur ad ingressi debita antea contracta, ac proinde eius parentes alere. 3

QVÆSTIO CLIII.

An si voto simplici castitatis, vel religionis ligatus, non possit parentibus subuenire, nisi vxorem ducat, teneatur eam ducere?

1 RESPONDEO teneri. Ratio est, quia necessitas huius præcepti subueniendi parentibus ita egenis præponderat voto castitatis vel religionis. Obligatio tamen huius voti non extingueretur, sed suspenderetur executio, donec parentes habeant, vnde viuere possint, ac proinde obligaret quatenus necessitati illi non præiudicat. Vnde si eo voto castitatis adstrictus cum muliere commisceretur esset sacrilegus, & matrimonio durante non posset petere debitum, nec eo soluto aliud matrimoniũ inire, & ligatus religionis voto, soluto matrimonio teneretur ad religionem transire.

QVÆSTIO CLIV.

An qui habet fratres, & sorores, nepotes, & alios simili egestate laborantes, possit religionem ingredi?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia quamuis homo cum his habeat necessitudinem, & coniunctionem sanguinis, non tamen habet cum eis obligationem iuris naturalis, sicut cum parentibus, à quibus esse accepit.

QVÆSTIO CLV.

An fratres, qui habent sorores periculo impudicitiæ expositas, si ab ipsis dimittantur, possint religionem ingredi?

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia charitas suadet, vt earum impudicitiam frater caueat. Ita Azor. *lib.* 12. *c.* 1. *q.* 8. 1

QVÆSTIO CLVI.

An sit frater sit voto religionis adstrictus, possit in tali casu eius ingressum differre?

ET quidem certum est, posse quando tempus non est præfixum voto implendo. Quia id vorum absque determinato executionis tempore emissum, obligat vouentem, quàm primum commodè poterit: at non est commoda opportunitas, quando sua præsentia in sæculo necessaria est ad subueniendum tantæ sororum necessitati. 1

QVÆSTIO CLVII.

Sed dubium est, quando tempus executionis voti, est præfixum?

SVNT quidam, qui negant. 1

At ego existimo posse ingressum differre. Ratio est, quia cura sororum auxilio destitutarum fratri incumbens voto ingrediendi statim religionem præponderat. Quod de fratribus non procedit, qui sibi multò 2 facilius, & cum minori periculo, quàm fœminæ prospicere possunt. Nec de aliis fœminis consanguineis patientibus idem incontinentiæ periculum. Quia illarum cura non ita ei incumbit.

QVÆST.

QVÆSTIO CLVIII.

An si parentes filios habeant in simili necessitate constitutos, possint prætermissa eorum cura, ad religionem transire?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia maior est obligatio, quam habent parentes ad suos filios, quàm è contra habeant filij erga proprios ipsorum parentes: si ergo filij parentibus egestate pressis non possunt ad religionem transire vt dictum est, multò minus parentes poterunt id facere existentibus filiis in eadem necessitate. Quod autem parentes maiorem obligationem habeant erga filios, quàm è contra, probatur ex eo quod parentes habent rationem principij, & ideò per se eisdem conuenit filios suos alere, & ipsorum curam habere, non tantùm ad tempus, sed per totum vitæ curriculum: Et hoc est quod dixit D.Paul.2.Corinth.12. *Parentes debent thesaurizare filiis.* Et ideò ita sentiunt D. Thom.2.2.*quæst. vltim.artic.6.* Nauarr.*comment.1.de regul.nu.8.* & Cord.*in reg. S.Franc.cap.2.q.6.art.1.*

2 Quam opinionem arbitror esse verissimam, quamuis parentes votum religionis emisissent, tenerentur enim non obstante voto minimè ad religionem transire, nisi prouidendo prius qualiter filij educari valeant. Quia votum obligare nequit contra hoc subueniendi præceptum. Quod si omissa filiorum cura parentes iniquè ad religionem migrarent, valeret eorum professio, nec iam professi tenerentur egredi ad eis subueniẽdum, sed salua obedientia, & sui status decentia, illorum necessitati subuenire, sicut suprà diximus de filiis respectu parentum, quia eadem ratio militat.

QVÆSTIO CLIX.

Quisnam possit ad nouitiatum admitti?

RESPONDEO eum omnem, qui compos est rationis, dummodo pubertatis annos expleuerit, posse ad nouitiatum admitti: vt habetur definitum *in cap. Si quilibet. & in cap. Puella 20. q.2.* Vnde in masculis post 14. annum completum, & in fœminis post 12. incipit ætas, in qua quis religionis austeritates explorare potest. Ratio huius est, quia ante annos pubertatis iura non præsumunt eos habere sufficiens iudicium, vt de statu vitæ deliberent, & decernant. 1

Tum quia antea non possunt experiri difficultates, quas adfert certamen castitatis, quod primùm in pubertate sentiri solet.

Hinc, furiosi, & mente capti non possunt ad nouitiatum admitti. Quia nullatenus possunt profiteri, etiamsi per centum annos in religione manserint: & si de facto profiteantur, professio eorum erit omnino irrita; non enim possunt profiteri, sicut nec matrimonium contrahere, quia vtrumque liberam voluntatem requirit. 2

QVÆSTIO CLX.

Vt probatio valida sit, & sufficiens ad professionem, quanto tempore durare debeat?

RESPONDEO per annum post adeptam pubertatem. *cap. ad Apostolicam de regul.* Qui siue in masculis, siue in fœminis incipit à die susceptionis habitus, siue ab eo die, quo communem sequuntur 1

 aliorum.

aliorum religiosorum vitam, & incipiunt experiri religionis asperitates; vt habetur *in c. Ad nostram*. Et ex Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 15. *de regular.*

2 Hic autem probationis annus à momento in momentum potest, & debet computari, nec expectandus est alter dies, vt professio post annum fieri possit. Vt si habitum probationis accepit primo mensis Septembris post meridiem, non potest eadem die sequentis anni profiteri ante meridiem, sed expectandum est punctum suscepti habitus. Ita Sanch. *lib.* 1. *de matrimon. disput.* 16. *num.* 2. & Less. *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 7.

QVÆSTIO CLXI.

An in anno bissexto duplex dies pro vna debeat computari ad effectum implendi annum probationis?

1 RESPONDEO debere. Ratio est, quia cùm hæc materia sit politica, & ciuilis, politicè, & ciuiliter de ea loquendum est, neque considerandum quod sit iam completus annus solaris, & naturalis, qui necessariò 365. dies, & sex horas continet, sed spectandus est annus politicus, & ciuilis, & pro tali inter ciues computatus. Nam nouitiatus annus debet esse vnus ex taxatis à Republica, atque vt talis declaratus, id quod communiter seruatur in aliis negotiis, atque commerciis humanis.

QVÆSTIO CLXII.

An annus, ex quo Gregorius XIII. abstulit decem dies, censeatur integer ad ætatem professioni, vel ordini sacro petitam?

1 RESPONDEO reputari annum integrum, nec supplendas esse dies illas decem ex alio anno. Ratio est, quia quamuis ille annus 1582. non fuerit annus inter naturaliter, & secundum cursum solarem; fuit tamen integer ciuiliter, & politicè. Ita Henriq. *lib.* 10. *de sacram. ord. cap.* 19. *num.* 2. Roder. *tom.* 3. *qq. regul. q.* 15. *art.* 5. Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 41. *dub.* 7. & Molina *disp.* 573.

QVÆSTIO CLXIII.

An vt nouitiatus sit legitimus, & valeat professio, requiratur vt annus sit continuus?

ALEX. *consil.* 54. *num.* 2. *&* 19. & 1
Anton. Gomes *in Bulla Cruc. clausula quinta num.* 7. negant.

At verissima sententia est, cum annum necessariò debere esse continuum. Ratio est, quia quoties ius tempus aliquod petit, id necessariò debet esse continuum, vt ex multis testibus probat Anton. Gomes. *tom.* 3. *var. cap.* 1. *num.* 3. & Syluest. *verb. religio* 5. *q.* 4. Ergo cum Trident. *sess.* 25. *de regul. cap.* 15. absolutè requirat integrum nouitiatus annum ad probationis valorem, is debet necessario esse continuus.

Tum quia is annus præscribitur, vt 2
nouitius integrè, & perfectè austeritates religionis experiatur, & religio illius mores: vt habetur *cap. ad Apostolicam,* 16. *de regular.* Sed inter alias austeritates vna est, vt sine interruptione eas ad annum sustineat, nam difficilius est 40. dierum ieiunia perferre, quàm totidem intermissè. Ita Henriq. *lib.* 13. *de excomm. cap.* 40. *num.* 2. Roder. *p* 2 *summ. cap.* 8. *num.* 4. *& tom.* 3. *qq. regul. q.* 15. *art.* 8. Azor. *lib.* 12. *cap.* 2. *quæst.* 8. Nauarr. *lib.* 3. *consil. tit. de regul. cons.* 2. *num.* 2. & Emman. Sa *verb. religio num.* 9.

QVÆST.

QVÆSTIO CLXIV.

Sed quid, si interpolatio sit modica, vt duorum aut trium dierum?

1 FRANCVS *cap.1.de Regul. n.* 3. tenet id interuallum non impedire continuationem ad legitimum nouitiatum requisitam. Quia modicum pro nihilo reputatur, nec moralem continuationem tollit:nec ob id desinit nouitius omnes religionis asperitates moraliter experiri. Eandem opinionem tenet Leonard.*lib.2.c.*41.*dub.* 7.vbi ait paucorum dierum interpolationem non impedire,quia non minus idcirco experitur austeritates religionis,si postea totidem dies,quos intermisit,suppleat.

2 Contrarium tamen est proculdubio affirmandum, & ratio est, quia tempus petitum ad aliquem actum censetur peti tamquam forma vt probat textus *auth. Quæ supplicatio c. de precib.imper. offer. ibi Nisi sub hac forma.* At omissio formæ etiam in minimo vitiat actum. Cùm ergo ad professionis valorem petat Trident. annum continuum, quantumuis modicus continuationis defectus illam irritam reddit.Ita Nau.*lib.3.cons.1.de regul.cons.*42.*nu.*4.

QVÆSTIO CLXV.

An si nouitius expleto nouitiatus anno desereret religionem, & postea rediret,egeret nouo probationis anno ad profitendum?

1 RESPONDEO minimè & ratio est,quia iam anno continuo religionis asperitates expertus est: quod solùm petitur.Ita Tab. *verb. nouitius nu.*10.Arm. *nu.*12. Syluest. *verb. religio* 5.*q.*4.Angel. *verb. nouitius nu.* 15. D. Anton.3.*p.t.*16.*c.*3.§.2.& Roder. *p.*2.*sum.c.*8.*n.*3.& *tom.* 3. *qq.reg. q.*15. *ar.*10. Quod est verum, etsi longum tempus intercesserit,& redeat ad aliud eiusdem religionis, eiusdemque obseruantiæ monasterium. Quia experientia in vno monasterio satis est ad profitendum in altero.

QVÆSTIO CLXVI.

An sit reuocatum priuilegium Iulij II.concessum Minoribus,vt nouitiatus interruptus possit continuari.

RODER. *tom.3.qq.regul.q.* 15.*ar.* 8. referens multos viros doctos tenet hoc priuilegium per Conc. Trid. *sess.*25.*de regul. cap.* 25. non esse reuocatum: in eo enim tantum definitur quod annus debeat esse integer, non autem,quod debeat esse continuus:ex 2 quo infert,posse hodie omnes religiones priuilegiis Mendicantium fruentes (provt nostra Congregatio fruitur vti hoc priuilegio.

At verò alij censent id priuilegium esse reuocatum per Conc. Trid. Quia petendo dictum Concilium integrum annum, vult consequenter illum esse continuum,vt constat ex dictis.

Tum quia Concilium vult nouitios experiri omnes religionis asperitates,at potissimum locum inter has asperitates tenet continuatio anni probationis;ergo.

QVÆSTIO CLXVII.

An nouitij interdum possint ante annum probationis expletum profiteri?

RESPONDEO per priuilegium concessum a Pio V, sanctimonia-

1 libus Ordinis prædicatorum anno
1570. Nouitiæ in articulo mortis in-
tra annum probationis,vt consequan-
tur indulgentias,possunt profiteri.Eo-
dem priuilegio quo Nouitiæ prædicti
Ordinis potiuntur,vti,& frui possunt
omnes Nouitij,& Nouitiæ cuiuscum-
que alterius ordinis priuilegium ha-
bentis excommunicationis,prout no-
stra Congregatio habet per conces-
sionem ei factã à Sixto V. Clem.VIII.
& Paulo V. Quod quidẽ priuilegium
non fuit reuocatum à Gregorio XIII.
in sua constitut. quæ incipit, *In tanta
negotiorum mole*, in qua reuocauit
quidquid concessit Pius V. super sta-
tu,& regimine sanctimonialium con-
2 tra ius,& decreta Conc.Trid.Sed po-
test dici, quod non est reuocatum
quoad forum conscientiæ: nam vt
probat Roder. *tom.1.de Regular. q.8.
art. 9.* à Pio V. fuerunt reualidata in
foro conscientiæ omnia priuilegia
quæ erant contra decreta Conc.Trid.
per prædecessores suos concessa. Et
Greg.XIII. *in sua constitut.* tantum re-
uocauit ea quæ Pius concesserat con-
tra supradicta decreta, nolens ea ali-
quam vim in foro exteriori habere.Et
ideò ita sentiunt Henriq. *lib 13.de ex-
communic.cap.40 num.2.*Roder.*tom.3.
de Regul.q.15.art.6.*& multi alij.

Addit tamen Rodericus, virtute
huius indulti non posse Monasterium
succedere in bona Nouitiæ sic profes-
sæ in præiudicium suorum hæredum.
3 Quia summus Pontifex solùm hoc
concessit ad solatium, & consolatio-
nem spiritualem ipsius Nouitiæ, ne
careat beneficio indulgentiarum.

Sed oppositum est verius.Quia etsi
4 concessionis finis sit consolatio No-
uitiæ, spiritualisque ipsius fructus, &
nulla successionis Monasterij in bona
mentio ibi fiat:at vbi semel virtute il-
lius indulti professa est, redditur verè
in posterùm professa,nec ad pristinam
sanitatem restituta indiget alia profes-
sione, sed fruetur omnibus professa-
rum priuilegiis. At eo ipso quòd ali-
quis profitetur,succedit Monasterium
ipsi. Quare Pontifex nulli iuri alte-
rius in hoc derogat,ius enim venien-
tium ab intestato est, vt ea moniali
decedente Nouitia, & intestata ipsi
succedant. Quando autem virtute
priuilegij profitetur,non decedit No-
uitia. Et ideò ita tenet frater Michael
Zanard. *in suo directorio Theolog. p. 2.
cap.17.*

QVÆSTIO CLXVIII.

An annus Nouitiorum ex causa iusta possit prorogari?

MVltis visum est,id fieri non 1
posse. Quia in Conc. Trid. *sess.
25.de Regular. cap.16.* habetur, quod
finito nouitiatus tempore, superiores
Nouitios, quos habiles inuenerint ad
profitendum admittant,aut de Mona-
sterio eos eiiciant.

Sed contrarium tenent Roder.
tom.3.de Regular.q.17.art.10. Nauar.
lib.1. conf.tit. de officio iudicis conf. vlt. 2
& Azor.*lib.12.cap.18.* Et meritò qui-
dem, quia à iure antiquo non est dis-
cedendum, nisi quatenus per nouum
est aliquid expresse renouatum: sed
de iure antiquo annus Nouitiorum
ex causa poterat prolongari, nec per
præfatum Conc. hoc est expressè in-
nouatum,aut reuocatum:ergo dicen-
dum est, quod etiam nunc licet iusta
aliqua interueniente causa.Maior pro-
positio per se patet. Minor vero pro-
batur, nam Conc. Trid. non dicit,
quòd finito nouitiatus anno, superio-
res quos habiles inuenerint ad pro-
fessionem admittere teneantur, sed
tantummodo quod eos ad profiten-
dum admittant, aut de Monasterio
expel

expellant. Et sic Conc. loquitur de his qui sunt ad professionem idonei, nec subest iusta causa ipsum dilatandi, vt teste Leonardo *lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 7. Sacra* congregatio declarauit. Vnde Roder. *tom. 1, cap. 8. num. 3.* dicit, subscribentibus viris doctissimis Salmantinis dilatam esse in ordine Minorum professionem cuiusdam Nouitij donec 20. annos expleret. Quod ea ætate opus fuerit, vt de quibusdam bonis ad subueniendum matri indigenti disponere posset. Et *tom. 3. de Regul. q. 17. art. 20.* ait in ordine Minimorum posse differri professionem, donec Nouitij 18. annum inceptum habeant.

Illud tamen est aduertendum, quod Concilium loquitur de Nouitiis virorum educatis, non autem de nouitiabus, vt ex eius litera satis patet, ibi.
3 *Nouitios quos habiles inuenerint:* & quando de vtriusque generis nouitiis disponere voluit, dixit *Nouitij, vel Nouitiæ* vt *in eod. cap. 16.* ibi: *Excepto victu, vel vestitu Nouitij, vel Nouitiæ*, & *c. 15.* ibi, *In quacumque Religione tam virorum, quàm mulierum.* Atque ita seruat vsus: sæpe enim Monialium professio differtur, donec dotem competentem habeant.

QVÆSTIO CLXIX.

An Nouitij Ordinum Militarium possint profiteri ante 16. annum nouitiatus?

1 RESPONDEO posse: vt tenet Nauar. *lib. 3. cons. tit. de Regular. cons. 23. num. 10.* & Azor. *lib. 13. cap. 4. q. 2.* vbi ait sic declarasse Congregationem Cardinalium, atque solitos esse eos profiteri statim ac 13. annum excedant, & ante nouitiatus annum.

QVÆSTIO CLXX.

An ex peculiari aliqua causa Nouitius, & Monasterium possint anno nouitiatus renunciare?

HENRIQ. *lib. 13. de excommunicat. cap. 40. num. 2.* affirmat, posse. 1

At dicendum est, nullatenus id fieri posse, & ita omnium Religionum praxis vbique testatur: & colligitur expressè ex Conc. Trid. *sess. 25. cap. 15. de Regul.* vbi decretum est, ne professio 2
emittatur ante 16. annum expletum, nec qui minore tempore, quàm per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Et ideò ita tenent Roder. *tom. 3. de Reg. q. 15. art. 7.* Azor. *lib. 12. cap. 4. quæst. 9.* & Sanch. *lib. 5. cap. 4. num. 18.*

QVÆSTIO CLXXI.

An possit Nouitius cedere iuri suo vt nouitiatus ante legitimam ætatem fiat?

RESPONDEO non posse. Et ratio 1
est, quia nulli integrum est cedere iuri suo quoad ætatem ad professionem requisitam: ergo nec quoad ætatem petitam ad nouitiatum. Neutra enim in solius Nouitij fauorem statuta est.

QVÆSTIO CLXXII.

An valeat professio, habito nouitiatu ante legitimam ætatem?

RESPONDEO non valere. Ratio 1
est, quia cum talis nouitiatus non sit validus, nec sufficiens ad experiendas religionis difficultates, perinde est, ac si eo non præmisso professio emitteretur.

QVÆST.

QVÆSTIO CLXXIII.

An ingressus ante pubertatis annos, gaudeat Nouitiorum priuilegiis, ita vt ipsum percutiens sit excommunicatus?

1 RESPONDEO gaudere. Ratio est, quia, quamuis admissus ad religionem ante legitimam ætatem, non sit propriè Nouitius, sed largè; cùm tamen valeat ingressus, gaudebit priuilegio canonis *cap. De religioso de sent. excomm. in 6.* vt ipsum percutiens sit excommunicatus. Ita Palud. *in 4. d. 39. q. 3.* & Angel. *verb. nouitius nu. 21.*

2 Quod temperat Sanch. *lib. 5. decalogi cap. 4. num. 24.* nisi iuxta ordinis statuta impubes admitti nequeat. Quia cùm admissio sit irrita, nullo priuilegio admissus gaudebit. Et idem sentio quando ante vsum rationis admissus esset, quia tunc nec largè esset Nouitius, donec adepto rationis vsu consentiat.

QVÆSTIO CLXXIV.

An Nouitius etiam si prima tonsura careat, gaudeat priuilegio canonis Si quis suadente, 17. quæst. 4.

1 RESPONDEO eum gaudere, itavt si quis in eum violentas manus iniecerit, excommunicationem incurrat, vt habetur *in c. Relig. §. Quamuis de sententia excom. in 6.* Quo fit, vt Nouitius causa, & gratia religionis gaudeat etiam priuilegio fori, cùm coram iudice sæculari conueniri nequeat. Quia quamdiu in probatione persistit, in numero Ecclesiasticorum censetur. Ita Azor. *lib. 12. q. 2.*

QVÆSTIO CLXXV.

An Nouitij qui non sunt aliquo ordine insigniti, sint à solutione gabellarum immunes?

RESPONDEO esse immunes. Ratio est, quia Nouitij ad religionem admissi sunt pars eius communitatis, quæ verè Ecclesiastica est, ac proinde tanquam personæ Ecclesiasticæ reputandi. Ita Molina *tom. 3. disp. 671. numero 2.* 1

QVÆSTIO CLXXVI.

An nouitiatus sit necessariò in Monasterio peragendus?

RESPONDEO minimè. Et ratio est, quia religiosus, qui de Prælati sui licentia extra monasterium degit, censetur in Monasterio commorari, cum ibi sit sub sui Prælati obedientia. Ita Nauar. *lib. 3. cons. tit. de clericis non residentibus cons. 10. & tit. de regul. cons. 42.* vbi ait ita censuisse Congregationem Cardinalium. Emm. Sà *verb. religio num. 9. & 53* Azor. *lib. 12. cap. 2. q. 8. & cap. 3. q. 7.* & Roder. *2. p. sum. cap. 8. num. 4. & tom. 3. qq. regul. q. 15. art. 10.* & alij. 1

Hoc tamen limitat primò Roder. quando mora extra monasterium de superioris licentia esset modica, vt per vnum vel duos menses, quia si diutior esset, interrûperet nouitiatum. Ratio eius est, quia Nouitius ingressus est religionem, non solùm vt ipse religionis asperitates experiatur, sed etiam vt religio morum ipsius experientiam sumat. At si Nouitius diutius extra monasterium maneat, non potest religionis asperitates experiri, nec religio mores ipsius. 2

Sed

Sed hæc limitatio non placet, nam Syluest.*verb.religio* 3.q.19. Angel.*verb. Nouitius num.*12. Tab.*quæst.*5. *num.*6. Nauarr. *Comment.*4.*de regul. num.*74. *& lib.*3.*consf.citato*, & Azor. *vbi supra* indistinctè aiunt, satisfacere Nouitium manendo extra monasterium de
3 licentia Prælati. Et Nauarr. loquitur expresè de Nouitio qui sesquimense solo in monasterio permansit, & reliquo extra illud de licentia Prælati. Et Azorius loquitur expresè de Nouitio qui toto nouitiatus tempore extra monasterium commoratur de licentia Prælati.

4 Secundò limitat idem Roder. vt habeat locum in solis masculis nouitiis, quia cùm præcipua Monialium aspetitas sit clausura, ea vtique ad professionis valorem est necessariò experienda.

Nec hæc limitatio placet, quia supradicti Doctores loquuntur indistinctè de cuiuscumque generis nouitiis, & fundamentum eorum æquè militat in masculis, & in Monialibus.

5 Nec est necessarium, vt Nouitius, vel Nouitia omnes in specie religionis asperitates experiatur, nec consequenter vt religio omnes eius mores in specie experiatur: & satis experitur ad professionis valorem, dum Nouitius ita obediens est, vt extra monasterium sub superioris obedientia permaneat, paratus ad nutum eius, ad Monasterium redire.

QVÆSTIO CLXXVII.

An religionis habitus sit de essentia nouitiatus?

1 ABBAS *cap. Super eo*, *in fine de regul.* Henricus *cap. fin. num.*5. *qui cler.*& Greg. Lop.*l.*3.*fine t.*7.*p.*1. negant, ducunturque *ex cap. Legem de* 33, *& cap. Multos d.*54. vbi Greg. Papa expresè dicit Nouitios in laicali veste probandos esse: ergo habitus religionis non est de essentia nouitiatus.

Communis tamen, ac verissima sententia est, habitum religionis esse de essentia nouitiatus. Ratio est, quia in vestitu religionis deferendo, est quædam vitæ austeritas, quam Nouitius iure cogitur experiri, si vult profiteri. 2

Tum quia religionum vsus id testatur.

Et est conclusio definita à Concil. Trident.*sess.*25.*cap.*15. vbi decernitur, annum probationis ad professionis valorem numerandum esse à die susceptionis habitus. Et ideò ita tenent Roder.*tom.*3.*qq.regular. quæst.*15. *art.* 9. Azor. *tom.* 1. *institut. moral. lib.* 12. *cap.* 2. *quæstion.* 9. & alij communiter.

Et ad iura in contrarium adducta respondeo, ea vsu abolita esse, vel nomine vestis laicalis intelligere Nouitiorum vestem, quam laicalem vocant, quia à veste professorum distinguitur. 3

QVÆSTIO CLXXVIII.

An Nouitij possint de suis bonis disponere?

RESPONDEO posse, vt constat ex Concil. Trident.*sess.*25.*cap.*16. vbi sic habetur. *Nulla quoque renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscumque causæ piæ, valeat, nisi cum licentia Episcopi, siue eius vicarij fiat, intra duos menses proximos ante professionem, ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter verò facta, etiam si cum huius fauoris expressa renunciatione, etiam iurata, sit irrita, & nullius effectus.* 1

2 Ex quo colligitur duo necessariò requiri ad hoc vt huiusmodi renunciationes, aut donationes sint validæ. Primò vt fiant cum licentia Episcopi, seu eius vicarij.

Secundò, vt fiant intra bimestre ante professionem.

QVÆSTIO CLXXIX.

Quid nomine obligationis hoc loco intelligatur?

1 RESPONDEO nomine obligationis intelligi omnes contractus lucratiuos, vt sunt donationes, & renunciationes, & etiam lucratiuos, in quibus non tantum recipitur, quantum datur, in quibus omnibus exigitur solemnitas huius decreti, vt valeant. Quando autem tantum recipitur, quantum datur, vt contingit in contractibus emptionis, venditionis, permutationis, non comprehenduntur in hoc decreto, ac proinde à Nouitio celebrari possunt sine solemnitate illa. Ratio huius decreti est, ne Nouitius patrimonio destitutus cogatur hac occasione profiteri. Roder. *tom. 2. sum. cap. 7. num. 4.*

QVÆSTIO CLXXX.

An nomine renunciationis, & obligationis, donatio inter viuos comprehendatur?

1 RESPONDEO comprehendi. Ratio est, quia etsi donatio non sit propriè renunciatio, est tamen quædam renunciationis species.

Tum quia donans obligatur ad rem irreuocabiliter tradendam: donatio ergo sub nomine obligationis intelligitur.

Tum quia finis Concilij non minùs habet locum in donatione, quàm in renunciatione: æquè enim vtraque libero Nouitij egressui obstat. Nauarr. *Comment. 2. de regul. num. 51.* Molina *tom. 1. d. 139.* Roder. *p. 1. sum. cap. 90. num. 1. & p. 2. cap. 7. num. 8.* Emman. Sa *ver. religio num. 5.* & Vega *2. tom. sum. cap. 50. casu 3.*

2 Quam doctrinam censeo esse veram, quando donatio est de re alicuius momenti, attentis facultatibus Nouitij. Quod expresè colligitur ex eod. decreto, ibi. *Ne hac occasione discedere nequeat, quod totam, vel maiorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat, nec facilè, si discesserit, recuperare possit.* Vnde sicut non prohibetur nouitio moderatam eleemosynam pauperi elargiri, nec ad id aliqua solemnitas desideratur, ita nec modica eleemosyna erogata Monasterio, ipsi prohibetur.

QVÆSTIO CLXXXI.

An Nouitius habens beneficium Ecclesiasticum possit validè illi renunciare, non seruata solemnitate huius decreti?

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia id Tridentini decretum in vniuersum agit de renunciatione. 1

Tum quia eius finis in hac quoque renunciatione æquè locum habet, ac in renunciatione bonorum temporalium, nempe ne ea ratione Nouitius retardetur à libero egressu; videns si egrediatur, se non potiri bonis antea possessis: ergo vt talis renunciatio sit valida, opus est vt fiat cum licentia ordinarij intra bimestre ante professionem.

Dices: talis renunciatio non caret nota simoniæ, si fiat cum pacto, quod 2

si non

si non sequatur professio, teneatur is in cuius fauorem facta fuit, reddere ei iterum præfatum beneficium.

Respondeo etsi non liceat renuncianti, conditionem non tacitè subintellectam apponere; at conditiones quæ tacitè in iuris præscripto insunt, optimè admittit beneficij collatio, atque ea conditione deficiente est temporalis: vt collatio beneficij curati facta non Sacerdoti eam habet conditionem, vt is intra annum ad Sacerdotium ascendat, & ex hac conditione pendet, vt ea collatio sit perpetua, vacar enim elapso anno ea non impleta, vt colligitur *ex cap. Licet can. de elect. in 6.* Vnde nullum est inconueniens, si renunciatio beneficij à Nouitio facta cum prædicta solemnitate habeat tacitam conditionem ex præscripto huius decreti Tridentini, si professio sequatur, & perpetuam esse talem renunciationem, pendere ex hac conditione. Et ideò hanc opinionem tenet Flam. *de resignat. benef. lib. 3. quæst. 13. num. 5. 6. & 7.* vbi addit sic sæpe respondisse sacram congregationem Cardinalium.

QVÆSTIO CLXXXII.

An Nouitius possit cum solemnitate ad id iure requisita, renunciare beneficio cuius titulo est ad sacros ordines promotus?

1 FLAM. *de resignat. benef. lib. 3. q. 13. num. 9.* negat, nisi de sua professione sit certus.

Sed multò verius existimo posse, etsi aliunde alia bona non habeat, vnde commodè viuere possit, dummodo iuxta Tridentini decretum *sess. 21. cap. 2.* in tali renunciatione fiat mentio, eius titulo Nouitium esse ad sacros promotum. Et ratio est, quia talis renunciatio eam habet conditionem tacitam, si professio sequatur, & ea non secuta, reddatur Nouitio.

QVÆSTIO CLXXXIII.

An sæcularis ante habitus susceptionem possit validè de suis bonis disponere?

ET quidem si is non habens animum ingrediendi religionem bonis renunciet, aut aliam donationem faciat, talis renunciatio, seu donatio valet, nec de ea loquitur Tridentinum, cùm nullus religionis respectus tunc temporis habeatur. 1

Sed tota controuersia versatur de eo, qui ante susceptionem habitus, intuitu tamen ingressus religionis, bonis renunciat.

Sunt quidam qui negant hanc posse validè de suis bonis disponere. Ita Nauarr. *lib. 3. consil. in 1. edit. tit. de donat. cons. 7. & 8. & in 2. t. de regular. cons. 81. & 82.* Molina *tom. 1. d. 149.* Lop. *lib. 2. de contract. cap. 39.* Roder. *tom. 2. qq. regul. quæstion. 47. artic. 8.* Less. *lib. 2. cap. 41. dub. 4.* Sa *verb. religio numer. 5.* & Flam. *de resignat. benef. lib. 3. quæstion. 13. numer. 9.* vbi ait sic censuisse sacram Congregationem Cardinalium.

Alij verò rectius affirmant posse. Et ratio est, quia Concilium Tridentinum expressè loquitur de Nouitiis, qui sunt personæ Ecclesiasticæ, ac proinde subiecti legibus Ecclesiasticis quoad bonorum dispositionem: ergo non debet extendi ad personas sæculares, quales sunt nondũ ingressi. Atque ita tenent Mendos. *cons. 22. n. 8. & 9. volum. 1.* Roder. *to. 3. qq. regul. art. 1.* Vega *to. 1. cap. 91. casu 4.* Passarellus 2

n compendio priuilegiorum Minorum capit. 37. vbi ait ita sibi respondisse Congregationē Cardinalium. Et hanc opinionem censet esse probabilem Nauarr. *lib.* 3. *conf. in* 1. *edit. t. de donat. conf.* 8. *num.* 1 *in* 2. *t. de regul. conf.* 81. *num.* 1.

QVÆSTIO CLXXXIV.

An donatio facta à Nouitio cum huius decreti solemnitate, possit ante professionem reuocari?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia si ea donatio esset reuocabilis, posset quocumque tempore fieri absque solemnitate ad id iure requisita, vt ex infra dicendis magis patebit; At Concilium Tridentinum vult eam donationem cum prædicta solemnitate fieri, quia est sua natura irreuocabilis, nisi deficiat conditio.

2 Tum quia donatio conditionalis non potest pendente conditione reuocari, vt post alios, doctè suo more tradit Molina *tom.* 2. *de iust. d.* 285. Atqui huiusmodi donatio est conditionalis: ergo.

QVÆSTIO CLXXXV.

An donatio seu renunciatio bonorum temporalium facta à Nouitio statim post susceptum habitum, ea conditione, vt sit irrita non secuta professione, sit valida?

1 MOLINA *tom.* 1. *de iust. d.* 149. tenet eam esse validam. Quia Concilium tantum intendit prohibere illas donationes seu renunciationes, per quas Nouitij depauperantur, in eúmque statum deueniunt, quo postea egestate pressi, profiteri cogantur inuiti, quod non contingit in donatione prædicta, cum non secuta professione, sit ipso facto irrita, sicut hac ratione valere testamentum Nouitij dicemus infra.

At Nauarr. *lib.* 3. *conf. in* 1. *edit. tit. de donat. conf.* 7. *num.* 2. *& in* 2. *t. de regul. conf.* 82. & Roder. *p.* 1. *summ. cap.* 90. *num.* 2. rectius docent eam esse irritam, & nullius valoris, etiam si iuramento sit firmata, quod expresse constat ex prædicto Conc. Trid. *sess.* 25. *cap.* 16. vbi absolutè dicitur, omnes donationes, & renunciationes aliter factas, quàm vt ibi exprimitur, esse inualidas, & nullius momenti. 2

Et confirmatur, nam etiam donationi factæ cum solemnitate decreti Tridentini inest tacitè ea conditio, vt professione nondum secuta, sit prorsus nullius valoris, vt expressè definitur in eo decreto, & nihilominus ea solemnitas est necessaria: ergo idem erit ea conditione expressa, cum taciti, & expressi idem sit iudicium.

Nec obstat ratio in contrarium adducta, quia dispar est ratio de testamento, ac de illa donatione, quia testamentum potest semper reuocari, at donatio illa cùm sit inter viuos reuocari nequit, nisi egresso Nouitio à religione. Vnde licet non contraueniat libertati egressus, contrauenit tamen maturitati, quā in his donationib⁹ alias irreuocabilibus, quam per egressum Nouitij petit Tridentinum: nempe vt non statim fiant, sed bimestri proximo professioni, & cum licentia ordinarij. 3

QVÆSTIO CLXXXVI.

Sed dubiæ quæstionis est: An si non sequatur professio, quia mortuus est nouitius, antequam eam faceret, habeat vim & effectum donatio?

PAVLVS

1 PAVLVS Fus. *de visitatione Episcoporum lib.2.cap.14.num.67.* affirmat eam firmam manere.

Sed omnino dicendum est, eam donationem esse irritam, & nullam. Quia etsi attento iure antiquo res hæc erat sub iudice, & erat valde probabile eam non esse irritam, cùm nullibi reperiatur eam donationem reuocari non secuta professione, sed ex præsumpta donantis voluntate id colligebatur; ergo cum ea conditio sit in hoc Tridentini decreto expressa, tenendum est, ea non impleta, sed secuta morte ante professionem euanescere donationem illam. Ita sentiunt Nauar. *lib. 3. consil. in 1. edit. de statu monach. cons.* 1. Roderic.
2 *tom.3.qq.regul.quæst.47. art.12. & p.2. summ.cap.90.num.6.* Vega *tom.1.sum. cap. 91.casu* 4. Emm. Sà *verb.religio num.*7.Mol.*tom.1.d.*140. & Passarell. *in priuileg. Minor.cap.*37. vbi ait sic sibi respondisse Congregationem Cardinalium.

Ex quo sequitur talem donationem
3 factam cum huius decreti solemnitate, etsi sit irreuocabilis secuta morte, posse tamen à Nouitio reuocari testando, vt videlicet habeat effectum talis reuocatio, casu quo Nouitius moriatur ante professionem, quia cum eo euentu ea donatio euanescat, est perinde, ac si facta non fuisset: ergo integrum est Nouitio de iis bonis aliter disponere, in euentum mortis ante professionem. Nec talis dispositio indiget solemnitate huius decreti, cùm sit vltima voluntas. Ita Roder. vbi supra.

QVÆSTIO CLXXXVII.

An vt donatio Nouitij facta cum solemnitate huius decreti sit firma, requiratur vt professio sit valida?

RESPONDEO requiri professionem validam. Et ratio est, quia 1
Tridentinum in eo loco petit, ad eius donationis firmitatem professionem; at verba sunt intelligenda cum effectu.

Tum quia Tridentinum voluit, vt egressus Nouitiorum sit liber: at dum professio est irrita, profitens est verè Nouitius & licitè egredi potest: ergo non est valida ea donatio, nisi secuta professione valida. Et ita tenet Roder. *2.p.sum.cap.7. num.6.* & Lop. *lib.2.de contract. cap.*39. qui censet id esse verum, etiamsi sciens professionem esse nullam, eam donationem faciat.

QVÆST. CLXXXVIII.

An Nouitius possit, quocumque tempore voluerit, testamentum condere?

RESPONDEO posse. Ratio est, 1
quia Tridentinum de solis renunciatione, & obligatione loquitur. At testamentum nec renunciatio, nec obligatio dicitur.

Tum quia finis huius decreti est, ne Nouitius videns se esse expoliatum suis bonis cogatur in religione inuitus remanere: quod non contingit in testamento, cùm ante professionem possit illud semper reuocare. Ita Nauar. Com. 2. *de regul.num.*51. Molina *tom.1.d.*149. & *tom.3. d.*604. Roder. *tom.2. quæst.*47. *art.*10. Less. *lib.2. cap.* 41. *d.* 4. *num.* 40. Azor. *lib.* 12. *cap.2. quæst.*14. & *lib.*13. *cap.9.quæst.*2. Emman. Sà *verb.religio num.*5. & Vega *tom.1.sum.cap.*91.*casu* 4.

QVÆSTIO CLXXXIX.

An donatio causa mortis facta à Nouitio post susceptum habitum, absque forma in eo decreto præscripta, sit valida?

1 NAVAR. *lib.3. consil.in 2.edit.tit. de regular. cons.*83. *num.* 2. & 3. negat.

Sed verius est, valere. Ratio est, quia Concilium Tridentinum tantùm loquitur, atque intendit prohibere illas donationes, & renunciationes inter viuos, quæ cum sint irreuocabiles, solent esse causa, vt aliquis videns se esse depauperatum profiteri cogatur inuitus: quod non contingit in testamentis, & donationibus causa mortis factis, cùm ea, Nouitius existens in religione ante professionem, & exiens ab ea optimè reuocare pos-
2 sit. Ita Roder. *p.1.sum. cap.90. num.3. Guttier.in repetit.cap. Quamuis pactum f.151.de pactis lib.6.*& alij communiter. Quod limitat Idem Roder. *par.2. sum. cap. 7. num.*8. nisi Nouitius hæc faciat, disponens in eis de omnibus suis bonis in fraudem huius decreti.

Sed hæc limitatio (pace tanti viri
3 sit dictum) non mihi placet. Quia cùm id decretum solùm de donationibus irreuocabilibus, quæ libero Nouitij egressui obstant, loquatur, nulla fraus aduersus id decretum admitti potest condendo testamentum, & faciendo donationem causa mortis, quæ suapte natura sunt reuocabilia.

QVÆSTIO CXC.

An Nouitio exeunti à religione ante professionem, debeant restitui omnia bona sua quæ in monasterium intulerat?

RESPONDEO debere iuxta Concilij Tridentini decretum *sess.25. cap.16.de regul.* Hoc autem debet intelligi vna cum fructibus inde perceptis, quia omnes illi pertinent ad bona Nouitij: vt bene Azor. *lib.13.cap.9. q.2.*annotauit. 1

QVÆSTIO CXCI.

An Nouitius à monasterio discedens, teneatur soluere sumptus, quos in eo alendo, monasterium fecit?

RESPONDEO non teneri. Et ratio est, quia probatio est in bonum vtriusque. 1

Tum quia si monasterium eum aluit, ipse quoque monasterio inseruiuit: & per accidens est, si ratione morbi, aut alia causa non inseruiat, aut sumptus mercedem laboris excedant: nam si labor excederet expensas, non haberet ius Nouitius mercedis excessum exigendi.

QVÆSTIO CXCII.

An necessario huiusmodi renunciatio fieri debeat integro bimestri ante professionem?

RESPONDEO non requiri, sed satis esse, vt toto eo bimestri ante professionem fiat, quamuis immediatè ante professionem. Quia decretum dicit intra duos menses proximos ante professionem. 1

Tum quia finis eius decreti fuit,

vt hæc maiori cum deliberatione, ac libertate renunciatio fiat: at eo maior est deliberatio, quo longius est nouitiatus tempus, ac professioni proximius.

QVÆSTIO CXCIII.

An id bimestre debeat esse mathematicum, & de momento in momentum computandum?

1 LÆLIVS Zecchius *de Republica Ecclesiastica tit. de regular. cap. 3. num.* 14. & Thom. Zerola *in praxi Episcop. p. 1. vers. monach. in fine*, censent id bimestre non debere esse mathematicum, sed morale. Ex quo inferunt eam renunciationem non esse irritam, si paulò ante id bimestre fiat.

2 Cæterùm multò verius est, hos duos menses numerandos esse de momento in momentum prout agentes de anno probationis diximus *supra*.

Tum quia id decretum disponit à quo tempore illud bimestre incipere debeat, nempe à die professionis futuræ in quo casu computatur dies de momento in momentum, vt latè probat Sanches *lib. 2. de matrim. d. 24. num. 15*.

At si postea professio differatur,
3 talis donatio tunc facta tenet. Quia Concilium petens renunciationem fieri intra duos menses professioni proximos, intelligitur de bimestri proximo tempori, quo regulariter professio fieri solet.

Tum quia in hac donatione saluatur mens Concilij, quæ fuit, ne temerè Nouitius se suis bonis spoliet, sed quando maturo consilio expertus est decem mensibus religionis austeritates.

QVÆSTIO CXCIV.

An Episcopus confirmatus, nondum tamen consecratus possit hanc licentiam concedere?

RESPONDEO posse. Ratio est, 1
quia à tempore confirmationis incipit habere iurisdictionem. At huiusmodi licentiam concedere est actus iurisdictionis, vt constat: ergo.

QVÆSTIO CXCV.

An Capitulum, sede vacante, possit eandem licentiam concedere?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia 1
capitulum succedit in locum Episcopi.

QVÆSTIO CXCVI.

An Abbates, & alij Prælati nulli Episcopo subiecti, in suis diœcesibus possint hanc licentiam concedere?

RESPONDEO posse. Ratio est, 1
quia isti in suis diœcesibus habent iurisdiction[illegible] quasi Episcopalem.

QVÆSTIO CXCVII.

An Vicarius Capituli, sede vacante, possit hanc licentiam concedere?

ET videtur quod non, quia Tri- 1
dentinum expressè loquitur de Vicario Episcopi.

At nihilominus dicendum est posse. Ratio est, quia in eo decreto nomi

nomine Vicarij Episcopi, intelligitur Vicarius habentis iurisdictionem Episcopalem, qualis est Vicarius Capituli sede vacante.

QVÆST. CXCVIII.

An Vicarius foraneus possit hanc licentiam concedere?

1 Respondeo non posse. Ratio est, quia cum analogum simpliciter prolatũ intelligatur pro primo analogato, nomine Vicarij absolutè prolati in Concilio Tridentino solus Vicarius Generalis Episcopi, qui ordinarius est, & simpliciter Vicarius appellatur, intelligitur; non autem Vicarius foraneus, qui est Vicarius delegatus, & Vicarius secundum quid appellatur.

QVÆSTIO CXCIX.

An hæc licentia possit delegari?

Respondeo posse. Et ratio est, quia cum hæc iurisdictio sit or-
1 dinaria vtpote annexa perpetuò non personæ, sed officio, potest vtique aliis delegari.

QVÆSTIO CC.

An ea licentia debeat esse in scriptis?

Respondeo minimè. Et ratio est, quia decretum de nulla scriptura mentionem facit, & vbi in scripturis eam fieri voluit id expressit, vt
1 fecit *eadem sess. 25. c. 5.* agens de ingredientibus monasteria monialium.

QVÆSTIO CCI.

An hæc licentia debeat esse obtenta?

Respondeo debere esse obtentam. Ratio est, quia Conc. Tri- 1
dentinum dicit, vt id fiat cum licentia. At non dicitur aliquid fieri cum licentia, quando ea solùm petita est, & vbi tantum petitam esse voluit, id expressit, vt fecit *cap. Licet de Regul.* agens de transeuntibus ad strictiorem religionem.

QVÆSTIO CCII.

An Nouitius statuta Religionis seruare teneatur?

Sarmiento *lib. 1. select. cap. 5. nu. 9.* 1
censet Nouitium non teneri ad statuta Religionis ratione voti, aut præcepti, quod Regula, & statutum ordinis præscripsit: at verò superioris præcepto ligari, & cogi posse, non quidem absolutè, quia liberè potest à Religione discedere, sed si in probatione persistere velit, cui si non subiiciat se, nequit commodè gubernari, & probari: debet item præcepta, & statuta Religionis seruare, vt vires suas probet, & assuescat illorum obseruationi alioqui eius probatio non erit professioni idonea.

Sed omnino dicendum est, eum 2
præceptis, & statutis Religionis, & eius superiorum non adstringi. Quia nondum in Religiosorum contubernium, & sodalitium admissus est, sed in probatione versatur ad experiendum vires suas, sicut catechumenus Ecclesiæ legibus non tenetur, donec perfectè per Baptismum in Ecclesiæ gremium admissus sit. Et ideò tenent Henriq. *lib. 7. de indulg. c. 22. §. 7. lib. 6. de pœnitent. cap. 6. num. 3.* Azor. *lib. 12. c. 2. q. 10:* Roder. *to. 1. de Regul. q. 21. art. vlt.* & Emm. Sà *verb. Relig. num. 8.*

Nec obstat argumentum in con- 3
trarium adductum, quia solùm probat decentissimum esse Nouitiũ ea statuta

Religionis obseruare, non autem probat teneri, quia adhuc non est Religiosus effectus.

QVÆSTIO CCIII.

An casuum reseruatio in Religione comprehendat etiam Nouitios?

1 SVNT quidam qui tenent, absolutè & simpliciter non comprehendere. Quia si à religione discedunt, absolui citra superioris assensum possunt: sed ex hypothesi, si in probatione perseuerare velint tenentur superiori subesse, ac proinde poterit præcipere, ne absque eius licentia quis Nouitios à casibus reseruatis absoluat.

2 At verò Azor. *lib.* 12. *cap.* 2. *quæst.* 10. Hugol. *de offic. & potestate Episcopi par.* 2. *fol.* 53. Emm. Sa *verb. casus nu.* 8. & multi alij rectiùs docent eos non comprehendere, cum non ligentur statutis Religionis in suum præiudicium.

QVÆSTIO CCIV.

An nouitius delinquens incurrat in pœnas, & censuras, quas Religionis statuta delinquentibus imponunt?

1 RESPONDEO non incurrere, sicut non incurrit catechumenus in pœnas legibus ecclesiasticis statutas ante receptionem Baptismi: quia vt hic nondum est admissus in Ecclesiam, ita nec ille in religionem, sed vterque adhuc foris est. Ita Henriq. *lib.* 7. *de indulgen. cap.* 21. *num.* 7. Azor. *libro* 12. *capite* 2. *quæstio* 12. & alij supra citati.

QVÆSTIO CCV.

An nouitij possint à Religionis Prælato excommunicari?

SVNT multi, qui tenent partem affirmatiuam, quam sic probant, quia is superior potest excommunicare, qui iurisdictionem in foro externo habet. At ea potitur religionis Prælatus in Nouitios dum in religione perseuerare volunt: ergo. 1

Oppositum tamen est verius: nam excommunicatio non potest ferri nisi ob delictum futurum ratione contumaciæ non obediendi. At prælatus religionis non potest suo præcepto Nouitios obligare vt diximus: ergo. 2

QVÆSTIO CCVI.

An nouitius delinquens à monasterij superiore puniri debeat?

IN qua re conuenit inter omnes, Nouitium puniri debere à religionis superiore, si contra regulam, & cætera religionis statuta peccet. 1

QVÆSTIO CCVII.

Sed dubium est, quando delicta sunt ciuilia, vel criminalia vt homicidium, adulterium &c.

NONNVLLI negant, ex eo quod Nouitius nondum sit religiosus effectus. 1

Alij verò rectiùs docent eum, si manere velit in religione, esse puniendum à Prælato regulari. Quia hodie 2

 omnes

omnes religiosorum ordines sunt Romano Pontifici immediatè subiecti. Et ideò ita tenent Nauar. *com.2. de regul.num.63.*Roder. *tom.2. qq.regular. qu.2. art.* 10. & Azor. *lib.*12. *cap.2.quæst.*11.

Hinc, non mihi placet quod docet Nauarr.*lib.3.consil.2.edit. titulo de foro competenti cons.5. num.2.* vbi ait posse Nouitium puniri à suo Prælato regulari,vel à Iudice ecclesiastico.

3 Nec est audiendus Sylue. *verb.religio* 5.*quæst.*7. qui ait Nouitium non posse puniri à Religionis Prælato pœna perpetui carceris ob delictum ea dignum,sed solius temporalis, si eam pati velit. Quia supposita permanendi voluntate, subditur plenè quoad delicta religionis Prælato:ergo potest ab eo tali pœna puniri. Quod si permanere nolit,neutra pœna plecti potest: & licet possit Nouitius nolle se subiicere iudicio Prælati regularis,sed exire, at si consentiat, non poterit postea iudicium Prælati regularis cui se subdidit effugere. At poterit nolle profiteri, cum ad hoc cogi nequeat.

QVÆSTIO CCVIII.

An Nouitius à casibus reseruatis & censuris, etiam ante ingressum incursis, à Prælato religionis absolui possit?

1 RESPONDEO posse, sic enim tenent Syluest.*verb. absolutio* 5 *qu.* 9.Tab.*verb. absolutio* 3.*nu.*14. Armil. *ibidem num.* 61. Henriq. *lib.* 7. *de indulgen. cap.* 22. §. 7. Sayr. *in thesaur. casuum consc. lib.* 3.*cap.*28. *num.* 14. & alij communiter. Verùm si antequam religionem profiteatur, à monast.rio recedit, in easdem censuras incidit. Quia absolutio per superiorem facta tacitam habet conditionem,*si is qui in probatione versatur, religionem fuerit professus.*

QVÆSTIO CCIX.

An Nouitius interrogatus ante professionem, an habe.t aliquod impedimentum, pro quo non possit iure profiteri secundum statuta religionis, si respondet se non habere, & mentitur, peccet mortaliter?

RESPONDEO eum peccare mortaliter. Quia decipit & recipientes, & ordinem ipsum,& hoc in re graui: Et in hoc omnes Doctores conueniunt. 1

QVÆSTIO CCX.

Sed dubium est, An professio postea facta sit valida?

ET quidem si religio illa habet statutum authoritate Romani Pontificis confirmatum annullans professionem sic factam,certum est, nullam esse professionem:vt rectè docet Roder.*par.2.sum cap.6.nu.*3. 1

QVÆSTIO CCXI.

Sed tota controuersia versatur, quando religio non habet tale statutum papale.

RESPONDEO talem professionem esse validam. Et ratio est,quia attento iure communi nulla ægritudo etiam mortifera annullat professionem, nec est aliquis textus, qui hoc dicat. 1

dicat. Immò de iure communi contrarium videtur dicendum, cum collatio facta criminoso, quamuis strictè prohibeatur, sit valida iuxta Fæli. *in cap. Postulasti de rescriptis.*

2 Dices, professio sine consensu Prælati non valet, vt habetur *in cap. vlt. de regular.* At si prælatus impedimentum sciuisset, eum ad religionem non admisisset: ergo.

3 Respondeo quamuis verum sit, quod si id sciuisset, non consensisset, at postquam iam de facto consensit, professio proculdubiò erit valida. Sicut valet matrimonium illius qui duxit Bertam in vxorem, credens illam esse diuitem, & nobilem, & de facto erat paupercula, & ignobilis; quod si sciuisset, nunquam cum illa contraxisset, hoc tamen non obstante, si consensus est aliàs legitimus, matrimonium valet, vt Nauar. *cap. 23. nu. 21.* & Couar. *de sponsl. 2. p.*

QVÆSTIO CCXII.

An is, qui sic professus est, propter huiusmodi fraudem possit puniri, & habitu religionis spoliari?

1 DOCTOR Nauar. *lib. 3. cons. titulo de regular. cons. 21.* tenet superiorem posse iuridicè procedere contra illum, puniens eum ob peccatum mortale, quod commisit negando defectum, quem sub pœna talis peccati tenebatur in ingressu confiteri, & in pœnam eius tollere ab illo habitum, & eiicere extra religionem. Hæc opinio est valde conformis constitutionibus Sixti V. & aliorum Romanorum Pontificum.

2 Præterea extat de hac re specialis concessio Leonis X. quæ habetur *in supplem. f. l. 19. concess. 61.* qua concessit Generali, & prouincialibus ordinis Minorum, vt fratres eiusdem ordinis etiam professos, qui grauissimis, & scandalosis delictis noti, & diffamati fuerint, quæ fraudulenter, & dolosè in eorum receptione, & professionis emissione super his per præfatos Prælatos præmissa tacuerunt, non obstante quod iam recepti sint, & professionem emiserint ne morbida, & infecta pecus ouile domini corrumpat, & vt aliis cedat in exemplum à domibus, & conuentibus dicti ordinis expellere, & remouere liberè, & licitè possint, & valeant, prout conscientiis prædictorum ministrorum, quas super hoc onerat, visum fuerit iustum, & honestum. Et ratio huius est, quia in hoc casu dolus dedit causam contractui; ergo religio non tenetur eum retinere.

Tum quia sicut religio non tenetur retinere subditum cum damno disciplinæ, quando est incorrigibilis, ita neque cum damno famæ, si suis sceleribus factus sit infamis. 3

Tum quia professio habet expressè, vel tacitè hanc conditionem, *Si hoc, aut illud vitium, vel crimen, vel morbum tacuerit, vel delictum admiserit.*

QVÆSTIO CCXIII.

An professus peccet mortaliter; qui absque iusta, & rationabili causa denegat votum alicui Nouitio aliàs idoneo ad profitendum?

IN qua re conuenit inter omnes, eum peccatum committere, vt rectè docet Caietan. *2. 2. quæst. vltim. artic. 4. dubit. 3.* 1

QVÆSTIO CCXIV.

Sed dubium est, an peccet mortaliter?

1 SANCH. *lib.5. operis moralis cap. 4. n. 59.* tenet eum peccare venialiter sicut peccat venialiter Nouitius qui leuiter retrocedit, non enim magis obligatur religio Nouitio, quam Nouitius ipsi quoad culpam.

At probabilius existimo eum peccare mortaliter. Et ratio est, quia contra charitatem & Dei, & proximi est, ac contra bonum totius religionis nouitios aliàs idoneos, & laudabile testimonium habentes carnali affectu, odio, seu alio humano respectu è
2 monasterio expellere, seu ipsi suffragium post expletum nouitiatus annum ad profitendum denegare. Tenentur enim omnes homines se inuicem iuuare, & nullum absque legitima causa à bono aliquo consequendo impedire iuxta illud sanctæ Scripturæ: *Vnicuique Deus mandauit de proximo suo.*

3 Hinc, peccat mortaliter qui per suffragium sui voti recipit ad religionem eum, qui est inutilis, seu non idoneus tali religioni. Et ratio est, quia stultè, & infideliter contra animam suam, & proximi, & contra religionem matrem suam agit.

QVÆSTIO CCXV.

Quot modis professio religiosa iure fieri possit?

1 RESPONDEO duobus, expressè, vel tacitè. Expressè quando Nouitius verbo, aut scripto, vel nutu, siue aliis signis consensum exprimentibus, facit tria vota essentialia in aliqua religione approbata in manu eius, qui potest incorporare in illam religionem, & habet potestatem recipiendi eius professionem: vt cum communi tradit Nauar. *cap. Cuiportio 12. q. 1.* Vnde mutus à natura, qui subinde surdus est, potest profiteri: si enim est aptus ad carnale matrimonium, vt omnes testantur, erit quoque ad spirituale aptus, cùm non minor notitia obligationis, nec minor consensus requiratur in matrimonio carnali, quàm in spirituali. Quod si mutus ille esset simul cæcus, esset incapax profitendi. Quia mutus solis signis edoceri valet de professionis natura quæ percipere nequit, si simul cæcus sit.

Tacitè fit tripliciter. Primò, quando Nouitius sciens, ac volens nutu Prælati, cuius est in eam religionem admittere, defert habitum professorum patenter distinctum ab habitu Nouitiorum in forma, colore, & scissura, sicque perseuerat per triduum *cap. Ad nostram de regularib. & cap. Constit. eo. tit. in 6.* Nec requiritur eum habitum in monasterio deferri, sed satis est intra, aut ex licentia Prælati extra deferri. Quia deferens cum extra ex Prælati licentia, censetur illum intra deferre. Nauar. *comm. 4. de regul. n. 74.* Azor. *lib. 12. c. 4. q. 3.* & Roder. *to. 3. qq. reg. q. 17. ar. 1.* 2

Secundò, si tali habitu suscepto sciens, & volens ingerit se actibus qui de iure, aut consuetudine solummodò conueniunt professis: vt dare vocem in capitulo, initiari sacris, &c. Et in hoc casu non requiritur triduum, vt habetur *cap. Vidua de regul.* & tradit Azor. *lib. 12. c. 4. q. 3.*

Tertiò, cum quis sciens, & volens transacto anno probationis habitum professorum distinctum ab habitu nouitiorum accipit ab eo, qui potest 3

incor

incorporare; vel ingerit se in actibus ad solos professos spectantibus; vel denique si post annum probationis perseueret in religione, etiamsi habitus sit indistinctus, in termino anni censetur professus, *cap. Ex parte 22. de regul.* modo nulla de nolendo profiteri protestatio iusta præcesserit. Primi duo præcedentes modi tacitæ professionis nunc per Conc. Trid. *sess. 25. cap. 15.* sunt sublati, cum decernat nullam esse professionem eius, qui minori temporis spatio, quàm vnius anni post susceptum habitum expletis 16. annis steterit in probatione. Nauar. *lib. 3. cons. tit. de regul. cons. 35.*

Verùm quinque conditiones requiruntur ad cuiuscunque professio-
4 nis tacitæ valorem. Prima est, vt actus per quem tacita professio inducitur, fiat authoritate, & consensu eius qui potest religioni incorporare. Nauar. *com. 4. de regul. n. 73. & 74.*

Secunda conditio est, vt sponte fiant ea, per quæ professio tacita induci debet.

Tertia, vt ea scienter fiant, id est, vt iis actibus vtens sciat eos ad solos professos pertinere, & vlteriùs per illos induci tacitam professionem. Ratio est, quia cum hæc professio tacita præsumatur ex tacito vtentis consensu, quo vult iis actibus profiteri; data ignorantia, cessat eius consensus præsumptio.

5 Quarta, vt iis actibus vtens verum profitendi animum habeat. Nauar. *com. 4 de regular. n. 75.*

Quinta, & vltima est, vt iis professorum actibus vtens sit constitutus in legitima ætate iure petita ad professionis expressæ valorem, quæ est annus 16. exactus, iuxta Concil. Trident. *sess. 25. de regul. cap. 15.*

QVÆSTIO CCXVI.

An tacitè professus possit compelli, vt expressè in scriptis profiteatur?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia 1
cùm is religioni sit obligatus, potest ab illa compelli ad ea præstanda, quæ ius præscribit, vt in posterum valeat eius professio probari, *iuxta cap. finale 20. q. 1.* Similiter potest ipse compellere religionem, vt expressam eius professionem excipiat. Quia obligatio est reciproca ipsius ad religionem, & huius ad ipsum: suaque interest profiteri expressè, quia nequit esse Prælatus, nisi expressè sit professus *cap. Nullus de elect. in 6.*

QVÆSTIO CCXVII.

An professio expressa per procuratorem fieri possit?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia 1
secundum ius, quilibet actus qui non est expressè à iure prohibitus expleri potest per procuratorem iuxta *l. 1. §. vsus ff. de procuratorib. & reg. Potest quis lib. 6. de reg. iuris.* At in iure hoc nullibi prohibetur; ergo.

Tum quia matrimonium, quamuis sit Sacramentum, & de sui natura indissolubile, etiam hodie post Conc. Trident. confici potest per procuratorem: vt contra Caietanum fatentur vniuersi; ergo & professio expressa fieri etiam potest per procuratorem. Ita Nauar. *lib 3. cons. tit. de regul. cons. 32.* Roder. *to. 3. qq. regul. quæst. 17. ar. 13.* Azor. *lib. 12. cap. 5. q. 5.* Emm. Sà *verb. religio n. 14.* & alij. Quod arbitror esse verissimum, nisi Regula contrarium iubeat. 2

QVÆSTIO CCXVIII.

Quot conditiones requirantur, vt professio per procuratorem facta sit valida?

1 RESPONDEO quinque. Prima est, vt habeat speciale mandatum ad professionem emittendam.

Secunda est, vt sit mandatum ad profitendum in religione determinata.

Tertia est, vt procurator per seipsum exequatur, nec poterit substituere, nisi hoc specialiter sibi committatur.

Quarta est, vt tempore quo procurator profitetur, non sit reuocata potestas.

2 Quinta, & vltima conditio est, ne constitutio procuratoris sit metu graui extorta.

QVÆSTIO CCXIX.

An professio necessariò sit facienda in monasterio?

1 RESPONDEO minimè, sed potest vbique fieri. Quia nullibi contrarium iubetur. Et ideò ita tenet Roder. *to.3.qq.regul.q.29.ar,8.*

QVÆSTIO CCXX.

An professio excommunicati valeat?

1 RESPONDEO valere, sicut valet matrimonium carnale in excommunicatione contractum. Et ratio est, quia professio non est acquisitio alicuius beneficij, sed status. Ita Nauar. *com.4.de regul.n.25.* Henriq. *lib.13.de excomm. cap.7.n.7.* Couar. *4.decret.2.p.c.6.n.3.* Roder. *2.p.sum.cap.8.n.10.* & Azor *lib.12.cap.3.q.9.*

QVÆSTIO CCXXI.

An si excommunicatus ante absolutionem profiteatur, peccet?

RESPONDEO eum peccare. Ratio est, quia communicatio est sibi interdicta, etsi denunciatus non sit, nec publicus clerici percussor existat. Et in hoc omnes conueniunt. 1

QVÆSTIO CCXXII.

Sed dubium est: An hic sic profitendo, peccet mortaliter.

RESPONDEO eum tantum peccare venialiter. Ratio est, quia profitendo non participat in diuinis. 1

QVÆSTIO CCXXIII.

An prælatus admittens excommunicatum ad professionem, peccet?

AD hoc primò dico, quod si Prælatus admittit ad professionem excommunicatum non denunciatum, nec publicum clerici percussorem non peccat. Ratio est, quia cum eo non est interdicta communicatio. 1

Secundò dico, quod si Prælatus ad professionem excipit excommunicatum denunciatum, aut notorium clerici percussorem, peccat. Quia communicare cum tali excommunicato est iure prohibitum. Et in his, omnes conueniunt. 2

Sed quod in dubium vertitur est: An peccet mortaliter?

Respon

3 Respondeo eum solum peccare venialiter. Ratio est, quia non communicat cum illo in diuinis.

4 Quæ omnia sunt intelligenda de professione per se loquendo, quia si professioni addantur aliquæ preces ab Ecclesia institutæ, tunc talis communicatio esset mortalis tam ex parte profitentis, quàm ex parte professionem recipientis, & astantium. Quia esset in diuinis.

QVÆSTIO CCXXIV.

An in excommunicatione professus acquirat ius ad victum à monasterio percipiendum?

1 HENRIQ. *lib.* 13. *de excommunic. cap.* 7. *n.* 7. & Roder. *to.* 3. *qq. regul. q.* 63. *ar.* 3. *& p.* 2. *sum. cap.* 8. *n.* 10. negant. Quia professio religiosa est beneficium regulare. At excommunicatus non habet ius, vt ex beneficij fructibus ante absolutionem alatur: ergo.

Sed hæc ratio nihil valet, quia simul probaret excommunicati professionem esse nullius valoris: nam acquisitio tempore excommunica-

2 tionis est irrita. Quare dicendum est hunc acquirere ius vt à monasterio sustentetur. Et ratio est, quia professio religionis non est propriè beneficium, sed impropriè, quia profitens acquirit ius vt à monasterio alatur instar beneficiarij, qui ius acquirit, vt ex beneficij fructibus alatur.

QVÆSTIO CCXXV.

An professio sit valida, si Prælatus qui eam acceptat, sit excommunicatus denominatim denunciatus, aut publicus percussor clerici?

RESPONDEO esse validam. Ratio est, quia acceptare ad professionem non est propriè actus iurisdictionis, sed superioritatis, quæ per excommunicationem non tollitur. 1

QVÆSTIO CCXXVI.

An Professio sit valida, si superior qui eam acceptat, sit suspensus denunciatus ab admissione eiusdem?

IN qua re constat inter omnes, hunc qui sic professionem acceptat, peccatum mortale committere, quamuis non sit denunciatus. Et ratio est, quia censuram illam violat. 1

QVÆSTIO CCXXVII.

Sed dubium est: An talis professio sit valida?

RESPONDEO esse validam, etsi denunciatus sit. Ratio est quia soli iurisdictionis actus exerciti à suspenso denunciato sunt irriti. At professionem acceptare est actus solius superioritatis. 1

QVÆSTIO CCXXVIII.

An professio simoniacè facta in religione sit valida?

RESPONDEO esse validam, vt expressè colligitur *ex cap. de regul. & ex cap. Quoniam de simonia* vbi dicitur, simoniacè professum nō debere manere in eodem monasterio, sed in aliud eiusdē religionis detrudi, in quo pœnitentiā agat, & si non reperiatur, debere ibi manere. Ex quibus locis suppo 1

ſupponitur profeſſionem fuiſſe validam; atque ita ſentiunt Nauar. *Com.* 4. *de regular. nu.* 25. & Roder. *tom.* 3. *qq. reg. quæſt.* 63. *art.* 3.

QVÆST. CCXXIX.

An ſit valida profeſſio viri in Monaſterio monialium, vel fœminæ in monaſterio virorum?

1 D. Anton. 3. *par. tit.* 16. *cap.* 3. *ad finem*, cenſet profeſſionem eſſe validam, ſed cogendum profitentem ad tranſeundum in ſui ſexus monaſteriũ. Quia hic verè ſubſtantialia religionis in manu Prælati promiſit. Quã opinionem putat eſſe veram Sylueſt. *verb. religio* 3. *quæſt.* 9. quoad forum conſcientiæ, quando intentio fuit profitendi quoad eandem religionem in ſpecie, ſed non in ſexu, vel ſaltem in genere.

2 At omnino aſſerendum eſt, profeſſionem eſſe irritam. Et ratio eſt, quia vt profeſſio ſit valida, neceſſariò requiritur conſenſus profitentis, & admittentis ad profeſſionem: atqui in hoc caſu vterque, aut ſaltem alter defuit: ergo profeſſio eſt irrita. Maior propoſitio eſt per ſe nota. Minor verò probatur, nam vel hic noluit profiteri niſi in eo monaſterio: aut ſi voluit in ea religione, quoad ſpeciem, ſed non quoad ſexum, non eſt admiſſus niſi ad religionem ſexus in qua profeſſus eſt. Et ideò ita ſentiunt Nauarrus *lib.* 1. *conſ. in* 1. *edit. titulo de ætate, & qualit. conſ.* 8. *nu.* 1. *& in* 2. *lib.* 3. *de regul. conſ.* 47. *nu.* 1. Henriq. *lib.* 14. *de regular. cap.* 8. *num.* 6. Emm. Sa *verb. religio num.* 30. & Roder. 2. *par. cap.* 6. *num. vltimo.*

QVÆST. CCXXX.

An profeſſio hermaphroditi ſit valida?

IN hac quæſtione conſtat inter omnes, hermaphroditos nunquam eſſe admittendos ad monaſterium etiam ſexus in eo prævalentis. Et ratio eſt, quia in cuiuſcunque ſexus monaſterium admittantur, magnam peccandi occaſionem præbent aliis religioſis, cum in eis quoque alter ſexus reperiatur. Vnde ratione talis periculi, etſi valeat eorum profeſſio, poterunt Superiores noſtræ Congregationis per priuilegium Leonis decimi conceſſum ordini Minorum eos eiicere ab ordine, ſi tacuerunt ipſi defectum hunc in profeſſione, redundantem in magnum religionis detrimentum. 1

QVÆST. CCXXXI.

Sed tota controuerſia verſatur: An talis profeſſio ſit valida?

RESPONDEO ſi hermaphroditi profeſſionem emittunt in monaſterio virorum prædominante in illis ſexu fœmineo, non tenet profeſſio, quia debent haberi pro mulieribus, & profeſſio mulierum facta in monaſterio virorum non valet. Si verò in eis prævaleat ſexus virilis valet profeſſio. Et è contra ſi prævaleat ſexus virilis, non valet eorum profeſſio apud moniales facta: ſecùs autem ſi in monaſterio virorum ſit emiſſa. Ratio eſt, quia hi iudicantur maſculi, vel fœminæ iuxta ſexum in eis præualentem. Si verò vterque ſexus in eis ſit æqualis 1

cum

cum æquè sint masculi, & fœminæ, in neutro monasterio est valida professio obstante altero sexu æquali. Et quamuis in hoc casu ad eligendum matrimonium detur eis optio sexus, quo vti velint; at quoad ordines, & professionem ea non datur, sed vtrorumque is est incapax ob maximam indecentiam. Sed si consultis viris doctis adhuc res est dubia, idem dicendum est, ac si vterque sexus in eis sit æqualis.

QVÆST. CCXXXII.

An professio ex calore iracundiæ facta, sit valida?

1 RESPONDEO esse validam, si ira, aliáue animi perturbatio plenum rationis iudicium non tollit. Sufficit enim ad professionem tale rationis iudicium, quale, & quantum ad peccatum mortale satis est. Azorius *lib.* 12. *cap.* 5. *quæst.* 8.

QVÆST. CCXXXIII.

An professio ob malum finem emissa, sit valida?

1 RESPONDEO esse validam: vt rectè docent Syluest *verb. religio* 3. *qu.* 6. & Azor. *lib.* 12. *cap.* 5. *quæst.* 10. Quod est verum, siue ille sit finis professionis, siue profitentis, veluti cum quis profitetur vt monasterij bona furetur, vel vt religiosos perturbet.

2 Dices, votum simplex ob malum finem emissum, vt votum erogandi eleemosynam ob inanem gloriam non valet: ergo neque professio facta ob malum finem, tenet.

3 Respondeo disparem esse rationem: nam professionis substantia in tribus votis consistit, nimirum in castitate, paupertate, & obedientia, quæ bona sunt materia professionis, quamuis is qui profitetur, animum intendat ad malum: quemadmodum si quis sacerdos fieret, ad malum finem intendens, finis non vitiaret opus bonum quod fieret. At si quis vouet dare eleemosynam ob inanem gloriam, tunc finis malus est voti materia, & ideo ipsum votum vitiat.

QVÆST. CCXXXIV.

Quot, & quænam de necessitate requirantur ad professionem?

RESPONDEO duodecim. Primò ætas. Secundo annus probationis. Tertio animus profitendi. Quarto vt non metu, vel fraude impulsus faciat. Quinto vt fiat in manu Prælati qui potest illum recipere, vel de ipsius licentia. Sexto vt fiat capitulariter. Septimo vt fiat in religione per sedem Apostolicam approbata. Octauo vt tria religionis vota essentialia saltem implicitè emittantur. Nono vt nulla adsit conditio substantiæ religionis repugnans. Decimo vt non habeat aliquod impedimentum, quod in ea religione habeatur essentiale. Vndecimo vt persona quæ debet profiteri sit mentis capax. Duodecimo & vltimo, vt persona sit sui iuris, alteri non obnoxia. 1

Primò, requiritur ætas. Hæc autem post Concil. Tridentin. *sess.* 25. *cap.* 15. *de regular.* tam in religione virorum, quàm mulierum est annus 16. exactus.

QVÆST. CCXXXV.

An votum solemne religionis ante annum 16. expletum factum, sit validum, & obligatorium?

1 RESPONDEO non valere. Nam Conc. Trident. *vbi supra* decernit professionem ante prædictam ætatem emissam esse nullam, & irritam.

QVÆST. CCXXXVI.

Sed dubium est, an talis professio valeat vt votum simplex?

1 PALVD. *in* 4. *d.* 38. *qu.* 2. Sylue. *verb. religio* 3. *qu.* 2. citans D. Thom. 2. 2. *qu.* 189. *art.* 1. docent talem professionem habere vim voti simplicis.

2 At omnino tenendum est, votum solemne religionis, quod non valet pro solemni propter defectum ætatis iure requisitæ, non habere vim voti simplicis. Sic enim definitur *in cap. vnico de regul. in 6.* vbi habetur, quòd professus ante completum annum 14. quia professio non erat valida, liberè poterat redire ad sæculum, quod non diceret Ecclesia, si talis quantum erat in ipso, remansisset obligatus ad religionem, aut ad castitatem seruandam voto simplici. Et in Concil. Trident. citato definitum est, professionem aliter factam, esse irritam, nullámque inducere obligationem ad alicuius regulæ, vel religionis, vel ordinis obseruationem, aut ad alios quoscunque effectus. Quæ verba cum sint vniuersalia sine dubio comprehendunt etiam obligationem voti simplicis, & effectus eius.

3 Vel etiam dici potest, non valere vt votum simplex ex defectu intentionis vouentis, qui non intendit emittere illa vota nisi vt solemnia, vt annexa tali statui religioso, & vt seruanda in illo, & ideo si professio non fuit valida, nec vota ipsa obligabunt, quia solum intenduntur, vt accessoria, at accessorium sequitur naturam principalis *iuxta reg. Accessorium* 42. *de reg. iuris in* 6.

Dices: *in cap. Quidam & in cap. Placet de conuers. coniug.* vbi deciditur professio nulla, dicitur eam obligare tanquam simplex castitatis votum, ad non petendum debitum, ad quod se obligare potuit. 4

Respondeo illos textus procedere ex præsumptione: quia in illo particulari casu præsumitur coniugem velle obligari ad castitatem independenter à professione: in foro autem animæ standum erit intentioni vouentis. Et ideò ita tenent Caietan. 2. 2. *quæst.* 88. *artic.* 9. Sor. *lib.* 7. *quæst.* 2. *art.* 2. Valent. 2. 2. *d.* 6. *quæst.* 6 *par.* 6. & Suar. *lib.* 3. *cap.* 3. *nu.* 5.

Secundò requiritur integer annus probationis post susceptum habitum, vt patet ex verbis Concil. citatis. Qui hodie potest inchoari, & expleri ante 16. annum completum, & vi illius probationis admitti professio expleto 16. Si tamen ante pubertatem non fuerit incœptus annus, vt rectè Nauar. *lib.* 3. *cons. tit. de regular. cons.* 30. *nu.* 1. annotauit. 5

Nec obstat, quod in eodem Concilio dicatur: *finito anno nouitiatus, superiores Nouitios, quos habiles inuenerint ad profitendum, admittant, aut de monasterio eiiciant.* Quia Concilium loquitur tantum de illis Nouitiis, qui sunt ad professionem idonei, nec subest iusta causa eam prolongandi: vt teste Roder. *tom.* 3. *qq. regular. quæst.* 17. *artic.* 10. *& par.* 2. *summ. cap.* 8. *num.* 3. Sacra Congregatio declarauit viiij. die mensis Nouem 6

Nouembris 1569. Non enim Conc. prohibet differri professionem si causa aliqua iusta subsit, vt si morbo aliquo laboret, si ætas desit, & alia huiusmodi; hoc enim esset contra rectam administrationem, & contra monasterij, ac ipsius Nouitij bonum.

Hinc, qui in ordinibus Mendicantium aliquem admittit ad professionem ante annum nouitiatus expletum peccat mortaliter. Quia id ei sub excommunicationis pœna vetatur, & est ipso facto suspensus ab officio admittendi ad professionem *cap. Non solùm 2. de regul. in 6.* In aliis autem ordinibus peccat mortaliter, quia agit contra præceptum Concil. in re graui, non tamen est suspensus, quia iure non est statutum. Ita Less. *lib. 2. cap. 41. dubit. 7.*

7 Quæ omnia vim habent, vbi Concilium Trident. est vsu receptum: vbi enim non est receptum, probabile est, valere professionem ante annum probationis completum in ordinibus non mendicantibus, vt docet Nauar. *lib. 3. cons. tit. de reg. conf. 28. num. 1.* Quia lex non recepta vim non habet, & ita ius antiquum manet in suo robore.

QVÆSTIO CCXXXVII.

An sit irregularis, qui ita suspensus aliquem ad professionem admittit?

1 RESPONDEO non esse irregularem. Ratio est, quia admittere ad professionem non est actus ordinis, aut iurisdictionis Spiritualis pertinentis ad Ecclesiæ claues, sed cuiusdam superioritatis: nam Abbatissa ius habet ad professionem admittendi.

2 Tertio requiritur animus profitendi, si enim hic absit, nulla est professio. Quia nec votum, nec vlla promissio per se adstringit sine voluntate obligandi, cum tota eius vis à voluntate vouentis pendeat.

Dixi notanter (*per se*) quia potest obligari ratione scandali, vel damni vitandi, quod alicui ob non seruatam promissionem obueniret. Vnde secluso scandalo posset hic professus fugam arripere, & abire in Prouinciam, in qua votum ipsius non sit notum.

QVÆST. CCXXXVIII.

An quando professio fuit nulla ex parte emittentis, vt quia fictè professus est, sufficiat ad eius validitatem, nouus eius consensus absque nouo Prelati consensu?

RESPONDEO sufficere, vt latè probat Sanchez *lib. 7. de matrim. d. 37.* & Syluest. *verb. religio 5. qu. 2.* Verùm ad verum illius irritæ professionis valorem, requiritur, vt professus sciens professionem fuisse irritam, illam denuò ratam habeat. Ità Roder. *t. 3. qq. regul. qu. 17. art. 1.* 1

Quartò requiritur, vt non sit per vim, aut metum grauem iniustè incussum à causa libera, idest ab homine ad extorquendum votum emissa. *cap. Perlatum de iis quæ vi metúsue causâ fiunt.* Ratio est, quia professio requirit summam libertatem, quæ per vim, aut metum grauem aufertur. 2

Tum quia in iis, quæ ad statum, & votorum obligationem petinent, homo est sui iuris, & arbitrij; vnde non potest ad illa cogi à causa extrinseca. Vnde *regul. 116. ff. de regul. iuris* dicitur. *Nihil consensui tam contrarium est, quàm vis atque metus.*

Dixi notanter (*metum grauem*) quia si me 3

si metus fuit leuis, non irritat professionem, modica enim coactio non excludit actum, vt dicitur *in cap. final. Qui clerici, vel vouentes.*

Dixi etiam (*iniustè incussum, &c.*) quia metus qui iustè incutitur, non sufficit ad annullandam professionem.

Hinc, valida est professio mulieris deprehensæ in adulterio, cui à viro conceditur vita, hac conditione, vt efficiatur religiosa: vt rectè docet Roder. *p.2. sum. cap.8.n.11.*

Quintò ad valorem professionis requiritur, vt fiat in manu Prælati, aut
4 de ipsius licentia. Ratio est quia per solemnem professionem vouens non solum obligatur Deo, sed etiam religioni tradens se illi, & vicissim religio obligatur eidem ad retinendum, & ad tractandum ipsum iuxta religionis instituta. Vnde in dicta professione oritur quidam contractus onerosus vltrò, citròque obligatorius, qui fieri non potest sine consensu vtriusque partis: ergo requiritur Prælatus, qui potest admittere, & obligare religionem. Syluest. *verb. religio 3. num. 16.* & Azor. *tom. 1. instit. mor. lib. 12. cap. 5. q. 7.*

QVÆSTIO CCXXXIX.

An, vt valeat admissio non potentis admittere, satis sit ratihabitio subsequens potentis?

1 RESPONDEO sufficere. Ratio est, quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur. *regul. Ratihab. de reg. iuris in 6.* Vt autem talis ratihabitio prosit, requiritur vt professio sit acceptata nomine potentis acceptare: nam si eius nomine acceptata non est, eius ratihabitio nihil prodest. Nemo enim potest ratum habere, quod suo nomine factum non est. Incipiet autem professio illa valere vt votum solemne dirimens matrimonium, à tempore, quo rata habita fuerit à superiore habente legitimam authoritatem. Nauar. *lib. 3. cons. t. de regul. in 1. edit. cons. 6. n. 7. in 2. cons. 40. nu. 7.* Azor. *lib. 12. c. 5. q. 7.* & Roder. *tom. 3. qq. regul. q. 17. ar. 2.*

Sextò, vt fiat capitulariter id est, de consensu maioris partis capituli. Et 2
quidem certum est, Prælatum vt aliquem ad habitum, & professionem admittat, teneri audire consilium sui capituli, vt habetur *cap. Nouit. 4. de his quæ fiunt à Prælato.*

QVÆSTIO CCXL.

Sed quod in dubium vertitur est: An teneatur illud sequi?

RODER. *p.2. sum. cap. 8. n. 13.* negat. 1
At omnino dicendum est in Nouitiis recipiendis non solùm ad professionem, verùm etiam ad habitum, Prælatum teneri non solùm exquirere consilium, verùm etiam & expectare illud, quin verò, & sequi 2
consensum maioris partis capituli; nã creatio monachorum spectat de iure ad Prælatum, & ad conuentum simul, *cap. Ea noscitur 6. de his quæ fiũt à Prælatis.* Et ratio est, quia in creatione monachorum inuenitur quidam contractus, & reciproca quædam obligatio, qua profitens Monasterio obligatur, & Monasterium vicissim ipsi profitenti, eundem alendi, & sustentandi, & cum ipso vnum corpus, & vnum collegium constituendi. Ita Nau. *lib. 3. cons. tit. de regul. cons. 62. n. 2. & super cap. Statuimus de regul. n. 74.* vbi addit nullum Prælatum quantumuis generalem

ralem per se solum, & inuitis fratribus, posse quempiam ad habitum, & multò minùs ad professionem recipere. Less. *lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 7.* Emm. Sà *verb. religio n. 65.*

3 Hinc, nec totum capitulum, repugnante Prælato, nec Prælatus repugnante maiori parte capituli potest aliquem ad professionem admittere, vt rectè docet Nauar. *lib. 1. consil. in 2. edit. tit. de constit. cons 9. quæst. 5. n. 13.* Nec sufficit consensus Prælati, & dimidiæ partis capituli, sed debet maior pars capituli vltra Prælatum consentire, vt docet idem Nauar. *lib. 3. cons. tit. de regul in 1. ad. cons. 62. n. 3. & in 2. cons 37. num. 3.* & Sanch. *lib. 5. c. 4. num. 69.*

4 Ex quo planè sequitur, admissionem, & professionem esse irritas iure communi, si absque consensu maioris partis capituli fiat. Quia vbi in iure requiritur consensus, nisi adhibeatur, actus est nullus *cap. Nouit. 4. de his quæ fiunt à Prælato.*

5 Quare non approbo quod ait Roder. *tom. 3. qq. regul. q. 17. ar. 7.* nempe professionem à solo Prælato receptam sine consensu capituli non esse ipso iure irritam, sed talem declarandam. Sed dicendum est eam esse omnino irritam, vt probatum est.

QVÆSTIO CCXLI.

An possit Abbatissa cum consensu sui capituli Moniales ad professionem admittere?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia hæc professionis admissio non est actus Ordinis, aut iurisdictionis spiritualis pertinentis ad Ecclesiæ claues, cuius fœmina est incapax sed cuiusdam superioritatis, qua reuera Abbatissa in moniales gaudet. Ita Rosel. *verb. Nouitius n. 6.*

Septimò, vt tria religionis essentialia, atque substantialia vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ perpetuæ emittantur. Quia vt diximus hæc tria sunt de essentia, atque substantia cuiuslibet religionis, seu status religiosi *cap. Cùm ad monast. de statu monachorum.* Sufficit enim vt hæc tria vota fiant implicitè. Nam in quibusdam religionibus professio emitti solet vno voto obedientiæ expresso, cæteris implicitè contentis, quia promittitur obedientia secundum regulam, vel constitutiones. 2

Hinc, si quis profiteretur obedientiam solummodo, & nollet ad alia teneri, non esset verè professus, nec propriè religiosus. Quia remota parte substantiali alicuius actus certum est, quod remouetur, & totum.

Octauò requiritur, vt professio fiat in religione aliqua per sedem Apostolicam approbata, vt habetur *cap. Vnico de voto, & voti redempt. in 6.* Nec satis est, vt modus viuendi ab illa approbetur, nisi tanquam vera religió approbetur. Ratio est, quia Ecclesiæ est religiones erigere, atque eas approbare: & quamuis olim id Episcopi poterant in suis diœcesibus: iam id Pontifici reseruatum esse diximus supra. 3

Hinc, si quis profiteretur religionem non approbatam, non esset verus religiosus, etiam si in ea tria vota substantialia emitteret, sed validè posset ad matrimonium transire: quod est verum, etiamsi quando profitebatur, credebat illam esse approbatam. 4

QVÆSTIO CCXLII.

Sed dubitabit aliquis hoc loco: An quoties professio est irrita, maneat profitens obligatus Deo, vt voto simplici?

1 ET quidem quando professio est irrita ob defectum ætatis, vt quia ante 16. ætatis annum facta est, certum est, eam esse omnino irritam, & nullam, ita vt nec vt voti simplicis vim habeat, vt expressè colligitur *ex cap. 1. de regul.* vbi dicitur hunc libere ad sæculum transire. Quod Ecclesia non diceret, si talis, quantum erat in ipso remansisset obligatus ad religionem, siue ad continentiam voto simplici. Et in Conc. Trid. *sess. 25. cap. 15.* decernitur professionem factam ante 16. annum expletum esse irritam, nullamque inducere obligationem ad alicuius regulæ, vel religionis, vel ordinis obseruationem, aut ad alios quoscunque effectus. Ita Caiet. 2. 2. *q. 88. ar. 9.*

QVÆSTIO CCXLIII.

Sed totum controuersiæ dissidium versatur, quando ob alias causas professio est irrita, an vim voti simplicis habeat?

1 RESPONDEO affirmatiuè, vt apertè definitur *in cap. Quidam & in cap. Placet de conuers. coniug.* vbi deciditur irritam coniugati professionem obligare tanquam simplex castitatis votum, ad non petendum debitum, ad quod solum se obligare potuit. Et ideò ita sentiunt Nauar. *lib. 3. consil. de regul. in 1. ed. consil. 18. In 2. consil. 19.* Tabien. *verb. Nouitius q. 8.* Vgolin. *de censuris, Tab. 2. c. 20. nu. 5.* Sayr. *thes. casuum lib. 2. c. 9. n. 19.* & Azor. *lib. 12. c. 1. q. 3.* Verùm vt hic voto simplici maneat adstrictus, opus est, vt habeat intentionem se obligandi illis votis in professione emissis independenter ab ipsa, & quando de intentione profitentis non constat, iura præsumunt talem intentionem habuisse, quare in vtroque foro standùm est huic iuris præsumptioni.

Nonò requiritur, vt nulla adsit conditio religionis substantiæ repugnans. Hæc conditio petit vt inquiramus:

QVÆSTIO CCXLIV.

An religiosi, qui sub aliqua conditione professionem emisit, sit valida professio?

ET quidem si conditio apposita solemni professioni non est contraria essentiæ religionis, certum est professionem sub tali conditione factam esse validam, & votum emissum esse solemne. Ratio est, quia matrimonium contractum sub conditione, quæ non contrariatur substantiæ matrimonij, est verum matrimonium, vt tenet Glossa communiter recepta *in cap. fin. de cond. appos.* ergo similiter professio solemnis quæ est quoddam spirituale matrimonium, 1

Hinc, qui religionem aliquam profitetur ea lege, vt ad ieiunia Regulæ non teneatur, peccat quidem mortaliter, eius tamen professio est valida. Quia talis conditio non repugnat substantiæ religionis, etiamsi sit contra aliquod statutum, siue præceptum Regulæ. 2

QVÆ

QVÆSTIO CCXLV.

Sed tota difficultas consistit, quando conditio apposita aduersatur essentiæ, & substantiæ voti solemnis, & religiosæ professionis, vt cum quis profitetur, ea lege, vt vxorem ducat? &c.

1 INNOC. Host. Ioan. And. & Glossa *in cap. Solet* 32. *q.* 2. tenent talem professionem esse validam, & conditionem reiici tanquam eius substantiæ contrariam.

2 At omnino dicendum est, eam professionem esse irritam. Ratio est, quia sublata substantia alicuius rei, non remanet ipsa res, & remota substantiali parte alicuius actus, remouetur & ipse actus: sed eiusmodi conditio tollit substantiam solemnis professionis: ergo, & votum, & professio est irrita.

Tum quia conditio contraria substantiæ matrimonij carnalis, reddit ipsum irritum *cap. fin. de condit. appos.* vt si quis dicat, contraho tecum, si victum ex adulterio quæsieris, vel nisi aliam pulchriorem, vel ditiorem inuenero, &c. ergo, & professionem, quæ est matrimonium spirituale.

Et est conclusio definita *in cap. Dudum vers. insuper de conuersat. coniug.* vbi dicitur, valere professionem, etsi promittens ante ingressum protestatus sit velle se retinere proprium, eo quod tempore professionis (mutata s. voluntate illam purè, & simpliciter emiserit: ergo à contrario sensu non valeret, si cum ea conditione fie-
3 ret. Et ideò ita sentiunt Nauar. *lib.* 3. *consi. de regul. in* 1. *edit. cons.* 20. *n.* 5. *in* 2. *tit. de statu monach. cons.* 14. *num.* 5. Couar. 4. *decret.* 2. *p. c.* 3. §. 1. *nu.* 18. Azor. *lib* 12. *c.* 5. *q.* 2. & Roder. *to.* 3. *qq. reg. q.* 17. *ar.* 6.

QVÆSTIO CCXLVI.

An valida sit professio religiosi facta sub ea conditione, vt valeat in propria domo remanere?

RESPONDEO valere. Ratio est, 1
quia manere intra claustra monasterij non est de essentia religionis, vt expressè definitur *in cap. fin. Qui cler. vel vouen.* & tradit Nauar. *com.* 2. *de Regul. n.* 16. Emm. Sà *verb. religio n.* 6. Azor. *lib.* 12. *cap.* 5. *q.* 2. At poterit postea Prælatus iusta de causa id pactum reuocare, nisi Pontifex illud confirmasset, quia tunc non posset Prælatus reuocare, nec hoc esset contra religionis substantiam, quia ipse Pontifex qui talem licentiam concessit, posset reuocare.

Hinc, qui religionem profitetur 2
cum pacto vt in propria domo maneat independenter à superioris voluntate, nulla est eius professio. Ratio est, quia huiusmodi pactum est contra obedientiæ votum, ac subinde contra religionis substantiam pugnat.

QVÆSTIO CCXLVII.

An professio emissa sub conditione de futuro, fiat valida, adimpleta conditione absque nouo consensu? Vt si quis dicat, Promitto obedientiam secundum Regulam, &c. si frater meus intra triduum ex Sicilia redierit, *an redeunte fratre intra triduum, maneat professio valida absque nouo alio profitentis, aut acceptantis consensu.*

RESPON-

1 RESPONDEO effici professionem omninò validam, eo ipso quod conditio impletur absque nouo alio consensu, dummodo prior non fit per contrariam deliberationem mutatus. Sanchez *lib.5. de matrim. d.8. num.4. & 10.*

QVÆST. CCXLVIII.

An si hic ante conditionis euentum in alia religione profiteatur, talis professio sit valida?

1 RESPONDEO esse validam. Ratio est, quia ante illius euentum non erat consummata professio, sed pendens à futuro euentu.

2 Decimò, ad valorem professionis requiritur, vt profitens non habeat aliquod impedimentum, quod in illa religione sit essentiale, quia ob tale impedimentum redditur homo inhabilis ad professionem: sicut enim constituta sunt varia impedimenta, quæ matrimonium impediunt, & dirimunt, ita etiam authoritate Ecclesiæ possunt constitui impedimenta, quæ impediant, & dirimant professionem. Si tamen admittat is qui potest super illo impedimento dispensare, & nouit impedimentum, valida erit professio. Quia recipiendo, tacitè videtur dispensare. Secus autem, si impedimentum ignorauit, vel non potuit in eo dispensare, quia tunc non valebit, quia erat ad professionem inhabilis. Nauarrus *lib.3. cons. tit. de regular. cons.3.*

3 Posset tamen Prælatus quempiam ad religionem admittere cum protestatione, non esse sibi mentem ad religionem admittendi, si habeat hoc, vel illud impedimentum, & tunc professio esset irrita, si tale impedimentum suberat. Quia animus admittendi defuit. Quod si tale impedimentum non reddat irritam professionem, tamen dolosè sit suppressum in examine, hic qui sic professus est, in pœnam huius deceptionis poterit puniri, & habitu religionis spoliari, & priuari vt docet Nauar. *lib.3. cons. titulo de regular. cons.25.* & Less. *lib.2. cap.41. dub.7.* à quorum tamen sententia recedit Roder. *tom.3. qq. regul.* dicens non esse iustam causam expellendi professum. Quia cum res grauissima sit, grauissimam causam exigit.

QVÆST. CCXLIX.

An qui morbo, vel senectute impotens est ad regulæ statuta seruandum, possit licitè, & validè profiteri?

RATIO quæstionis est, quia nemo ad impossibile potest obligari, nec immunis est à peccato, qui ad ea voto se adstringit, ad quæ præstanda se impotentem cognoscit. 1

Sed hoc non obstante dicendum est, hunc valide, & licitè profiteri Ratio est, quia obligatio ad religionis essentialia nimirum castitatem, paupertatem, & obedientiam nullas corporis vires exposcit, sed solum voluntatis affectum.

Cætera autem religionis statuta non sunt religiosi status essentialia, sed obligant dum iusta causa non excusat. Vnde qui religionem profitetur, obligatur ad illa seruanda eo modo quo Regula obligat, nimirum nisi iusta causa excusetur. 2

Dices: qui non potest statuta religionis seruare, nequit religionis asperitates experiri; quod ad nouitiatus valorem desideratur.

Respon

3 Respondeo ad nouitiatus valorem, non desiderari experientiam omnium asperitatum in indiuiduo, sed satis est eas in genere experiri viuendo sub obedientia Prælati toto probationis tempore. Nam qui toto nouitiatus anno morbo laborat, cuius causa carnes manducat, legitimè profiteri potest in religione, in qua vsus carnium non permittitur, iuxta Nauarr. *lib.3. consil.tit.de regular.in 1. edit.consil.42.nu.5.in 2.consil.52.num.5.* & Roder.*tom.3. qq.reg.q.15.art.10.*

4 Vndecimò requiritur, vt persona quæ debet profiteri sit mentis capax: nam furiosus, & huiusmodi non potest esse religiosus secundum iura, quia qui vsu rationis caret, religionis asperitates experiri non valet, quod ad valorem nouitiatus requiritur. Quod intelligo quando furor esset extraordinarius, vt contingit in his qui nullo alio morbo laborant; & diu durarer nimirum per mensem, quia tunc non esset id tempus in anno probationis connumerandum, sed transacto furore supplendum. Secus si furor superueniens citò transiret, vt contingit in phrenesi tempore morbi, durátque octo, aut quindecim dies, quia tunc non interrumperet probationis annum, sed eo completo posset legitimè profiteri.

5 Duodecimò, & vltimò requiritur, vt persona sit sui iuris alteri non obstricta. Vnde professio Episcopi sine speciali licentia Papæ & viri vxore renitente, & serui absque consensu domini, est ipso iure irrita. Ratio est, quia per professionem homo totaliter se tradit religioni. At isti non sunt sui iuris: ergo non possunt se tradere religioni, nemo enim potest id quod est alterius, alteri tradere absque eius consensu expresso. Less. *lib.2. cap.41. dub.7.*

QVÆSTIO CCL.

An professio sit valida si profitens intendat, nolle seruare tria vota?

PALVD. *in 4.dist.26.quæst.3.art.2.* D. Anton.3.*p.t.16.cap.3.* & Syluest.*verb. religio 3.q.6.* censent esse irritam, si vouens exprimit se nolle seruare illa, secus si tantum intendit illa non explere. 1

Armil.*verb. religio num.8.* absolutè tenet, non valere, si intendit non seruare illa, siue id exprimat, siue non.

Contrarium tamen est proculdubio affirmandum, nempe solam non seruandi tria vota intentionem quantumcumque verbis expressam minimè reddere professionem irritam. Ratio est, quia obligatio oritur ex voto, sicut effectus necessarius à sua causa consurgit, ac profluit, vt calefactio ab igne: ergo sicut posito igne, velit, nolit ponens, calefactio sequitur, ita posita promissione, animoque promittendi, statim consurgit obligatio. 2

Et confirmatur: nam qui vult antecedens, vult necessario consequens, sicut qui dat formam, subinde dat consequentia formam: sed obligatio consequitur promissionem: ergo qui vult promissionem, necessario vult obligationem.

Tum quia non est de essentia professionis, vt quis animum habeat seruandi tria vota; sed solùm vt habeat intentionem se ad illa obligandi, & conferendi ius aliquod religioni ad ea exigendum.

***

QVÆSTIO CCLI.

Quot, & quænam requirantur, vt inualida professio ratificetur?

1 RESPONDEO quatuor. Primò requiritur notitia illius inualiditatis, alioquin ratificatio non erit libera: nisi quis forte velit expressè illam esse ratam, etiamsi ob aliquam causam ab initio fuisset inualida. Vnde non censetur eam confirmare, quando putans ab initio fuisse validam, approbat, & confirmat quod fecerat: nam tunc nihil facit, quia talis ratificatio proficiscitur ex errore: vnde non est libera, ac proinde non inducit nouam obligationem. Nauar. *cap. 12. num. 71. & Com. 4. de regul. num. 71. & 75.* & Caiet. *2.2. q. 189. art. 5.*

Secundò, vt intendat illam ratificare: est enim nouum votum. Vnde requiritur formalis intentio: neque sufficit negatiuè se habere, quia voti vinculum non contrahitur nisi voluntate positiua. In dubio autem an in actu professionis consenserit, vel an intra illud tempus ratificauerit, verius est teneri, quia præsumptio iuris ei aduersatur.

2 Tertiò requiritur noua acceptatio Prælati, sicut quando matrimonium fuit irritum ob aliquod impedimentum, requiritur nouus consensus vtriusque vt docet Azor. *lib. 12. cap. 4. quæst. 7.*

Sed oppositum est verius. Quia in hoc casu admissio fuit valida ex parte admittentis; ergo solùm requiritur consensus ex parte admissi. Ita Nauarr. *lib. 3. consil. de regular. consil. 24. & consil. 35. & 46.* & Less. *lib. 2. cap. 41. dub. 7.*

3 Quartò, & vltimò, si nouitiatus fuit inualidus, requiritur eius repetitio, vt si ante annos expletos pubertatis sit factus, aut cum inhabilitate ad illam religionem. Ita Nauar. *lib. 3. consil. tit. de regul. consil. 5. num. 19.* Huius tamen oppositum defendit Less. *lib. 2. cap. 41. dub. 7.*

QVÆSTIO CCLII.

An in hoc casu repetendæ sint ceremoniæ solemnes, quæ in professione fieri solent?

RESPONDEO non esse repetendas. Quia sufficit si religiosus denuò suum consensum præstet, quo professionem renouat. Et ita tenet Azorius *tom. 1. institut. moral. lib. 12. cap. 4. quæst. 7.* 1

QVÆSTIO CCLIII.

An solemnis professio transferat Religiosum in ius, & potestatem Religionis?

RESPONDEO communem esse sententiam, professionem transferre Religiosum in potestatem, & ius Religionis faciendo membrum illius; nam Religiosus Religioni suam fidem adstringit, & Religio acceptat, & hoc facit ratione voti obedientiæ. Vnde sicut Religiosus ius habet exigendi alimenta à Religione, sic Religio ius habet in eius operas, artem, industriam, laborem & ministerium, nec Religio potest Religiosum sine iusta causa dimittere, nec Religiosus Religionem desetere. Ex quo fit, vt sicut Dux belli milites militiæ desertores capit, & punit, & maritus sua authoritate vxorem tanquam rem suam apprehendit, & dominus seruum fugitiuum 1

tiuum ad domum reducit & pœnis debitis plectit, sic etiam Religio fidei, & Religionis per professioné susceptę desertores capit, & vinctos reuocat, ac punit, eo quod per professionem Religioni sese tradiderunt, & manciparunt.

2 Hinc, Religiosus, qui à Religione fugit, peccat cótra iustitiam. Ratio est, quia inter Religiosum, & Religionem est contractus quidam, per quem Religiosus se tradit in potestatem Religionis ad obsequium ordinis, & vicissim Religio se illi obligat ad illum tractandum tanquam filium. Vnde in hoc contractu spectatur non solum commodum priuatum Religiosi, sed etiam publicum Religionis.

QVÆSTIO CCLIV.

An solemnis professio faciat Religiosum inhabilem ad matrimonium contrahendum?

1 IN hac quæstione concors est omnium Doctorum sententia, solemnem professionem facere Religiosum inhabilem ad matrimonium contrahendum, ita vt si tentet contrahere, matrimonium sit nullum *cap. Quod votum vnic. de voto in 6.* & hoc facit ratione voti castitatis.

QVÆSTIO CCLV.

Quo iure solemne votum castitatis faciat Religiosum ad matrimonium inhabilem?

1 NOnnulli sentiunt solemne votum castitatis vi, ac natura sua id facere. Ratio est, quia Religiosus per solemne votum castitatis Deo, & Religioni se tradit: ergo postea non potest se tradere coniugi, & si tradat, nulla erit traditio: sicut qui rem suam vni dedit, & tradidit, non potest validè alteri dare.

D. Thom. *in 4. dist.* 38. *q.* 1. *ar.* 3. *q.* 3. *&* 2. 2. *q.* 88. *ar.* 7. Sotus *lib.* 7. *q.* 2. *ar.* 2
5. Valent. 2. 2. *d.* 6. *q.* 6. *p.* 5. Couar. *in p. epit. cap.* 7. §. 4. *num.* 8. Lop. *p.* 1. *c.* 48. & Vega 2 *tom. sum. cap.* 57. *casu.* 11. putant id fieri iure naturali, & diuino, secluso quocumque iure ecclesiastico.

Almayn. *tract. de potestate ecclesiæ cap.* 15. ait id non ex iure naturali, sed ex diuino positiuo consurgere.

Alij verò rectius docent id prouenire ex vi constitutionis ecclesiæ, quæ sanxit vt religionem professus, inhabilis sit ad matrimonium, vt habetur expressè *ex cap. vnico de voto, & voti redempt. in 6.* vbi Bonifacius VIII. decernit voti solemnitatem quoad matrimonium dirimendum ex sola ecclesiæ constitutione esse introductam. 3

Tum quia antiquis temporibus solemne votum castitatis non faciebat religiosum ad matrimonium inhabilem vt docet Diuus Cyprianus *epist.* 11. *ad Pomponium*, Diuus Augustin. *lib. 6. de bono viduitatis cap.* 9. 10. *&* 11. & habetur ex Concil. Ancyrano *cap.* 19. & refertur *cap. Virgines* 27. *q.* 1. ergo attento iure naturali, & diuino religiosus potest matrimonium contrahere. 4

Tum quia votum solemne non facit religiosum ad matrimonium inhabilem, qua ratione votum est (aliàs omne votum hoc ipsum efficeret) sed qua ratione est solemne.

Cùm ergo ſolemnitas voti ſit ex iure Pontificio vt diximus ſolo iure pontificio faciet ad matrimonium inhabilem.

Tum quia in votis ſimplicibus biennij ſocietatis Ieſu eſt vera traditio, & acceptatio, vt definiuit Gregorius XIII. in Bulla, quam in gratiam eiuſdem ſocietatis edidit anno 1584.
5 quæ incipit. *Aſcendente domino*, & tamen ea vota non reddunt hominem inhabilem ad matrimonium ſubſequens, iure naturæ, ſed virtute illius conſtitutionis Gregorij: ergo. Et ideò ita tenent Scot. *in* 4. *d*. 38. *q. vnica* Sylueſt. *verb. matrim*. 7. *quæſt*. 3. Caiet. 2. 2. *quæſt*. 88. *art*. 7. Med. *de continent. controuerſ*. 7. Cord. *lib*. 1. *quæſt. q*. 14. Leſſ. *lib*. 2 *cap*. 41. *dub*. 8. & Azor. *lib*. 12. *cap*. 6. *quæſt*. 3.

Et ad argumentum primæ opinionis reſpondeo negando conſequentiam, nam religioſus per profeſſionem
6 non tradit poteſtatem corporis ſui ad vſum matrimonij, ſed tradit religioni, vt ab ea gubernetur, quæ traditio non inducit vinculum repugnans vinculo matrimonij: nam hæc vincula ſimul ſtare poſſunt, vt patet, quando duo coniuges etiam poſt matrimonium conſummatum ſponte ſua profitentur, ſed ſolùm repugnant vſui matrimonij.

QVÆSTIO CCLVI.

An ſi religioſus poſt ſolemnem profeſsionem matrimonium contrahat, tale matrimonium ſit validum?

1 RESPONDEO non valere, vt expreſsè fuit definitum ab Innoc. 2. in quadam generali ſynodo anno 1139. Quod poſtea confirmauit, & expreſſiùs declarauit Bonifacius Papa VIII. *in cap. vnico de voto, & voti redempt*. determinans illud ſolum votum debere dici ſolemne, quantum ad poſt contractum matrimonium dirimendum, quod ſolemnizatum fuerit per ſuſceptionem ſacri ordinis, aut per profeſſionem explicitam vel tacitam factam alicui de religionibus per ſedem Apoſtolicam approbatis.

QVÆSTIO CCLVII.

An ſi profeſſus, aut in ſacris conſtitutus de facto matrimonium contrahat, ſit ipſo facto excommunicatus?

RESPONDEO eſſe ipſo facto excommunicatum, vt expreſsè definitur *in lem. Cynica de coniug*. vbi ſic habetur. *Necnon religioſos, & moniales, & clericos in ſacris ordinibus conſtitutos matrimonium contrahentes, refrenare metu pœna ab huiuſmodi eorum temeritatis audacia cupientes: ipſos excommunicationis ſententia ipſo facto decernimus.* 1

Ex quo textu colligitur duo neceſſariò requiri, vt hæc excommunicatio incurratur. Primò, vt de facto matrimonium ineat. Secundò, vt contrahens ſit profeſſus, aut ordine ſacro inſignitus. 2

Hinc infertur primò, hunc eſſe excommunicatum, licèt matrimonium non ſit conſummatum Quia conſummatio matrimonij non eſt de ſubſtantia eius, & lex prohibens matrimonium, de contractu ipſo intelligitur.

Secundò infertur, non eſſe excommunicatum, ſi poſt profeſsionem, vel ordinem ſacrum ſponſalia de futuro contrahit. Quia illa non ſunt 3

matri

matrimonium, sed promissio matrimonij, lex autem hæc solum de matrimonio loquitur, & cùm sit odiosa extendenda non est: vt rectè docet Caietan. *in summa verb. excommunicatio cap.* 47. & Nauarr. *cap.* 27. *num.* 141. Et quamuis Syluest. *verb. excommun.* 9. *casu* 41. hoc limitet, nisi post sponsalia, sequatur copula affectu maritali. At id habebat locum secundum ius antiquum *cap. Is qui fidem de sponſ.* in quo sponsalia per eam copulam transibant in matrimonium. Nunc verò iure nouo Concil. Trident. *sess.* 24. *de matrim. cap.* 1. non incurritur hæc excommunicatio, quia sponsalia non transeunt in matrimonium, quantumcumque sequatur copula affectu maritali.

4 Tertiò infertur, hunc non incurrere excommunicationem, si matrimonium clandestinum contrahit, nimirum absque Parocho, & duobus testibus. Quia hic contractus hodie non est verum sacramentum. Ita Henriq. *lib.* 11. *de matrimon. cap.* 5. *num.* 9. & Petr. de Ledesm. *de matrim. q.* 65. *art.* 9. *dub.* 1.

5 Quartò infertur, hunc non incurrere excommunicationem si exteriùs matrimonium contrahat, sine intentione contrahendi. Quia *in dicta Clementina vnica* punitur ineundi matrimonij voluntas, quamuis ea praua voluntas effectum suum sortiri nequeat, iure dirimente matrimonium. Ita Suar. *de censuris d.* 23. *num.* 17.

QVÆSTIO CCLVIII.

An Religiosus hanc excommunicationem incurrat, si cum consensu legitimo de facto contrahat, si constet alterum contrahentem non consentire?

PETR. de Ledesm. *de matrim. q.* 55. *art.* 9. tenet eum illam incurrere. Quia *in dicta Clement.* punitur affectus, & iniqua voluntas contrahendi, quæ in hoc matrimonio non deest: ergo. 1

At multò probabilius est, non incurrere. Quia ea Clementina punit matrimonium contractum contra illam prohibitionem, at non dicitur matrimonium, donec accedat vtriusque contrahentis consensus.

Tum quia qui contrahit cum consanguinea impubere, vel furiosa eam excommunicationem non incurrit, quamuis ex parte suæ voluntatis non sit defectus consensus: vt rectè docent Syluest. *verb. excommunicatio* 9. *casu* 41. Tab. *ibidem* 5. *casu* 49. Angel. *verb. excomm.* 9. *casu* 41. & Petr. de Ledesm. *loco supra citato.* 2

Et ad argumentum contrariæ opinionis respondeo, in dicta Clemētina puniri prauam voluntatem matrimonium contrahendi, quando adest consensus ex se sufficiens ad contrahendum matrimonium, quod non contingit in casu nostro.

Quintò infertur, non incurri hanc excommunicationem, si religiosus metu graui cadente in virum constantem matrimonium ineat. Quia is consensus cum non sit liber, est ad contrahendum inefficax. 3

Tum quia Ecclesia non punit tam graui pœna, qualis est excommunicatio, eum qui tali metu graui compulsus matrimonium contrahit: vt doctè suo more tradit Nauarr. *cap.* 27. *num.* 141 Syluest. *verb. excommun.* 9. *casu* 42. & Emman. Sa *verb. excommunicatio, vbi de excommunic. nulli reseruatis numer.* 10.

Sextò infertur, non incurri hanc excommunicationem, quando religiosus, vel ordine sacro insignitus, priuilegio sedis Apostolicæ matrimo-

nium contrahit. Quia qui sic contrahit, non peccat, at dicta Clementina culpam, & temeritatem contrahentis punit.

4 Septimò infertur non ligari hac excommunicatione, quando aliquis putans se esse religiosum, vel ad sacrum ordinem promotum, matrimonium contrahit, sed re vera talis non est. Quia cùm ex parte rei nòn sit professus, nec ordine sacro insignitus, reuera matrimonium interdictum non contrahit, nec dicta Clementina punit prauam voluntatem, effectu non secuto, sicut non ligatur excommunicatione, qui putans percutere clericum, percutit sæcularem, vt docet Nauarr. *cap.* 22. *num.* 43. & Suar. *de censuris d.*23.*num.*17.

QVÆSTIO CCLIX.

An huius peccati cognitio ad Inquisitores sancti officij pertineat?

1 RESPONDEO pertinere. Quia qui huiusmodi crimen committit, videtur esse suspectus de hæresi, cum ipso facto malè sentiat de voto solemni, ac eius obligatione.

QVÆSTIO CCLX.

An professus matrimonium contrahens sit irregularis?

1 HENRIQ. *lib.*12.*de matrim. cap.*6. *num.*10.negat.

2 At omnino tenendum est, hunc incurrere irregularitatem: vt colligitur *ex cap. Quodquod* 27.*quæst.*2. *quod est ex Synodo Ancyrana cap.*18.Et hæc irregularitas est ex delicto: vt habetur *ex cap. Nuper, & ex cap.fin.de bigamis.* Et ita sentiunt Nauarr. *lib.*1.*consit.de bigamis conf.*1.*num.*6. Tolet.*lib.* 1.*cap.*26.*num.*7.Valent.4.*p.d.*7.*q.*19. *p.*3.Emman.Sa *verb.irreg. vbi de bigamia num.*4.& Lop.*p.*2.*cap.*22.

QVÆSTIO CCLXI.

An si in sacris constitutus matrimonium contrahat, sit irregularis?

ET quidem si clericus in sacris constitutus cum vidua cognita à priori viro contrahat,& cum ea matrimonium consummet, certum est, eum esse irregularem: vt expresè definitur *in cap fin.de bigamis.* 1

QVÆSTIO CCLXII.

Sed dubium est: An clericus in sacris constitutus cum vna, & virgine contrahens sit irregularis?

PETR. à Soto *lect.* 18. *de matrimon. pag.*4.& Henriq.*lib.*12. *de matrim. cap.*6 *num.*10.*& lib.*14.*de irreg.cap.*4. negant. 1

Sed dicendum est, hunc esse irregularem, vt definitur *in cap.*1. *Qui clerici, vel vouentes & in cap.*2. *eod.tit. de subdiacono.* Et hæc irregularitas non oritur ex significationis defectu, sed ex delicto.Ita Nauarr.*cap.*27. *num.*95. Tolet.*lib.*1.*cap.*16. *num.*7. Valent. 4. *p.d.*7. *q.*19. *p.*3. Rodet. *p.* 1. *cap.* 158. *num.*2.& Lop.*p.cap.*22. 2

QVÆSTIO CCLXIII.

Vtrum ad hanc irregularitatem incurrendam requiratur copula?

RESPONDEO requiri, vt expresè definitur *in cap. Debitum de bigamis,* 1

bigamis, & in cap. fin. d. 38. quod est ex Gelasio Papa. Et tradit D. Thom. *in 4. dist. 27. quæst. 3. art. 1. q. 1. ad* 3. Tolet. *lib. 1. cap. 26. num.* 5. Couar. *Clem. si furiosus de hom. 1. p. §. 2. num. 2.* & plerique alij.

QVÆSTIO CCLXIV.

An in hoc casu mandantes, consilium, auxilium, vel fauorem præstantes hanc excommunicationem incurrant?

1 ROSELLA *verb. excommun. 1. casu* 43. & Syluest. *ibidem 9. casu 41. dub. 8. num. 79.* affirmant.

2 Alij verò rectiùs negant. Quia dicta Clement. vnica solos contrahentes excommunicat. Et ideò ita tenent Nauarr. *cap. 27. num.* 141. Caietan. *in summ. verb. excomm. cap.* 47. & ibi Armil. *casu* 45. & Petr. de Ledesm. *de matrim. q. 55. art. 9. dub. 1.* qui bene infert nec ligari hac excõmunicatione Procuratorem, per quem initur matrimonium, nec parentes qui nomine filiorum consensum in matrimoniũ præstant. Quia hi non sunt propriè contrahentes, sed verorum contrahentium mediatores.

QVÆSTIO CCLXV.

An Sacerdos qui hoc matrimonium solemnizat, hanc excommunicationem incurrat?

1 CAIETAN. *verb. excomm. cap.* 47. Nauarr. *cap. 27. nu.* 141. & Emm. Sa *verb. excommun. vbi de excommun. nulli reseruatis num.* 10. sentiunt hunc sacerdotem tali excommunicatione ligari. Ducuntúrque quia in *dicta Clementina vnica* etiam excommunicatione feriuntur, qui iisdem matrimoniis interdictis assistunt. Nam ibi dicitur. *Et inter eos scienter eadem celebrantes matrimonia.* Quæ verba non reperiuntur in nostris codicibus. Et ideò dicendum est cum Syluest. *verb. excomm. 9. casu 41. num. 79.* & Rosell. *ibidem 1. casu* 43. Suar. *de censuris disp. 23. num. 23.* & aliis eum talem excommunicationem non incurrere. Quia *in ea Clementina vnica* soli contrahentes matrimonium excommunicantur.

QVÆSTIO CCLXVI.

An per ingressum religionis sponsalia dissoluantur?

IN qua re certum est apud omnes, per solemnem professionem sponsalia de futuro dissolui. 1

QVÆSTIO CCLXVII.

Sed dubium est: An per religionis ingressum, solemni professione non secuta, sponsalia dirimantur?

D. Thomas *in 4. dist. 27. q. 2. art. 3. ad* 1. negat. 1

At verò Sotus *in 4. d. 27. quæst. 2. art. 5.* Nauarr. *cap. 22. num. 16.* Cord. *summ. quæst.* 136. Henriq. *lib. 11. de matrimon. cap. 14. num. 3.* Lop. *p. 2. cap.* 38. & Roder. *p. 1. cap. 244. num. 1.* rectiùs affirmant. Quia eo ipso, quod quis ad religionem transit, satis declarat se sponsalibus renunciare: ergo manens in sæculo ab obligatione est liber. 2

Tum quia per huiusmodi ingressum facta est notabilis mutatio, magno enim dedecori tribuetur puellæ, si cum illo qui religiosus fuit, contrahat, & è contra viro si monialem ducat.

Hoc

Hoc tamen limitat Roder. nisi ingressus religionis dolosè fiat, animo statim exeundi, vt hac via, & modo liberetur ab obligatione sponsalium.

3 Sed hæc limitatio non est necessaria, vt manens in sæculo possit ad alias nuptias transire, immo potius, certius est, cum liberum manere, quia constat alterum ob id ingressum esse religionem, vt sponsalibus renunciaret.

QVÆSTIO CCLXVIII.

An per ingressum religionis professione solemni non secuta, dirimantur prorsus spōsalia ex parte vtriusque?

1 HENRIQ. *lib.* 11. *de matrimon. cap.* 14. *num.* 5 & Roder. *p.* 1. *cap.* 245. *num.* 1. affirmant tantum dissolui, ex parte manentis in sæculo.

2 Sed dicendum est, ea omnino dissolui, ex parte vtriusque, quando ille bona fide, animo experiendi religionis austeritates ingreditur. Secus si fraudulenter, & animo statim egrediendi: fraus enim nemini debet patrocinari. Vnde sicut manens in sæculo potest statim alteri nubere, ita similiter Nouitius ille si religionem dimittat. Et ideò ita sentiunt Sotus, Nauarr. & Lop. *vbi supra.*

QVÆSTIO CCLXIX.

An qui sponsalia iurauit, possit ante impletionem iuramenti, ad religionem migrare?

1 NAVARR. *cap. Non dicatis* 12. *q.* 1. *num.* 3. & Vega *lib.* 1. *casu* 389. negant, sed teneri prius contrahere, & postea ante consummationem religionem ingredi. Et probant, quia *in cap. Commissum de sponf.* consultus Pontifex de hoc dubio sic respondit: *Tutius est ei, religione iuramenti seruata, si prius contrahat, & postea si elegerit, ad religionem migrare.*

At multò verius est, posse hunc religionem ingredi non contracto matrimonio. Ratio est, quia *in dicto cap. Commissum de sponsal.* Pontifex solùm dixit, tutius esse ei prius contrahere, quod tantum consilium est: ergo potest tuto oppositum fieri. 2

Tum quia iuramentum sortitur naturam, & conditiones actus, super quo interponitur *cap. Quemadmodum de iureiur.* Vnde conditio in actu subintellecta, similiter subintelligitur in iuramento: At in promissione matrimonij, subintelligitur conditio, *Nisi promittens voluerit religionem ingredi*: ergo & in iuramento, ac proinde cum ingrediens religionem conditionem impleat, non erit periurus, si non contracto matrimonio ad religionē transeat. Et ideò ita sentiunt Caietan. *ve. b. periurium cap.* 2. Sot. *in* 4. *d.* 27. *q.* 2. *art.* 5. Henriq. *lib.* 11. *de matrimon. cap.* 13. *num.* 3. *& cap.* 14. *num.* 3 Lop. 2. *p. cap.* 38. & Cord. *summ. quæst.* 136. Quod intelligitur, nisi concurrat vrgens causa ad prius contrahendum, tunc enim teneretur contrahere, & ante consummationem posset ad religionem migrare: vt si per tale matrimonium cesset dedecus virginis, aut proles ab illa suscepta legitimetur. At hæc obligatio non consurgit ex vi iuramenti, sed ad resarciendum damnum.

QVÆSTIO CCLXX.

An qui post sponsalia iurata votum religionis emisit, possit licitè contrahere matrimonium animo firmo ingrediendi religionem ante eius consummationem?

PETR.

1 PETR. de Ledesm. *de matrimon. q. 53. art. 1* tenet id licere. Quia vtitur iure suo, & contractus est vtrinque æqualis: idem enim alteri licet.

Cæterùm multò probabilius est id non licere absque culpa lethali. Ratio est, quia qui sic contrahit, euidentissimo periculo exponitur remanendi in mundo propter eius blandimenta, & sponsæ illecebras, & ita violandi votum.

2 Tum quia qui eo animo contrahit, videtur notabilem inferre iniuriam sacramenro, dum illud suscipit, sine intentione exercendi actum, ad quem ordinatur.

Tum quia iniuriam infert puellæ, decipiendo eam in re tam graui, dum promittit ei debitum, quod reddere interiùs minimè intendit: cogitque eam absque nuptiis esse, donec ipse profiteatur, & si è religione discedat, esse vxorem monachi cum suo dedecore, & eo ad professionem admisso, non ita facilè aliis nubet ob suspicionem copulæ cum illa habitæ.

Et ad fundamentum contrariæ opinionis respondeo: fateor hunc vti iure suo quando bona fide contrahit matrimonium, quia tunc contractus est vtrique æqualis: secus quando dolosè sine animo consummmandi contrahit, quia tunc non seruatur æqualitas, nam alter bona fine nubit.

QVÆSTIO CCLXXI.

An qui sponsalia iurauit, possit matrimonium contrahere animo ingrediēdi religionem antequam consummet?

1 DOCTOR subtilis *in 4. d. 34. quæst. vnica* affirmat posse.

2 Sed verius est, non posse. Ratio est, quia qui iurat ducere vxorem aliquam, non adimplet iuramentum, si contrahit cum illa animo migrandi ad religionem. Quia iuramentum ducendi eam implicitè continet consummationem matrimonij, & facere vitam coniugalem, cùm in iuramentis, & votis plus debeat inspici ad intentionem, quàm ad verba.

QVÆSTIO CCLXXII.

An qui post votum religionis, aut castitatis virginem deflorauit sub spe eam ducendi in vxorem, teneatur matrimonium inire, vel potius ingredi religionem, vel vitam cælibem tenere?

DOCTOR Nauarr. *lib. 4. conf. de sponsalibus conf. 21.* negat posse eam ducere. 1

Contrarium tamen verius, & probabilius videtur, nempe teneri eam ducere. Ratio est, quia votum nullam vim habet obligandi, quando interuenit notabilis mutatio, vt omnes Doctores tradunt: hic autem notabilissima est mutatio, cum vinculum iustitiæ fortissimum superuenerit, & ingens proximi iniuria, si votum impleatur. 2

Tum quia iustitiæ vinculum fortius est, quàm charitatis, sed ob charitatis vinculum superueniens tenetur quis votum religionis præcedens prorogare, vt hac ratione parentum indigentiæ subueniat: ergo à fortiori id facere poterit in casu nostro.

Tum quia ex hoc, quod deflorator fœminam ducat in vxorem, minimè ab obligatione voti liberatur, sed tantùm voti executio ad tempus differtur: ergo sufficiens est causa tam vrgens. 3

 Tum

Tum quia ære alieno onuſtus, ſi in breui ſperat ſe habiturum vnde ſoluat creditoribus, non poteſt religionem intrare, ad quod voto tenebatur, ſed obligatur differre, vt omnes fatentur. At in caſu noſtro poteſt deflorator ſtatim ſoluere, ducendo eam in vxorem: ergo non obſtante priori voto tenetur.

4 Quam doctrinam intelligo, quando puella votum promittentis ignorauit. Si enim nouit, ſeipſam decepit & alter tenetur votum implere.

QVÆSTIO CCLXXIII.

An qui religionem vouit, & poſtea matrimonium contraxit, teneatur religionẽ ingredi antequam illud conſummet?

1 RESPONDEO teneri, & ſi illud conſummet, peccat mortaliter. Ratio eſt, quia adimpletio voti adhuc eſt ei licita, & poſſibilis. Si tamen conſummauit, poſtea non ſolùm debitum reddere, ſed etiam petere poteſt, cum votum religionis præcisè non obliget ad cõtinentiam, niſi poſt profeſſionem factam in religione approbata: mortuo autem coniuge tenetur ad religionem migrare, cùm ſuum votum non fuerit extinctum, ſed ſopitum ad tempus. Vnde ſi poſtea ad ſecundas nuptias tranſeat, iterum peccat mortaliter, quia exponit ſe periculo violandi votum ſuum per conſummationem matrimonij; & ſi poſtea conſummat, iterum peccat mortaliter Ita Caiet. 2. 2. q. 88. *ar.* 2. Sot. *lib.* 7. 9. 2. *ar.* 1. & Nauar. *c.* 12. *nu.* 47.

QVÆSTIO CCLXXIV.

An votum ſimplex caſtitatis ſponſalia diſſoluat?

ET quidem ſi votum caſtitatis ſponſalia antecedat, reddit ea irrita, etiam iuramento firmata. Quia quod Deo ſemel dicatum eſt, non poteſt ſine ſacrilegio alteri tradi, ac proinde peccat mortaliter, qui poſt huiuſmodi votum matrimonium promittit. 1

Secundò etiam conſtat, per tale votum ſponſalia diſſolui ex parte eius qui non vouit. Quia eo ipſo quod alter vouit ſtatim viſus eſt ſponſalibus renunciare, atque ita alterum liberum eſſe à ſponſaliũ fide, ac proinde poſſe libere eum ad alias nuptias tranſire. Quod debet intelligi in foro conſcientiæ, quia in foro externo non poteſt contrahere, donec publicè conſtet de voto facto alterius. 2

QVÆSTIO CCLXXV.

Difficultas ergo eſt, quando ſponſalia votum præcedunt: An videlicet votum caſtitatis ſimplex factum poſt ſponſalia, ipſa ex parte vouentis diſſoluat?

DOCTOR Angelicus *in* 4. *d.* 38. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 3. *ad* 1. Caietan. *verb. periurium ad finem cap.* 2. Sot. *in* 2. *d.* 27. *quæſt.* 2. *art.* 5. & Henriq. *lib.* 11. *de matrimonio cap.* 14. *num.* 4. tenent ſponſalia etiam iurata diſſolui per votum caſtitatis ſuperueniens. Et ratio eſt, quia promiſſum non infringit, qui in melius illud commutat. *cap. Peruenit de iureiur.* 1

Tum quia in ſponſalibus ſemper ineſt tacita conditio. *Niſi voluero ad meliorem ſtatum tranſire.*

Cæterùm multò verius eſt, talia ſponſalia non diſſolui. Et ratio eſt, quia res alteri promiſſa, non poteſt Deo dicari per votum caſtitatis: ſed 2

per

per sponsalia proprium corpus alteri promittitur: ergo repromissio eiusdem corporis facta Deo per votum, non est illi grata.

Tum quia nullo iure probati potest, in sponsalibus inesse tacitam conditionem, *Nisi voluero ad meliorem statum migrare præter statum religionis:* immo Ecclesia authoritate iudicis cogit eum qui votum castitatis post spõsalia emisit, vt vel religionem ingrediatur, vel sponsalia perficiat. Et ideò ita tenet Syluest. *verb. Matrimonium* 7.*q.* Nauarr. *cap.* 22. *num.* 27. Cord. *summ.q.*136.*p.*4. Vega *lib.*6.*summ.casu* 41.*p.*4. Lop.*p.*2.*cap.*38. & Cosm.Phil. *de off.Sacerd.tom.*1.*p.*2.*lib.*2.*cap.*1.

Hinc, qui post sponsalia votum castitatis emittit, peccat mortaliter. Quia vouendo videtur sponsalibus renunciare. Syluest. *verb. Sponsalia. quæst.*7. Quod intelligo quando vouens habet animum manendi in sæculo: secus autem si animo ingrediendi religionem tale votum emitteret: quià tunc non peccaret, quia vtitur iure suo.

Nec argumenta in contrarium adducta sunt alicuius valoris: nam ad primum respondeo, textum citatum loqui de voto in quo cum Deus sit creditor, semper rem meliorem acceptat: secus in promissione homini facta.

Ad secundum patet ex dictis.

QVÆSTIO CCLXXVI.

An qui post sponsalia, votum castitatis emisit, teneatur ad religionem transire, vt suum votum impleat?

1 MVLTIS visum est, & viris quidem peritis hunc teneri religionem ingredi. Quia aliter votum suum integrè implere nequit. Sic Syluest. *verb. sponsalia q.*7. & Cord. *summ. quæst.*136.

Ac ego existimo hunc non teneri religionem ingredi, sed posse si velit; sin minus teneri matrimonium inire. 2
Prima pars probatur, quia hic religionem non vouit; ergo ad id non tenetur.

Secunda verò pars probatur, quia sponsalia non sunt dissoluta: ergo tenetur illa perficere inito matrimonio.

QVÆSTIO CCLXXVII.

An huiusmodi votum post sponsalia emissum sit validum?

VIVALDVS *cand. sacram.* 1. *p. de spons. cap.* 5. *num.* 48. tenet esse irritum. 1

At dicendum est ex parte vouentis id esse validum, & obligare non quidem ad non ducendam illam, cui fidem dedit, sed dissolutis sponsalibus ex quacunque causa sufficienti, vel matrimonio morte coniugis ad seruandam omnino castitatem, vel constante matrimonio ad non petendum debitum, quamuis reddere teneatur. Et ratio est, quia votum castitatis etiam emissum à coniugato est validum in sui præiudicium. 2

Et videtur conclusio definita *in cap. Veniens*, vbi sponsæ quæ post sponsalia castitatem vouit sponso iam aliis nuptiis adstricto, conceditur dispensatio aliud matrimonium contrahendi, iniuncta pœnitentia de animo violandi votum: ergo votum fuit validum. 3

QVÆST. CCLXXVIII.

An qui sponsalia promisit, possit tuta conscientia ad sacros ordines ascendere?

1 PALVD. *in 4.d.27.q.1.art.3.* & Maiolus *de sponsf.lib.1.de irreg.cap.34. num.6.* negant.

2 At verior sententia est, hunc posse ad sacros ordines promoueri, ac proinde sponsalia dissolui voto ordinis sacri suscipiendi. Ratio est, quia in sacro ordine solemne castitatis votum includitur, *cap.Vnico de voto in 6.* Sed votum solemne castitatis dissoluere sponsalia diximus supra: ergo. Atque ita tenent Sot.*lib.7.quæst.1.ar.3.* Cord. *summ.quæst.136.p.4.* Henriq. *lib.11. de matrim.cap.14. num.4.* & Vega *summ. casu 41.p.4.*

QVÆSTIO CCLXXIX.

An per solemnem religionis professionem, vinculum matrimonij dissoluatur?

1 IN qua re conuenit inter omnes vinculum matrimonij consummati per religionis professionem non dissolui iuxta illud Matth.19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet. Et quicumque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit mœchatur.* Et illud Apost. 1. Cor.7. *His quis matrimonio iuncti sunt præcipio non ego, sed dominus, mulierem à viro non discedere.* Quæ verba de aliquo matrimonio locum habere debent, at non de matrimonio rato vt ex infra dicendis constabit: ergo de matrimonio consummato.

QVÆST. CCLXXX.

Quæstio ergo tantum est, de matrimonio rato?

1 PALVD. *in 4.d. 27.q.3. art.2. & ibi* Supplem. Gabr. *quæst.2. art.3.dub. 8.* negant.

2 At verissima sententia est, vinculum matrimonij rati antea contracti solemni religionis professione alterius coniugis dissolui, & alterum in sæculo derelictum esse omnino à vinculo solutum, posseque libere ad secundas nuptias transire, si religiosus similiter fieri nolit. Probatur primo ex vsu Ecclesiæ, & Apostolorum traditione à Christo deriuata; nam in primis D. Ioannes Euangelista, vt Beda in procemio in eundem testatur, ex nuptiis vocatus est ad Apostolatum.

Deinde, teste D.Amb.*lib. 2. de virginitate.* Teclam virginem, & martyrem post matrimonium contractum, nondum consummatum D. Paulus ad fidem conuertit, & ad vitam religiosam vocauit. Et D.Alexius, Macarius, Cæcilia & multi alij ex nuptiis ad statum perfectiorem transierunt: vt in eorum vitis Metaphrastes, Surius, & D.Hieronymus describunt. 3

Tandem est conclusio definita in Conc. Trident. *sess.24. de matrim.can. 6.* vbi sic dicitur. *Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per solemnem religionis professionem non dirimi, anathema sit.* Quod intelligitur, etiam si alter coniux repugnet.

Ex quo sequitur matrimonium ratum minimè dissolui per vota emissa à fratribus, & sororibus de tertio ordine B. Dominici & B.Francisci, qui nec clausuram seruant nec in communi viuunt. Quia hæc vota non sunt solemnia, sed simplicia. 4

QVÆSTIO CCLXXXI.

An per professionem in religionibus militaribus emissam soluatur matrimonium ratum?

ET quidem certum est, matrimonium ratum dissolui per professionem Clericorum, & Monialium ordinum 1

ordinum militarium sub clausura, & in communi viuentium.

Quia hi verè, & propriè religiosi sunt. Et in hoc omnes conueniunt.

Sed difficultas consistit, de professione equitum militarium ordinum, qui non viuunt in communi, nec vxores ducere possunt, vt sunt Equites Melitæ dicti sancti Ioannis.

2 Sotus *in 4.dist.27.q.1. ar.4.* tenet per eam non dissolui matrimonium ratum. Quia non sunt verè, & propriè religiosi. Nam proprium retinent, & more sæcularium viuunt.

At pro certo tenendum est dissolui. Quia huiusmodi equites, & nobiles viri sunt verè, & propriè religiosi, & emittunt tria religionis essentialia vota, nempe obedientiam,
3 paupertatem, & castitatem in religione per sedem Apostolicam approbata. Et ideo ita tenent Nauarr. *lib.3. conf. tit. de regular. conf.* 12. Cord. *in sum. q.*148. *&* 178. Arag. 2. 2. *q.* 88. *artic.* 11. Roder. *p.* 1. *sum. cap.* 238. Henriq. *lib.* 11. *de matrim cap.*8. *num.* 6. & Vega *lib.* 6. *sum. casu* 17. qui dicunt quod D. Gaston Dux Medinæ cœli huius ordinis professione emissa, liberatus fuit à matrimonio iam valido per legitimum consensum de præsenti, idque factum fuit cum sapientum consilio, & vigore statuti illius religionis id permittentis.

QVÆST. CCLXXXII.

Sed maius dubium est, de equitibus D. Iacobi Calatraue, & Alcantara, &c.

1 Nonnulli censent per eorum professionem matrimonium ratum, nondum consummatum dirimi. Quia est solemnis professio.

Alij verò rectius negant. Quia hi non promittunt castitatem absolutè, sed duntaxat castitatem coniugalem, id est possunt matrimonium contrahere: ergo per eorum professionem non dirimitur matrimonium ratum non consummatum prius contractum. Et ideo ita sentiunt Arag. 2. 2. *quæst.*88. *art.* 11. Petr. de Ledesm. *in suis addit. ad* 3. *p. quæst.*6. *art.*2. *ad* 4. Roder. *tom.*3. *qq. reg. quæst.*1. *art.* 7. & Henriq. de sacramentis *lib.* 11. *cap.* 8. §. 6. 2

QVÆSTIO CCLXXXIII.

An per susceptionem sacri Ordinis matrimonium duntaxat ratum, nec dum consummatum dissoluatur?

Respondeo non dissolui, vt habetur definitū à Ioanne XXII. *in sua extrauag. Antiqua de voto, & voti redemptione.* Et idem asserendum est de Episcopatu, qui licet sit status religione perfectior, non tamen est status consistens in totali sæcularium rerum abnegatione, quæ quoad sæculum dicitur mors spiritualis, nec habet tale priuilegium, ideo non dirimit, sicut professio. Quod si Ioannes Euangelista vt D. Hier. & August. testantur, à nuptiis vocatus fuit ad Apostolatum, id fuit quia Apostoli verè religiosi fuerunt, votisque se religionis obstrinxerunt renuntiando sæculo, in quo eis Episcopi non succedunt, sed in officio pastorali. Sot. *in* 4. *dist.* 27. *q.*1. *art.*4. *& lib.*7. *q.*5. *art.*3. 1

QVÆST. CCLXXXIV.

Quaenam sit ratio, ob quam matrimonium ratum per solemnem professionem dissoluatur, non autem consummatum?

1 RESPONDEO, ratio huius ea esse potest, quia in matrimonio rato dumtaxat coniunctio inest animorum, non corporum, quæ vnionem inter Deum, & fidelem animam existentem significat; hæc autem sicut per peccatum dissolubilis est, ita matrimonium ratum dissolubile erit per professionem.

At vero in matrimonio consummato, quia est etiam coniunctio corporum, quæ indicat vnionem inter Deum, & fidelem animam per carnis humanæ assumptionem in vtero Virginis, quæ vnio quia inseparabilis est, matrimonium quoque consummatum inseparabile existit.

QVÆSTIO CCLXXXV.

Quo iure, quáue ratione per solemnem professionem vinculum matrimonij rati dissoluatur?

1 IN qua re sanè dubia, & perplexa tres sunt opiniones. Prima docet ex natura rei id professioni conuenire, ac proinde ex iure naturali, & diuino. Ita D. Thom. *in* 4. *d.* 27. *quæst.* 1. *artic.* 3. *quæstion.* 2. Couarru. 4. *decret.* 2. *part. cap.*7.§.4. *num.* 7. Lop. *p.* 2.*c.*39.& Card. Bellarm. *lib.* 2. *de monach.c.*38.

Secunda opinio tenet eiusmodi vim professioni inesse iure diuino positiuo. Quia ordinatione Christi matrimonium ratum habet hanc conditionem, *Nisi voluero religionem eligere.* Sic Scot. *in* 4. *d.* 31. *quæst.* 1. Sot. *in* 4. *d.* 27. *quæst.* 1. *art.* 4. Cord. *lib.* 1. *quæst.* 1.*q.*25. Henriq. *lib.*11.*de matrim. cap.*8.*num.* 6. & Sanch. *lib.* 2. *de matrim.d.*19. 2

Tertia verò opinio, quàm sequor, sustinet id prouenire ex sola ecclesiæ constitutione. Ratio est, quia professio hoc facit ratione solemnitatis, sed solemnitas est ex constitutione Ecclesiæ: ergo professio hoc facit ex constitutione Ecclesiæ.

Tum quia Pontifex potest iustis de causis dissoluere matrimonium ratum, vt multi nobiles authores testantur. Atqui hoc est sufficiens causa nimirum transitus ad religionem: ergo potuit statuere, vt in hoc casu dissolueretur. Et ideò ita sentiunt Less. *lib.*2.*cap.*41.*dub.*8.Med. *lib.* 5. *de sacrorum homin. continent. cap.* 86. & Azor. *lib.*12.*c.*6.*q.*3.

QVÆST. CCLXXXVI.

An quando vterque coniux communi consensu profitetur, vinculum matrimonij rati dissoluatur?

DOCTOR Angelicus *in* 4. *in d.* 27. *q.* 1. *artic.* 3. *q.* 3. *ad* 1. negat dissolui. Et probat, quia quando vnus tantum profitetur, quantum in se est, renunciat vinculo matrimonij. Et ideò alter à vinculo illo liber euadit: at dum vterque profitetur, neuter renunciat. 1

Cæterùm absque dubio dicendum est, dissolui. Et ratio est, quia hæc matrimonij dissolutio non prouenit ex iuris proprij renunciatione, sed vel,

2 vel, vt dicit Scotus, ex Christi priuilegio; vel, quod probabilius est, ex Ecclesiæ constitutione, quæ æquè procedit, siue vterque, siue alter profiteatur. Ita Henriq. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 8. *nu.* 9. & Ledesm. 2. *p.* 4. *q.* 63. *ar.* 3.

QVÆST. CCLXXXVII.

An Pontifex possit in matrimonio rato dispensare quoad vinculum, ita vt vterque possit secundum matrimonium inire?

[redacted]

[redacted] 1 DOCTOR subtilis *in* 4. *d.* 31. *q.* 1. Arag. 2. 2. *quæst.* 88. *artic.* 11. Cord. *lib.* 1. *quæst* 1. *q.* 25. Lop. *p.* 2. *c.* 54. Sot. *lib.* 7. *quæst.* 2. *artic.* 5. & Vega *lib.* 4. *sum. casu* 399. negant.

Communis tamen, & vera sententia habet summum Pontificem posse in matrimonio rato dispensare. Ra-
[redacted] 2 tio est, quia in rebus dubiis standum est iudicio Superioris maximè Pontificis, cui totius Ecclesiæ regimen incumbit. *cap. Ad aures de temp. ord.* Sed varij Pontifices inueniuntur, in matrimonio rato dispensasse. Nam D. Anton. 3. *part.* 1. 1. *cap.* 21. §. 3. testatur se vidisse Bullas Martini V. & Eug. IV. qui in matrimonio rato, & non consummato dispensarunt. Et Nauar. *cap.* 22. *num.* 21. refert ter, vel quater ad instantiam suam Paul. III. & Pium IV. dispensasse. Et Caiet. *in opusc. to.* 1. *tract.* 28. *de matrim. q. vnica* refert suo tempore sæpe Pontifices dispensasse. Et Henriq. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 8. *num.* 11. refert Greg. XXIII. vnica die cum vndecim dispensasse: ergo.

Et confirmatur: nam Pontifex potest dispensare in voto solemni religionis: ergo & in matrimonio rato. Probo consequentiam, quia votum solemne est fortius vinculum, cùm dissoluat matrimonium ratum. Et ideò huius opinionis sunt Illustrissimus 5
Caietan. *opusc. tom.* 1. *tract.* 24. *de matrim. quæst. vnica.* Nauar. *lib.* 4. *consf.* 1. *de sponsf. consf.* 3. & *cap.* 22. *num.* 21. Medin. *lib.* 5. *de contin. cap.* 88. Henriq. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 8. *num.* 11. & *lib.* 12. *cap.* 5. *num.* 3. & *cap.* 16. *num.* 7. Bellarmin. *lib.* 2. *de monach. cap.* 38. Cosm. Phil. *de off. sacerd. tom.* 1. *p.* 2. *lib.* 2. *c.* 16. & Viual. *cand. lib.* 1. *p. de matrim. nu.* 32.

QVÆST. CCLXXXVIII.

An Romanus Pontifex possit sine iusta causa dispensare in matrimonio rato?

ET quidem certum est, Pontificem peccare, si sine iusta causa in matrimonio rato dispenset. 1

QVÆST. CCLXXXIX.

Sed dubium est: An si absque iusta causa dispenset, talis dispensatio teneat?

MEDINA *lib.* 5. *de contin. cap.* 73. & Henriq. *lib.* 11. *de matrim. nu.* 11. affirmant tenere. Quia putant indissolubilitatem matrimonij rati esse de solo iure humano. 1

At Illustrissimus Caiet. *opusc. to.* 1. *tract.* 28. *de matr. q. vnica.* Nau. *c.* 22. *nu.* 21. & Philiarch. *to.* 1. *p.* 2. *lib.* 2. *c.* 16. asserunt talem dispensationem non valere. Pro quo, 2

Primò dico, quod verisimilis est opinio Medinæ asserentis valere dispensationem Pontificis in matrimonio rato absque causa iusta concessam. Quia probabile est, indissolubilitatem talis matrimonij esse de iure positiuo.

Secun

Secundò dico, quod verisimilior est opinio Caietani,& aliorum tenentium dispensationem Pontificis absque causa iusta factam in matrimonio rato esse omnino irritam. Quia verisimilius est, hanc indissolubilitatem esse de iure naturali,& diuino, in quo Pontifex sine iusta causa non potest validè dispensare.

Tertiò & vltimo dico, quod vt Pontifex in matrimonio rato dispenset, non exigitur mutuus coniugum consensus;sed si causa iusta subsit,potest Pontifex dispensare altero eorum contradicente.Quia si causa iusta exi-
3 stat, contradictio alterius non potest Pontificis authoritatem coarctare, quominus possit alteri habenti iustam dissoluendi causam, consulere. Ita Med.*lib.5.de continentia cap.89.*

QVÆST. CCXC.

An Romanus Pontifex possit dispensare cum professo, vt matrimonium ad tempus ineat,ea lege,vt habita prole, ad religionem redeat?

RESPONDEO non posse. Ratio est,quia indissolubilitas est de es-
1 sentia matrimonij. Poterit tamen dispensare eo pacto, vt si habita prole vxor liberè consentiat,vel perpetuam iusti diuortij causam dederit, teneatur ad religionem redire.

QVÆST. CCXCI.

...xigatur, vt matrimonium ... consummatum,ac pro- ... solemnem reli...onis ... indiss...

ET quidem certum est primò, non consummari matrimonium per quamcumque seminis effusionem extra naturale vas. Quia ea non est copula, quæ necessariò exigitur ad matrimonij consummationem. 1

Secundò certum est, consummari matrimonium quacunque arte, etiam dæmonis ministerio, recipiatur semen intra vas naturale absque illius penetratione. Quia ea copula est generationi sufficiens, efficitque coniuges vnam carnem. Ita Sot.*in 4.d.2*.*q.1.* 2
ar.4. Cord.*sum.q.178.*& Henriq.*lib.21.de matr.cap.15.nu.3.*

QVÆST. CCXCII.

Sed dubium est. An ad consummationẽ matrimonij sufficiat vasis penetratio absque seminis emissione intra vas?

MED. *lib.5. de continentia cap.76.& 77.* Petr. de Ledesm. *de matrim.q.61.ar.1.*& Roder.*p.1.sum. cap.238. nu.2.* tenent sufficere vasis penetrationem absque seminis receptione. 1

Alij verò rectiùs docent vltra vasis penetrationem necessariò requiri viri seminationem intra vas. Ratio est, quia ea copula carnalis ad consummandum matrimonium requiritur, quæ efficit coniuges vnam carnem, vt Alex. Papa III. definit *cap.*
2. de conuersat. coniug. Sed sine semi- 2
nis effusione intra vas, non efficiuntur vna caro, vt manifestè colligitur *ex cap. lex quæ est Benedicti Papa 27. quæst. 2.* & tradit D.Thom. *4.d.41.quæstio.1.artic.1.quæstion.4.ad 1.* ergo talis copula non sufficit ad consummandum matrimonium.

Tum

Tum quia ea copula ad consummationem matrimonij exigitur, quæ ad generationẽ est apta, aliàs copula sodomitica consummaret matrimonium, quod est plusquam falsum: At ex penetratione absque seminis immissione, non potest sequi generatio: ergo. Et ideò ita tenent Sot. *in* 4.*d.* 17. *quæst.*1. *artic.*4. Syluest. *verb. matrim.*8.*qu.*15.Henriq.*lib.*11.*de matrim. cap.*8.*num.*8.Vega *lib.*4.*sum.casu.*157. & Cord. *sum.qu.*178.

QVÆST. CCXCIII.

An matrimonium sit consummatum, si solus vir intra vas fœmineum semen emittit?

1 DOCTOR Angelicus 3. *p. qu.*31. *art.*5. *ad* 3. communiter receptus docet esse consummatum, quia tenet cum Aristotele *lib.*2.*de generat. animal. cap.*2. & Galeno sibi contrario *lib.*1.*de sanit. tuenda cap.*1.& Auicenna *lib.*9. *animal. cap.*1. semen fœmineum ad generationem non esse necessarium. Eandem opinionem sequuntur Sot.*in* 4.*d.*27. *quæst.*1.*art.*4. Henriq.*lib.*11.*de matrim.cap.*8.*nu.*8.& Vega *lib.*3.*sum.casu* 157.

2 At Illustrissimus Caiet.2.2.*qu.*154. *art.*12.sentit non consummari matrimonium, nisi etiam fœmina semen emittat. Et probat, quia semen fœmineum est ad generationem necessarium vt Hippocrates, & Galenus teste Iauello *lib.*8.*met.quæst.*17. affirmant. Ex quo loco sic elicio argumentum. Ad matrimonij consummationem requiritur copula, ex qua sequi potest generatio, sed nisi fœmina semen emittat, non potest ex ea copula sequi generatio: ergo non est consummatum matrimonium, viro solo seminante.

QVÆST. CCXCIV.

An per copulam vi extortam consummetur matrimonium?

ET quidem, si loquamur de copula vi extorta post bimestre concessum vxori ad deliberandum de religionis ingressu, certum est, per eam copulam matrimonium consummari. Quia tunc cum vir vtatur iure suo, verè consummat matrimonium, & neutri licet ad religionem ingredi. 1

Quæstio igitur est, quando copula intra illud bimestre vi extorquetur.

Syluest.*verb.diuortium qu.*5. & ibi Armil. *nu.*6.negant.Hoc idem dicunt esse probabile Palud. *in* 4.*d.*27. *qu.*3. *ar.*2.& Duran.*in* 4.*d.*27.*qu.*2.*nu.*14. 2

At pro certo tenendũ est, matrimonium consummari, & esse prorsus indissolubile. Ratio est, quia ex copula vi extorta efficiuntur coniuges vna caro: vt habetur *ex cap. Discretionem de cogn. consang.* 3

Tum quia copula, ex qua potest sequi generatio consummat matrimonium: sed hæc copula, vt constat, est huiusmodi: ergo consummat matrimoniũ.

Tum quia ex parte viri tale matrimonium est consummatum, ac proinde indissolubile, & cùm matrimonij vinculum claudicare nequeat, idem erit ex parte mulieris. Et ideò ita tenent Henriq. *lib.*11.*de matrim.cap.*8. *nu.*10.Couar.4.*decret.*2.*par.cap.*7.*nu.* 10. Vega *lib.*2.*summ. casu* 500. Vict. *sum.de matrim. nu.*225. & Roder.*p.*1. *sum.cap.*238.*nu.*1.

QVÆSTIO CCXCV.

An sponsa vi cognita intra bimestre sibi à iure concessum, possit religionem ingredi?

1 SOTVS *in* 4.*d*.27.*qu*.1.*art*.4. Henriq.*lib*.11. *de matrim.cap*.8. *nu*.10. Lop.*p*.1. *cap*.83. & Vega *lib*.2.*summ. casu* 500. *negant*.

2 Alij verò rectiùs affirmant posse ad religionem transire. Ratio est, quia sponsus extorquendo copulam à Sponsa ante bimeste, grauem ei intulit iniuriam: ergo vt damnum violentiæ sibi illatum resarciat, potest religionem ingredi.

Tum quia sine sua culpa nemo debet iure suo priuari: cum ergo sponsa inuita, & absque sua culpa fuerit cognita, non debet iure, quod habebat intrandi religionem priuari. Ita Syluest. *verb. diuortium quæst*.5. Armil. *num*.6. Palud. *in* 4.*d*.27. *quæst*.3.*art*.2. Palac. *in* 4.*d*.27.*d*.2. Petr. Ledesm. *de matrim.qu*.61. & Roder. *p*.1.*cap*.238. *num*.2.

3 Hinc non potest sponsus inuita sponsa per vim oppressa, religionem ingredi. Quia ex parte sua voluntariè consummatum est matrimonium, & sponsæ id concedunt Doctores, vt damnum violentiæ sibi illatum resarciat. Roder. *p*.1.*sum.cap*.238.*nu*.3.

QVÆST. CCXCVI.

An sponsa timore graui cognita, possit ad religionem transire?

1 SYLVEST. *verb. diuortium quæst*. 5. Armil. *ibidem num*.6. & Palac. *in* 4. *d*.27.*d*.2. negant.

2 Sed verius, ac probabilius multò est, quod docet Petr. de Ledesm. *de matrim.qu*.61.*art*.1 nempe posse religionem ingredi. Ratio est, quia causa ob quam sponsa per violentiam cognita potest religionem ingredi, non est, quia ea copula non fuit voluntaria, sed quia fuit per iniuriam extorta, similis autem iniuria est, quando timore graui copulam extorsit. Ita Petr. de Ledesm. *de matrimonio quæst*. 61.*artic*.1.

QVÆST. CCXCVII.

An sponsus qui vi vel metu graui extorquet copulam à sponsa de præsenti peccet?

ET quidem si sponsus cogit sponsam ad copulam post duos menses concessos à iure ad deliberandum de religionis ingressu, non peccat. Quia vtitur iure suo. Quod intelligit Syluest. *verb. luxuria qu*.6. quando tentatis aliis viis pacificis sponsus nihil proficeret. Quia si his intentatis, per vim eam extorqueret, peccaret ratione modi. 1

QVÆST. CCXCVIII.

Tota ergo difficultas consistit, quando intra illos duos menses, sponsus ea violentia vtitur?

RODER. *par*.1.*sum. cap*.238.*nu*.2 censet eum non peccare mortaliter. Quia per illam copulam non facit iniuriam sponsæ, cùm adhuc possit religionem ingredi eo inuito. Sed sibi soli facit iniuriam, qui non potest ducere aliam, licèt vxor profiteatur religionem, vsque ad eius mortem naturalem. 1

Sed tanquam certum tenendum est, eum peccare mortaliter. Quia aufert corporis integritatem, cùm non habeat ius, donec illud bimestre transeat. 2

Tum quia forsan ex ea copula sequetur proles, ob quam sponsa impedietur ab religionis ingressu.

Tum quia ob istam extorsionem posset sponsus in foro externo puniri: vt

vt notat Couar.4. *decret.2. p.cap.7.§. 4.nu.11*.Pro culpa autem veniali,nullus in foro externo punitur & ideò ita tenet Sotus *in 4. d.27.qu.1.ar.4.*

QVÆST. CCXCIX.

An id bimestre sit à iure concessum ad deliberandum de religionis ingressu,an verò ad profitendum?

1 RICHAR. *in 4.d.27.qu.2. art.2.* & Tab. *verb. matrimonium 3. qu.3. nu.* 4. censent tale tempus esse concessum ad profitendum,ita vt teneatur sponsus religionem ingressus, intra illud bimestre profiteri,vel matrimonium consummare.

2 Communis tamen tam Theologorum, quam Canonistarum sententia habet id bimestre præscribi ad deliberandum de religionis ingressu; vt expresse definitur *in cap. Ex publico de conuersat. coniug.* vbi dicitur. Debere intra bimestre transire ad religionem per assumptionē habitus nouitiorum.

QVÆSTIO. CCC.

An si sponsi nolint intrare religionem, teneantur statim contracto matrimonio sibi inuicem reddere debitum?

1 DOCTOR Nauar. *in Man.cap.16. nu.17*.affirmat teneri.

2 At communis,ac verissima sententia est,hos ad id non teneri.Ratio est, quia id tempus est à iure concessum ad deliberandum de ingressu religionis, & quamuis hodie nolint religionem ingredi, possunt tamen propositum in melius commutare, & ita poterunt id tempus expectare. Et ideò ita sentiunt D. Thom. *in 4. d. 26.quæst.1. artic.4. quæstio.2.ad 2.* Sot. *in 4.d. 26. quæst.1. art.5.* Henriq. *lib. 11.de matrimon. cap. 15.nu.7.* & Lop. *p.1.cap.83.*

QVÆSTIO CCCI.

An si intra illud bimestre sponsus non intrat religionem, possit eo transacto ingredi?

RESPONDEO posse. Ratio est,quia licèt transacto eo bimestri teneatur sponsus alteri debitum reddere,& possit ad id compelli,ac proinde peccet, religionem ingrediendo altero inuito; si tamen ingrediatur, professio tenet, etiamsi sit illicita. Quia adhuc matrimonium non est consummatum,sed ratum tantum, quod per solemnem professionem religionis approbatæ dirimitur ex Conc. Trid. *sess.24 cap.6*.Ita Rebell. *p.2.de obligat. lib.3.qu.4.sect.2.* 1

QVÆST. CCCII.

An solemnis professio priuet religiosum omni dominio bonorum temporalium?

RESPONDEO communem esse sententiam, professionem priuare religiosum omni dominio bonorum mobilium,& immobilium,& reddere inhabilem ad illud: vt habetur *in cap. 7.Quia ingredientibus 19. qu.3.& cap. 9. Si qua mulier.* dominio priuat ratione voti paupertatis, quo religiosus per professionem omni dominio se priuat iuxta cōsilium Domini Matth. 19.*Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes* &c. Inhabilitatem autem ad habendum inducit, non ratione voti paupertatis præcisè:nec ratione traditionis, qua religiosus seipsum 1

religioni tradidit, sed solùm iure canonico, quod professum inhabilem facit ad acquirendum dominium.

QVÆSTIO CCCIII.

An solemnis professio priuet potestate vtendi rebus absque consensu superioris?

1 RESPONDEO constantem esse opinionem omnium Theologorum, solemnem professiònem priuare religiosum potestate vtendi rebus absque dependentia à voluntate superioris, & hoc facit præcisè ratione voti paupertatis, quòd necessariò requirit, vt religiosus non possit vlla re vti, aut vllam rem possidere absque sui Prælati licentia, & vt sit paratus omni momento omne ius à se abdicare.

2 Hinc, religiosus, qui aliquid disponit sine licentia superioris, non solùm peccat violando votum paupertatis; sed etiam dispositio est nulla, & qui accipit, tenetur illud monasterio restituere. Quia caret potestate disponendi.

QVÆSTIO CCCIV.

An solemnis professio soluat omnia vota simplicia?

1 RESPONDEO omnia vota simplicia realia, & personalia, atque mixta, qualia sunt peregrinationes, & similia, ipso iure, & absque superioris authoritate commutantur in religionis solemne votum, ita quod professione emissa in religione aliqua per sedem Apostolicam approbata, omnia supradicta vota cessant, vt expresè definitur *in cap. Scriptura de voto*, vbi habetur quod reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur religionis obseruantiam commutare. Et tradit D. Thom. *2.2.q.88.ar.12.ad 1.* Nau. *cap.12.n.65.* & Syluest. *verb. votum 3.q. 9.* quamuis de voto peregrinationis vltramarinæ aliqualiter dubitet. Idque adeò fatentur, vt etiam intra annum probationis contingat liberatio à votis omnibus, vt Couar. *in rub. de pactis p. 1.c.3.n.4.* & Graff. *in suis decis. aur. lib.1.c.30.n.3.* Verùm si hic postea rediret ad sæculum, teneretur implere votum in sæculo emissum; vt post D. Tho. concludit idem Couar. *loco citato.*

QVÆSTIO CCCV.

An idem dicendum sit de iuramentis personalibus, & realibus soli Deo emissis?

RESPONDEO quod sic. Et ratio est, quia ea omnia rationem voti induunt, nec per illa ius tertio acquiritur. 1

QVÆSTIO CCCVI.

Sed quid si votum reale, vel iuramentum esset homini præstitum, & ab eo acceptatum?

RESPONDEO si votum reale, vel iuramentum est homini præstitum, & ab eo acceptatum, non potest in votum solemne professionis commutari. Quia tunc est ius acquisitum tertiò, & ita cessat commutatio in melius. Ita Arag. *2.2.q.88.ar.12.* 1

Quare reiicienda est sententia Angeli *verb. votum 4. n. 2.* Syluest. *verb. votum 4.q.7.* & Nauar. *in sum. Hisp. cap.*

cap. 12.*n.* 78. qui dicunt votum subsidij terræ sanctæ commutari in professionem quantum ad laborem eundi, aut mittendi, non autem quantum ad illius subsidij expensas. Sed dicendum est commutari quoad omnia. Et ratio est, quia etsi quoad expensas tale votum sit reale, iam supra probauimus, vota quoque realia ipso iure in votum solemne religionis commutari.

2 Nec obstat id votum esse Romano Pontifici reseruatum. Quia votum peregrinationis Hierosolymitanæ est quoque Papæ reseruatum, & tamen vt constat *ex dicto cap. Scriptura de voto*, in votum solemne religionis commutatur. Et tradit D. Tho. 2.2.*q.vlt. ar.* 3.*ad* 3. & ibi Caiet. Roder. *p.* 2. *sum. cap.* 8.*nu.* 12.& Arag. 2.2.*quæst.* 88.*ar.* 12.

QVÆSTIO CCCVII.

An votum Principis eundi in subsidium terræ Sanctæ cum copioso exercitu possit in votum solemne religionis commutari?

1 SYLVEST. *verb. votum* 4.*q.*7. affirmat posse commutari authoritate iuris *cap. Scriptura de voto.*

2 At verò Rich. *in* 4.*d.*38.*q.*2.*ar.*8. Angel. *verb. votum* 4.*num.*2.& Caiet. *opusc.to.*2.*tract.*11.*de voto non nubendi q.* 3. rectiùs negant. Quia res dubia est, an in hoc casu professio sit melior. Et ideo Papa esset consulendus.

QVÆSTIO CCCVIII.

An eo ipso quod quis in religione profitetur, censeantur vota in sæculo emissa commutari, & prorsus extingui absque aliqua profitentis intentione commutandi?

HOST. *in sum. tit. de Voto* §. *quis vouere possit n.* 7. tenet eam intentionem desiderari. Eiusdem opinionis videntur esse Rich. *in* 4. *d.*38. *q.*2.*ar.*8. Rosel. *verb. votum* 2.*n.*15. & Angel. *verb. votum* 4.*n.*2. dum dicunt in hoc casu sufficere habitualem commutandi intentionem. 1

Contraria tamen sententia est hodie communis inter Doctores, nempe ipso iure vota omnia in sæculo, & tempore nouitiatus emissa censeri commutata in religionis professionem, ac proinde ab illis absque alia commutandi intentione manere profitentem liberum. Ratio est quia cum omnia vota simplicia Deo facta, sint opera particularia, continentur eminenter in voto solemni religionis, per quod homo se, & omnia sua in perpetuum Deo dedicat, in quo nihil, nec propriam voluntatem sibi reseruat. Quare dicere possumus hanc non esse propriè commutationem, sed priorum votorum plenissimam solutionem. Et ita tenet D.Tho. 2.2. *q.*88.*ar.*12. *ad* 1. *& clariùs in* 4. *d.* 38. *q.*1.*ar.*4 *q.*4.*ar.*2. vbi ait ex vi voti religionis, professum absolui à prioribus votis. Et *in solutione ad* 1. ait illam absolutionem esse potius voti ampliationem, quàm commutationem. Quod etiam docuit Palud. *in* 4. *d.*38.*q.*4.*ar.*1. vbi ait, extingui vota in sæculo emissa per professionem, iisque professum liberari, non per commutationem, sed per solutionem. Et Sotus *lib.* 7. *q.* 4. *ar.* 3. *ad* 1. expressè docet hanc priorum votorum commutationem non fieri priuata profitentis intentione, sed iure canonico. 2

Eandem sententiam sequuntur Sylu. *verb.votum* 4.q.7. Tab. *verb.votum* 4. *q.vlt*. Arm. *ibidem n*.28. Azor.*lib*.11.*c*. 17.*fine*.Roder.*p*.2.*sum.cap*.8.*num*. 12. Arag. 2. 2. *q*. 88.*ar*.12.Atque in propriis terminis docet Illustriss. Caiet. 2.2.*q*.88.*ar*.12.*ad* 1.*&* *q.vlt. ar*. 3. *ad* 3. vbi ait, ad hanc commutationem, nullam vouentis intentionem exigi.

QVÆSTIO CCCIX.

Quo iure vota in sæculo facta, censeantur in votum solemne religionis commutari?

1 RESPONDEO id, & iure canonico, & iure diuino naturali fieri. De iure canonico constat *ex cap.Scriptura de voto*, vbi deciditur adstrictum simplici religionis strictioris voto, manere ab eo, liberum, si in laxiori profiteatur,& statim sub iungitur ratio, quia priori voto tanquam simplici, per secundum solemne noscitur derogatum. Et ita tenet Caiet. 2.2.*q*. *vlt.ar*.8.& Azor.*lib*.11.*cap*.17.*in fine*, *&* *cap*.19.*q*.21.

2 Id quoque esse ex iure diuino naturali manifestè colligitur ex D.Tho. *in* 4.*d* 38.*q*.1.*ar*.4.*q*.4.*ad* 1. Palud. *in* 4.*d*.38.*q*.4.*ar*.1. dum dicunt hanc absolutionem esse potius voti ampliationem, quam commutationem. Hoc ipsum colligitur ex eodem D. Tho. 2.2.*q*.88.*ar*.12.*ad* 1. & Caiet. *ibidem*, quatenus hanc priorum votorum extinctionem probant ex eo quod professio sit mors prioris vitæ.

QVÆSTIO CCCX.

Quid si profitens haberet expressam intentionem non commutandi priora vota siue in sæculo, siue in nouitiatu emissa?

RICHAR. *in* 4. *d*.38.*q*.2.*ar* 8.Ang. *verb.votum* 4.*n*. 2. & Rosel. *verb. votum* 2.*n*.5. existimant ea non manere commutata. At poterit postea superior ea irritare, aut in eis dispensare. 1

At verò Syluest. egregius Thomista, pariterque in iure peritissimus *verb.votum* 4.7.7. distinguit hoc modo: si istam intentionem habuit ante instans professionis, ipso iure est ab illis absolutus: si verò eam habuit in ipso instanti, non manet absolutus. Quam opinionem arbitror verissimam, quando ea voluntas fuit dentro se eis votis obligandi. Si enim sola esset non commutandi voluntas, manerent ipso iure extincta. Quia hæc commutatio, vt diximus, non ex ipsius profitentis voluntate, sed ex iure ipso canonico,& naturali emanat. 2

QVÆSTIO CCCXI.

Sed maius dubium est de votis à professo emissis, & transit ad aliam religionem siue strictiorem, siue laxiorem?

RESPONDEO etiam in hoc casu habere locum hanc commutationem. Ratio est, quia reuera in hoc transitu noua professio, & nouum votum solemne emittitur: ergo per illud extinguuntur omnia alia vota priora: quippe omnia alia opera per vota simplicia debita includuntur eminenter in ea noua obligatione. 1

QVÆ

QVÆSTIO CCCXII.

An hæres obligatus ad vota defuncti realia, ingrediendo religionem, ab illis sit liber?

1 RESPONDEO minimè. Ratio est, quia hæres non tenetur ex vi religionis ad vota defuncti persoluenda, ita vt in melius commutari valeant, sed ex iustitia, ratione adeptæ hæreditatis, ac proinde censendum est de illis, ac de aliis debitis.

QVÆSTIO CCCXIII.

An vota vniuersa in sæculo emissa, possint propria authoritate commutari in simplicem ingressum religionis?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia melius est ingredi religionem animo probandi, & amplectendi, si inuenerit eam sibi conuenire, quam quodcunque aliud votum. Si verò postea tempore probationis ex iusta causa exeat, non peccat, nec tenetur amplius ad priora vota. Si verò absque causa iusta exeat, vltra peccatum mortale, quod committit egrediendo, tenetur iterum religionem ingredi, nisi velit secundum probabilem opinionem Sanch. *lib. 9. de matr. d. 4. n. 21.* ad priora vota redire, quæ in religionis ingressum commutauit.

QVÆSTIO CCCXIV.

An votum solius ingressus in arctiorem religionem, possit propria authoritate commutari in votum ingrediendi laxiorem, & in ea permanendi?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia plus est teneri perseuerare in laxiori religione, quàm teneri ad solum arctioris ingressum, cum libertate exeundi cum iusta causa. 1

QVÆSTIO CCCXV.

An per professionem peccata omnia quoad pœnas Deo debitas, remittantur?

RESPONDEO remitti, si is qui ad professionem admittitur, sit alioqui Dei gratia, & charitate præditus. Ratio est quia per professionem vetus homo, & veteres mores exuuntur (saltem proposito, & statu ipso) & induuntur noui, vnde censetur mors quædam vitæ humanæ. 1

Tum quia, si per eleemosynas potest homo statim satisfacere pro suis peccatis iuxta illud Daniel. 4. *Peccata tua eleemosynis redime*: quantò magis per professionem religionis, quæ longo interuallo eleemosynam excedit: per hanc enim erogatur quod extra ipsum hominem est, & ex eo quod abundat, pars aliqua tribuitur: per illam verò non partem, sed omnia: nec 2
aliquid extra se, sed seipsum obsequio diuino in perpetuum tradit. Vnde B. Greg. *hom. 10. super Ezech.* religionis ingressum holocaustum vocat, quod omne quodcunque aliud excedit sacrificium.

Tum quia vt habetur in libris Patrum, & refertur à D. Tho. 2. 2. *q.* 189. *ar.* 3. *ad* 3. eandem gratiam consequuntur religionem intrantes per professionem, quam consequuntur baptizati: sed baptizati (nisi apponatur obex) consequuntur plenariam indulgentiã, atque remissionem omnium suorum peccatorum: ergo idipsum suo quoque modo dicẽdum est

est de iis, qui debitè, atque in statu gratiæ, & cum debita dispositione solemnem emittunt professionem. Vnde D.Bernard.*lib de præcepto,& dispens.non procul à fine*. *Audire*, inquit, *& hoc vultis à me, vnde inter cætera pœnitentiæ instituta, monasterialis disciplina meruerit hanc prærogatiuam,vt secundum Baptisma nuncupetur:arbitror ob perfectam mundi abrenunciationem,ac singularem excellentiam vitæ spiritualis, quæ præeminens vniuersis vitæ humanæ generibus huiusmodi conuersatio professores,& amatores suos Angelis similes, dissimiles hominibus facit, immo diuinam in homine reformat imaginem,configurans nos Christo instar Baptismi, & quasi denique secundo baptizamur, dum per id, quod mortificamus mēbra nostra, quæ sunt super terram, Christum induimus, complantati denuo similitudini mortis eius*.Et *serm*.30.*in Cant*.Laborē monasticum martyrij genus esse dicit. Nemo autem ignorat martyriū,genus esse Baptismi. Et D.Hieronym. *Epist*. 8.*&* 25.*ad Paulam* sentit statum religionis esse, quasi secundum Baptismum.Et D.Tho.2.2.*quæst. vlt. art*.2. *ad* 3. docet, rectè credi per monasticam professionem satisfieri pro omnibus peccatis, & esse hanc professionem alterum baptisma.

3 Hoc ipsum confirmatur ex Beati Antonij visione illa, in qua vt, refert D.Athanasius in eius vita,maligni dæmones impedire ipsius conscensum in cælum conantes, obiecerunt peccata ante religiosam vitam admissa,quibus Angeli boni dixerunt. Non debetis illa obiicere,quæ Christi iam sunt pietate deleta,sed si quæ scitis,ex quo factus est monachus,illa proferte.

4 Ex qua visione colligit Illustrissimus Caiet. 2.2.*quæst*.189.*artic*.3.quod nouus liber incipit de actibus religiosorum à tempore suæ professionis, quando de facto efficiuntur religiosi: *Scribuntur enim* (inquit)*in secundo hoc libro, ex quo facti sumus religiosi peccata nostra stylo ferreo*, &c. Verba sunt hæc valdè notanda, & à religiosis cunctis summoperè memoriæ commendanda.

QVÆST. CCCXVI.

An professio per se sola habeat hoc priuilegium remittendi pœnas peccatis debitas?

GABRIEL *in* 4. *d*.38.*quæst*.1.*& d*. 45.*quæst*.1.tenet non ipsam professionem solam habere hoc priuilegium; sed etiam regularem vitam, quam homo ibidem profitetur. Vnde professio sola ex se actualiter,vel formaliter non facit prædictam remissionem, sed virtualiter, seu tanquam radix,& causa operum subsequentium. 1 2

Arbitror tamen contrarium esse affirmandum.Et ratio est,quia in professione homo voluntariè mundo moritur, & omninò se Deo totaliter tradit quoad animam, & quoad corpus in holocaustum perfectissimum, atque suauissimum, ex qua voluntate prouenit eiusmodi magnum meritum, & per consequens ibi fit plena remissio omnium peccatorum quoad pœnas Deo debitas, ex quo ibi virtualiter, etsi non actualiter, tota vita Deo offertur: sicut & qui dat alicui arborem, dat illi virtualiter etiam omnes fructus eius. Et ideò ita tenent D.Thom. 2. 2. *quæst*.189. *art*. 3. *ad* 3. & Caietanus *ibidem*. & Cord. *super regul. sancti. Francisc. capit*. 2. *quæst*. 14.

QVÆ

QVÆST. CCCXVII.

An qui cum conscientia peccati mortalis professionem emittit, si postea resipiscat, plenariam suorum peccatorum remissionē consequatur, quam ab initio id peccato mortali impediente non obtinuit?

1 ILLVSTRISSIMVS Caiet. 2.2.q.189. *art.3.ad* 3. Nauar. *de indulg. notab.* 20.*nu.*17.& Azor. *lib.* 12. *cap.*5.*q.*11. negant. Quia professio nihil relinquit in anima cui eiusmodi effectus tribui possit, sicut Baptismus, qui relinquit characterem, quo medio suum postmodum consequitur effectum,

Contrarium tamen est proculdubio affirmandum: quia hoc priuilegium in professione conceditur omni non ponenti obicem: sublato ergo obice per legitimam pœnitentiam habebit eundem effectum.

2 Tum quia istud priuilegium conceditur tradenti se ex toto corde, & totaliter Deo: sed hoc facit religiosus cum ad cor post professionem redit: tunc enim coram Deo in veritate profitetur: ergo tunc dabitur ei plenaria remissio omnium peccatorum. Hæc tamen plenissima remissio non obtinetur quoties professio illa renouatur, sed sola prima vice, qua emissa est, vt rectè docet Tab. *verb. Nouitius fine.* quamuis alij non improbabiliter, quos tacito nomine, refert, nec improbat Emman. Sa *verb. religio nu.* 17. teneant obtineri, quoties professio renouatur.

QVÆST. CCCXVIII.

An religionis professio in omnibus æquetur Baptismo.

RESPONDEO minimè. Ratio est, quia Baptismus est sacramentum nouæ legis à Christo Domino institutum, conferens ex opere operato, & ex vi sacram enti primam gratiam iustificantem, & delens peccata omnia quoad culpam, & pœnam. At religionis professio non est sacramentum, nec primam gratiam confert, nec criminum culpas abstergit, sed solùm pœnam temporalem in purgatorio pro eis debitam. Nec id ex opere operato efficit, sed ex opere operantis, nimirum ex eo quod profitens moriens mundo, & pompis eius, totaliter diuinis se mancipat obsequiis. 1

QVÆST. CCCXIX.

An per professionem omnis irregularitas in vita sæculari contracta tollatur?

RESPONDEO per professionem solùm deleri irregularitatem contractam ex defectu natalium quoad ordines etiam sacros suscipiendos, & susceptorum vsum, & beneficium simplex obtinendum, non autem quoad Prælaturas, & ecclesiasticas dignitates habentes curam animarum, nam ad hoc illegitimè nati speciali indigent dispensatione *cap.* 1. *de filiis presbyt.* & tradit Nauar. *cap.*25.*nu.*69. *&c.*27.*nu.*201. Henriq. *lib.*14. *de irregular. cap.*17. *nu.*2. & Couar. *in Clem. Si furiosus par.*1.§.1. *num.6. de homic.* Vnde falluntur qui putant per professionem tolli irregularitatem, quæ est ex homicidio, vel bigamia vt notat idem Nauarr. *Comm.*2. *de regular. num.*60. Sayr. *in suo thes. casuum consc. lib.*7 *cap.*13.*num.*8. Azor *lib.* 12. *cap.*5. *quæst.* 12. & Suar. *de censuris d.* 41. *sect.*1.*num.* 3. 1

Nec obstat cōstitutio Sixti V. contra 2

illegitimè natos, quia vt rectè aduertit Suar. 5. *to. in* 3. *p. d.* 50. *sect.* 5. *n.* 12. iam Greg. XIV. reduxit illam *in quodam suo motu proprio edito* 1591. ad terminos iuris communis.

Nec si hic effectus religiosus à religione retrocedat, à votisque absoluatur, reincidet in pristinam hanc irregularitatem: vt contra Rodericum *tom.* 1. *qq. regul. qu.* 13. *art.* 4. docet idem Suar. 5. *to. in* 3. *p. d.* 50. *sect.* 5. *nu.* 14.

QVÆSTIO CCCXX.

An etiam per nouitiatum hæc irregularitas deleatur?

1 RODER. *tom.* 1. *qq. regul. qu.* 13. *art.* 4. ait etiam per ingressum ad nouitiatum deleri hanc irregularitatem.

2 At communis, ac verissima sententia est, per solam professionem deleri eam irregularitatem. Ratio est, quia textus *cap.* 1. *de filiis presbyt.* ad delendam hanc irregularitatem requirit illegitimos fieri religiosos. At nullus fit verè religiosus, nisi per professionem: ergo. Et ideò ita tenent Sot. *in* 4. *dist.* 25. *quæst.* 1. *art.* 3. Valent. 4. *to. d.* 7. *quæst.* 19. *p.* 13. Henriq. *lib.* 14. *de irreg. cap.* 8. *nu.* 10. *& cap.* 17. *nu.* 2. Sayr. *thes. casuum to.* 1. *lib.* 6. *cap.* 11. *n.* 3. Azor. *lib.* 12. *cap.* 5. *qu.* 12. & Suar. 5. *tom. in* 3. *p. d.* 50. *sect.* 5. *nu.* 12.

QVÆST. CCCXXI.

An illegitima, possit esse Abbatissa?

1 RODER. *tom.* 1. *qq. regul. qu.* 13. *art.* 12. affirmat posse.

2 Alij verò rectiùs negant. Et ratio est, quia textus *cap. fin. de filiis presbyt.* omnes illegitimos excludit ab omni Prælatura, & dignitate. Atqui Abbatissæ officium est dignitas, vt habetur *ex c. Indemnitatib. § fine, vers. Verum si qua de elect. in* 6. ergo. Et ita tenet Nauar. *com.* 2. *de regul. nu.* 60. Sayr. *thes. cas. to.* 1. *lib.* 6. *cap.* 11. *n.* 3. & Suar. 5. *to. in* 3. *p. d.* 50. *sect.* 5. *nu.* 15.

Per concessionem tamen factam ordini Mendicantium potest Superior noster Generalis, vel Prouincialis dispensare cum monialibus sibi subditis, vt non obstante hoc vitio, possint esse Abbatissæ, vt referens priuilegium tenet Roder. *to.* 1. *qq. regul. qu.* 13. *art.* 10.

QVÆSTIO CCCXXII.

An per professionem filius familias patria potestate liberetur?

RESPONDEO liberari. Ratio est, quia transit omnino in ius, & potestatem religionis. Ita Nauar. *com.* 2. *de regul. nu.* 41. Molina *to.* 1. *de iust. d.* 140. & Couar. *cap. Quia nos num.* 5. *de test.* Nec expulsus postea à religione, in eam reincidit. 1

QVÆSTIO CCCXXIII.

An liceat ex vna ad aliam religionem transire?

RESPONDEO non licere, nec esse laudabile de vna, ad aliam religionem transire, nisi ob magnam vtilitatem, vel necessitatem. Primò quia monet Apostolus 1. *Cor.* 7. vt quisque in vocatione, in qua vocatus est, permaneat, quod maximè locum habet in statu profectionis. 1

Secundò, quia ex hoc transitu plerunque scandalizantur, qui deserun- 2
tur:

tur quod quidem scandalum, cùm sit datum non verò duntaxat acceptum, iuxta *Euangelium Matth.* 18. summoperè est vitandum.

3 Tertiò, quia vt experientia ipsa testatur, faciliùs, & commodiùs proficit quis in religione, quam consueuit, quàm in alia sibi peregrina, & insolita. Vnde veteres monachi, vt ex Cassiano *coll.* 14. *cap.* 5. *refert* D.Thom. 2. 2. *quæst.* 189. *artic.* 8. non facilè transitum ad aliam religionem permittebant.

4 Potest tamen aliquis de vna religione laudabiliter ad aliam conuolare triplici de causa.

Primò ex zelo tutioris, & melioris vitæ.

Secundò, quia propria religio, à debita perfectione declinat.

Tertiò, quando propter infirmitatem, vel debilitatem non potest quis suæ religionis statuta obseruare, potest tamen seruare statuta alterius religionis laxioris. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 8. Nauar. *lib.* 3. *consl. tit. de regul. cons.* 88. & Roder. *tom.* 3. *qq. reg. qu.* 52. *art.* 8.

QVÆST. CCCXXIV.

Quanam religio debeat dici melior, vt ex alia ad ipsam licitè possit fieri transitus?

1 DOCTOR Angelicus 2. 2. *qu.* 189. *art.* 8. & Nauar. *com.* 4. *de regul. nu.* 2. *&* 3. & plerique alij tenent eam religionem esse meliorem, atque perfectiorem, quæ habet altiorem, & nobiliorem finem, ad quem ordinatur.

2 At omnes Iuris Canonici interpretes docent eam religionem esse meliorem, ac præstantiorem, quæ est arctioris, strictioris, durioris, aut seuerioris obseruantiæ; vt apertè colligitur *ex cap. Licet de regular.* vbi dicitur, *De arctiori vita & sanctiori, ad quam licet transire è laxiori.* Et *in cap. Virgines* 20. *quæst.* 4. dicitur. *Virgines sacræ si pro lucro animæ suæ propter districtiorem vitam ad aliud monasterium pergere dispofuerint, Synodus concedit.* Et *in extrauag. Viam ambitiosæ cupiditatis*, decernitur, Carthusiensium ordinem esse omnium perfectissimum, quia strictior, & arctior, licitéque fieri posse transitum ad Carthusiam ex quocunque ordine. Cuius ratio ea esse potest, quia cum huiusmodi transitus de iure fieri nequeat, nisi de Prælati licentia petita, quamuis non obtenta, *capite Licèt de regularium*, & regulariter vnusquisque Prælatus suam religionem perfectiorem esse prætendat in ordine ad suum finem fructuosiorem, nisi huiusmodi quæstio iam per Ecclesiam quodammodo esset definita, vt ea s. censeatur perfectior religio, quæ est arctioris, & austerioris obseruantiæ, transitus hic multis litibus esset expositus. Et ideò ita tenent Angelus *verb. religiosus nume.* 34. Rosell. *verb. religio* 4. *num.* 8. Less. *lib.* 2. *cap.* 41. *dubit.* 13. *num.* 100. Roder. *tom.* 3. *qq. regul. quæst.* 52. *art.* 4. & Azor. *lib.* 12. *cap.* 14. *quæst.* 2.

Ad iudicandum autem quæ religio sit arctior, non sunt spectandæ primæua regula, & antiquæ constitutiones, sed præsens obseruantia. Vnde si ex regula, & constitutionibus laxius sit alicuius religionis institutum, arctior tamen præsens viuendi modus, eo quòd alia religio ex se arctior sit relaxata, illa religio dicetur arctior, quàm hæc iam collapsa: ergo ab hac collapsa ad illam erit transitus, & non è contra. Nauar. *vbi supra.* Vt autem sit licitus transitus ex sua regula, strictiori ad arctiorē iuxta solū præsentē viuendi modū, requiritur, vt non sit in 3 4

Prouincia aliud eiusdem religionis monasterium, in quo sit arctior religionis obseruantia, nec subsit probabilis spes, quod in breui debeat reformari. Ita Roder. *tom. 2. qq. reg. quæst. 52. ar. 5.*

Dices: *in cap. Mandamus.* Canonicis regularibus ad monasticum institutum transitus interdicitur. At arctior est regula, & vita monachorum: vt constat *ex cap. Quod Dei.*

5 Respondeo hunc transitum interdici, quando fit temeritate, leuitate, & inconstantia animi, aut cum damno, & detrimento prioris religionis. Nam *in cap. Statuimus ead. causa, & quæst.* habetur. *Ne quispiam canonicæ professionis alicuius leuitatis instinctu, vel districtioris religionis obtentu, ex claustro audeat sine patris, & totius Congregationis permissione recedere.*

6 Hinc, si religiosus ad talem ingressum, non ex zelo maioris perfectionis, sed ex leuitate moueatur, nec alia legitima transeundi causa concurrit, non potest Prælatus etiam si sit superior Generalis, eam licentiā transeundi ad strictiorem religionem concedere. Ratio est, quia etsi sit commutatio in melius, at est acquisitum ius illi religioni, & est alienatio rei ipsi acquisitæ nulla iusta causa interueniente, nec illi religioso talis transitus conceditur, nisi quando ex prædicto maioris perfectionis ardore procedit.

QVÆSTIO CCCXXV.

Quotnam requirantur, vt hic transitus sit licitus?

1 RESPONDEO quatuor. Primò vt non temeritate, leuitate, odio, contemptu, vel alia animi perturbatione, sed zelo melioris, & tutioris vitæ fiat.

Secundò, vt religio ad quam fit transitus sit perfectior.

Tertiò, vt fiat absque detrimento, & infamia religionis à qua receditur.

Quartò, & vltimò requiritur petitio facultatis transeundi, à Prælato, quamuis ea non obtineatur *cap. Licet de regul.*

Dices: Pius V. *in suo motu proprio anno 1569.* qui incipit. *Quæcunque sacrarum*, statuit non posse recipi, nec retineri ab vlla religione fratres alterius ordinis, sed debere remitti ad proprios ordines. 2

Respondeo primò hunc *motum proprium* non esse vsu receptum, vt Roder. 2. *p. sum. cap. 6. n. 7.* annotauit.

Secundò respondeo, eum *motum proprium* intelligi de his qui transeunt ad aliam religionem non petitā licentia. Ita idem Roder. *tom. 3. qq. regul. q. 52. ar. 8.*

Tertiò, & vltimò respondeo, *eum motum* non agere de transeuntibus virtute licentiæ iure communi concessæ *cap. Licet.* Sed de transeuntibus virtute facultatum concessarum aliquibus particularibus religionibus, quas omnes cassauit. Quod constat ex illis verbis *dicti motus* ibi. *Vigore huiusmodi priuilegiorum tantum, & præter iuris communis dispositionem.* Ita Nauar. *lib. 3. const. tit. de regul. in 2. edit. cons. 88. n. 1.*

Dices: multæ religiones priuilegium habent à sede Apostolica, ne eis inuitis aliquis ad alias etiam arctiores religiones transeat. 3

Respondeo huiusmodi priuilegium, vt constat *ex cap. Licet de regul.* videtur concessum, ne quis ex temeritate, vel leuitate in suæ religionis iacturam sub prætextu maioris perfectionis ad aliam religionem migret. In casu autem dubio an ex leuitate

transeat

transseat iudicium superioris requirendum est.

QVÆSTIO CCCXXVI.

Quo iure hic transitus ad strictiorem religionem sit licitus?

1 AZor. *lib.* 11. *cap.* 17. *q.* 18. & Sayr. *lib.* 6. *c.* 10. *nu.* 9. videntur sentire hunc transitum licere iure humano. Quia dicunt Prælatos religionis non posse votum ad strictiorem religionem irritare. Quia ius canonicum, *cap. Licet de regular.* hoc votum ab Abbatis potestate excepit.

2 Cæterùm multo verius est, id esse licitum iure diuino naturali, quo licitum est votum proprium commutare in melius. Et ita tenet Illustriss. Caiet. 2. 2. *quæst.* 88. *ar.* 12. vbi docens licere ex natura rei commutare propria authoritate suum votum in melius, sic ait. *Hoc est quod in cap. Licèt de regular. etiam declaratur.* Nam neque ibi fit nouum ius, sed quia licitum fuit transire ad aliam arctiorem religionem propter meliorem vitam, non obstante voto solemni prioris religionis, quo obligabatur non solùm Deo, sed Prælatis illius religionis, & erat eis ius acquisitum de persona illa, ideò ius declarat illud. Ratio est, quia non propter seipsos, sed propter Deum Prælatis data est illa persona, & propter hoc solius Dei ratio habetur in hac commutatione.

QVÆSTIO CCCXXVII.

An moniales possint ad arctiorem religionem transire?

AZORIVS *lib.* 13. *cap.* 8. *quæst.* 1. negat. Quia *capitulum Licet de regular.* vbi is transitus permittitur, loquitur de viris religiosis. 1

Tum quia monialibus strictissimè imposita est clausura à Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 5. & Pius V. *in suo motu proprio* qui incipit. *Decori edita anno* 1569. ad earum exitum licentiam superioris in scriptis requiri iubet, & hoc duplici de causa, nempe incendij, vel infirmitatis contagiosæ.

Sed hæc opinio (pace tanti viri sit dictum) non mihi placet, sed existimo Moniales posse nunc ad strictiorem religionem transire. Ducor, quia olim id licebat, vt constat *ex cap.* 1 20. *q.* 4. nec apparet vbi id ius commune sublatum sit, nec Concil. Trident. nec motus proprius Pij V. de hoc transitu ad strictiorem religionem loquuntur, tantum enim exitum ex aliis causis interdicunt, ne eis materia vagandi tribuatur. 2

Tum quia, etsi *dictum capitulum Licèt* de solis viris religiosis loquatur, at rationes, quæ hunc transitum probant, æquè in monialibus militant. Et ideò ita tenent Roder. *to.* 3 *qq. regul. q.* 52. *ar.* 6. & Tho. Zerola *in praxi Episcopali verb. Moniales.*

Quare non placet, quod addit Roder. *loco citato*, vbi dicit, requiri ad hunc exitum licentiam Prælatorum, & ordinarij ob clausuram indictam à Concil. Trident. quam, inquit, tenentur dare. Quia satis est petere, etsi non obtineatur. Quia Tridentinum non loquitur in hoc casu, vt diximus. 3

QVÆST. CCCXXVIII.

An Prælati regulares possint ad strictiorem religionem transire?

1 HOst. *cap. Illud de cler. excom.* & Arch. *cap. Si Abbatem ad finem de electione* negant, quia Clem. 4. hunc transitum eis interdixit.

2 Sed absque dubio asserendum est, hos si non subsint immediatè Pontifici, posse instar aliorum religiosorum ad strictiorem religionem transire petita, etsi non obtenta licentia à superiore. Quia *cap. Licet de regul.* solos Episcopos excipit, illis interdicens transitum ad religionem non obtenta Pontificis licentia. Si verò subsint immediatè Pontifici, vt Generales religionum, possunt petita licentia, & Pontifice non respondente, non tamen eo negante: & ideò pro hac sententia sunt Ang. *verb. religiosus n.* 35. Rosel. *verb. religio* 4. *n.* 8. Syluest. *verb. religio* 4. *q.* 3. Tab. *verb. religio q.* 24. & Azor. *lib.* 12. *cap.* 14. *q.* 7.

3 Et ad fundamentum contrariæ opinionis respondeo, *motum* Clem. 4. intelligi, quando Pontifex his Prælatis licentiam denegat.

QVÆST. CCCXXIX.

An postquam religiosus facultatem transeundi petiuit, teneatur expectare responsum?

1 RESPONDEO teneri. Ratio est, quia qui consilium, vel licentiam requirere tenetur, eodem iure cogitur tempore debito responsum expectare, vt habetur *in cap. Cùm in veteri ad fin. de elect.* Si verò dicat se velle habere consilium, expectare tenetur subditus tempore debito. Quia Prælatus non tenetur inconsultò respondere. Quod si circa hoc inter Prælatum, & subditum sit contrarietas, & contentio, ad Maiorem potest appellari, etiamsi in tali religione interdicta sit appellatio. Quia intelligitur interdicta in spectantibus ad correctionem, non vero in aliis. Ita Azorius *libro duodecimo, capite decimoquarto quæstione quinta.*

Sed vlterius inquires: Quid si petita transeundi facultate prælatus nihil respondeat subdito, aut iudicans causam esse iustam, licentiam nihilominus deneget.

Respondeo in hoc casu posse subditum in continenti ad religionem transire, quia tunc proteruè, & indiscretè licentiam denegat. Si verò allegat causam verisimilem negationis suæ, non licet religioso statim ad aliam religionem transmeare, sed ad maiorem superiorem recurrere, qui rem totam suo iudicio definiat. Quia *in cap. Licet*, solùm conceditur facultas transeundi, quando superior malitiosè hanc licentiam denegat. Quando verò res est dubia, dicitur *eo cap. Licet*, iudicium superioris esse requirendum, ac proinde tunc erit necessaria licentia obtenta, aliàs non oporteret superioris iudicium requirere. Et ideò ita tenent Caietanus *secunda secundæ quæstione centesima octogesimanona articulo octauo* Azorius *libro duodecimo capite decimoquarto quæstione quinta* & alij. 2

QVÆ

QVÆSTIO CCCXXX.

A quonam peti debeat hæc transeundi facultas?

1 RESPONDEO, quod ad religiosos quidem priuatos attinet, esse petendam à Præfectis monasteriorum, vel conuentuum, hoc est in Dominicana familia à Priore, in Franciscana à Guardiano, in monasticis Ordinibus ab Abbate, vel Priore. Quod verò pertinet ad religionum Præfectos peti oportere à Maioribus, quorum potestati subiiciuntur, vt Prior à Prouinciali, Prouincialis à Superiore Generali: ipse verò Generalis à Romano Pontifice. Ratio huius est, quia *in dicto cap. Licet de regul.* solùm dicitur, petendam esse licentiam à Prælato religionis, ne bonum obedientiæ contemni videatur. At hi omnes sunt verè Prælati, & petita ab illis licentia, non censetur bonum obedientiæ contemni, sed recognosci, & æstimari. Ita tenet Nauar. *cap. Statuimus n.* 10. Azor. *lib.* 12. *cap.* 14. *quæst.* 7. 8. & 9. & alij.

QVÆST. CCCXXXI.

An religiosus huic obligationi satisfaciat petendo licentiam, post transitum ad strictiorem religionem?

1 RESPONDEO non satisfacere. Ratio est, quia quoties ad aliquem actum licentia petita requiritur, necessariò est ante illum actum petenda, vt rectè docent Ang. *verb. religio n.* 35. & ibi Rosel. 4. *n.* 4. & Azor. *lib.* 12. *cap.* 14. *q.* 6.

QVÆSTIO CCCXXXII.

An Religiosus teneatur causam sui transitus superiori patefacere?

RESPONDEO teneri. Ratio est, quia huiusmodi transitus non ex qualibet causa à iure permittitur, sed cum ex zelo tutioris, ac arctioris vitę proficiscitur: ergo necessarium est de hoc zelo superiorem certum reddi, vt videat, an licentiam concedere iure teneatur. 1

QVÆST. CCCXXXIII.

An ad licentiam hanc concedendam consensus capituli requiratur?

RESPONDEO non requiri. Ratio est, quia *cap. Licet de regularibus,* solùm obligat ad petendam licentiam à Prælato. Ita Nauar. *comment.* 4. *de regul. n.* 10. & Roder. *to.* 3. *qq. regul. q.* 52. *ar.* 3. 1

QVÆST. CCCXXXIV.

An transiens ad strictiorem religionem possit absque literis dimissoriis superioris prioris religionis admitti?

RESPONDEO non posse, vt definitum est ab Vrbano II. *in cap. Statuimus* 19. *q.* 3. vbi postquam statutum est, non esse transeundum ad aliam religionem, nisi petita licentia à suo superiore, dicitur sic: *Discedentem verò nullus Abbatum, vel Episcoporum, nullus monachorum sine communi literarum cautione suscipiat.* Vnde si 1

subdi

subditus absque his litteris ad strictiorem religionem accedat, eius religionis superior tenetur superiorem laxioris religionis consulere, & interrogare, an licentiam dederit, aut cur denegauerit, & tunc si nullam, aut manifestè iniustam denegationis causam alleget, poterit securè ipsum ad strictiorem admittere. Si verò iustam, aut verisimilem causam negationis suæ assignet, non poterit admittere, nec est huius superioris causam definire, sed superioris prioris Prælati.

QVÆST. CCCXXXV.

An qui licentia minimè petita ad aliam religionem etiam strictiorem transit peccet mortaliter?

1 RESPONDEO eum peccare mortaliter. Ratio est, quia transeundo ad aliam religionem Ecclesiæ statutum violat. *cap. Licet de regular.* & eos religiosos, quos deserit, offendit, ac turbat. Nauar. *lib. 3. const. tit. de regular. cons. 59. nu. 4.*

QVÆST. CCCXXXVI.

An qui absque superioris licentia ad religionem arctiorem, vel laxiorem transit, sit Apostata?

1 SVAR. 5. *tom. in 3. p. d. 31. sect. 6. nu. 4* censet hunc esse verè, & propriè Apostatam, subiicique omnibus Apostatarum pœnis. Quia relinquens statum suum religiosum, & alium assumens inualidè, perinde est, ac si religiosum statum omnino deponeret. At transiens absque legitima licentia ad religionem arctiorem, vel laxiorem, transit inualidè, & professio posterior est nulla, & omnino dimisit priorem: ergo est verus Apostata.

2 Verùm quàmuis hæc sententia sit satis probabilis, probabilius tamen credo hunc non esse verè, & propriè Apostatam, Sed largè, impropriè, & secundum quid. Et ratio est, quia non absolutè, & simpliciter religionem deserit, sed commutat. At apostasia verum animum dimittendi religiosum statum desiderat.

QVÆST. CCCXXXVII.

Vtrum autem hic excommunicationem contrahat, dubiæ quæstionis est?

1 NAVAR. *cap. 27. num. 131.* & Suar. *5. tom. in 3. p. d. 31. sect. 6. nu. 4.* tenent esse excommunicatum.

2 Alij verò rectius negant. Quia non tam dimittit, quàm commutat habitum religionis, præsertim quando immediatè assumit alium, neque id facit, vt liberè euagetur, quæ fuit causa, & ratio tam seuerè id prohibendi. Vnde cùm lex pœnalis strictè sit interpretanda, non videtur extendenda ad hunc casum. Et ideò ita tenet Angel. *verb. religiosus num. 37.* Less. *lib. 2. c. 41. dub. 13. nu. 102* & alij.

QVÆSTIO CCCXXXVIII

Petes: An hic saltem sit fugitiuus?

1 RESPONDEO esse fugitiuum. Ratio est, quia cùm hic illicitè, & inualidè transeat ad aliam religionem, fugit ab obedientia suo superiori debita: ergo est verè fugitiuus.

QVÆ

QVÆST. CCCXXXIX.

An professio sit valida, quando transitus fit non zelo melioris, & tutioris vitæ; sed temeritate, odio, vel qualibet alia animi perturbatione?

1 RESPONDEO non valere, & si professus sit in posteriori religione, posse, & teneri redire ad primam religionem, eo quòd priori religioni alligatus est. Et ita tenent. Rosell. *verb. religio 4. num. 6.* Abulens. *cap. 30. Num. q. 73.* & colligitur expresśè *ex cap. Licet de regul. in fine* vbi sic dicitur. *Non molestandum transeuntem, quando dignoscitur transitum fuisse corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Ergo his cessantibus professio non tenet.

QVÆSTIO CCCXL.

An quando bonus zelus adest, at transitus est in graue religionis desertæ detrimentum, talis professio sit valida?

1 RESPONDEO esse validam. Et ita videtur tenere Ioannes Andreas *cap. Licet de regular. nu. 22.* & ibi Anto. *num. 14.* Anchar. *num. 1. opposit. 2.* & Cardin. *num. 3. opposit. 4.*

QVÆSTIO CCCXLI.

An quando quis bono zelo, & studio melioris vitæ ad strictiorem religionem transit, non tamen petita licentia, talis professio sit valida?

1 RICHARD. *in 4. dist. 38. q. 1. art. 8.* Palud. *in 4. d. 39. q. 4. art. 4.* & D. Anton. *2. p. t. 11. c. 2. §. 9.* tenent talem professionem esse validam. Eiusd. opinionis est Less. *lib. 2. c. 4. dub. 13.*

At verissima sententia est, talem professionem non valere, ac subinde posse, ac teneri hunc ad pristinam religionem redire. Ratio huius est, *in cap. Licet de regular.* Sancitur n. hunc non esse reuocandum, quando constat eum bono animo transiisse. At in hoc casu bonus animus minimè reperitur, sed temeritas vtpote in obedientiæ voti contemptum, quando non petita licentia transit: ergo. 2

Tum quia *in eodem cap.* Solùm conceditur transitus ad strictiorem religionem, quando Prælatus petitam licentiam proterue, & indiscretè denegat. Et ideò ita tenent. Nauarr. *lib. 3. cons. t. de regul. in 1. edit. cons. 59. num. 2. in 2 edit. cons. 52. num. 2.* Rosell. *verb. religio 4. nu. 4. & 6.* Azor. *lib. 12. cap. 14. q. 6.* & plerique alij.

Hoc idem dicendum est, quando petita est licentia, sed iustè est à superiore denegata, quia non permittitur is transitus sine licentia, nisi quando malitiosè licentia denegatur, vt constat *ex dicto cap. Licet.*

QVÆSTIO CCCXLII.

An Prælatus qui absque iusta causa negat licentiam subdito transeundi ad strictiorem religionem, peccet mortaliter?

RESPONDEO peccare mortaliter. Ratio est, quia agit contra Ecclesiæ præceptum *in cap. Licet de regul.* vbi sic dicitur. *Quocirca nouerint vniuersi, quibus huiusmodi priuilegium est concessum, se ad concedendam licentiam transeundi, taliter postulantibus, de iure teneri.* Quia sicut subditus à 1

Prælato cum humilitate, & puritate debet transeundi licentiam postulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur, sic profectò & Prælatus subdito sine difficultate, & prauitate qualibet debet transeundi licentiam indulgere, ne videatur propositum diuinitus inspiratum impedire.

QVÆSTIO CCCXLIII.

An transitus ab vna religione ad aliam æquè laxam, aut laxiorem sit licitus?

1 Respondeo esse licitum, interueniente superioris dispensatione, & iusta causa, vt Nauarr. *cap. Statuimus* 19. *quæst.* 3. *num.* 4. & Roder. *p.* 1. *summ. cap.* 6. *num.* 8. resoluunt.

QVÆSTIO CCCXLIV.

Quisnam possit hanc facultatem concedere?

1 Respondeo si transitus sit à religione æquali, ad alteram æqualem eum iusta, & legitima causa, potest præstare huiusmodi licentiam non quidem Prælatus conuentualis sed Prouincialis, aut Generalis, nisi cōstitutiones religionis aliud caueant Nauarr. *comment.* 4. *de regular. numer.* 10.

QVÆSTIO CCCXLV.

An Prælatus Papa inferior, vt Generalis iure possit eam licentiam concedere transeundi ad laxiorem religionem?

1 Respondeo posse, si iusta causa subsit, etsi ad Papam facilis sit aditus. Ita Nauarr. *comment.* 4. *de regul. num.* 11. *& lib.* 3. *consil. tit. de regular. cons.* 56. *num.* 5. Idque probat iure communi, *cap. Cum in singula de praebend. lib.* 6. Syluest. *verb. religio* 4. *quæstione* 2 Angel. *verb. religiosus numer.* 34. Tab. *verb. religio quæst.* 23. *&* 24. & Roder. *tom.* 3 *qq. regul. quæst.* 52. *art.* 9.

Obiicies, Concil. Trident. *sess.* 25. *de regul. cap.* 19. decernit ne vllus regularium cuiuscumque facultatis vigore ad minus strictam religionem transferatur.

Respondeo mentem Concil. Trident. esse solùm prohibere, ne id fiat sine iusta causa, & sine consensu capituli, aut non præmissa causę cognitione, & approbatione, vt olim interdum fiebat ab aliquibus Prælatis obtentu suorum priuilegiorum, non autem per facultates cum iure communi congruentes, quales sunt, quæ conceduntur iustis de causis, & seruato debito iuris ordine. Et ita id decretum explicuit Nauarr. *lib.* 3. *consil. tit. de regul. cons.* 56. *numer.* 2. *& comment.* 4. *de regular. numer.* 11. Azor. *lib.* 12. *cap.* 15. *quæst.* 1. Less. *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 13. *num.* 103. & Roder. 2. *p. cap.* 6. *num.* 8. 2

Dices: *in extrauag. Viam ambitiosæ de regular.* prohibetur, ne vllus mendicantium possit ad aliam religionem præter Carthusianam transire absque Romani Pontificis licentia. 3

Respondeo, aut eam extrauagantē, quoad hoc non esse vsu receptam, aut intelligi de his, qui absque iusta causa ad laxiorem religionem transeunt. Quod colligitur ex illis eius verbis, *Fucatis coloribus, & vt liberiùs degant, & beneficia monastica consequi valeant.* Ita Less. *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 13. *num.* 104. & Roder. *p.* 2. *cap.* 6. *numer.* 8. ait posse etiam in mendicantibus hanc facultatem concedi à Prouinciā

uincialibus ex iusta causa. Et Nauarr. *lib.3.conf.tit.de regular. conf.56.num.1.* dicit Generalem Ordinis S. August. posse suo subdito facultatem transeundi ad minus strictam religionem concedere.

QVÆSTIO CCCXLVI.

An vna cum Prelato, requiratur quoque consensus capituli ad hunc transitum in aquè strictum monasterium?

1 RESPONDEO requiri. Ratio est, quia res hæc est vna de maioribus negotiis monasterij, & in qua de religiosi alienatione agitur. At maiora religionis negotia non possunt sine capituli consensu fieri: ergo. Et ita tenet Less. *lib.2.cap.41. dub.13. numero* 103.

QVÆSTIO CCCXLVII.

An summus Pontifex possit pro libito, & sine iusta causa cum aliquo religioso dispensare, vt de vna religione ad aliam laxiorem transeat?

1 RESPONDEO non posse, & si de facto dispenset, peccat mortaliter: & similiter omnes eamdem dispensationem petentes, sollicitantes, & procurantes, & ipsa quoque dispensatio ex se est irrita, & nullius valoris, & eadem vtentes non sunt tuti in conscientia, quin verò peccant etiam mortaliter. Et ratio est, quia cum votum religionis strictioris commutetur in quid minus, interuenit quædam eius dispensatio, quæ absque causa legitima est nullius valoris, vtpote quæ est ex obligatione iuris diuini consurgente ex voto. Et ideò ita tenent D.Thom. 1.2. *quæstion.96.art.9.& quæst.97. artic.4.* & Caietan. *ibidem* Nauarr. *comment.4. de regul.num.10.* Roder. *tom.3.qq reg. quæstion.52.artic.10. & p.2. summ.cap. 6.numer.8.* Cord. *in regul.S.Franc.cap. 2.quæstion.17.p.1.* Azor. *lib.12. cap.14. quæstion.8.* Less. *lib.2.cap.41. dub.13. numer.102.* & idem, (etsi dubius) tenet Sotus *lib.1. quæst. 3. artic.7.* ait enim verendum esse, validam non esse dispensationem.

QVÆST. CCCXLVIII.

An religiosi ex vno ordine mendicantium ad alium licitè transire possint?

RESPONDEO posse, dummodo id faciant iuxta modum, & formam iuris communis: neque hoc reuocatum est per motum Pij V. vt rectè aduertit Nauarr. *lib. 3. conf. t. de regular. conf.22.* Vnde si intra latitudinem ordinum Mendicantium aliquis sit strictior, sufficit Prælati conuentualis licentia, ad hoc vt licitè fieri possit transitus nulla interueniente causa. Si verò non sit arctior, sed æqualis, vel laxior iusta de causa licentiam præstabit Prouincialis, vel superior Generalis. 1

QVÆSTIO CCCXLIX.

An Mendicantes iure communi possint ad non Mendicantes transmeare?

RESPONDEO non posse, & si transeant absque facultate Pontificis tam recipientes, quàm recepti sunt ipso 1

ipso facto excommunicati, à qua excommunicatione nemo potest absoluere nisi Romanus Pontifex, prætèrquam in mortis articulo, & professio est irrita; vt patet *ex extrauag. Martini V.* quæ incipit. *Viam ambitiosæ cupiditatis.*

2 Dixi notanter *(iure communi)* quia interdum Superior Generalis ex priuilegio Romani Pontificis potest hanc facultatem concedere.

QVÆSTIO CCCL.

Vtrum Prælati Superiores omnium religionum, etiam Mendicãtium, possint licentiam dare suis subditis, vt ad Carthusienses se transferant.

1 RESPONDEO posse. Et ratio est, quia iuxta ius commune positum *in cap. Licèt de regul.* ad strictiorem ordinem licitus est transitus petita licentia, licèt non obtenta: Atqui ordo Carthusianus est omnium rigidissimus, strictissimus, & rigorosissimus: vt latè probat Nauarr. *lib. 3. cons. t. de regul. cons.* 10. ergo ad ipsum ex omni alia religione licitè potest fieri transitus. Et est conclusio definita *in dicta extrauag. Viam ambitiosæ cupiditatis* à Martino V. & tradit Roder. *tom. 3. qq. reg. q. 52. ar.* 18.

QVÆSTIO CCCLI.

An etiam Carthusiani iure possint ad Mendicantes transire?

1 PALVD. *in 4. d. 38. q. 3. art. 1.* D. Anton. 3. *p. t.* 16. *cap.* 4. §. 4. Nauarr. *comment. 4. de regul. num.* 14. Azor. *lib.* 12. *cap.* 14. *quæst.* 16 & Roder. *p. 2. cap. 6. num. 9.* affirmant posse dummodo bonus zelus, & aliqua bona causa meliùs seruiendi Deo interueniat, & sine scandalo, & infamia prioris religionis, & non timeatur lis super huiusmodi transitu inter Prælatos religionis. Hoc idem tenet Syluest. *verb. religio 4. quæst. 6.* vbi dicit omnem religionem Mendicantium esse perfectiorem omni non Mendicante, & inter Mendicantes, eam omnes alias præcellere, quæ principaliter est instituta ad prædicandum, qualis est Prædicatorum ordo, quia est religio Christi, & Apostolorum, habens nobilissimam, & Deo gratissimam functionem, nimirum procurationem salutis animarum miscens contemplationi. Quare ex omni alia religione iure communi posset transiri ad ordinem istum, cùm vnicuique ob zelum sanctioris vitæ, ad altiorem statum licear id facere, *cap. Licet de regul.* non solùm Carthusianis, verùm etiam, & cuiuslibet ordinis fratribus: vt docet idem Syluest. qui testatur in Academia Parisiensi fuisse Theolog. & canonici iuris Doctorum sententia decretum licere Carthusiano transire ad ordinem Prædicatorum regulariter viuentem. Hoc idem docet D. Bonauentura *in opusc. de determinat. quæstione circa regulam sancti Francisci cap. 12. & 13.* vbi dicit ex quolibet ordine religiosorum posse iure communi transiri ad ordinem sancti Francisci.

Cæterùm solidum huius sententiæ fundamẽtum non video, & ideò non placet, sed arbitror ex Carthusia ad nullam religionem transiri posse. Et ratio est, quia *in extrauag. viam de regularibus*, & in omnium religionum priuilegiis conceditur trãsitus ab omnibus religionibus ad Carthusiam, & nullibi legitur concessus transitus à Carthusia ad quamcumque aliam: quod euidens argumentum est, 2

Carthu

Carthusiam existimari à sede Apostolica omnium religionum absolutè, & simpliciter strictissimam, cuius iudicio standum est. Et ideò ita sentiunt Roder. *to.3.qq. regul. q. 52. art. 19.* Azor. *lib.12.c.14.fine* & Sanch. *2. tom. operis moralis lib.6.c.6.nu.29.*

3 Quare non approbo quod ait D. Bonau. *in quæst. super reg. S. Franc. quæst 23.* vbi dicit à religione D. Francisci ad nullam posse licitè transiri, & quod ait Corduba, *cap. 2. super eamdem regulam quæst. 17. p. 3.* nempe non posse in foro conscientiæ, & Dei aliquem ex ordine Mendicantium transire ad Carthusiam: quia nulla altior, aut æqualis huic reperitur: quamuis in foro Ecclesiæ, quæ de exterioribus præsumit, Carthusia cæteris religionibus esse altior, quia est strictior in exterioribus obseruantiis, quibusdam videatur, & ad eam licere *per extrauagantem Viam ambitiosæ cupiditatis.*

4 Non est inquam hoc approbandum, sed dicendum eam decisionem dictæ extrauagantis in vtroque foro locum habere, tum ob rationem traditam, tum etiam quia laqueum iniiceret conscientiis concedens absolutè transitum, si in solo foro externo is esset licitus: multi enim Mendicantes ea decisione nixi transirent absque scrupulo ad Carthusiam, cum tamen in foro conscientiæ id esset illicitum. Atque ita tenet Nauar. *lib. 3. consil. de regular. cons. 55. num. 3.* & Roder. *tom. 3, qq. regul. quæst. 52. art. 18.*

Hic tamen notare oportet, quod per priuilegium concessum à Sanctissimo D. N. Paulo V. anno 1610. 3.
5 verò Aprilis Carmelitis discalceatis, nullus è nostra Congregatione potest transire ad Carthusiã sub pœna excõmunicationis ipso facto incurrẽdę, nisi petita, & obtẽta licẽtia à superioribus.

QVÆSTIO CCCLII.

Quotnam sint legitimæ huius transitus causæ, ad aliam æquè laxam, aut laxiorem religionem?

RESPONDEO septem. Prima est, si in priori illa sua religione non seruetur regula, seruatur tamen in alia. 1

Secunda, si religiosus ob suam tenuem, & delicatam complexionem, non possit ferre suæ religionis rigorem.

Hinc, non est audiendus Roder. *tom. 3. qq. reg. quæst. 52. ar. 9.* vbi referens falsò Sotum, dixit hanc non esse causam legitimam. Quia potest Prælatus cum eo dispensare in illo rigore, nisi talis sit religio, vt cum tristitia, & aliorum scandalo ea dispensatio concedatur. At iure optimo existimo semper esse legitimam causam, quia is cum quo ita dispensatur, non potest moraliter loquendo non esse religioni onerosus, & causa multarum murmurationum.

Tertia, si odio habeatur à cæteris fratribus, aut indignè, & malè tractetur. Quod Rodericus limitat, quando religiosus ille præbet causam, nec emendatur. At si causæ illum pœnituit, & nititur emendari, & adhuc durat odium illud, erit causa legitima huius transitus. 2

Quarta, si in sua religione sit aliquod perfectionis impedimentum, quod non est in alia.

Quinta, quando propter noxiam aëris temperiem, nequit ille religiosus morari in sua religione. Quod Rodericus limitat, nisi sit aliud monasterium eiusdem religionis extra lo-

cum illum, in quo est illa mala intemperies.

Sexta, si religiosus in sua religione ita infamatus sit ob aliquod crimen à se commissum, vt semper cum pudore vitam in ea transiturus sit.

3 Septima & vltima est, si religiosi alicuius parentes magna egestate premantur, & in tali monasterio, vel religione non sit commoditas ad subueniendum illis per modos suæ regulæ congruentes. At in laxiori adest. Roder. *to.3.qq.reg.q. 52.ar.9.*

QVÆSTIO CCCLIII.

An quando quis ad aliam æquè strictam aut laxiorem religionem transit absque legitima dispensatione, talis professio sit valida.

1 RESPONDEO non valere. Ratio est, quia nullo iure is transitus permittitur.

Tum quia hic religiosus non est sui iuris, ita vt validè possit in præiudicium prioris religionis, cui est ius acquisitum, profiteri in alia religione æquali, aut laxiori.

QVÆSTIO CCCLIV.

An qui iustè ad aliam religionem transiit, & in ea professus non est, teneatur ad pristinam religionem redire?

1 RESPONDEO teneri. Ratio est, quia licentia cōcessa ob aliquam causam, ea non secuta, nullam firmitatem habet. At hæc licentia concessa fuit, vt in posteriori religione profiteretur, quod subsequutum non est: ergo. Ac proinde teneri religionem eum admittere. Secus si in posteriori religione emisit professionem.

QVÆSTIO CCCLV.

An qui iniustè ad aliam religionem transiit, teneatur ad priorem religionem redire?

RESPONDEO teneri. Ratio est, quia in hoc casu non solùm transitus ad posterius monasterium, sed etiam professio in eo emissa sunt irrita. 1

QVÆSTIO CCCLVI.

An qui non seruato iuris præscripto ad laxiorem religionem transiit, nec ad suam rediens admittitur, quia est senior effectus, peccet remanendo in laxiori?

AZOR. *lib.12.cap.15.q.2.* ait eum vt tuto in religione permaneat, indigere dispensatione superioris potètis in eo casu dispensare. Quia sicut hic transeundo contra ius peccauit, ita & contra illud permanendo. 1

Cæterum, quamuis hæc sententia probabilitate non careat, probabiliorem tamen reputo contrariam. Nam si prior religio eum in perpetuum repellat, eo quod illi est prorsus inutilis effectus, non peccabit transeundo ad quamcumque laxiorem religionem, vt inferius in materia de obedientia amplius dicemus; ergo nec in laxiori perseuerando, sed teneretur posteriorem professionem irritam, ratificare. 2

QVÆSTIO CCCLVII.

An qui habet iustam licentiam a suo superiore transeundi ad aliam religionem

religionem non facta mentione de laxiore, possit virtute huius licentiæ ad laxiorem trásmeare?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia quamuis licentia, seu priuilegium operari debeat aliquid vltra ius commune, tamen dato aliquo effectu, quem operetur, non debet extendi ad alium, in quo non repetitur eadem, aut similis ratio. At talis licentia operatur aliquem effectum, nempe se transferendi ad parem, vel strictiorem religionem: ergo non debet extendi ad transitum ad laxiorem, cùm ad hunc transitum vrgentior causa requiratur. Nauarr. *lib.* 3. *conf. t. de regul. conf.* 57. *num.* 1. & Roder. *tom.* 3. *qq. regul. q.* 52. *ar.* 11. Quod tamen limita: Nisi adiecta esset dictio vniuersalis, vt ad quamcumque religionem transire possit. Tunc enim dictio vniuersalis, comprehendit etiam religionem laxiorem.

QVÆSTIO CCCLVIII.

An habens iustam licentiam à suo superiore transeundi ad alium quemcumque ordinem Mendicantem, vel non Mendicantem; strictiorem, vel laxiorem, possit transire ad aliquem ordinem militarem?

1 NAVARR. *lib.* 3. *conf. tit. de regul. conf.* 58. *nu.* 1. tuetur partem affirmatiuam. Quia ordines militares sunt verè, & propriè religiones à Sede Apostolica approbatæ, vt nos latius supra probauimus, & resoluit idem Nauar. *in cap. Quoniam quicquid* 16 *qu.* 2.

At huius oppositum est hodie definitum à sacra Cardinalium Congregatione super negotijs regularium die 17. Nouembris 1578. nempe per licentias concessas regularibus viuentibus in claustris, non licere eisdem se transferre ad religiones non claustrales, vt sunt ordines militares, prout refertur *in additione ad supradictum Consilium* Nauarri, & tradit etiam Roder. *tom.* 3. *qq. regul. quæst.* 52. *art.* 12. Ratio huius est, quia esto ordines militares sint veræ religiones, non comprehenduntur tamen sub communi religionum. Quare idem credo, etsi licentia esset vniuersalis transeundi ad quamcunque religionem. 2

QVÆSTIO CCCLIX.

An habens à Prælato licentiam iusta de causa se transferendi ad aliam religionem, si postea non inuenit se recipientem, aut non potuit in ea perseuerare, teneatur ad priorem religionem redire?

RESPONDEO teneri ad priorem religionem redire, & fratres teneri eumdem recipere. Ratio est, quia licentia transeundi ad aliam religionem, tacite facta fuit sub conditione. *Si inuenérit se recipientem, vel in alia professionem emiserit:* ergo conditione non impleta, tenetur ad priorem religionem redire. Et ideò ita sensit Sylu. *verb. religio* 4. *quæst.* 5. 1

QVÆST. CCCLX.

Quanam in iure interdicta sint religiosis transeuntibus in casu licito ad alias religiones?

RESPONDEO in vniuersùm omnes religiosi, qui ex vna ad aliam religio- 1

religionem transeunt, sunt incapaces beneficiorum sæcularium, etiamsi curata sint, & debent perpetuò manere in claustro sub obedientia superioris: vt constat ex Conc. Trid. *sess.14. cap.11. de reformat.*

Rursus, Mendicantes qui authoritate etiam Papæ ad non Mendicantes transeunt, eo ipso efficiuntur inhabiles ad omnes dignitates, & beneficia intra, vel extra religionem obtinenda, ad curam animarum pertinentia, & ad omnia officia etiam nomine vicario, & carent loco, & voce actiua, &
2 passiua in capitulo: vt patet *ex Clem. 1. de Regul. & transeuntibus ad relig.* quæ incipit, *Vt professores.* Vbi nomine officij intelliguntur omnia munia per religiosos fieri solita vt œconomi, ostiarij, cellarij & similia: vt rectè docet Nauar. *com.4. de regul. num.*24. Intelligitur etiam prohibitum diuini verbi annunciandi munus, & munus docendi publicè Theologiam, aut Ius Canonicum, vel alias facultates. Hæc enim omnia dicuntur in religione officia. Azor. *lib. 12. cap. 14. quæstion.* 12. Less. *lib. 2. cap. 41. dub.* 13. & Roder. *tom. 3. qq. reg. q. 52. ar.*28.

QVÆSTIO CCCLXI.

An his pœnis subiiciantur Mendicantes transeuntes ad aliam religionem mendicantem, vel non Mendicantes transeuntes ad quamcumque aliam religionem?

1 RESPONDEO quod non. Et ratio est, quia textus dictæ Clementinæ solùm loquitur de Mendicantibus transeuntibus ad non Mendicantes. Ita Nauar. *lib.3. consl. 1. de regul. consl.57. fine.* & Azor. *lib.12. cap.14. quæst.* 12.

QVÆSTIO CCCLXII.

An si Mendicantes transeunt ad Carthusiam his pœnis subiiciantur?

RESPONDEO quod non. Et ratio est, quia ea Clementina expressè loquitur de transeuntibus virtute alicuius priuilegij etiam Apostolici ad religionem laxiorem, ac proinde ad non Mendicantem. At transitus ad Carthusiam est iure communi permissus, tanquam ad religionem strictiorem, etsi Mendicans non sit. 1

QVÆSTIO CCCLXIII

An Nouitij Mendicantes, & inualidè professi in hac Clementina comprehendantur?

RESPONDEO non comprehendi. Et ratio est, quia dicta Clementina expressè loquitur de religiosis professis, qui ex vi voti in solemni professione emissi tenentur in priori religione manere. 1

QVÆSTIO CCCLXIV.

Quid nomine mendicantium hoc loco intelligatur?

RESPONDEO intelligi non solùm quatuor ordines Mendicantes, quales sunt Prędicatores, Minores, Augustiniani, Carmelitę; sed etiam omnes alij ordines, qui postea à sede Apostolica vt tales instituti sunt: vt sunt Minimi, & Religiosi Societatis Iesu. Ita Nau. *com.4. de reg. n.*31. & Suar. *to.5. in 3. p. d.31. sect.6. nu.*7. 1

QVÆST.

QVÆST. CCCLXV.

An si mendicans legitimè transiuit ad non Mendicantes, & postea pœnitentia ductus redit ad Mendicantes, has pœnas incurrat?

1 RESPONDEO non incurrere. Ratio est, quia ea Clementina eos tantum comprehendit, qui de ordine Mendicantium ad non Mendicantes trāsferuntur, & dum in eo perseuerant.

QVÆSTIO CCCLXVI.

An nomine Mendicantium comprehendantur ij, quibus Regula, vel constitutiones non prohibent habere bona stabilia in communi, quamuis actu mendicent?

1 RESPONDEO non comprehendi: vt constat *ex cap. vnico* §. *confirmatos de relig. domib. in 6.* vbi dicitur. Mendicantes esse, quibus ad congruam sustentationem, redditus, aut possessiones habere professio, aut Regula quælibet interdicunt. Ita Roder. *to. 3. qq. reg. q. 52. ar. 15.*

QVÆSTIO CCCLXVII.

An nomine Mendicantium comprehendantur ij, quibus Regula vel Constitutiones à Sede Apostolica approbatæ interdicunt habere bona stabilia in communi, quamuis illa illicitè habeant, vel licitè ex priuilegio Romani Pontificis, sicut hodie habent ex Conc. Trid. sess. 25 c. 3. *omnes Mendicantes, exceptis Capucinis, & Minoribus de obseruantia?*

RESPONDEO comprehendi. Ratio est, quia quamuis habeant possessiones, & non mendicent, propter hoc non tollitur, quin sint de ordine Mendicātium, habeántque quoad alia omnia priuilegia Mendicantium. At Priuilegium tollens vnum, non tollit aliud: ergo per hoc à iuribus loquentibus de Mendicantibus non eximuntur. Ita Sylu. *verb. religio 3. quæst. 5.* & Roder. *to. 5. qq. regul. quæst. 52. art. 15.* 1

QVÆSTIO CCCLXVIII.

An nomine Mendicantium comprehendantur Moniales subiecta ordinibus Mendicantibus?

IN qua re certum est, nomine Mendicantium intelligi eas omnes Moniales, quæ ex sua professione non possunt habere bona in communi, vt sunt Moniales Sanctæ Claræ. 1

QVÆSTIO CCCLXIX.

Sed dubium est, de Monialibus ordinis Prædicatorum & Minorum.

RESPONDEO non comprehendi. Ratio est, quia hæ Moniales non habent ex priuilegio, sed ex sua Regula posse habere bona stabilia in communi. 1

QVÆSTIO CCCLXX.

An qui ex vna religione ad aliam legitimè transit, teneatur de nouo profiteri?

IMOLA *in Clem. 1. de Regul. num. 19* sequutus Ioan Lignanum negat. Quia in omni religione tria vota solemnia castitatis, paupertatis, & obe- 1

 dientiæ

dientiæ sunt eadem,& ita qui profitetur vnam religionem approbatam, videtur profiteri omnia essentialia cuiuscumque religionis, & cùm nihil frustra sit faciendum,non videtur reiteranda professio.

2 Cæterùm absque dubio tenendum est, hunc debere de nouo professionem emittere. Ratio est,quia licèt sit religiosus vnius religionis, vel Monasterij,non tamen eo ipso est alterius.

Tum quia frequenter monasterium secundum, est arctioris obseruantiæ,ad quam professio prioris monasterij non extenditur,& nisi de nouo profiteretur in secundo, nullo iure ad illam obseruantiam obligaretur, & per consequens omnes religiosi eius non obligarentur ad eandem disciplinam.

QVÆST. CCCLXXI.

An religiosus ex vna religione, ad aliam transiens,si vult in ea profiteri,teneatur per integrum annum in probatione persistere?

1 SORBVS *in compendio priuilegiorum Mendicantium verb. Nouitius*, & Corduba *in summa casuum,q.*38.tenent religiosum professum transeuntem ad aliam religionem non indigere iterato nouitiatu. Immò Henriq. *lib.* 13.*de excommunicat.cap.*40.*n.* 2. dicit idem, etsi ille ad religionem strictiorem, vt ad Carthusiam transeat. Quia cum iam in priori religione expertus sit religionis asperitates, non indiget nouo probationis anno in ea,ad quam transit,cum implicet eumdem esse veteranum,& tyronem.

2 At omnino dicendum est,transeuntem ad quamcumque aliam religionem teneri anno integro illam experiri, vt validè profiteatur. Ratio est, quia Conc. Trid.*sess.*25.*cap.*15. *de regular.* generaliter petit ad validam professioné præmitti annũ nouitiatus. At hic in illa alia religione profiteri denuò debet:ergo præmittendus est nouus nouitiatus,quo Nouitius experiatur rigores,& asperitates religionis, & religio ipsius mores, & conditiones. Nec implicat eumdem esse veteranum in vna religione, & tyronem in alia. Et ideò ita sentiunt Nauar. *lib.* 3.*conf. t.de regul.conf.*60.Rôder.*tom.*3. *qq.regul.q.*15.*ar.*11.*&* 2.*p.sum. cap.* 6. *nu.*10.Emman.Sa *verbo religio nu.* 35. Azor.*lib.*12.*cap.*14.*q.*15.Less.*lib.* 2. *c.* 41.*dub.*13.& communis.

Dices per concessiónem Leonis decimi, qui de vna religione ad aliam transit, potest ante nouitiatus annum profiteri de consilio discretorum monasterij,in quo profitetur. 3

Respondeo id priuilegium per non vsum cessasse, vt rectè Roder. *tom.* 3. *qq.reg.q.*15.*ar.*11. notauit. Immo per Trid.decretum esse quoque ablatum, quia generatim decernit nullam in posterum professionem fore validam, non præmisso nouitiatus anno. 4

QVÆSTIO CCCLXXII.

An translatus de vna ad aliam religionem,vt in ea sit Prælatus, teneatur de nouo in ea profiteri?

LESS. *lib.* 2.*de iust.cap.* 41. *dub.* 13 negat. 1

Sed contrarium videtur mihi verius cum Nauar.*lib.*3 *conf.tit. de regul. conf.*3.& Rod.*tom.*3. *qq. reg.q.* 52. *ar.* 25.& colligitur ex Conc.Trid.*sess.*25. *cap.*21. Cuius ratio ea esse potest,quia qui similem vitam cum aliis suscipit, similem debet sentire in legibus disciplinam, & vt vnusquisque se conformet,& aptet vitæ, & moribus eorum, 2

rum, cum quibus conuerſatur, quod aliter fieri non poſſet, niſi hic tranſlatus de nouo illam religionem profiteretur, & ſimili ligaretur voto, quo ligantur illi, qui præeſſe debent.

QVÆST. CCCLXXIII.

An præficiendus certo monaſterio in Abbatem vel Priorem, poſſit ante annum profiteri?

1 RESPONDEO ſic, vt expreſsè definitur in Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *de regul. c.* 21. vbi ſic habetur. Quoad ea verò monaſteria, quæ capita ſunt, ac Primates ordinum, ſiue Abbatiæ, ſiue Prioratus, filiæ illorum capitum nuncupantur, teneantur illi, qui in præſenti ea in commendam obtinent, niſi ſit eis de regulari ſucceſſore prouiſum, infra ſex menſes religionem illorum ordinum propriam ſolemniter profiteri, aut iis cedere: aliàs commendæ prædictæ ipſo iure vacare cêſeantur. Et ita hic caſus excipitur à generali lege tradita *eadem ſeſſ. cap.* 15. nempe, vt nulla profeſſio emittatur ante integrum probationis annum. Et ideò ita tenent Cord. *in ſum. q.* 30. Henriq. *lib.* 13. *de excomm. c.* 40. *nu.* 2. & Roder. 2. *p. ſum. c.* 6. *nu.* 10.

QVÆST. CCCLXXIV.

Cuiusnam Monaſterij ſit filius religioſus tranſlatus ad aliam religionem vt ſit Prælatus, finito officio.

1 RESPONDEO tranſlatam de vno ad aliũ ordinem, vt eiuſdem ſit Prælatus, ceſſante prælatura, remanere filium poſterioris monaſterij ſeu religionis, quam profeſſus eſt, vt habetur *ex cap. fin. de ſimonia.* & tradit eleganter Nauar. *lib.* 3. *conſil.* 1. *de regular. conſ.* 61. & Roder. *tom.* 3. *qq. regul. q.* 52. *ar.* 26.

QVÆST. CCCLXXV.

An qui de vna, ad aliam religionem migrat, poſſit ſecum deferre omnia bona, quæ ratione eius, prius monaſterium acquiſierat?

RESPONDEO ſi hic ante profeſſionem tranſit, & priori monaſterio expreſsè, & abſolutè ſua bona donauerat, vnà cum eo bona vniuerſa transeunt ad ſecundum: nam à priori diſcedens tacitè videtur donationem reuocaſſe, cum cauſa profeſſionis facta eſſe videatur; ergo ea non ſecuta, donatio reſcinditur Si verò poſt profeſſionem emiſſam migrauit, aut cum debita licentia tranſiuit, aut non. Si ſecundum, cum illegitimus ſit tranſitus, nullum ius comparat poſterius monaſterium ad ea bona. Si primum, aut tranſitus eſt propter eius crimen, vt in ſtrictiore religione de eo pœnitentiam agat, & tunc vſusfructus rerum, quas contulit priori monaſterio, ad ſecundum monaſterium pertinent, proprietas autem ad primum, at poſt mortem vſusfructus ad primum monaſterium redibit, & conſolidabitur cum proprietate. Aut tranſitus ſit ſtudio tutioris, & melioris vitæ, & quantum ad hoc duæ extant opiniones. 1

Prima tenet omnia bona, quæ ad prius monaſterium tranſierunt, vnà cum religioſo ad aliud ſe conferente transferri. Quæ eſt communis inter Iuris pontificij peritos, vt refert Azor. *lib.* 12. *cap.* 15. *q.* 2 & eam tuentur Roſell. *verb. religio* 4. *nu.* 12. Angel. *verb. matrimonium nu.* 6. & Armil. *verb. religio nu.* 17. 2

3 At verissima sententia est aliorum, qui docet omnia bona penes primum monasterium manere, & quidquid post professionem in secundo factam ei obuenerit, secundo monasterio acquiri. Nam *in cap. statutum* 18. *quaest.* 1. generaliter dicitur, omnia bona religiosi ante transitum acquisita ad prius monasterium pertinere, Quod procedit etiam de acquisitis in seculo, vel in posteriori monasterio vsque ad professionem in secundo monasterio, quia vsque ad illam, non est perfectè translatus ad posterius monasterium: Et ideò acquirit priori, cuius est verus religiosus, donec in posteriori monasterio profiteatur. Et ideò ita tenent Syluest. *verb. religio* 4. *quaest.* 10. Nauar. *Com.* 2. *de regular. num.* 24. Molina. *to.* 1. *de iust. disp.* 140. Azor. *lib.* 12. *cap.* 15. *q.* 3. *& cap.* 16. *q.* 8. Roder. *tom.* 3. *q.* 5. *ar.* 5. & hanc communem esse sententiam ait Couar. *cap.* 1 *de testam. nu.* 20. *&* 21.

4 Hinc, monialis authoritate legitima translata voluntariè ad instantiam suam, ad aliud monasterium, non potest secum deferre dotem, quia illa solùm sub hac tacita conditione datur, *Si professio sequatur*, qua secuta remanet perpetuò eius monasterii. Ita Nau. *com.* 4. *de regul. nu.* 24. & Roder. *to.* 2. *qq. regul. q.* 79. *art.* 2.

5 Hinc, religiosus ad aliam religionem transiens nil potest secum deferre ex acquisitis priori monasterio præter solas vestes, & has quidem ex tacita licentia superioris. Quare nec scripta à se elaborata portare secum potest, nisi essent inutilia priori monasterio, vel nisi crederet non fore ingratam superiori delationem. Ita Nau. *lib.* 3. *consi.* 1. *de regular. cons.* 55. *nu.* 9. *&* 10. & Roder. *tom.* 2. *qq. regular. q.* 79. *art.* 2.

QVÆST. CCCLXXVI.


Quid de eo, qui de religione, quæ possidere potest in communi, ad aliam quæ tali facultate caret, migrauit, & post secundam professionem in ea factam, per obitum patris, hæreditas ad eum peruenit?

NONNVLLI arbitrantur eam hæreditatem ad primam religionem pertinere, quia religio in qua nunc est, hæreditatis capax non est. 1

Alij verò rectiùs docent, eam ad alios patris legitimos hæredes pertinere. Quia per secundam professionem desiit esse religiosus primæ religionis. 2

Hæc hactenus dicta sint de Religioso statu, ac de voto solemni in communi, nunc ad particularia descendamus:

DE



DE VOTO SOLEMNI OBEDIENTIÆ.

LIBER SEXTVS.



1 HActenvs, disputatum est libro superiori de statu religioso, ac voto solemni in communi, nunc sigillatim de singulis solemnibus, obedientiæ, castitatis, & paupertatis votis disserendum est, ac primùm quidem agemus in hoc libro de voto obedientiæ, cui propter suam dignitatem, & excellentiam conuenit primatus inter alia Religionis vota. De hac materia scripsit Magister cum cæteris Theologis *in 3. sent. dist* 37. D.Tho. 1.2.*q.*90. *& Caiet. ibid. & in summa verbo lex, & verbo obedientia* Sotus *lib. 1. & 2. de iustitia & iure* Alph. à Castro *lib. 1. de lege pœnali.* Nauarr. *cap.*23. *à num.*49. Tolet. *lib.*7. *de peccatis mortalibus c.*18. Suar. *de legibus* Vasq. 1. 2. *quæstion.* 96. *artic.* 4. Salon 2.2. *quæstion.* 77. *artic.* 1. Valent. 1. 2. *disp.* 7. Barth. Med. 1. 2. *quæstion.* 90. & Azor. *tom.* 1 *institut. moral. lib.* 5. *cap.* 1. Summularij vero vt Angelus, Tabiena, Syluester, Armilla & plerique alij *verbo lex, verbo obedientia, & verbo Religio.*

Vt autem clarius procedamus, operæpretium est, prius prælibare, ac declarare quædam, quæ summoperè sunt vtilia, ac necessaria ad huiusmodi voti cognitionem. Primùm igitur videndum est:

QVÆSTIO I.

Quid sit præceptum?

RESPONDEO quod est iussio, vel imperium superioris faciendi aliquid, vel non faciendi. Et est duplex scilicet diuinum, & humanum. Diuinum illud est, quod à Deo immediatè factum est. Qualia sunt præcepta Mosaica, & Euangelica, & diuiditur in naturale, & positiuum. 1

Præceptum naturale est, quod sic à Deo est, quod naturæ hominis sit insertum, ita vt ratio hominis illud attingat. Huiusmodi sunt decem præcepta decalogi.

Præceptum verò diuinum positiuum est, quod datum est à Deo, sed ratio hominis illud non attingit, nisi prius per reuelationem aliquam ei manifestetur. Huiusmodi fuerunt in veteri testamento præcepta ceremonialia, & iudicialia, & in Euangelio sunt præcepta fidei, & sacramentorum. 2

Præceptum humanum est, quod ab homine per potestatem sibi à Deo

datam, proficiſcitur. Et eſt duplex, Eccleſiaſticum,& ſæculare.

3 Eccleſiaſticum eſt, quod à poteſtate Eccleſiaſtica fit, nimirum à Papa, Concilio, Epiſcopo, vel aliquo Eccleſiaſtico Prælato. Et dicitur canonicum à Canone, qui ſignificat regulam.

Sæculare autem ſeu ciuile eſt, quod à poteſtate ſæculari eſt factum, nimirum ab Imperatore, vel Rege, vel Duce, vel alio Principe, aut Republica, aut Communitate, aut aliquo alio ſuperiore.

4 Rurſus, præceptum humanum eſt duplex, pœnale, & non pœnale, ſeu purum. Pœnale eſt, quod pœnam præcepti tranſgreſſori conſtituit. Non pœnale, ſeu purum, quod ſolum præcipit, aut vetat.

Præceptum pœnale iterum eſt duplex, purè pœnale, & mixtum. Præceptum purè pœnale eſt illud, quod nec præcipit, aut vetat, ſed ſolum pœnam irrogat his qui certum aliquid faciunt, vel omittunt. Vt ſi v.g. ſuperior dicat, qui locutus fuerit poſt completorium, ſeptem pſalmos pœnitentiales perſoluat.

5 Vbi Prælatus nihil præcipit, vel vetat, ſed tantum imponit pœnam loquenti. Præceptum verò mixtum eſt, quod non ſolum aliquid fieri iubet, aut prohibet, ſed etiam pœnam tranſgreſſori irrogat, vt cum ſuperior dicit, præcipio, aut prohibeo ne quis poſt completorium loquatur, quod ſi fuerit loquutus, ſeptem pſalmos recitet.

QVÆSTIO II.

An præceptum, & conſilium diſtinguantur?

1 Respondeo diſtingui, & hæc multipliciter. Primò quia præceptum ſemper eſt ſuperioris. Conſilium vero non tantum ſuperioris, ſed etiam paris, aut inferioris iuxta illud Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus.*

2 Secundò, quia materia præcepti eſt facilior, conſilij difficilior: illa enim ſumpta eſt ex principiis naturæ, hæc ſuperat quodammodo naturam, nam ad ſeruandam matrimonij fidem natura inclinat, at non ita ad abſtinendum à coniugio. Vnde Hieronym. *in ſerm. de aſſumpt. Profectò* (inquit) *in carne præter carnem viuere, non terrena vita eſt, ſed cæleſtis.*

Tertiò, quia materia præcepti bona eſt, conſilij melior, & perfectior, nam conſilium includit præceptum, & aliquid ſuprà præceptum addit.

Quartò, quia præceptum commune eſt omnium, conſilium non item. Nam de virginitate dicitur: *Qui poteſt capere capiat:* At de iuſtitia, non dicitur, qui poteſt facere, faciat, ſed *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excindetur*, &c.

3 Quintò, præceptum vi ſua conſcientiam adſtringit: at vero conſilium in arbitrio eius, cui datur poſitum eſt. Vnde Hieron. *in Epiſt. ad Euſtoch. vbi conſilium, ibi offerentis arbitrium, vbi præceptum datur, ibi neceſſitas eſt ſeruientis.* Et D. Greg. ait. *Quod præcipitur, imperatur: & quod imperatur, neceſſe eſt, fieri: ſi non fiat, pœnam habet: vbi conſilium datur, offerentis arbitrium eſt: vbi præceptum, neceſſitas ſeruantis, vel imperantis eſt.*

Sextò, præceptum obligat ad culpam: conſilium verò minimè, niſi ex contemptu omittatur.

4 Septimò, & vltimò, quia præceptum obſeruatum habet præmium, non obſeruatum habet pœnam. Conſilium autem ſi non ſeruetur nullam habet pœnam, & ſi ſeruetur maius habet præmium.

QVÆST.

QVÆSTIO III.

An præceptum, & constitutio distinguantur?

1 RESPONDEO distingui, & hæc in quatuor. Primò, quia præceptum quandoque datur in scriptis, quandoque non. Constitutio autem est lex redacta in scriptis. *dist. 1. cap. iur.*

Secundò, quia præceptum semper obligat ad culpam. Constitutio autem non semper, quia quandoque obligat ad solam pœnam.

Tertiò, quia præceptum potest à solo superiore fieri. At constitutio seu statutum non potest fieri, nisi de consensu maioris partis capituli.

2 Quartò, quia præceptum est temporale vsque ad alium successorem Prælatum. Constitutio autem est perpetua, & nisi reuocetur, durat etiam post mortem Prælati.

QVÆSTIO IV.

An Regula, & constitutiones distinguantur?

1 RESPONDEO distingui. Et ratio est, quia Regula non potest, nisi pontificia authoritate mutari, constitutiones vero possunt superiorũ præsertim in vnum conuocatorum authoritate, in toto, vel in parte variari. Ratio huius est, quia Regula est à Romano Pontifice confirmata, at constitutiones solum authoritate superiorum conduntur, & approbantur. Ita Azorius *lib. 13. cap. 11. q. 2.*

QVÆSTIO V.

An præceptũ quod solum ad pœnam obligat, sit verè & propriè præceptũ?

1 NONNVLLI existimant non esse propriè præceptum, sed pactum inter Prælatum, & subditos initum, vt si hoc vel illud præceptum violent, hanc, vel illam pœnam subeant, licet à peccato sint liberi.

Contrarium tamen arbitror esse dicendum. Quia licet præceptum non ita obliget, vt qui illud violat, peccatum committat, obligat tamen, vt transgressor ipsius, pœnam subire debeat, non quidem ex vi pacti, quo subditus ad talem pœnam se obstrinxit, sed authoritate Prælati, qua vult transgressorem ad talem pœnam teneri. 2

QVÆSTIO VI.

An ad substantiam, & rationem præcepti promulgatio requiratur?

ABBAS *cap. 1. de postulat. num. 16.* tenet promulgationem ad substantiam præcepti non requiri. 1

Contrarium tamen est proculdubio affirmandum. Et ratio est, quia præceptum est iussum superioris subdito patefactum, ac denunciatum. At non potest iussum alteri esse notum, nisi ei sit indicatum, & promulgatum. 2

Et est conclusio definita *in cap. In istis d. 4.* vbi habetur *Leges constituuntur, cum promulgantur.* Et tradit D. Thom. 1. 2. *q. 90. art. 4.* Caietan. *ibidem.* & Valent. *tom. 2. d. 7. q. 1. p. 2.* 3

QVÆSTIO VII.

An ad substantiam, & rationem præcepti seu legis, requiratur, vt sit vsu receptum?

RESPONDEO sic. Ratio est; quia lex cum constituitur, & promulgatur, ea conditione tacita fertur, vt vim habeat, si vsu recipiatur, sin minus vi sua careat. 1

Et

Et est conclusio definita *in cap. In istis d.*4.vbi apertè dicitur, *Leges instituuntur, cum promulgantur: approbantur, cum moribus vtentium recipiuntur*, Et in *l. de quibus ff. de legibus* dicitur. *Nam cum ipsæ leges nulla alia ex causa nos teneant, quàm quod iudicio populi receptæ sunt.* Et tradit Nauarr. *conf.* 1. *de constitut.quæst.6. num.*25. qui addit tunc legem dici vsu receptam, quando tota communitas, vel maior pars communitatis eam obseruat. Vnde si minor pars contra legem faciat, peccatum committit.

QVÆSTIO VIII.

An omne præceptum humanum obliget ad culpam?

1 RESPONDEO quod sic. Et ratio est, quia ius diuinum, & naturale dictat seruandum esse iustum præceptum superioris: ergo qui illud non seruat, agit contra ius diuinum, & naturale, ac proinde peccat.

Tum quia præceptum secum fert obedientiæ imperium, obedientia autem per se est virtus, & inobedientia peccatum: ergo.

2 Et est conclusio definita in Conc. Constant. *sess.* 6. *&* 15. *contra Ioann. Vvicleff. & in Constit. Pontificia Leon.* 10. *contra Luterum* idem statuitur: quod facilè etiam ex scripturis colligi potest, nam Luc. 10. dicitur. *Qui vos audit*, &c. Matth. 18. *Si Ecclesiam non audieris*. Rom. 13. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Et facit illud Prouerb. 8. *Per me Reges regnant.*

3 Dices, peccatum teste August. *lib.* 22. *contra Faustum cap.* 27. *est factum, vel dictum, vel concupitum contra legem Dei*: ergo qui præceptum humanum violat, non peccat.

Respondeo legem Dei esse, quæ iubet, vt superioribus obediamus, iuxta illud Luc. 10. *Qui vos audit, me audit*, ergo qui contra præceptum superiorum facit, contra legem Dei peccat, quæ in præcepto humano implicitè continetur.

Obiicies, superiores non possunt subditis pœnam æternam infligere, aut diuina gratia priuare: ergo non possunt suis præceptis subditos ad peccatum mortale obligare.

Respondeo Superiores ex institutione Dei habere, vt subditos ita teneant, vt si aliquod eorum præceptum violent, sint æternæ mortis rei, non quidem directè, & per se, sed quia possunt iustè aliquid præcipere: & præceptum eo ipso quod est iustum, cum diuina lege conuenit, quo fit, vt eius præcepti transgressio sit grauis, cui Dei iudicio pœna æterna debetur. 4

Dices, sunt multa religionum statuta, quæ religiosos ad culpam non obligant. 5

Respondeo hoc prouenire, non quia ad id vi, & potestate careant, sed quia ex benignitate noluerunt eos ad culpam obligare. 6

Hinc, non est audiendus Caietan. qui in summa loquens de ieiunio, dicit non satis ei constare, an lex ieiunij obliget ad mortale, quia lex id non explicat: vbi insinuat leges quæ id non explicant, non obligare ad culpam. Non est inquam audiendus, quia numquam lex fieri consueuit hoc modo nimirum, præcipio tibi sub reatu culpæ mortalis, vel venialis: & non est specificandum eam obligare ad culpam, quia ex natura sua semper ad id obligat: ac proinde specificandum est, quando legislator non intendit obligare ad culpam.

QVÆST.

QVÆSTIO IX.

An Prælatus possit in re leui obligare subditum ad mortale?

1 SVNT multi qui existimant, posse. Et probant, quia in religionibus passim ponuntur præcepta obedientiæ, & sub excommunicatione de rebus minimis, quæ verè obligant quia potestas superioris timenda est.

Tum quia Deus leue præceptum Adæ imposuit sub obligatione æternæ mortis, ergo. Huius opinionis videntur esse Angel. *verbo lex num.* 3. Syluest. *verb. præceptum qu.* 3. Armil. *verb. lex num.* 4. & Cord. *in sum. qu.* 188. *par.* 2. qui docent ex intentione legislatoris pendere quid præceptum obliget sub mortali, quia ex illa pendet legis vis.

2 In contrarium tamen est sententia communis præsertim Theologorum. Et ratio est, quia obligare subditum ad mortale non pendet ex sola, & libera voluntate præcipientis, sed ex intentione eius iuxta regulam rectæ rationis, à qua valde alienum est, vt superior leuia sub mortali præcipiat, præsertim cum potestas hæc superioribus concessa sit in ædificationem, & commodum, & non ad destructionem, & damnum subditorum: esset autem maximum detrimentum, si subditi præcepta superiorum de rebus nullius momenti sub mortali obseruare tenerentur.

Tum quia si lex ciuilis pœnam mortis imponeret pro leui crimine, iniusta esset, & nulla quoad illam partem: ergo multo magis erit iniustum præceptum Prælati, qui imponeret reatum pœnæ æternæ apud Deum in materia leui.

3 Tum quia ferè omnia præcepta naturalia, & diuina traduntur per verba præceptiua, quæ tamen in materia leui non obligant transgressores ad mortale, quia contra rationem est, vt pro rei leuis transgressione, homines in infernum detrudantur: ergo à fortiori multo minus possunt id facere religionum Prælati. Et ideò ita tenent Bath. Med. 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. Valent. 1. 2. *d.* 7. *quæst.* 5 *par.* 6. Castro *lib.* 1. *de lege pœnali cap.* 5. & Azotius *lib.* 5. *cap.* 6. *quæst.* 5. Et fortasse authores citati pro contraria opinione, hoc idem senserunt, nam cum dicunt intentionem sufficere, intelligendi sunt de intentione rationabili, & iusta, sic enim intelligunt communiter Doctores dictum illud *l.* 1. *ff. de constitut. princip.* Quod Principi placuit, legis habet vigorem, vtique de placito rationabili, & iusto. Nec amplius probat exemplum religionum, nam doctrina supradicta in eis etiam locum habet de necessitate materiæ grauis, quamuis in illis propter altiorem finem perfectionis, frequentiùs possit accidere, vt res in specie leuis, in tali statu, & in ordine ad finem ei consentaneum grauis meritò censeatur. & in casu dubij debet præsumi grauis, & tenetur subditus obedire.

Ad exemplum autem de præcepto Adæ imposito, respondeo præceptum illud Adæ fuisse de re graui, quia illa abstinentia à cibo vetito, imposita fuit in recognitionem obedientiæ Deo debitæ, & quasi in tributum humanæ subiectionis ad Deum, & ad reprimendam hominis elationem, quodammodo subiiciendo illum inferiori creaturæ in obsequium Dei, sub qua ratione, præceptum illud grauissimum erat. 4

QVÆSTIO X.

An Prælatus poßit in materia graui obligare subditum ad culpam venialem.

1 BARTH. Medina 1.2.*qu.*96.*art.*4. Bellarm. *tit.*1.*de laicis lib.*3.*c.*11. & Vasq.1.2. *d.*158. *cap.*4. *nu.*32. negant, putant enim non esse in potestate præcipientis (supposita materia graui) obligare ad veniale. Quia quamuis in potestate Prælati sit præcipere, vel non præcipere rem grauem, tamen non est in eius potestate, vt præcepto indicto in re graui, peccatum mortale non sit ei non obtemperare.

2 Cæterùm nullatenus placet mihi hæc sententia, sed existimo posse Prælatum in re graui, & capaci obligationis sub mortali, imponere præceptum, quod tantum sub veniali obliget, solùm quia non intendit, nec vult amplius obligare. Ratio est quia actus agentium non operantur vltra eorum intentionem.

Tum quia præceptum ex intentione præcipientis potest non obligare ad culpam, sed tantum ad pœnam, etiam in materia de se graui, & sufficienti ad obligationem sub mortali, vt ex constitutionibus nostræ Congregationis, & Prædicatorum constat: ergo per eandem intentionem præcipientis fieri poterit, vt præceptū obliget sub veniali, etiam si materia capax esset maioris obligationis. Et ideò ita sentiunt Alphonsus à Castro *lib.*1. *de l.pœnali c.*5. *docum.*4. Ioan. Med. *C.de ieiunio q.*7. & Suar. *lib.*3, *de legibus cap.* 17.*num.*6.

QVÆSTIO XI.

Quomodo cognosci potest: An Regula, vel præceptum superioris obliget ad mortale, vel ad veniale?

RESPONDEO ex multis possumus hoc cognoscere. Primo ex iusta, & rationabili voluntate & intentione præcipientis, supposita tamen materia sufficienti ad culpam mortalem, vel venialem. Ratio est, quia obligatio præcepti pendet ex voluntate præcipientis dummodo cætera adsint, quæ ad inducendam obligationem necessaria sunt. Vnde si prælatus non intenderet per suum præceptum obligare ad culpam, etiam si verba grauem videantur denotare obligationem, nunquam tale præceptum quantum est ex se eius transgressorem reum culpæ efficeret. 1

Dixi notanter (*quantum est ex se*) quia si subditus putet illud præceptum habere vim obligandi ad culpam, & illud transgrediatur, peccabit quidem, non ratione præcepti, sed ratione conscientiæ erroneæ. Quando autem Prælatus animum obligandi ad culpam non habet, debet talem suam intentionem subditis manifestare ad omnes scrupulos tollendos. Qua de causa constitutiones nostræ Congregationis B. Mariæ Fuliensis non obligant ad culpam, præter illam, quæ ex iure diuino, aut iure naturali fuerit aliàs inducta, sed solùm ad pœnam taxatam, quia superiores expresse dixerunt se nolle obligare ad culpam, præceptum autem non ligat vltra intentionem præcipientis. 2

Hinc, si Prælatus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ aliquid præciperet, excommunicandi tamen intentionem non habens, quamuis subditus tale præceptum violaret, existimans Prælatum habuisse intentionem excommunicandi, peccaret quidem mortaliter ratione cōscientię 3

erro

erroneæ, nullam tamen propter hoc excommunicationem incurreret.

4 Secundò ex materia, quæ præcipitur, vt si sit res grauis, nam si leuis sit, & exigua, præcepti violatio lethalis esse non potest, quamuis velit superior graue inferre obligationem Ratio huius est, quia contra rationem est, vt præceptum superioris obliget subditum ad peccatum mortale pro quacunque re leuissima. Etenim præceptum superioris, vt iustum, & licitum sit cōformari debet præcepto diuino, à quo deriuatur. At verò præceptum diuinum, quod ad mortale, & ad veniale obligare potest, quando hoc, aut illo modo obliget, desumitur ex materia graui, aut leui vt constat in præcepto non furandi, furtum enim vnius oboli solum erit veniale, quia materia leuis est, furtum autem vnius aurei erit mortale, quia est materia grauis. Ergo similiter in præceptis superiorum iudicandum erit esse mortale, aut veniale ex grauitate, aut leuitate materiæ; si enim res quæ præcipitur, grauis sit, obligat ad mortale, si leuis ad solum veniale obligare poterit. Vnde valde reprehendendus est abusus quorundam superiorum, qui circa res leues non verentur aliquid præcipere, aut sub pœna excommunicationis, aut in virtute sanctæ obedientiæ, vel aliquo alio modo obligante ad mortale, de quibus dici potest illud Ezech. 34. *Cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia*, & illud Saluatoris Matth. 23. *Imponunt onera grauia & importabilia.*

5 Verùm posset his rebus paruis talis circunstantia adiungi, vt putà graue scandalum religionis, aut magna occasio transgressionis alicuius voti essentialis suæ professionis, vt meritò Prælatus res illas sub mortali præcipere, vel prohibere possit, vt v. g. præcipere potest prælatus sub obligatione ad mortale, ne aliquis religiosus ad hortum communē Monasterij, aut ne ad talem, aut talem domum sæcularis hominis accedat, aut ne cum tali, aut tali persona loquatur. Hæc enim, & similia, quáuis ex obiecto, & per se considerata sint res parui valoris tamen ratione scandali aut alterius circūstantiæ efficiuntur materia grauis, & ideò obligant ad mortale. Si verò occasio scandali, aut alterius prauæ circūstantiæ cessauerit, tunc obligatio præcepti ad peccatum mortale erit nulla, etiam si ipse Prælatus non reuocauerit suum præceptum, sed velit adhuc manere cum eadem obligatione, qua prius. Ratio est, quia à principio quando tale dedit præceptum, si nulla scandali occasio, aut aliā similis iusta causa fuisset, obligare non potuisset ad mortale: ergo cessante iam causa obligare nequit Consequentia patet, quia cessante causa, cessat effectus. Vnde Innocentius III. *capite Post translationem de renunciatione*. declarauit decretum quoddam Concilij Constantinopolitani in eo casu non obligare, quia causa illius decreti cessauerat. Quod est intelligendum, quando cessat tota causa præcepti, quia licet cesset vna causa illius præcepti, si restant tamen aliæ causæ, tunc quidem præceptum non cessat obligare. Vnde licet aliquis per virtutum exercitia carnem suam plenè subiecisset spiritui, nihilominus tamen ad Ecclesiasticum ieiunium obseruandum teneretur quia repressio carnis non est sola, propter quam indictum est ab Ecclesia ieiunium, sed sunt aliæ, vt puta eleuatio mentis in Deum, augmentum meriti, & præmij, quæ satis sunt ad obligationem ieiunij imponendam.

Tertiò, ex communi consuetudine, & existimatione communitatis, cui præceptum legis impositur. 6

Quibuſcunque enim verbis præceptum imponatur, ſi communis ſenſus eorum qui illo tenentur, id intellexit, & acceptauit vt obligans ſub mortali, obligabit ſub mortali, ſi verò vt obligans ſub veniali, obligabit ſub veniali. Ratio eſt, quia conſuetudo eſt optima legum interpres. *cap. Cum dilectus de conſuetud.* Nec præceptum aliter obligat, quam communitet receptum eſt. Ita Caiet 2. 2. *q* 186. *ar.* 9. Nauar. *cap* 23. *n.* 58 Cord. *ſuper Reg. cap.* 10. *q.* 3. *p.* 1. Tolet. *de* 7. *peccatis mortal. cap.* 19. *n.* 7. Salon. 2. 2. *q.* 77. *ar.* 1. *controuer.* 8 *reg.* 4. Valent. 2. 2. *d.* 10. *q.* 4 *p.* 5. vbi addit, vix poſſe aliam vniuerſalem regulam tradi præter hanc. *&* 1. 2. *d.* 7. *q.* 5. *p.* 6. dicit hoc eſſe vnicũ ſignum, ex quo ſufficienter colligi poſſit præceptum omnibus conſideratis obligare ſub mortali, nempe communem populi receptionem pro maiori communitatis parte ſic acceptantem, & intelligentem præceptum, idque dignoſcendum eſſe ex communi iudicio, & ſenſu bonorum, & peritorum. Vnde quamuis in *cap. Viriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ.* non ſit expreſſum, an præceptum confeſſionis, & communionis tempore Paſchæ obliget ad peccatum mortale, vſus tamen, & praxis Eccleſiæ ita declarat. Similiter in iure expreſſum non eſt: An præceptum ieiunij obliget ad mortale, quia tamen communis conſenſus Eccleſiæ, & Doctores ita illud interpretantur, dicendum eſt illud verè obligare ad mortale, quidquid contra hoc obmurmuret Caietanus *verb. ieiunium.*

7 Quartò ex verbis, quibus præceptũ vtitur, deduci poteſt, quantã vim præceptum habeat. Vnde hæc verba, in virtute vel ad meritũ ſanctæ obedientiæ, aut in virtute ſancti Spiritus, ſub pœna indignationis Dei, maledictionis æternæ, ſub obteſtatione diuini iudicij, ſub anathemate, ſub indignatione Apoſtolorum Petri, & Pauli, aut vi, aut virtute præſtiti iuramenti, aut voti facti, vel ſtrictè præcipimus, iubemus, inhibemus, vetamus, interdicimus, & his ſimilia grauem obligationem inducunt, cuius violatio eſt lethalis. Ratio eſt, quia vſus communis eſt, vt hæc verba indicent mentem Prælati eſſe obligare ad mortale, & colligitur *ex Clem. Exiuit de verborum ſignificat.* Quando vero nullum eſt verbum ex prædictis, ſed verba ſunt communia, vt *ordinamus, ſtatuimus, ſtabilimus, decernimus, ſancimus, innouamus, volumus, intendimus, mandamus, &c.* præceptum illud grauem obligationem minimè ſignificat, niſi aliundè ex grauitate materiæ, aut ex detrimento boni communis contrarium dicendum ſit. Ita Valent. *to.* 2. *d.* 7. *q.* 5. *p.* 3. Salon 2. 2. *q.* 77. *ar.* 1. *controuer.* 8. Tolet. *de* 7. *peccatis mortalibus cap.* 19. Nauar. *c.* 23. *n.* 49. & Azor. *lib.* 5. *c.* 6. *q.* 5.

Quintò, & vltimò ex pœnis, quæ præcepto irrogantur inobedientibus, cognoſci poteſt, an præceptum obliget ad mortale: nam ſi pœna grauis alicui præcepto iuſto apponitur, quæ ex ſua natura præſupponit culpam mortalem, tunc tale præceptum obligabit ſub mortali, aliàs præceptum iniquum eſſet, quod pro re nullius momenti pœna tam graui illius tranſgreſſorem puniret. Vnde in iure canonico quæ ſub pœna excommunicationis, depoſitionis, degradationis, &c. præcipiuntur, aut prohibentur, ad peccatum mortale obligant. Quia huiuſmodi pœnæ non niſi pro peccato mortali poſſunt infligi. Et quidem loquendo de excommunicatione latę ſententiæ, ipſo iure, & facto incurrendæ, non expectata alia admonitione, & ſententia Iudicis, omnes Doctores conueniunt. 8

QVÆ

QVÆSTIO XII.

Sed dubium est, quando præceptum fertur sub excommunicationis pœna non ipso facto illata, sed comminata, & intimata, vt inferenda: An videlicet tale præceptum ad mortale semper obliget?

1 ILLVSTRISS. Caiet. *in sum. verb. præcepti transgressio.* Nau.*c.23.nu.53.* Cord. *super Reg. S. Franc. cap.10.q.2.* & Valent.*to.2.d.7.q.5.p.6.* putant tale præceptum obligare illius transgressorem solum ad peccatum veniale. Et probant, quia excommunicatio comminatoria non incurritur, nisi post admonitionem: ergo donec admoneatur, non censetur peccare nisi venialiter v.g. summus Pontifex *can. Si quis d.23. & cap. Si quis ex clericis de vita, &c.* statuit clericum qui comam nutrit esse excommunicandum, sed non ob id statim censendus est clericus peccare mortaliter, si comam nutriat, nisi monitus perseueret, tunc enim propter contumaciam dignus est excommunicari, & per consequens peccat mortaliter.

2 Sed multò probabilius est, omne præceptum præcipiens aliquid sub pœna excommunicationis ferendæ obligare sub peccato mortali. Ratio est, quia quando præceptum pœnam excommunicationis comminatur, vtique comminatur illam propter id peccatum, propter quod si subditus in eo perseueret, punietur postea excommunicatione ipso facto, sed hæc non fulminatur, nisi pro peccato mortali: ergo nec eius comminatio apponetur præcepto, nisi etiam pro peccato mortali.

3 Tum quia quando præceptum absolutè aliquid iubet sub pœna excommunicationis (quo loquendi modo intelligitur excommunicatio ferenda) nulla alia monitio est necessaria, vt transgressor possit à Iudice excommunicari, sufficiens est enim illa admonitio præcepti, vt rectè Vasq. *1.2.q.96.ar.4.d.158. cap.5.n.44.* Si ergo potest ille statim excommunicari, reus est peccati mortalis, ob nullum enim aliud peccatum, excommunicari potest.

Ex quibus omnibus sequitur, omne 4 præceptum iustum absolutè latum, quando nec ex verbis, aut signis deduci potest superiorem non habuisse intentionem obligandi ad culpam, & tunc pro ratione materiæ magis, vel minus grauis, iudicandum erit præceptum obligare vtique ad culpam mortalē vel venialem. Et ratio huius esse potest, non solum, quia præceptum habet obedientiæ imperium, & suapte natura habet vim obligandi sub culpa, nisi legislator contrarium explicet; sed etiam quia in eo casu non est aliqua ratio, cur existimare debeamus præcipientem vsum fuisse authoritate sua quoad hunc obligandi modum, nempe quoad pœnam solam, & non quoad culpam mortalem, aut venialem pro qualitate, & quantitate materiæ, de qua fit præceptum. Atque ita cum ipse non limitet vsum authoritatis suæ, est simpliciter iudicandum cum ex tota authoritate sua præceptum imponere. Et ideò ita tenent D.Tho.*1.2.p.96.ar.*8 Sylu.*verb. lex q.9.* Alph.de Castro *de leg.pœn.lib. 1 c.5.* Sot. *lib.1.q.6.ar.4.* & alij communiter.

De aliis verò pœnis spiritualibus, 5 quæ transgressoribus imponuntur, vt sunt suspensio, & interdictum, Caiet. *2.2 q.186.ar.9.* Nauar. *cap. 23. nu.53.* Cord. *cap.10.reg. S. Franc.q.3.p.1.* & Valent. *1. 2. d. 7. q. 5. p.6.* dicunt has

pœnas non esse sufficiens signum obligationis sub mortali quia hæ pro sola culpa veniali incurri valent. Immò irregularitas aliquando absque vlla culpa incurritur.

6 At verius est, suspicionem, interdictú, & irregularitatem esse signum obligationis sub mortali, quia quando pro transgressione præcepti tanquam pœnæ imponuntur, cum grauissimæ sint, imponi nequeunt absque peccato mortali, vt præclarè docent Azor. *lib.* 5. *cap.* 6. *q.* 5. Suar. *to.* 5. *in* 3. *p. d.* 4. *sect.* 4. *n.* 7. Vasq. 1. 2. *q.* 96. *ar.* 4. *disput.* 158. *cap.* 5. *n.* 48. & plerique alij.

7 Hinc, non est audiendus Angelus *verb. inobedientia* qui dicit, quod transgressio præcepti non est mortalis nisi fiat cum contemptu. Quia vt fatentur vniuersi, ex quacunque iniusta causa scienter fit transgressio præcepti strictè sumpti est mortalis, aliàs sequeretur quod qui ex voluptate, aut cupiditate contraheret matrimonium in gradu consanguinitatis prohibito per Ecclesiam, non peccaret mortaliter, quod est falsum.

QVÆSTIO XIII.

Quænam pœnæ temporales, quæ transgressoribus legum imponi solent, sint sufficiens indicium obligationis sub mortali?

1 ET quidem certum est, pœnam capitis, & mutilationis alicuius membri esse sufficiens indicium huius obligationis. Quia tam grauis pœna imponi nequit absque culpa mortali. Ita Sotus *lib.* 1. *quæst.* 6. *ar.* 5. Arag. 2. 2. *q.* 62. *ar.* 3. Tolet. *de 7. peccatis mortalibus cap.* 20. *num.* 4. Vasquez 1. 2. *quæst.* 96. *ar.* 4. *dist.* 159. *cap.* 3. *num.* 23. & Azor. *lib.* 5. *cap.* 6. *quæst.* 5. & alij.

Idem dicendum est de pœna exilij perpetui, & perpetui carceris, vt Ioan. Med. *C. de ieiunio q. de necessitate seruan. ieiun.* Alphons. de Castro *lib.* 1. *de leg. pœnali cap.* 5. *docum.* 4. Azor. *lib.* 5. *cap.* 6. *quæst.* 5. Salon 2. 2. *quæst.* 77. *ar.* 1. *controu.* 8. & Ledesm. 2. *p.* 4. *quæst.* 17. *art.* 2. *dub.* 6. 2

Et idem crederem, quando tanto tempore exilium, & carcer durarent, vt ferè perpetua reputarentur.

QVÆSTIO XIV.

Sed quod in dubium vertitur, est: An in Religione pœna carceris sit indicium sufficiens obligationis Regulæ, aut superioris ad mortale?

D. Anton. 3. *p. tit.* 16. *cap.* 1. §. 9. & 2. *p. t* 4. *cap.* 2. §. 3. *affirmat.* 1

At oppositum mihi persuadeo probabilius, nisi talis esset religio, vt ea pœna censeretur grauissima, & infamatoria. 2

QVÆSTIO XV.

An pœna grauis infamiæ sit sufficiens indicium obligationis præcepti sub mortali.

VASQ. 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. *disp.* 159 *cap.* 3. *num.* 23. *negat.* 1

Sed oppositum mihi videtur verius. Et ita docet Castro *lib.* 1. *de leg. pœnali cap.* 5. *docum.* 4. Azor. *lib.* 5. *cap.* 6. *quæst.* 5. & Salon 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. *controuers.* 8. Et idem dicendum est de pœna triremium, & flagellationis, vt rectè 2

rectè docet Cordub. *cap.* 10. *Reg. q.* 3. quia hæ pœnæ sunt grauissimæ, quæ non nisi pro mortali iniungi solent.

Similiter huius obligationis indicium est pœna amissionis omnium bonorum, vt monet Barth. Med. 1.2.*q.* 96.*art.*4. Sayr. *in claui Reg. lib.*3.*cap.*7. *n.*25. & Salon 2.2.*q.*77.*art.*1.*controu.* 7. qui dicit idem de pœna amissionis maioris partis bonorum.

3 Idem docet Azor. *lib.* 5. *c.* 6. *q.* 5. *de pœna amissionis publici officij.* Et Carbo *de leg. lib* 8. *d.* 5 dicit idem de pœna priuationis beneficiorum. Et idem dicendum est de pœna seruitutis vt rectè monet Azor. *vbi supra.*

Quæ omnia sunt verissima, etsi verba legis, quibus hæ pœnæ imponuntur, non sint præcepti, nec æquiualentia præcepto, sed communia, vt Vasq. 1.2.*q.*96.*ar.*4.*disp.* 159.*cap.*3.*n.* 220. Castro *lib.*1.*de leg. pœn. c.*5. *documento* 4. & alij vbi supra, annotarunt.

QVÆSTIO XVI.

Quid agendum, quando omnibus perpensis manet res adhuc dubia, nec cognosci potest, an præceptum legis obliget ad mortale, necne? An tunc teneatur dubitans, illud seruare, & sic amplecti, quod tutius est, ne contrafaciendo, se exponat periculo peccandi mortaliter?

1 VALENT. 1.2.*d.*7. *quæst.* 5. Toler. *de* 7. *peccatis mortalibus fine.* Et Ioan. Med. *C. de ieiunio q. de necessit. ieiunij* affirmant.

2 At dicendum est id legis præceptum in eo dubio non obligare sub mortali. Et ratio est, quia cum in eo dubio nulla sit possessio pro obligatione legis sub mortali, præponderat possessio libertatis voluntatis. Et ita tenent Nauar. *cap.* 23. *num.* 50. & Sayr. *lib.* 3. *clau. Reg. cap.* 7. *num.*19. vbi aiunt quod quando verba legis sunt apta ad inducendam obligationem sub mortali, & veniali, esse in dubio de obligatione ad veniale intelligenda. Quia iuxta *Reg. in pœnis de reg. iuris in* 6. leges quæ rectè de pœna maiori, & minori possunt intelligi, sunt in dubio de minori interpretandæ.

Hoc idem videntur docere Caiet. 3 *verb. præcepti transgressor*, & Armilla *verb. præceptum num. vltimo*, vbi dicunt præcepta legis obligantia ad culpam strictè esse interpretanda, & non ita latè, vt multiplicatis præceptis illaqueentur animæ.

QVÆSTIO XVII.

Sed quid si esset dubium, an præceptum legis obliget sub culpa veniali, an verò ad solam pœnam?

RESPONDEO in hoc dubio potius 1 existimare debemus præceptum legis obligare sub veniali. Et ratio est, quia præceptum legis suapte natura vim sub culpa obligandi habet: ergo vbi non constat de contraria legislatoris voluntate volentis ad solam pœnam obligare, censendum est eam ad culpam venialem obligare, quia in dubio possessio stat pro legis obligatione.

QVÆ

QVÆSTIO XVIII.

An omne præceptum legis pœnalis obliget ad culpam?

1 IN hac quæstione sanè graui,& difficili, quædam sunt omnibus comperta, vnum vero in opinione positum. Illud imprimis apud omnes certum est, nullum præceptum legis humanæ obligare ad culpam, si absit præcipientis animus,& voluntas obligandi sibi subditos. Quia ad vim,& potestatem præcepti requiritur præcipientis animus, quo velit eo præcepto sibi subditos ad culpam astringere.

2 Secundò, illud quoque certum est, præceptum legis humanæ, siue sit purè pœnalis, siue mixtæ, si ex contemptu, vel cum scandalo, & offensione aliorum violetur, esse culpam lethalem. Ratio est, quia ipse præcepti contemptus, vel offensio aliorum est per se peccatum mortale.

Tertiò, illud etiam certum est, præceptum legis humanæ, quæ irrogat pœnam excommunicationis, suspensionis, inderdicti, depositionis, degradationis, irregularitatis, aut infamiæ, quando hæ proueniunt ex delicto, ita conscientiam astringere, vt eius violatio sit peccatum.

3 Quartò id etiam cuique persuasum est, præceptum legis humanæ, si ob solam suspicionem, vel præsumptionem sit factum, non habere vim obligandi in conscientia. Ratio est, quia præsumptio, vel suspicio ad forum tantum iudiciale pertinet, non conscientiæ.

4 Quintò, & vltimo, illud etiam compertum est, & indubitatum, legem conuenrionalem non obligare conscientiam, ita vt eius omissio sit peccatum v. g. maritus reliquit bona sua vxori ea lege, ne ad secundas nuptias transeat, ipsa verò transiit, in nubendo non peccauit, at si nuptaretineat bona mariti demortui, peccat, quia pactum non seruat.

QVÆSTIO XIX.

Quod autem in dubium vertitur, est: An in cæteris casibus omne præceptum legis humanæ pœnalis obliget ad culpam?

IN hac graui,& perdifficili quæstione tres inuenio Doctorum opiniones. Prima asserit in vniuersum nullum præceptum legis tam purè pœnalis, quam mixtæ obligare in conscientia ad culpam, etiam si pœnas grauissimas transgressoribus constituat, vt pœnam capitis, vel mutilationis alicuius membri, amissionis bonorum, exilij &c. Ita Nauar. *cap.23.nu.55.* cuius sententiam Valentia *1.2. d. 7. quæst. 5. par. 6.* dicit esse valde probabilem. 1

Secunda est dicentium præceptum legis purè pœnalis, in qua nihil præcipitur, vel prohibetur, sed solum nuda pœna comminatur, non obligare ad culpam, sed ad solam pœnam, vt si lex sic dicat: *Qui arma portauerit, subeat talem pœnam*: præceptum verò legis mixtæ, quæ præter pœnam, præceptum etiam, vel prohibitionem continet, ad culpam, & pœnam obligare. Vt si lex sic dicat: *Iubemus, aut prohibemus, ne quis arma portet, sub pœna decem aureorum.* Sic Castro *lib.1. de leg. pœn.cap.8. & 9.* qui pro se citat Caietan. *2.2. quæst.187. art.5.* Couar. *in Reg. peccatum 2.par.§. 5. nu. 4.* Cord. *cap.10. quæst.3.* & Vasquez *1.1. qu.96.art.4.disp.159. cap.2.& 3.* 2

Tertia vero opinio, quam sequor, tenet, in vniuersum omne præceptum legis

legis pœnalis siue mixtæ, siue pure pœnalis, obligare ad culpam, nisi præcipiens expressè dicat, se nolle suo præcepto conscientias adstringere. Ratio huius est, quia præceptum legis humanæ potest obligare eius transgressorem ad culpam, & simul etiam aduersus eum pœnam statuere, vt simul obliget ad culpam, & pœnam, cum pœna non sit contraria culpæ: ergo quando aliquid præcipit statuta pœna, obligat etiam transgressorem ad culpam.

Nec valet responsio Nauarri, quod superior obligando ad pœnam temporalem, videtur excludere æternam, nam qui de duobus propositis alterum affirmat, alterum negare videtur. Quia culpa, & pœna temporalis non proponuntur superiori, vt alteram tantum eligat, nec contrariantur, vt vtramque intendere non possit.

Tum quia præceptum legis humanæ absolute impositum absque pœnæ comminatione obligat ad culpam, ergo à fortiori, cum pœna comminatur: comminatio enim pœnæ non infirmat præcepti vires, sed corroborat, cum apponatur ad maiorem obseruantiam præcepti timore pœnæ.

3 Et confirmatur, nam præceptum quod fuit positum primis parentibus pœnale fuit, vt constat Geneseos 2. vbi sic dicitur. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Sed hoc præceptum maximè obligauit ad culpam, vt patet ex fide, ergo.

Tum quia pœna imponi nequit, nisi propter culpam, est enim pœna malum propter culpam inflictum, teste D. Thom. *secunda secundæ quæst.* 108. *artic.* 4.

Tum quia pœna, quæ verè pœna est, & supplicium, habet intrinsecam, & necessariá connexionem cum culpa, vt sine ea, non sit, nec possit dici pœna, sed pœna, quam imponit præceptum pœnale, vt suppono, est verè pœna, & supplicium: ergo transgressio huius præcepti culpa necessariò est, & delictum.

Tum quia ex huiusmodi præceptis alia maiorem pœnam transgressoribus infligunt, alia minorem: ratio autem huius diuersitatis non est alia, nisi quia maius peccatum est, & maius nociuum transgressio vnius, quam alterius, iuxta illud Deuter. 25. *Iuxta mensuram delicti, erit, & plagarum modus:* ergo. 4

Tum demum, quia quando superiores præcipiunt aliquid sub pœna statuta constituunt illud in genere virtutis, & obedientiæ: ergo contrarium facere, vitium erit. Et ideò huius opinionis sunt D. Thom. 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. Sot. *lib.* 1. *quæst* 6. *art.* 5. Arag. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 3. Med. 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. Salon 2. 2. *qu.* 77. *art.* 1. *controu.* 7. & 8. Toler. *de* 7. *pecc tis mortalibus cap.* 20. *nu.* 4. Roder. *to.* 1. *qq. reg. qu.* 6 *art.* 7. Med. *C. de restitut. q.* 12. & Azor. *lib.* 5. *cap.* 6. *qu.* 4. 5

QVÆSTIO XX.

An qui statutum non obligans nisi ad pœnam, transgreditur, peccatum committat, si pœnam statuto taxatam non implet?

HÆc quæstio mouetur propter decretū nostrarum constitutionum, quo in vniuersum cauetur, nostras constitutiones ad nullam culpam obligare. 1

Illustrissimus Caiet. 2. 2. *d.* 186. *ar.* 9. & Roder. *to.* 1. *qq. reg. q.* 10 *ar.* 6. aiunt, quod vbi eiusmodi statutum est, de non obligãdo ad culpam (prout etiam 2

inuenitur in deuota societate Iesu, & in ordine prædicatorum) nullum peccatum committere eum qui pœnam statuto irrogatam non implet. Vnde sicut (aiunt) non peccat, v. g. qui silentium frangit, ita non peccat, qui pœnam violati silentij non soluit. Ratio est, quia qui statutum violat, tenetur pœnam luere vi ipsius statuti; at statutum apertè dicit, eum non peccare, qui ipsum violat, ergo nec peccat, qui statuto non paret, & pœnam non soluit, alias speciale statutum cum generali pugnaret.

3 Sed quamuis sententia hæc sit valde probabilis, probabiliorem tamen iudico contrariam, nimirum esse culpam venialem non sub re pœnam statuto irrogatam. Et ratio est, quia decretum nostrarum constitutionũ decernit se velle obligare ad pœnam, etsi non ad culpam, eum qui statuta constitutionum infringit, at vbi obligatio est, ibi præceceptum esse oportet, & vbi præcepti violatio est, ibi peccatum esse necesse est.

4 Deinde, si religiosus omittat eam subire pœnam, quæ est per statutum præscripta, reprehenditur à Prælato, & alia insuper grauior illi propter talem pœnæ omissionem infligitur à Prælato pœna. Hoc autem iustè fieri non posset, si nullam esse crederet in tali omissione culpam saltè venialem. Et hæc videtur esse expressa sententia D.Tho. *2.2.q.186.art.9.ad* 1. vbi apertè ait statutum Dominicanorum non obligare ad culpam, sed solum ad pœnam taxatam sustinendam. Et in præfatione nostrarum constitutionum dicitur sic. Illud autem primò positum à nobis sit, generatimque semel constitutum, non esse consilij, mentis, aut intentionis nostræ, quenquam qui contra decreta, aut instituta hæc commiserit, ad vllam pœnam earum quæ hic constituuntur, obligare, nisi cum superior eius eam pœnam ei nominatim ob culpam admissam indixerit; excepto tamen, si in constitutione scriptum sit, eius culpæ reum, pœna in constitutione addita ipso facto teneri.

Dices, pœna, & culpa sunt correlatiua, ergo vbi culpa non est, ibi pœna esse non debet.

Respondeo pœnam largè tamen sumptam posse constitui absque culpa, dummodò iusta causa subsit, vt habetur in *Reg. iuris in 6.* vbi dicitur, *Sine culpa, nisi causa subsit, non est aliquis puniendus.* 5

Et ad fundamentum Caietani respondeo, generale statutum quod dicit, eum non peccare, qui ipsum violat, excipere statutum illud speciale, quod superiores disertis verbis ostendunt se obligare ad pœnam statuto præscriptam, quamuis nullius culpæ sit reus, qui statutum infringit.

QVÆSTIO XXI.

An transgressor statuti, teneatur soluere pœnam ante Iudicis sententiam?

NON disputamus modo, an transgressor statuti teneatur ante Iudicis sententiam subire pœnam, quando non est à statuto taxata, sed est à Iudice imponenda, quia certum est, ad talem pœnam non obligari, nisi per Prælatum imponatur. 1

QVÆSTIO. XXII.

Sed dubium est de pœna iam taxata, & imponenda à Prælato, quod contingit, quando in constitutionibus dicitur, qui hoc, vel illud fecerit, tali, & tali pœna puniatur

ET ad huiusmodi, similiter constat non teneri transgressorem, nisi imponatur ei à Prælato? 1

QVÆ

QVÆSTIO XXIII.

Tota igitur difficultas cõsistit, quando pœna est taxata, & imposita in constitutionibus, vel à Prælato, vt contingit, quando dicitur, qui fregerit silentium post completorium, ieiunet in pane, & aqua: An videlicet ad huiusmodi pœnam teneatur transgressor, etiamsi nullus Prælatus imponat?

1 ALPHONSVS à Castro *lib. 2. de lege pœnali cap. 8. & 9. & lib. 2. de iusta hæreticorum punitione cap. 16* docet transgressorem statuti pœnalis teneri statim ad pœnam subeundam ante Iudicis sententiam.

Alij verò è contra negant, & meritò quidem, quia cum pœnam soluere sit pati supplicium à lege taxatum, si ante declarationem delicti transgressor teneretur pœnam luere, ipse sibi ipsi inferret supplicium, & in seipsum ageret, ac proinde idem esset agens, & patiens, Iudex, testis, accusator, & exequutor iustitiæ, quod cum iure naturæ pugnat.

2 Tum quia statuta debent esse tolerabilia, & consona rectæ rationi, cogere autem delinquentem, qui commisit crimen in occulto, vt sine condemnatione iudicis, soluat pœnam, est prorsus intolerabile, quia nemo est condemnandus, nec compellendus ad aliquod supplicium, quin audiatur 1. *quæstione* 7. can. Nos in quemquam. At si ante Iudicis sententiam teneretur reus pœnam soluere, esset punitus inauditus, & inconfessus, nec conuictus.

Tum quia inter statuta pœnalia, rigidius est illud, quo crimen hæresis, & læsæ Maiestatis punitur confiscatione bonorum, cum in eo à die perpetrati criminis priuetur delinquens dominio suorum bonorum, sed hoc præceptum seu statutum adeò rigidum non obligat reum, vt statim ante Iudicis sententiam soluat pœnam, vt definitur *in cap. Cum secundum leges de hæreticis lib. 6.* ergo neque alia statuta pœnalia obligabunt in conscientia ad luendam pœnam ante condemnationem iudicis.

Nec obstat quod aliqua ex huius 3
modi statutis vtantur illis vocibus, *ipso facto, ipso iure, mox, statim, confestim, proximus, in eminenti* &c. Quia hi termini adduntur, vt apertiùs intelligatur, statutum illud non esse comminatorium, sed assertorium, & definitiuum: hæc enim differentia inter statutum comminatorium, & definitiuũ est, quod per illud transgrediens non solum declarandus est reus, idest se fecisse tale delictum, verum etiam est condemnandus ad pœnam: transgrediens vero definitiuum, sufficit vt declaretur commisisse delictum, huiusmodi enim declaratio est condemnatio, & ideò dicit statutum ipso facto, ipso iure &c.

Dices, pœna excommunicationis, 4
suspensionis, interdicti, & irregularitatis in foro conscientiæ contrahitur statim atque perpetratum est delictum contra statutum, quod ipso facto, vel ipso iure has pœnas irrogat: ergo idem dicendum est de aliis pœnis.

Respondeo inter huiusmodi pœnas magnam esse differentiam, nam per has pœnas quæ in mera priuatione consistunt, priuat Ecclesia delinquentem suis bonis, non bonis propriis delinquentis, nimirum suis suffragiis, beneficiis, fructibus, suis sacramentis, & aliorum commercio, & ideò ad huiusmodi pœnas incurrendas, non requiritur Iudicis sententia, sed eo ipso quod crimen committitur, reus ille pœnas illas actu subit ante sentẽtiam

Iudicis, quia cum huiusmodi bona sint Ecclesię, in facultate Ecclesiæ est, priuare quando vult, & eo ipso quo vult, est priuatus delinquens. Sicut quando maritus legat vxori mille ea lege, vt castè viuat, si ista postea fornicetur, tenetur statim legatum restituere ante omnem condemnationem Iudicis. At vero per alias, quæ sunt propriè actiones, expoliatur homo aliquo bono suo, & sibi proprio, quæ non sunt tales, vt adigant delinquentem ad sua bona reddenda fisco in foro conscientiæ ante Iudicis declarationem.

Obiicies, ergo nulla est differentia inter statuta, quæ pœnam infligunt ipso facto, vel iure, & ea quæ pœnam irrogant, Iudicis authoritate infligendam.

Respondeo magnam esse differentiam, nam per statuta, quæ ipso facto, vel iure pœnam irrogant, sententia Iudicis requiritur, vt delictum contra statutum commissum declaretur, ac proinde transgressorem pœnam statuti contraxisse. At vero per ea quæ pœnam præscribunt sententia Iudicis infligendam, non solum sententia Iudicis requiritur, vt delictum declaretur, sed etiam vt reus condemnetur ad pœnam statuti subeundam.

QVÆSTIO XXIV.

An transgressor statuti pœnalis teneatur subire pœnam post Iudicis sententiam?

1 AD hoc dico primò, quod transgressor statuti pœnalis post Iudicis sententiam, tenetur pati pœnam in statuto constitutam, id est, tenetur non resistere Iudici, aut eius ministris. Quia vt D. Paulus dicit, *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.*

Tum quia superior iure infligit pœnam: ergo reus tenetur eam subire, alioquin daretur bellum iustum ex vtraque parte, quod non est dicendum.

Secundò dico, quod in pœnis quæ in passione consistunt, vt est pœna mortis, vel abscissionis membri, satis est, quod reus patiatur, & non resistat ministris. Et ratio est, quia statutum non obligat reum, vt ipse sibi pœnam inferat, sed vt tantum patiatur.

Tertiò dico, quod in pœnis subeundis, quæ in actione, & passione consistunt, delinquens post Iudicis condemnationem tenetur exercere eas actiones, quæ sunt necessariæ ad subeundam pœnam, quæ ab alio, quam à delinquente exerceri nequeunt, v. g. progredi in locum, vbi pœna suspendij perire debet, ire in exilium, soluere pecuniam. Et ratio est, quia reus tenetur subire pœnam, sed ad subeundam pœnam, sunt necessariæ tales actiones: tenebitur ergo eas exercere. 2

QVÆSTIO XXV.

Quotnam modis dignosci queat statutum aliquod pœnale continere pœnam sententia Iudicis ferendam?

RESPONDEO tribus modis. Primo, quotiescunque statutum pœnale vtitur verbis, quæ solam pœnæ comminationem exprimunt, pœnam ferendam continet. Vt si statutum ita dicat *Precipimus, aut prohibemus sub pœna excommunicationis, vel sub interpositione anathematis, aut sub interminatione interdicti, aut sub maledictione pœnæ æternæ, aut sub indignatione omnipotentis* 1

tentis Dei. Ratio huius est, quia comminatio nunquam est, aut esse solet de re præterita, aut præsenti, sed solum de re futura, & consequenter statutum pœnale vtens verbis solum comminatoriis, sententiam ferendam, & non latam continet.

2 Secundo, quoties statutum pœnale vtitur verbis futuri temporis, pœnam continet ferendam, non latam. Vt si statutum ita fiat. *Qui ouem, vel bouem surripuerit, duplum restituet. Qui hoc vel illud fecerit, suis bonis priuabitur.* Idem est, si dicat, *excommunicetur, suspendatur, priuetur, relegetur.* Hæc enim verba pœnam continent ferendam.

Tertio, quoties de aliquo termino in statuto pœnali posito meritò dubitatur, an latam, vel ferendam sententiam contineat, in dubio dicendum est ferendam sententiam continere. Ratio est, quia iuxta regulas iuris, odia sunt restringenda.

Tum quia in pœnis benignior interpretatio facienda est; at vero sententia ferenda à Iudice, benignior, & mitior censetur.

QVÆSTIO XXVI.

Quot modis dignosci possit statutum continere pœnam ipso iure latam?

1 RESPONDEO tribus. Primò, quoties statutum pœnale fit hoc modo: Qui hoc, vel illud fecerit, hãc, vel illam pœnam contrahat sine alia sententia Iudicis, vel ita, ipso facto, vel ipso iure, authoritate huius legis, absque alia declaratione, statutum est pœnam continens ipso iure latam.

2 Secundò, quoties statutum in pœna irroganda vtitur verbis præsentis temporis, toties sententiam latam continere censetur. Vt si statutum ita dicat. *Aliter facientes, excommunicamus, anathematizamus, interdicimus, suspendimus, relegamus, condemnamus, priuamus.* Vel aliter facientem declaramus esse excommunicatum, suspensum, vel in excommunicationem, aut suspensionem incurrere, esse priuatum dominio bonorum, vel beneficio, aut amittere beneficium, vel dominium bonorum, aut esse inhabilem, vel infamem. Hæc enim verba pœnam continent latam.

Tertiò, quotiescunque in statuto pœnali ponuntur aduerbia sequentia, *statim, confestim, illico, continuò, mox, protinus, in continenti*, ex tunc, statutum illud, sententiam latam continet. 3

QVÆSTIO XXVII.

An pœna in foro conscientiæ debeatur, quando statutum addit, ad pœnam contrahendam nullam requiri Iudicis sententiam?

RESPONDEO si statutum solum addit, pœnam contrahi ante sententiam, eam non deberi, nisi post sententiam, qua declaretur crimen esse factum. Quia huiusmodi statuta intelliguntur sic, nullam requiri sententiam, qua reus ad pœnam sustinendam damnetur. 1

QVÆSTIO XXVIII.

Sed quid, si statutum dicat, ad pœnam contrahendam nullam requiri sententiam, qua declaretur commissum esse delictum, vt habetur in Constit Pauli II quæ incipit, Ambitiosæ, &c.

1 SVNT quidam qui tenent, tunc pœnam in foro conscientiæ esse soluendam ante declarationem commissi delicti.

Sotus *lib. 1. de iust. quest. 6. ar. 6.* est dubius an hæc istorum opinio sit vera.

2 At vero Couar. *2 p. de matrim. cap. 6. §. 8. n.* 10. rectius docet etiam tunc pœnam non esse soluendam, antequam sententia Iudicis declaratum sit delictum.

QVÆSTIO XXIX.

An cessante causa statuti, statutum quoque ipsum cessare censeatur?

1 RESPONDEO cessare, quando ratio, & causa statuti in vniuersum cessat, si tamen in aliquo priuato statuti causa, & ratio cesset, non censetur statutum cessare. Quod existimo verum quando cessat causa, & ratio statuti, quæ ad ipsam statuti substantiam spectat, non autem si ad finem præcipientis pertineat. v. g. præceptum correctionis in eum finem est à Christo latum, vt frater à nobis admonitus resipiscat, eiusmodi causa est substantia præcepti; quare emendatum iam corripere non tenemur.

Præterea indicta sunt ab Ecclesia ieiunia, vt carnem spiritui subiiciamus, non cessat ieiunij præceptum, quamuis ea sit perdomita, quia repressio carnis non est præcepti substantia, sed finis.

2 Tandem quando statutum habet duas suæ institutionis causas, quamuis vna earum cesset, non eo ipso cessat statutum v. g. est baptismus institutus tum vt originale peccatum tollatur, tum etiam, vt eo signo christianus insignitus, ab infidelibus distinguatur. Vnde si quis in vtero matris diuinæ gratiæ beneficio sine omni peccati macula nascatur, baptizari nihilominus debet propter characterem.

QVÆSTIO XXX.

An conscientia erronea plus obliget, quam Prælati Præceptum?

ANGELVS *verbo conscientia n. 2.* & Syluest. *ibidem q. 2.* censent conscientiam erroneam minus obligare, quam præceptum Prælati. 1

Cæterùm absque dubio dicendum est, conscientiam erroneam magis obligare, quam Prælati præceptum. Ducor, quia qui agit contra conscientiam, peccat contra Dei præceptum, quod directè violat frangendo obligationem, quam falso conscientia errans proponit. At non obediendo Prælato directè frangit præceptum humanū: & quamuis indirectè transgrediatur præceptum Dei, cuius nomine Prælatus iubet, verùm hanc transgressionem non vult directè, sed indirectè, quatenus culpabiliter errat. Et ideò ita tenet D. Th. *in 4. d. 39. q.... ar. vlt. ad* 3. Quod intelligitur cæteris paribus, quia si non facere quod conscientia dictat, sit solum veniale, at non obedire Prælato, credat esse mortale, magis obligabit præceptum Prælati. 2

QVÆSTIO XXXI.

An qui non valet implere totum præceptum teneatur ad partem quam potest?

Ad

1 AD hoc dico primò, quod quandopræceptum est de re indiuidua,id est,de re,quæ commodè diuidi non potest,nec in parte saluatur ratio præcepti,vt est præceptum ieiunij vnius diei, vel auditionis missæ vno die, vel recitationis officij respectu vnius horę canonicę,vel septem Psalmorũ Pœnitentiales,qui non tenetur ad totum, quo censetur integrè moraliter impleri præceptum,non tenetur ad partem. Vt qui non potest ieiunare nisi vsque ad vesperam,omnino à ieiunio excusatur, & qui Psalmorum Pœnitent. vouit, nec potest totum recitare, non tenetur ad partem. Quia id præceptum commodè diuidi non potest, & ideò qui toti satisfacere nequit, ad partem non tenetur.

2 Secundò dico,quod quando præceptum est de re diuidua id est de re, quæ commodè diuidi potest, & in parte saluatur ratio præcepti, sicut in toto, & vna pars ab alia non pendet, vt est præceptum septem horas canonicas quotidie recitandi, & ieiunium quadragesimale, qui non tenetur ad totum, tenetur ad partem, quam potest.Vt qui defectu breuiarij non potest totum officium persoluere, tenetur ad horas quas potest, & qui non valet totam quadragesimam ieiunare, tenetur ad dies,quos potest. Et ratio est,quia cum obligatio sit diuidua, & constet partem aliquam diuiduam,in qua saluatur ratio præcepti, posse facilè,& commodè impleri,non est,cur ab ea implenda quis excusetur.

3 Hinc,qui est dispensatus, vt in die ieiunij pluries,quam semel comedat, non videtur dispensatus vt carnes edat,& dispensatus vt ante horam iustam prandeat, non videtur à ieiunando liberatus. Quia præceptum Ecclesiæ licet in totum seruari non possit, seruandum tamen est quo ad illam partem, quoad quam seruari potest.

QVÆSTIO XXXII.

An præceptum superioris sufficienter promulgatum obliget etiam eum,qui ignorantiam inuincibilem habet?

ILLVSTRISS. Caiet. 1. 2.*q.*90.*ar.*4. existim at sic ignorantem verè non obligari. Quia nemo obligatur ad impossibile. At qui præceptum inuincibiliter ignorat,illud seruare non potest. 1

At vero Sotus *lib.*1.*q.* 1.*ar.*4. Med. 1.2 *q.*90.*ar.*4 & Valent. *tom.*2.*d.*7.*q.* 5.*p.* 5. docent eum verè obligari. Et ratio est, quia hic propter ignorantiam inuincibilem excusatur à culpa, si contra pręceptum faciat:ergo etiam præcepto tenebatur, alioqui enim si non erat præcepto astrictus, non est cur excusari dicatur,nemo enim dicitur excusari, cum omittit aliquid facere,ad quod non tenetur. 2

QVÆSTIO XXXIII.

Vtrum ignorantia Regulæ,ac præceptorum eius excuset transgressores à peccato?

NOTANDVM primò,ignorantiam aliam esse iuris,aliam facti Ignorantia iuris est, quando præceptum ignoratur, vt cum quis ignorat v. g. furtum esse peccatum.Ignorantia verò facti est, quando quis scit quidem furtum esse peccatum, sed ignorat rem,quam retinet non esse suam. Et vtraque hæc ignorantia est duplex, vincibilis,& inuincibilis. 1

Igno

Ignorantia vincibilis (quæ & culpabilis, improbabilis, iniusta, & voluntaria nuncupatur) est illa, qua quis ignorat ea, quæ omnes, aut maior pars hominum scit. Dicitur autem vincibilis, quia vinci potest: culpabilis, iniusta, & improbabilis, quia cum culpa contracta est. Vt si quis sagittam proiiciat in eum, quem imprudenter, non præmissa debita diligentia, feram putat, cum tamen sit homo.

2 Ignorantia autem inuincibilis (quæ à Doctoribus, inculpabilis, probabilis, iusta, & inuoluntaria appellatur) est illa, qua communiter homines suæ conditionis adhibita diligentia laborant. Vel est illa, quam quis posteaquam fecit totum quod ad illam vincendam facere tenebatur, superare non potuit. Dicitur *inuincibilis*, quia aut vinci nequit, aut non debet. Dicitur autem *probabilis*, iusta, & inculpabilis, quia sine culpa & bona fide contracta est. Vt si quis sagittam proiiciat in eum, quem prudenter, & adhibita debita diligentia feram putat, cum tamen sit homo. Vnde ignorantia vt inuincibilis sit, non tenetur homo facere totum quod potest ad eam excludendam, sed satis est, si efficiat illud, quod facere tenetur, ne sibi talis ignorantia imputetur. Quod patet exemplo Iacob, qui potuit quando iuit dormitum interrogare Liam, essetne Rachel, aut eum ea confabulari, vt eam sermone agnosceret, vel demum postulare lumen, vt eam videret, & ita ignorantiam expellere, & nihilominus habuit ignorantiam inuincibilem. Ergo vt ignorantia sit inuincibilis, non requiritur vt homo faciat quod potest, vt eam expellat, sed sufficit facere quod tenetur.

3 Dices, quid igitur tenetur facere quis ad eam ignorantiam expellendam?

Respondeo teneri, aut consulere doctiores se, si est vir idiota, aut si sit vir literatus, peculiare circa rem illam studium adhibere.

Hinc, qui iudicio alicuius viri docti exercet aliquem contractum iniustum, non peccat, quia laborat ignorantia inuincibili.

Hinc, qui iudicio confessoris non iterauit confessionem, quam necessario repetere tenebatur, non peccat. Quia totum quod facere tenebatur, fecit ad eam ignorantiam expellendam, & cum non potuerit illam vincere, non peccat, non iterando.

Rursus, ignorantia vincibilis est duplex, alia est, in qua est negligentia grauis, & sufficiens ad mortale, & hæc appellari soler crassa, seu supina, quæ est, quando quis ex notabili negligentia inquirendi, & sciendi ignorat, quod scire tenetur. 4

Alia verò est, in qua negligentia leuis adest, nec ad mortale sufficiens, sed ad solum veniale.

Rursus ignorantia vincibilis est duplex, alia est affectata, alia non affectata. Affectata dicitur, cum quis ex industria, & data opera non vult inquirere ea, quæ ad salutem sunt necessaria, vt illa ignorando liberius absque aliquo conscientiæ remorsu peccare possit, de quo dicitur psal. 35. *Noluit intelligere vt bene ageret.* Et Iob. 21. *Scientiam viarum tuarum nolumus.* 5

Non affectata autem est, quando quis directè, & data opera nõ vult ignorare, at de facto culpabiliter ignorat 6

Secundò notandum, ignorantiam iuris aut facti censeri inuincibilem, & sic à culpa excusare, quando nulla cognitio, nec specialis, nec confusa, nec aliqua dubitandi ratio in mentem venit. Vnde vt quis peccet morteliter, debet considerare opus illud esse malum, vel ibi esse pecca

peccati periculum, vel dubium, vel saltem habere scrupulum. Quod si nihil horum præcesserit, ignorantia censetur omnino inuincibilis. Et ratio est, quia impossibile est, posse quempiam expellere ignorantiam, vel inaduertentiam malitiæ obiecti, cuius nec dubium, nec scrupulum concepit. Ita Vasq.1.2.*quæst.79.art.7.d.*107. *cap.3.num.6.*

7 Hinc, confessarius suo muneri satisfacit, si à pœnitente fatente se per ignorantiam, aut obliuionem omisisse ieiunium vigiliæ, interroget, an in mentem illius venerit aliqua cogitatio, vel dubitatio de tali ieiunio: & si pœnitens non occurrisse in mentem respondeat, prudenter iudicat eum non peccasse, excusante eum hac inaduertentia. Ita Suar. 5. *tom. in 3.p. disp.4.sect.8.num.*18.

Dices, hic quamuis præceptum ignoret, aut non aduertat, tenetur tamen scire, & aduertere: ergo.

8 Respondeo hunc per se teneri ad talem scientiam: at per accidens hic & nunc non teneri, sed suspendi illam obligationem, seu potius ab illa excusari propter impotentiam proximam, ac moralem, quæ ex naturali, ac necessaria obliuione, vel inconsideratione orta est.

9 Ex quo colligitur quomodo sit intelligendus Nauarr. qui passim in suo Manuali æquiparat scire, & debere scire. Hic enim author intelligendus est, quando præcessit plena, & sufficiens ad mortale consideratio malitiæ obiecti, eiusue periculum, seu dubium, aut scrupulus saltem. Quia dum hæc actualis aduertentia non adfuit, non est in potestate hominis expellere eam ignorantiam, & inconsiderationem. His positis,

10 Dico primò, quod si ignorantia Regulæ, ac præceptorum est inuincibilis siue iuris siue facti, semper excusat transgressores à culpa. Ratio est, quia quidquid est omnino inuoluntarium, culpa vacat. At huiusmodi est volitum per ignorãtiam inuincibilem, ergo. Et talis ignorantia respicit ea quæ in regula non ita clarè, ac distinctè præcipiuntur, quæ cum simplici religioso abstrusa, ac recondita sint, semper immunis est à culpa, dum bona fide ea prætermittit.

Dixi notanter (*quando non ita clarè*) quia quæ hoc modo præcipiuntur, nullum dubium est huiusmodi transgressionem semper ad culpam obligare. Ita Azor.*lib.1.cap.13.quæstion.3. & cap.16.quæst.1.* Vasq.1.2.*q.76.ar.2. d.*123.*cap.2.num.5.*

Hinc, colligitur quomodo sit intelligenda illa Regula iuris *in 6.* quæ dicit, ignorantiam facti, non iuris excusare. Quoniã intelligenda est quoad fori externi præsumptionem, quod legum Principis ignorãtiam non præsumit, vtpote quæ solemni ritu promulgari solent. At in foro conscientiæ vtraque, si est inuincibilis æquè excusar, & neutra si vincibilis sit. 11

Secundò dico, quod si ignorantia regulæ, ac præceptorum eius, est affectata, quia nimirum non vult audire concionem, nec consulere peritos, nec studere, & inquirere veritatem vt bene agat, sed potius vult ignorare, vt sic sine remorsu illa transgrediatur, non excusat transgressores à peccato, immo isti plus peccant, voluntariè incurrendo tenebras ignorantiæ.

Tertiò dico, quod ignorantia crassa, & supina non excusat transgressores à culpa. Ratio est, quia quilibet tenetur scire illa, quæ tenetur adimplere, & ea quæ statui suo sunt necessaria. Quomodo enim quis seruare potest, si ignorat quod seruandum est? Qui enim tenetur ad aliquid, ex consequenti tenetur ad id, sine quo illud impleri non potest. At- 12

qui omnis religiosus tenetur suā Regulam, ac eius præcepta seruare, ergo & illa scire. Et de istis congruè dici potest illud Rom. 2. *Qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt.*

13 Hinc, in periculoso statu versantur Religiosi illi, qui diu, noctúque subtilia sacræ Theologiæ ventilantes, & commentaria quamplurima in sacra Scriptura edētes, difficultates tamen suæ Regulæ, ac pertinentia ad suam professionem (quasi suæ salutis immemores) despiciunt.

Hæc igitur sunt, quæ dicenda erant pro notitia eorum, quæ ad voti obedientiæ cognitionem summoperè vtilia, ac necessaria erunt.

QVÆSTIO XXXIV.

Quid sit obedientia?

1 RESPONDEO quod est virtus moralis, quæ promptum facit hominem ad implendum præceptum superioris. Vnde D. Greg. *lib.* 35. *moral. ca.* 12. ait, *Sola obedientia virtus est, qua cæteras virtutes menti inserit insertasque custodit.* Et alibi, *Obedientia non tam virtus est, quam mater virtutum.* Et Diuus noster Benedictus vocat obedientiam quasi quoddam martyrium, nam obediens quasi proprium caput pro Christo sibi amputat, & caput sibi constituit Christum, vel illum, qui loco Christi est. Et D. Greg. *lib.* 42. *moral. cap.* 12. exponens illa verba Prouerb. 21. *Vir obediens loquetur victorias*, ait, *dum enim alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. Multi enim vrbes, & regna sibi subiugauerunt, qui tamen ad hunc triumphum nobilem non peruenerunt. Hic triumphus proprius est hominis. Vincit leo cætera animalia: seipsum autem vincere non potest.* Vnde Seneca, *Qui seipsum vincit contra omnia fortis est.* Vnde Prouerb. 16. dicitur, *Melior est, qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.*

QVÆSTIO XXXV.

Quotuplex sit obedientia?

RESPONDEO duplex. s. materialis, & formalis. Obedientia materialis est omne opus virtutis, quo impletur præceptum, etsi non ea intentione expressè fiat: & hæc obedientia non est specialis virtus, sed generalis, quæ omnes virtutes complectitur, nam homo credit per fidem, diligit per charitatem, suffert tribulationes, & labores per patientiam, subiicit se aliis per humilitatem, & sic de singulis facit, quæ Deus mandat, & sic exercet actum obedientiæ materialiter sumptæ. 1

Formalis verò obedientia est illa, qua quis aliquid facit ea expressa intentione, quia s. superior, (siue ille sit Deus, siue alij inferiores ab ipso) ita mandat, ac vult. Et hæc est specialis virtus inter cæteras virtutes morales, quæ rursus est triplex, expressa, tacita, & interpretata.

Obedientia expressa est illa, quæ habet pro obiecto præceptum superioris expressum, & clarum, vt quando superior voce, aut scripto aliquid præcipit. 2

Obedientia tacita ea est, quæ versatur circa præceptum tacitum, vt quando superior per aliquod signum aliquid præcipit. Et istæ duæ obedientiæ sunt obligatoriæ, quia vt D. Tho. *secunda secundæ quæstione* 104. *artic.* 2. docuit, specialis obedientiæ obiectum est præceptum expressum, vel tacitum.

Obedientia verò interpretata illa, quæ 3

quæ pro obiecto interpretatam habet superioris voluntatem, id est, quod per aliquas coniecturas (licet nullum de tali voluntate præceptum appareat) colligitur esse gratum, vel ingratum superiori, & talis voluntatis impletio obedientia interpretata nominatur, quæ non est obligatoria, quia vt idem D. Thomas testatur, voluntas Prælati non est regula nostræ voluntatis, sicut est diuina, sed eius præceptum: subditus enim non tenetur velle quidquid scit velle Prælatum, quod ipse subditus aliquid faciat, nisi expresse, vel tacitè ei præcipiat. Est tamen aliarum perfectior, ac magis meritoria, quia ista est promptior, & alacrior, cum præueniat præceptum, quod quidem est signum maioris amoris, in quo consistit ratio meriti, vt rectè docet sanctus Bonauentura *in 2. sent. dist. 19.*

4 Ex his colligitur primo inobedientiam esse vitium faciens hominem promptum ad transgrediendum superioris mandatum. Sicut obedientia est virtus inclinans ad faciendum quod præcipitur.

Secundò colligitur, inobedientiam sumi dupliciter, vno modo formaliter, quod fit, quando quis præceptum violat ea intentione, vt illud violet, idest, quando quis renuit obedire suo superiori ea intentione, quia non vult ei subesse. Et hæc inobedientia est verè, & propriè inobedientia cum contemptu formali superioris, & est semper peccatum mortale, etiam in re leui iuxta illud Lucæ 10. *Qui vos spernit, me spernit.* Secundo verò modo materialiter, quod contingit, quando subditus præceptum superioris non implet ex passione, vel negligentiæ, vel iræ, vel odij, vel similium. Et ista inobedientia non est speciale peccatum, sed concurrit cum omni peccato, & de ea iudicandum est, secundum materiam, cum qua concurrit, nam si illa est grauis, erit peccatum mortale, si verò fuerit leuis, erit tantum peccatum veniale.

Tertiò colligitur, inobedientiam formalem esse speciale peccatum. Et ratio est, quia sicut obedientia est specialis virtus inclinans ad faciendum quod præcipitur ex eo quod præcipitur. Ita inobedientia est speciale quoddam vitium inclinans ad non faciendum quod præciptur ex eo quod præcipitur. Vnde ad peccatum inobedientiæ formalis necessariò duo debent concurrere, nimirum transgressio præcepti, & contemptus præcipientis. Caietan. *in summ. verb. inobedientia.* 5

Quartò, & vltimò colligitur inobedientiam formalem esse peccatum mortale ex genere suo grauissimum. Vnde D. Bernardus, Magnum est inobedientiæ vitium, quo Angelus cælum, Adam paradisum, Saul Regnum, Salomon amorem diuinum perdidit. Et super *Cant. serm. 46.* loquens de Christo, *Non dabit* (inquit) *inobedienti copiam sui tantus amator obedientiæ, vt potius mori: quam non obedire maluerit.* Et alibi. Non qualiscumque mandati prætermissio criminalem inobedientiam facit: sed repugnare, & nolle obedire. 6

Dixi (*ex genere suo*) quia interdum potest esse veniale, aut propter imperfectionem actus, cum s deest deliberatio plena, aut propter defectum iudicij.

QVÆSTIO XXXVI.

An obedientia formalis sit sub præcepto?

RESPONDEO quod non. Et ratio est, quia non est necessarium vt 1

 facia

faciamus opus bonum sub ea formali ratione, qua est præceptum: sufficit enim vt illud faciamus propter intrinsecam ipsius bonitaté, aut vt Deo placeamus: sic enim abundè satisfacimus præcepto: plenitudo enim legis est dilectio. Vnde nullum inuenitur præceptum Dei, aut Ecclesiæ, quo quis teneatur facere opus bonum præcisè quia est debitum ex præcepto, omnia enim præcepta iubent opus fieri simpliciter, secundum propriam honestatem.

QVÆSTIO XXXVII.

An Prælatus possit iubere religioso vt hoc modo operetur?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia iste modus operandi non est necessarius, vt opus sit actus virtutis: potest enim esse actus virtutis ratione propriæ bonitatis, vel quia fit ex affectu charitatis, aut religionis absque intuitu præcepti, & actus internus non potest ab homine præcipi, nisi quatenus est necessarius ad constituendum externum in aliqua virtutis specie. Vndè non videtur subesse iusta causa, cur talis modus operandi præcipi possit circa aliquod opus.

QVÆSTIO XXXVIII.

Quotuam requirantur, v obedientia sit Deo grata, & meritoria?

1 RESPONDEO septem. Primò, vt fiat sine mora, iuxta illud Ps. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri*. Vnde D. Hieron. *Perfecta obedientia est, sua imperfecta relinquere.* & D. noster Bernard. *in lib. de præcepto* ait, *Verus obediēs moras nescit, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præcipientem præuenit, oculos parat visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri, & totum se colligit, vt imperantis impleat voluntatem.* Et hunc obedientiæ gradum tangit Sanctissimus Pater noster Benedictus *in sua Reg. cap. 5.* cum ait, *Mox vt aliquid imperatum à Maiore fuerit, ac si diuinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo.* De quibus Dominus dicit Psal. 17. *Ob auditū auris obediuit mihi*, idest, quam citò audiunt imperium mandantis, illico sine aliqua dilatione obediunt.

Secundò, vt fiat viriliter iuxta illud Psal. 26. *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum.* Vnde D. Bernard. *Manum misisti ad fortia: agendum est instanter, & constanter obediendum.* Quem obedientiæ gradum tangit sanctus Pater noster Benedictus cum dicit. *Sed hæc ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo, & dulcis hominibus, si quod iubetur, non trepide idest timide, non tarde, idest, pigre, non tepide, idest molle, sed supple viriliter, & strenue fiat.* 2

Tertiò, vt fiat sine querela, & murmuratione, iuxta illud Ephes. 5. *Omnia facite sine murmurationibus.* Vnde D. Bernardus *Multos videmus post præcipientis imperium multas facere quæstiones, cur, quare, quamobrem, sæpius interrogare: crebras ingeminare querelas: quærere, quare hoc præcipit, vnde hoc venit, & quis inuenit hoc consilium? Inde murmuratio, excusatio, simulatio impossibilitatis, aduocatio amicorum: tales sanè non faciunt obedientiam Deo acceptam, nec hominibus gratam.* Et *in epist. ad fratres Dei*, ait: *Perfecta obedientia maximè in incipiēte est indiscreta*, hoc est, nō debet discernere quid, vel quare præcipiatur, sed ad hoc tantum niti, vt fideliter, & humiliter fiat, quod à maiore præcipitur. Et *in libro de præcepto, & dispen. Siue Deus, siue homo vicarius Dei mandatum quodcūque tradiderit, pari profectò obsequendum est cura, pari reuerētia deferendum, vbi tamen Deo contrariū non præcipit* 3

cipit homo. Et infra. *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiẽdũ est, quam si præcipiat Deus, quid enim interest, vtrũ per se, an per suos ministros, siue homines, siue Angelos, hominibus innotescat suũ placitũ Deus.* Et D. Basilius *in constit. monast. c. 23. quemadmodũ pastori suo oues obtẽperant, & viam quamcunque ille vult, ingrediuntur, sic qui ex Deo pietatis cultores sunt, moderatoribus suis obsequi debẽt; nihil omnino illorum iussa curiosius perscrutari, quando libera sunt à peccato.* Et Cassian. *de instit. renunt. lib. 4. c. 10.* loquens de monachis Ægypti ait, *vniuersa comple*re, *quæ fuerint ab eo præcepta, tanquam si à Deo sint cælitus edita sine vlla disquisitione festinant.* Et D. Greg. *lib. 2. c. 4. in p. regula*, ait, *Vera obedientia nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta scrutatur, quia qui omne vitæ suæ iudicium maiori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur: nescit enim iudicare quisque perfectè didicerit obedire.* Cæsarius etiam *ad monachos hom. 8. Quidquid tibi à senioribus fuerit imperatum, accipe tanquam de cœlo, sicut de ore Dei prolatum: nihil reprehendas, nihil dissentias, in nullo penitus murmurare præsumas: quia in monasterio seruire venisti, nõ imperare: potius obedire, quam iubere: totum sanctũ, totũ iustum, vtile iudica quidquid tibi à Prælato videris imperari.* Hanc obediẽtiam cæcã multum amabant Sancti Patres in discipulis suis, ideò in principio non præcipiebant eis recta. Vnde in vitis Patrum dixit quidam Abbati Pastori, Patres seniores non loquuntur ab initio fratribus recta, sed magis distorta: Et si viderint quia ea quæ distorta sunt, faciunt, iam eis non loquentur nisi quod expedit, agnoscentes quoniam in omnibus obedientes sunt. Hunc obedientiæ gradum tangit Sanctus Pater noster Benedictus, cum ait *Aut cum murmure, vel cum responsione nolentis.*

4 Quartò, vt fiat cum humilitate, iuxta illud Luc. 17. *Cum hæc omnia feceritis, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus: quod facere debuimus fecimus.* Vnde D. Bernardus *in sermone de virtute obedientiæ. Magna virtus obedientiæ sine cuius obtentu, virtus fortitudinis non solum virtus non est, sed etiam in superbiam erumpit.* Hunc obedientiæ gradum tangit Sanctus pater noster Benedictus cum dicit *Obediẽtia tunc erit acceptabilis. Si non cum responsione nolentis efficiatur*, id est cum verbis superbis, dicendo se nolle parere mandatis iubentis.

5 Quinto, vt gratanter, & hilariter fiat, iuxta illud *Eccles. 35. In omni dato tuo hilarem fac vultum tuum.* Vnde Bernardus *in serm. ad fratres de monte Dei: Serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus, multum colorant obedientiam obsequentis. Nubilosa corporis compositio, & facies tristitiæ tenebris obfuscata deuotionem ab animo recessisse significant. Qui enim imperat libenter homini tristitiam efflanti.* Et D. Greg. *lib. 12. moral: Propterea regularem admoneo, non omnem exequentem præceptum, aut aliud quodpiam iniunctum adimpleuisse votum dici posse. Sed eum tantum, qui non trepidè, non tardè, seu tristè paruit, neque præcedente aliquo summisso murmure, hilarem nãque datorem diligit Deus* 2. Cor. 9. Quem gradum tangit Sanctus Pater noster Benedictus cum ait: *Et cũ bono animo à discipulis præberi oportet, quia hilarem datorem diligit Deus.*

6 Sextò, vt libenter fiat, quia coacta seruitia Deo non placent, iuxta illud Psal. 53. *Voluntariè sacrificabo tibi.* Et Exodi 38. *Iste est sermo, quem præcepit Dominus. Omnis voluntarius & prompto animo offerat primitias Deo.*

7 Septimò, & vltimò, vt fiat perseueranter iuxta illud Matth. 10. *Qui perse*

perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Vnde Glossa. *Non enim cœpisse, vel facere virtus est, sed perficere.* Vnde D. Bernardus, *Manum tuam misisti ad fortia, agendum est instanter, constanter obediendum: nec inter verborum, seu verberum asperitatem, tam regalis est semita relinquenda.* Et iterum *in lib. ad milites templi cap.* 13. *Mementote fratres, Christus ne perderet obedientiam, perdidit vitam. Obediendum est igitur perseueranter, quia nihil prodest currere, & ante cursus metam deficere.* Quare dicit Apostolus 1. Cor. 9. *Sic currite, vt comprehendatis.*

QVÆSTIO XXXIX.

An religiosus rectè voueat obedientiam?

1 RESPONDEO quod sic. Et ratio est, quia quod à Deo consulitur, non potest esse nisi iustum, & sanctum. Tale est votum obedientiæ, ergo. Probatur minor ex illo Matth. 19. *Qui vult venire post me, abneget &c. & sequatur me.* Sequela autem Domini perfecta consistit in perfecta obedientia, taliter quod religiosus debet esse, vt crucifixus, quod sicut ille nec mouetur, nec moueri potest, nisi cum cruce, ita religiosus non debet velle, nec nolle, nisi quod iusserit Prælatus.

2 Deinde, omne quod est Deo gratum, potest illi voueri, atqui obedientia est Deo grata etiam in iis rebus, quas ipse non præcipit, ergo. Minor probatur Hier. 35. vbi laudantur, & remunerantur à Deo filij Ionadab, qui vt obedirent patri suo, non bibebant vinum, non serebant agros, nec habebant domos, sed habitabant perpetuò in tentoriis. Vnde Hierony. *in epist. ad Rusticum monachum; Per hæc omnia,* inquit, *ad illud tendit oratio, vt doceam te non tuo arbitrio dimittendum, sed viuere debere in monasterio sub vnius disciplina patris, consortioque multorum.* Et infra. *Non facias quod vis, comedas quod iuberis, vestiare quod acceperis.*

QVÆSTIO XL.

Quidnam cadat sub voto obedientiæ?

RESPONDEO sub hoc voto tantummodo cadere id, quod propriè est obiectum obedientiæ, quod est quidquid Prælatus licitè, & secundum regulam præcipit. Ita D. Thom. 2.2.q.186. ar.9. Vnde D. Bernard. *in lib. de præcepto, & disp. Non præcipias*, inquit, *mihi Prælatus, quod non promisi.* 1

QVÆSTIO XLI.

An obedientiæ votum sit præcipuum inter omnia essentialia vota?

RESPONDEO quod sic. Et ratio est, quia tanto aliquod votum est maius, quanto per ipsum Deo aliquid præstantius offertur, sed per votum obedientiæ offertur Deo propria voluntas, quæ est maior, & præstantior, quam corpus proprium quod offert Deo homo per castitatem, & quam bona fortunæ quæ per votum paupertatis offeruntur: ergo obedientiæ votum præcipuum, atque potissimum est inter tria solemnia vota religionis. Vnde D. Greg. *lib.* 35. *moral. c.* 12. ait obedientiam meritò victimis præponi, quia per victimas aliena caro, per obedientiam propria voluntas mactatur. Et *in lib.* 4. *super lib.* 1. *Reg. cap.* 5. ait, *Cæteris virtutibus dæmones impugnamus: per obedientiam vinci* 1

vincimus. Et D. Aug. *lib.* 14. *de Ciuit. Dei. cap.* 12. obedientiam in præcepto commendari,& matrem quodammodo esse, & custodem omnium virtutum.

Et confirmatur, nam votum obedientiæ continet sub se alia vota casti-
2 tatis, & paupertatis, & non econtra. Nam etsi religiosus teneatur ex vi voti seruare castitatem, & paupertatem, hæc etiam cadunt sub voto obedientiæ, & vt obediatur diuinæ voluntati. Quod adeò verum est, quod ipsa charitas etiam sine obedientia esse non potest, quod probat D. Thom. 2.2.*quæst.*104.*ar.*3.ex illis verbis Ioan. 1. *cap.* 2. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, qui autem seruat verbũ eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est,* quod ideò est, quia amicitia facit idem velle,& idem nolle:ergo obedientia maior,& excellentior est castitate, & paupertate.

Et est conclusio definita à Ioanne 22. *in extrauag. Quorundam de verb.*
3 *signif.* vbi dicitur. *Magna est paupertas, sed maior continentia, maxima autem obedientia si custodiatur illæsa.* Quorum reddens rationem, ait, quod prima rebus, secunda carni, tertia verò menti dominatur.

4 Dices, votum dignioris rei, maius, & excellentius esse videtur: sed per continentiam melior, atque excellentior res offertur Deo, iuxta illud Eccles. 16.*Omnis ponderatio non est digna anima continentis:* ergo votum continentiæ est maius quam votum obedientiæ.

Respondeo ex illo loco Eccles. solum probari continentiam anteferri bonis externis auri, & argenti, quæ pondere mensurantur: velut egregiè docet D.Thom.2.2. *q.* 155.*ar.*4.*ad* 1. nomine continentiæ intelligitur vniuersaliter omnis abstinentia ab omni malo.

QVÆSTIO XLII.

An Prælatus possit actus voluntatis simpliciter internos subditi imperare, aut prohibere?

ADRIAN. *in quodlib.* 8. *artic.* 1. Ioan.Med. *C. de oratione qu* 15. Rosell.*verb.absolutio* 1.*nu.* 28.& plerique alij affirmant posse. 1

At verò Illustrissimus Caiet.2.2. *q.* 11.*ar.*1.Sot.*in* 4.*d.*22.*q.*2.*ar.*2.Nauar. *de pænit.d.*5.*nu.*19.Couar.*in reg peccatum de reg.iuris in* 6. *nu.* 7. & Alph. de Castro *lib.*1.*de iusta heret. punit. c.* 18. negant posse Prælatum imperare, aut vetare proximè,& directè per se actus simpliciter internos.Pro quo, 2

Primò dico,quod Prælatus vim, & potestatem habet super actus externos etiam occultissimos. Ratio est, quia quod in foro iudiciali huiusmodi actus probari non possint,id est per accidens,eo quod desint legitimę probationes. Vnde hæreticus exterior quamuis sit penitùs occultus, est ipso iure excommunicatus.

Secundò dico, quod quando præceptum Prælati est conuentio quædam,vim,& potestatem habet in actus internos,non quidem quatenus præceptum humanum, sed quatenus habet conuentionis naturam. Vnde ecclesia potuit præcipere,vt is qui ad beneficium curatum assumitur,ad sacerdotium intra annum promoueatur, quod si noluerit, eo ipso collatio beneficij sit irrita. 3

Tertiò dico, quod Prælatus hoc ipso quod aliquid externum præcipit, aut vetat,simul etiam imperat,aut vetat actum internum,qui requiritur vt actus externus sit humanus. v.g.præcipit ecclesia ieiunia, & sacramentalem confessionem in paschate, eo ipso

ipso imperat, vt velimus ieiunare, aut in paschate confiteri: actus enim humanus, quem ecclesia iubet, absque actu interno voluntatis esse nequit.

Quartò dico, quod Prælatus potest præcipere, vel vetare, ne actus exteriores fiant hoc, vel illo malo fine, nimirum odio, ira, timore, vel quocumque alio humano affectu, vt habetur in
4 *Clem. de hæret. cap. 1. vbi* Pontifex fulminat excommunicationem contra Sancti officij Inquisitores, si odio, vindicta, aut alio prauo affectu procedant. Tunc enim Prælatus directè, & per se actus exteriores præcipit: ex accidenti verò prohibet eos voluntatis affectus, qui solent actus externos deprauare.

Hinc, qui ad horas canonicas persoluendas compelluntur, tenentur eas studiosè, attentè, & deuotè recitare. Ratio est, quia attentio, & deuotio sunt de iure naturali debita orationi. Nam si preces ad Deum fundimus, precationis ipsa ratio, & natura postulat, vt attentè, piè, & religiosè precemur. Vnde ecclesia proximè, & per se directè præcipit, vt horas canonicas persoluamus, & deinde præcipit, vt debito modo eas recitemus, quem videlicet modum, orationis ratio, & natura postulat.

5 Hinc, qui recitat non animo orandi, sed legendi tantum, aut addiscendi, non satisfacit præcepto ecclesiæ, ac proinde peccat mortaliter. Er ratio est, quia non orat, nec laudat Deum, prout est ei præceptum, oratio enim sine animo orandi non est oratio.

Hinc, qui spontè distractus, etsi animo orandi diuinum officium persoluit, quia non deuotè recitat, peccat etiam mortaliter, cum obligatione illud repetendi, & nisi repetierit, non potest fructus percipere. Er ratio est, quia opus præceptum non præstat.

6 Hinc, Prælatus potest religiosis sibi subditis præcipere, vt quas celebrant missas, pro eius intentione offerant. Et ratio est, quia in tali obedientia non præcipitur simpliciter subditis interior animi motus, qui est applicatio valoris missæ, sed præcipitur ipsis interior animi motus, vt coniunctus cum actu exteriori celebrationis eiusdem, in quo religiosi Prælato non obedientes peccant mortaliter, quia in re graui obedientiam violant. Et in his omnibus Doctores conueniunt.

QVÆSTIO XLIII.

Sed tota difficultas consistit de cæteris actibus mentis simpliciter internis: An videlicet Prælatus possit eos præcipere, vel vetare?

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia vt superior possit aliquid præcipere, aut vetare, oportet vt de illo possit iudicare, & ad id cogere: at iudicare de internis, ad illaue cogere, excedit omnem humanam potestatem: ergo. 1

Et est conclusio definita in *cap Sicut tuis de simonia.* vbi habetur quod ecclesia non iudicat de occultis. Et in *cap. Erubescant d. 32.* vbi dicitur. *Deus secretorum cognitor, & Index est. & in l. cogitationis ff. de pœnis.* vbi dicitur, *cogitationis pœnam nemo patitur.* Et tradit D. Thom. 2. 2. *quæst.* 104. *art.* 5. 2
Sot. *in* 4. *d.* 22. *q.* 2. *art.* 2. Nauar. *de pœnit. d.* 5 *nu.* 19. *& cap.* 27. *nu.* 57. & Couar. *in reg. peccatum de reg. iuris in* 6. *num.* 7.

Ex dictis in hac difficultate colligere possumus, quid dicendum sit ad sequens dubium.

An

QVÆST. XLIV.

An religiosus teneatur obedire Prælato in actibus interioribus, & in his, quæ simpliciter spectant ad interiorem motum voluntatis?

1 RESPONDEO per se ad id non teneri. Ratio est, quia religiosus non tenetur suo Prælato obedire, nisi in his tantum, quæ spectant ad ipsius superioritatem, & in quibus illi est subiectus: sed in actibus interioribus, & quæ spectant ad interiorem motum voluntatis, religiosus non subiicitur Prælato, sed neque potest, cum hæc soli Deo referuentur iuxta illud 1. Reg. *Deus scientiarum Dominus est, & ipsi preparantur cogitationes.*

Et confirmatur, nam de his potest Prælatus legem ferre, de quibus potest iudicare: sed Prælatus iudicare non potest de interioribus actibus, qui per se latent, sed solummodo de exterioribus actibus, qui apparent: ergo in illis non tenetur religiosus Prælato
2 obedire. Et ideo ita tenet D. Thom. 2.2. *q.*104. *art.* 5. vbi ait, *In iis quæ ad internum motum voluntatis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed Deo tantum.*

Dixi notanter, *per se*, quia per accidens, in quantum interior motus voluntatis coniungitur cum actibus exterioribus, bene potest Prælatus præcipere, atque iudicare de actibus interioribus, & sic videmus *in Clem.* 1. *de statu monach.* quod ecclesia excommunicat Religiosos ad Romanam Curiam accedentes animo offendendi suum Prælatum, in qua non prohibetur animus offendendi, cum sit actus interior, sed prohibetur animus offendendi, vt coniungitur cum tali accessu, ita quod talem accessum prohibet sub tali pœna non cuilibet, sed habenti animum nocendi.

QVÆSTIO XLV.

Vtrum intentio, & voluntas exequendi præceptum exigatur, vt quis præceptum superioris adimpleat?

RESPONDEO, communis, ac verissima sententia est, in vniuersum nullum præceptum posse impleri nisi per actum humanum, & liberum quo quis velit efficere id, quod præceptum iniungit, nempe velle audire missam, ieiunare &c. Et ratio est, quia cum præceptum hominibus imponatur, non brutorum more, sed humano modo implendum est. 1

Et confirmatur, nam sicut præceptum violari nequit, nisi per actum humanum, ita nec impleri. Atque ita tenet Sot. *lib.*2.*q.*3.*ar.*9.& Azor. *to.* 1. *lib.*7.*c.*2.*q.*6.

Hinc, non satisfacit præcepto, qui non sui compos existens, sed ebrius, aut dormiens illud adimplet, sed tenetur factus sui compos iterum adimplere illud. Ratio est, quia illud non 2
adimplet actu humano. Ita Vasq. 1. 2. *q.* 100. *ar.*9.

Hinc, qui attentissimè recitat horas canonicas, sola legendi, vel addiscendi gratia, non satisfacit præcepto, sed tenetur iterum recitare. Ratio est, quia vbi deest orandi voluntas, ibi non est oratio. Ita Nau. *cap. Quando de consecrat.d.*1.*cap.*13.*nu.*15.

Hinc, qui omnino inuitus implet 3
superioris præceptum suæ obligationi non satisfacit, sed tenetur iterum illud adimplere, quia vbi est ea coactio, deficit mens adimplendi præceptum.

Hinc, non implet ieiuniũ præcepto, vel pœnitentia iniunctum, qui omnino inuitus ablato sibi pane ieiunat.
4 Ratio est, quia deest voluntas, & actio humana ac proinde id non est ieiunare, sed pati.

QVÆSTIO XLVI.

Sed dubitabit aliquis hoc loco: An Religiosus sit excommunicatus, qui omnino inuitus implet præceptum superioris latum sub pæna excommunicationis?

1 SOTVS *lib.2. de iustitia, & iure q.3. ar.9.* tuetur partem negatiuam; & probat, quia licet moraliter præceptum superioris non impleat, quando voluntas deest, tamen quoad effectum externum, vel substantiam impletur, & hoc satis est, vt non incurratur excommunicatio, quia ibi non est transgressio exterior præcepti, quæ ad incurrendam excommunicationem necessaria est.

2 At probabilius existimo contrarium. Ducor, quia hic verè non implet præceptum, vt constat: ergo in excommunicationem incurrit.

3 Hinc, qui metu etiam cadente in virum constantem implet superioris præceptum, ei satisfacit. Quia quamuis peccet, voluntatem non implendi habens, si in sua libertate esset; at cum metus quantumuis grauis non tollat, sed solum minuat libertatem, illa impletio est actus humanus, & liber, ac proinde illa satisfit præcepto.

4 Hinc, non est approbandum, quod tradit D. Anton. 2. *p.t. 9. capit.* 10. §. 2. asserens famulos, qui quasi coacti gratia sociandi dominos intersunt sacrificio Missæ, aliàs non audituri, minimè satisfacere præcepto. Sed dicendum est, eos verè satisfacere præcepto, si attentione debita Missam audiant, quamuis dum audiunt, actualem voluntatem habeant non audiendi, nisi respectu domini. Et ratio est, quia cum ibi vincti non detineantur, non est ea coactio absoluta, quæ sola impletionem præcepti impedit, & illa praua voluntas conditionalis solum efficit, vt peccent mortaliter, quia tenentur, absolutam implendi voluntatem habere: at reuera implent.

QVÆSTIO XLVII.

An intentio, & voluntas satisfaciendi præcepto per illud opus, sit necessaria, vt quis præceptum superioris adimpleat?

SYLVEST. *verbo hora quæst.*11.*nu.* 15. & Lop. *lib.* 1. *de contractibus. cap.*53. putant talem intentionem esse necessariam. 1

Sed contrarium mihi persuadeo. Quia præceptum solum iniungit opus actu humano, ac libero implendum, & non vt ex illa formali intentione satisfaciendi præcepto, illud opus exequatur. 2

Tum quia superior intentionem non præcipit, sed actus substantiam. Et ideò ita tenent Suar. 3. *tom. in* 3. *p.* D. Thom. *quæst.* 83. *artic.* 6. *disput.* 88. *sect.*3. Valent. 2. 2. *disput.* 6. *q* 2. *p. vlt.* Azot. *tom.*1. *lib.*7. *cap.*2. *quæst.*6. & Vasq. 1. 2. *q.* 100. *ar.*9.

Hinc qui præcepti immemor, aut ignorans esse diem festum, audit sacrum, verè satisfacit præcepto: nec est necessarium, vt postea cum illud præceptum nouit, satisfacere per illud opus velit, quia præceptum id solum 3

ſolum exigit, vt liberè opus per illud iniunctum exequatur: non autem vt quis in actu ſignato velit etiam præcepto ſatisfacere.

4 Hinc, qui debet mille domino incerto, poteſt omnes eleemoſynas, quas poſteà ignorans, ſeu illius obligationis immemor ex ſua deuotione largitus eſt, in partem prædictæ reſtitutionis computare.

5 Dices: præceptum obligat ad obedientiam, quæ eſſe non poteſt, vbi deeſt intentio ſatisfaciendi præcepto.

6 Reſpondeo præceptum obligare ad obedientiam materialem, nempe, vt ſponte opus virtutis exequatur, non autem ad obedientiam formalem, nempe, vt velit per illud opus præcepto ſatisfacere.

7 Idem dicendum eſt de voto, iuramento, & de pœnitentia ſacramentali, quibus ſatisfit, ſi opus per illas obligationes iniunctum actualiter ab illo debente impleatur, etſi non adſit intentio ſatisfaciendi voto, vel pœnitentiæ, ſed omnino horum obligatio memoria exciderit. Quia hæc inſtar præcepti obligant.

QVÆST. XLVIII.

An qui expreſsè ſtatuit ſe nolle præcepto per illud opus impletum ſatisfacere, verè ei ſatisfaciat?

1 DOCTOR Nauar. *in cap. Quando de conſecrat. diſt. 1. c. 13. n. 15.* Med. *C. de oratione q. de horis can. nerandis dub. vlt.* Arag. *2. 2. q. 83. ar. 13.* & Azor. *lib. 7. c. 2. q. 6 & lib. 10. c. 8. q. 7.* negant hunc adimplere præceptum, ac proinde teneri iterum illud præceptum adimplere. Quia actus non operantur vltra intentionem agentium. Quod putant eſſe adeo verum, vt ſi in eodem die quo adimpleuit præceptum cum tali intentione pœniteat illum, & dicat velle per illud opus ſatisfacere præcepto, non ſatisfaciat, ſed eſt neceſſe, vt de nouo expleat illud.

Cæterùm multo verius eſt, hunc verè ſatisfacere præcepto. Ratio eſt, quia nullus præceptum violat, eo quod non facit id ad quod præceptum non obligat, ſed vt dixi, præceptum non obligat ad habendum intentionem illi ſatisfaciendi: ergo non violatur ex eo quod habet intentionem non ſatisfaciendi. 2

Tum quia ſuperior intentionem ſatisfaciendi non præcipit, ſed actus ſubſtantiam. Cum ergo hic verè & ſponte ſubſtantiam præcepti exequatur, quantumuis nolit ſatisfacere, verè præcepto ſatisfacit. Nec eſt in hominis facultate præceptum non adimplere, poſito eum velle opus illud præcepti exequi. Et ideò ita tenent Valent. *2. 2. d. 6. q. 2. p. vlt.* Leſſ. *lib. 2. c. 37. dub. 10. & cap. 46 dub 6.* Suar. *3. to. in 3. p. q. 83. ar. 6. d. 88.* Vaſq. *1. 2. q 100. ar. 9.* & cenſet eſſe probabile Arag. *loco ſupra citato.*

Limitat autem Suar. & Leſſ. vbi ſupra, vt intelligatur hæc ſententia, dummodo hic intra obligationis præcepti tempus, reuocet animum non implendi præceptum, & ita cupiat opere illo præterito ſatisfeciſſe obligationi. 3

Sed hæc limitatio non placet, quia ſi per illum actum hic abinde ſatisfecerit præcepto, non requiritur ea voluntatis mutatio.

Idem iudicium ferendum eſt de voto, & de pœnitentia ſacramentali iniuncta: illa enim verè implentur, ſi opus iniunctum exequatur cum expreſſa voluntate non ſatisfaciendi præcepto, nec opus eſt, vt ea voluntas mutetur, ſed ſatis eſt velle ſe abunde præcepto ſatisfeciſſe per illum actum. Quia cum hæc inſtar præceptorum obligent, ſolum ad ſubſtantiam actus præcepti exequendam obligant. 4

QVÆSTIO XLIX.

An per opus quod est peccatum, possit impleri praeceptum? vt si religiosus ob inanem gloriam suo Praelato obtemperet?

1 ADRIAN. *in 4. vbi de confess. q. 5. dub.* 4. & D. Anton. 2. *p. t.* 9. *cap.* 10. §. 2. negant.

Alij verò affirmant, & meritò quidem, quia iuxta D. Tho. 1. 2. *q.* 100.
2 *artic.* 9. & ibi Caiet. communiter receptos, finis praecepti non cadit sub praecepto: ergo praecepti transgressor non est, seruans substantiam praecepti non autem eius finem.

Tum quia, vt omnes authores tradunt, lex praecipit substantiam actus, non modum, nisi modus sit de intrinseca ratione actus, vt attentio est de orationis essentia. Cum ergo, licet finis sit malus, impleatur substantia actus praecepti, satisfiet illi praecepto, etsi contra aliud peccetur, cui malus ille finis opponitur. Et ideò huius opinionis sunt Sotus *lib.* 2. *qu.* 3. *artic.* 9. *& lib.* 10. *quaest.* 5. *artic.* 5. Nauar. *cap.* 21. *num.* 7. Couar. *c. Alma mater* 1. *p.* §. 5. *nu.* 1. & Azor. *to.* 1. *lib.* 7. *cap.* 6. *q.* 1.

3 Hinc, qui formam ieiunij seruat, licet lautè, & delitiosè comedat, & in statu peccati mortalis ieiunet, ita vt nec satisfaciat, nec mereatur, verè implet praeceptum, & tamen finem praecepti, qui est fame aliqua carnem afficere, non seruat.

Idem dicendum est de poenitentia sacramentali, cum instar praecepti debeatur. Ita Suar. 4. *tom. summ. in* 3. *p. d.* 38 *sect.* 8. *num.* 1.

QVÆSTIO L.

Sed dubium est: An idem dicendum sit de voto?

NONNVLLI negant. Quia promittens rem bonam, & vtilem non satisfacit dando malam, & inutilem, quale est opus promissum impletum ob malum finem. 1

Caeterùm absque dubio asserendum est, idem esse dicendum de voto, quod de reliquis praeceptis. Ratio est, 2
quia cum votum sit lex quaedam particularis, quam homo sua sponte sibi imponit, obligat instar aliorum praeceptorum ad solam actus promissi substantiam exequendam: & satis est, vt opus exequutioni mandatum sit bonum, & vtile quoad substantiam, etsi modus sit inutilis. Ita Vasq. 1. 2. *q.* 100. *ar.* 9.

Hinc, qui officium diuinum recitat ob finem mortalem puta ad prouocandum aliquem ad amorem illicitum, non est obligatus illud repetere, nec restituere fructus, vt rectè Nauar. de oratione *cap.* 20. *num.* 29. & Suar. *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *cap.* 30. 3

QVÆSTIO LI.

An vnico actu possit diuersis praeceptis satisfieri?

RESPONDEO posse, v. g. vnico ieiunio possum satisfacere praecepto, & voto, & poenitentiae sacramentali, si ieiunium v. g. quadragesimale voueam, ac mihi imponatur in poenitentiam. 1

Et confirmatur, nam obligatus ad diuinum officium ratione ordinis, & beneficij eadem recitatione vtrique obligationi abūdè satisfacit. Et quādo festum

festum in dominicam incidit, etsi ratione vtriusque teneat audire sacrum, vnico sacro audito vtrique obligationi satisfacio. Ita Med. *C. de satisfactione quaest.* 4.

QVÆSTIO LII.

An pœnitens pœnitentiæ sacramentali satisfaciat per opus aliàs debitum, vt per ieiunium voto, aut præcepto debitum?

1 RESPONDEO non satisfacere. Ratio est, quia pœnitentia intelligitur de opere voluntario. Ita Sot. *in* 4.*d.*19.*q.*2. qui tamen ab hac Regula excipit eleemosynam in pœnitentiam iniunctam: dicit enim satisfacere pœnitentem, si eam pauperi extrema inopia laboranti largiatur. Quia cum eleemosyna pauperis inopiam respiciat, quo maior est inopia, potiori ratione eleemosyna dici potest, & ideò probabiliter credi potest mẽtem confessarij fuisse, vt per huiusmodi eleemosynam, & præcepto, & pœnitentiæ satisfieret.

Tum quia probabilis est opinio Nauarr. non teneri aliquem in hac necessitate ad eleemosynam, quando mutuando potest eius inopiam subleuare.

QVÆSTIO LIII.

An possit quis vno & eodem tempore diuersis actibus duobus præceptis satisfacere? Vt si tempore quo quis missam de præcepto audit, diuinum officium persoluit?

1 ANGEL. *verb. feria num.* 46. Roder. *verb. dominica nu.* 7. Syluest. *verb. missa* 2. *fine*, & Armilla *verb. festum num.* 11. negant. Quia vtrumque attentionem requirit, nec est possibile ad vtrumque simul attendere.

Verùm contraria sententia est communis, & certa. Et ratio est, quia neutrum attentionem ad verba requirit, quamuis ea sufficiens sit: sed vtrique satisfit attendendo ad Deum, resque diuinas, & ita vna eademque attentione. Et ideò ita tenent Caietan. *in summ. verb. festorum violatio.* Sot. *in* 4. *d.*19. *quaest.*2. *art.*1. Nauarr. *cap.*21. *num.* 8. Henriq. *lib.*9. *de missa cap.*25. *num.*5. Valent. 2.2. *d.*6. *quaest.*2. *p. vltim.* Azor. *lib.*10. *cap.*12. *quaest.*10. *& lib.*7. *cap.*5. *quaest.*3. Suar. 4. *tom. in* 3. *p. d.*38. *sect.*6. *num.*5. 2

QVÆSTIO LIV.

An obligatus ad duplicem missam audiendam, satisfaciat simul audiens dum in duobus altaribus missa duplex celebratur?

RESPONDEO satisfacere. Ratio est, quia potest vtrique corpore esse præsens, & vnica attentione ad Deum, resque diuinas habita satisfacere. Ita Maior *in* 4. *d.* 12. *quaest.*8. & Petr. de Ledesm. *in summ. sacram. vbi de Euch. cap.*27. Quod intellige quando altaria ita essent coniuncta, vt audiens posset dici moraliter præsens illis. 1

QVÆSTIO LV.

An duplex peccatum committat, qui opus duplici præcepto debitum omittit? Vt si omittat missam in die festo incidente in dominicam, vel ieiunium vigiliæ incidentis in quadragesimam?

1 RESPONDEO hunc non committere nisi vnum peccatum. Ratio est, quia hæc præcepta sunt de eadem materia, & ob idem virtutis motiuum. Sed tunc erit duplex peccatum, aut circumstantia necessariò in confessione exprimenda, quando etsi de eadem materia sint, tamen ad diuersas virtutes pertinent. Vt si quis omittat missam debitam ratione festi, & pœnitentiæ iniunctæ, vel si pertinent ad eandem virtutem, habent nihilominus diuersum motiuum, vt si sit debita ratione festi, & voti. Et ideò ita tenent Azor. *lib.4.cap.2.quæst.6.* Sayr. *clau. Reg. lib.2. cap.5. num.14. & 15.*

QVÆSTIO LVI.

An vt religiosus teneatur suo Prælato obedire, satis sit, vt ipsius voluntas ei, innotescat?

1 RESPONDEO, Religiosus, etsi teneatur de congruo se conformare in omnibus voluntati sui Prælati, non tamen peccat, non id faciendo, nisi sibi de re aliqua ponatur expressè, vel tacitè formale præceptum. Sic D.Thom. *quæst.23. de veritate art. vlt. & 2.2.quæst.104.art.1. & ibi* Caietan. Toler. *de 7. peccatis mortalibus cap.15. num.10.* & Vasq. *1.2.quæst.95.art.3.disp. 155. ad finem*, Qui bene addit, nec etiam teneri religiosum obedire, etiãsi norit actum intellectus superioris imperantis, nisi esset voce expressus, quia homines solum ligantur imperio modo humano explicato, & intellecto.

QVÆSTIO LVII.

An Religiosus teneatur suo Prælato obedire in his, quæ sunt contra Deum?

RESPONDEO non teneri, nec posse, quia vt habetur. Act.5. *Obedire oportet magis Deo, quam hominibus.* Vnde Glossa explicans illud Pauli ad Rom. 13. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*, inquit, si quid iusserit, nunquid est illi parendum, si contra Proconsulem iubeat? Rursus si quid Proconsul iubeat, & aliud Imperator nunquid dubitatur, illo contempto isti esse omnino parendum? Ergo à simili ratione, si aliud Prælatus, aliud Deus iubeat, contempto Prælato, obtemperandum est Deo. 1

Contra Deum hic dicitur esse, non solum omne peccatum mortale, seu veniale, sed etiam omne illud, quod est, aut inducit de proximo in periculum peccati mortalis vt docet D.Tho. *quodlib.11.art.3.* vbi ait, quod potius debet homo præeligere mortẽ, quam venialiter peccare, quia omne peccatum est contra Deum. 2

Hinc, si mihi Prælatus præcipiat aliquid, quod speciem aliquam mali, seu scandali pręse ferre videatur, non teneor ei obedire. Quia iuxta sent. Apostoli ad Thes. 1. cap. vltimo & Rom. 14. ab omni specie mali abstinendum est. 3

Hinc, si mihi Prælatus præcipiat, vt audiam confessiones secularium, cum sim indoctus, & insufficiens, non possum, nec debeo ei obedire. Quia id vergit in detrimentum non modo proprię salutis, verũ etiam pœnitentis. 4

Hinc, si Prælatus mihi præcipiat, vt reuelem crimen occultum fratris, non seruato ordine fraternæ charitatis, non teneor, nec possum in hoc casu ei obedire, quia obedientia ista continet intolerabilem errorem. 5

Hinc, si ego corrigo fraternaliter meum Prælatum, quia contra eum multa correctione digna audiui, & Prælatus mihi iubeat, vt reuelem eum, à quo hæc audiui, non debeo, nec possum 6

possum in hoc casu obedire. Quia ad Prælatum non spectat scire hoc.

Tum quia ex tali reuelatione potest aliquod præiudicium euenire illi.

7 Hinc, si Prælatus mihi præcipiat id, quod est in periculum mortis æternæ, aut mortis temporalis, non teneor, nec possum obedire. Quia id est peccatum temeritatis, aut tentandi Deum, vel contra charitatem mei ipsius, vt si mihi præcipiat audire confessiones mulierum, vbi periculum, aut tentatio carnis acriter impugnat: aut ingredi mare, vel flumen, cum nesciam natare. Et hoc verum est, regulariter excepto casu quando spiritus sanctus aliud inspirat, & constat de eo.

Dices, multi sancti Patres, vt testatur Cassian. *lib. 4. de constitut. monast. cap.* 24. in multis quæ contra ius naturale, & diuinum sunt superioribus obtemperasse narrantur.

8 Respondeo, quod licet manifestè mala, vel legi diuinæ contraria esse viderentur, ea tamen sibi imperari existimabant, vt exequi conarentur, & Prælatum curaturum, ne imperata perficerent. Vel quia putabant ea præcipi, non quidem simpliciter, vt ficrent, sed vt obedientiæ exemplum præberent.

QVÆSTIO LVIII.

An Religiosus teneatur obedire Prælato in iis quæ sunt contra ius canonicum, vt sacros canones, ac summorum Pontificum decreta?

1 Respondeo non posse. Ratio est, quia inferior non potest in lege superioris dispensare, vt habetur *in cap. Inferior* 21. *dist.*

Hinc, non tenetur subditus obedire suo Prælato immediato, & inferiori contra præceptum Prælati superioris, vt v.g. si Prouincialis præcipiat vnum, & Prior præcipiat contrarium, subditus tenetur obedire Prouinciali tanquam maiori, & non Priori, & ita subordinatè de aliis Prælatis.

Hinc, moniales Episcopo subiectæ tenentur magis ei obedire ex voto, quam Abbatissæ. Ratio est, quia est earum Prælatus instar Prælatorum regularium. 2

QVÆSTIO LIX.

An subditus dubitans, an id quod præcipitur sit licitum, teneatur superiori obedire?

Adrian. *quodlib.* 2. *p.* 2. Roder. *p.* 2. *sum. cap.* 9. *num.* 4. & Vasq. 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *d.* 66. *num.* 51. docent non teneri, nec posse subditum in hoc casu obedire superiori. Quia tunc faceret contra conscientiam, quod non licet. 1

At pro certo tenendum est subditum in re dubia teneri obedire superiori. Ratio est, quia in dubio an res sit licita, necne melior est conditio possidentis. Atqui superior est in possessione iuris imperandi: ergo in dubio potest illo suo iure vti, & per consequẽs subditus tenetur in tali dubio superiori obedire. Nec dici potest etiam subditum esse in possessione suæ libertatis, quia pro illo est vera possessio, pro quo est præsumptio iuris, & in alterum contra quem est ea præsumptio, transfertur onus probandæ exemptionis suæ. At præceptum superioris in dubio præsumitur iustum, vtpote cui subditus vice Dei gubernandum se tradidit, vt probatur ex D. August. *lib.* 21. *contra Faustum cap.* 74. & 75. & tradit Couar. *in reg. peccatum* 1. *p. num.* 5. *ad finem.* Ergo superior habet ius, & potestatẽ præcipiendi non solùm, quæ subditus nouit esse licita, 2

licita, sed ea, quæ non constat esse illicita, quia in dubio stat præsumptio pro præcepto.

3 Et confirmatur, nam potestas superiorum est ad gubernandum subditos, ne errent, quæ gubernatio maximè in rebus dubiis est necessaria, ergo.

Tum quia, aliàs sequeretur, quod superior quoties aliquid fieri præciperet, teneretur reddere subditis rationem eorum quæ iubet, quod in graue vergeret detrimentum religionis.

4 Et est conclusio definita *in cap. Quid culpatur in fine 23. quæst. 1.* vbi sic dicitur. *Vir iustus si forte etiam sub Rege, & homine sacrilego militet, rectè potest illo iubente bellare, si quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel vtrum sit, certum non est, ita vt fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi: innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi.* Et Deuter. 17. & 2. Paralip. cap. 19. & Ezech. 34. filij Israël iussi sunt à Deo, vt in rebus dubiis starent Sacerdotum iudicio. Nec hoc præceptum fuit legis veteris ceremoniale, ita vt cum illa interierit, sed morale. Et *in cap. Maiores de baptismo, & eius effectu.* dicitur generaliter, quod in rebus dubiis standum semper est Ecclesiæ definitioni. Vnde D. Bernard. *in lib. de præcepto, & dispen.* ait: *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit certum displicere, haud secus omnino accipiendum est, ac si præceperit Deus.* Et Hieronym. *in epist. ad Rusticum monachum; Præpositum monasterij timeas vt dominum, diligas vt parentem: credas tibi salutare, quidquid ille præceperit, nec de maioris sententia iudices tu, cuius officium est obedire, & implere quæ iussa sunt, dicente Moyse, Audi Israël & tace.* Deuter. 6. & Greg. *lib. 2. ca. 4. in lib. 1. Regum; Vera* (inquit) *obedientia nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit, quia qui omne vitæ iudicium maiori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur. Nescit enim iudicare quisquis perfectè didicerit obedire.* Vnde Apostolus ad Hebr. 13. cum dixisset, *Obedite Præpositis vestris, & subiacete illis*, ea ratione confirmat: *Ipsi enim* (inquit) *peruigilant tanquam rationem reddituri pro animabus vestris.* Quasi dicat, ad eos spectare maximè peruigilare, & videre quid nobis bonum sit, & expediat, atque adeò rationem pro nobis reddere in iudicij die eorum quæ ex ipsorum nos præscripto faciemus.

Præterea extat de hac re specialis concessio Leonis decimi, qua concessit de plenitudine suæ potestatis, quod in dubiis, & scrupulis subditorum conscientias tangentibus, Magister Generalis, vel Prouinciales, & Priores cum consilio aliquorum patrum (si res magnæ importantiæ fuerint) possint authoritate suæ sanctitatis determinare in huiusmodi; ac eorum determinationi subditi cum secura conscientia debeant, & possint stare. Et ideò hanc partem sustinent D. Thom. *in 4. d. 19. quæst. 4.* Caiet. *verb. bellum, & 2. 2. q. 169. art. 2.* Sot. *de secreto in 3. quæst. 2.* Nauarr. *cap. Si quis autem num. 114. & cap. 23. num. 37.* Cord. *lib. 1. quæstionarij, q. 6. in principio*, Barth. Med. *lib. 1. summ. cap. 5.* Tolet. *de 7. peccatis mortalibus cap. 15. nu. 6.* Azor. *lib. 12. cap. 19. q. 9.* Bañ. *2. 2. q. 40. art. 1.* Molina *tom. 1. d. 113.* Valent. *1. 2. d. 2. q. 14. p. 4.* Petr. Nauarr. *lib. 2. de rest. cap. 3. num. 252.* Emman. Sa *verb. bellum num. 1.* & Sayr. *in clau. Reg. lib. 9. cap. 13. num. 4.* 5

6 Ex quo sequitur, quod vt subditus possit, & teneatur obedire superiori, non est necessarium, vt ipse subditus videat esse bonum, quod præcipitur, sed satis est, ac sufficit, vt ipse non intelligat euidenter esse malum, vt constat

constat *ex dicto cap. Quid culpatur in fine* 23.*qu.*1. vbi ad obedientiam solum requiritur, ne certum sit, rem imperatam esse illicitam. Hinc falsa est doctrina Nauarr. *cap. Si quis autem num.* 114.*de pœnit.d.* 7. vbi ait opus esse, vt subditus in hoc dubio licitè obediat, vt prius sibi persuadeat rem præceptam esse bonam, saltem quoad effectum, ad quem sibi imperatur. Quia vt ex dictis constat, hoc non est necessarium, sed satis est, ne pro comperto habeat rem illam esse illicitam.

7 Hinc, non est audiendus Azorius *lib.*1.*cap.*17, *qu.* 9. qui ait, subditum probabiliter opinantem id quod iubetur esse malum, non posse licitè obedire, nisi intelligat quoque superiorem sequi aliam opinionem probabilem docentem illud esse licitum. Quia superior ius habet imperandi omne id, quod euidenter non constat esse illicitum: at opinans aliquid esse malum non habet euidentem eius certitudinem, cum opinio non sit assensus certus, & euidens, sed cum formidine alterius partis.

8 Tum quia coniux opinans matrimonium esse nullum, non potest alteri petenti debitum denegare, dum non sibi certa est nullitas matrimonij, ne alterum possessione sua spoliet, vt latè probat Sanchez *lib.* 2. *de matrim. d.*44. *nume* 3. ergo opinans aliquid esse malum ac proinde superiorem non posse illud præcipere non potest illum sua præcipiendi possessione spoliare, donec certò sciat illud esse illicitum.

Hoc idem sentio, etiamsi subditus tanquam probabilius intelligat id quod iubetur esse malum, adhuc enim tenetur obedire, cum assensus ille non sit certus, & euidens, nec limites opinionis excedat. Nec est necessarium, vt subditus iudicet Prælatum in præcipiendo amplecti aliam opinionem probabilem dictantem illud esse licitum, nec vt vult Nauar. huiusmodi dubium deponat, sed stante eo dubio, & ignorata probabilitate alterius opinionis tenetur subditus superiori obedire, donec eius materiæ malitiæ, certus omnino sit, quia ea opinio, & dubium subditi sunt speculatiua, at operari contra dubium, & propriam opinionem speculatiuam, licitum, & obligatorium est, quando possessio alterius cogit ad formandam contrariam, opinionem practicam; nempe esse tunc obediendum, ne alter iusta possessione spolietur, dum non constat rem esse malam.

Hinc, colligitur, quomodo intelligendus sit Palud *in* 4.*d.*19.*q.*1.*ar.*1. dum ait Religiosum iussum à Superiore admittere prælaturam ordinis, aut audire confessiones teneri obedire, quamuis iis muneribus se indignum, & incapacem reputet: est enim intelligendus, quando euidenter non se cognoscit indignum, sed dubius est, quia in dubio tenetur Prælato obedire. 9

QVÆSTIO LX.

An subditus dubitans, an id quod iubetur sit licitum, teneatur priusquàm obediat inuestigare, an licitum sit.

ROSELL. *verb. bellum nu.*4. Ang. *ibidem nu.*8. *& verbo inobedientia nu.*6.& Syluest. *verb bellum* 1.*qu.*9.*& verbo obedientia qu.*2. affirmant hunc ad id teneri. 1

At omnino dicendum est, ad hoc non teneri. Ratio est, quia vt rectè aduertit D. Thom. *de veritate qu.*17. *artic.*5. *ad* 4. ad officium subditi non pertinet inquirere, atque inuestigare 2

sitne bonum, & expediens, quod præcipitur, sed rem præceptam exequi, dum ei euidenter non constat esse malam, & examen illud valde perfectioni obedientiæ repugnat, quæ vt sancti Doctores tradunt, deber esse cæca. Et ita tenent Petr Nauar *l.b.2. de restit.cap.3.n.261.& 266.*& Valent. *2.2.d.7.q.2.p.2.*

3 Hinc subditi ad bellum à Principe vocati, quoties non constat illis de iniustitia belli, possunt, & tenentur obedire suo Principi, vt habetur *in cap. Quid culpatur.* Et ratio est, quia tenentur de superiore meliora cogitare, & nisi euidens sit iniustitia, non diiudicare Principem, & licet re ipsa postea constaret eis de iniustitia belli, propter obedientiam tamen non peccarent, nec restituere tenerentur. Non enim ipsi causas, & rationes belli examinare tenentur.

QVÆST. LXI.

Sed dubium est: An idem dicendum sit de militibus exteris, stipendio ad bellum conductis?

1 RESPONDEO non esse idem de illis dicendum, quod de subditis, vt rectè docent Caiet. *2.2.q 169.ar.2.* Nauar. *cap.15.nu.15.*Valent.*2.2.d.3. qu.16 p.2.*& Mol.*to.1.d.113.* Nihilominus tamen, si de iure belli dubitent, & aliunde sciunt Principem à quo sunt stipendio conducti, virum esse catholicum, & pium, & qui bellum nisi iustum suscipere non solet, tunc milites illi tuta conscientia possunt probabiliter existimare bellum illud esse iustum.

QVÆST. LXII.

An subditi in hoc casu excusentur, quando præcepto superioris compulsi ad bellandum vadunt?

CORDVBA *lib.1.sui quæstionarij q.39 p.1.* tuetur partem affirmatiuam. 1

Sed profectò contrarium verius, & rationi conformius nobis videtur, vt tenet Illustrissimus Caiet.*2.2.q.169. art.2.* vbi ait in hoc casu non requiri præceptum expressum, sed tacitum quale impositum censetur, eo ipso quod Princeps bellum indicit, vult enim eo ipso, vt subditi se militiæ adscribant, & ad bellandum pergant. 2

QVÆST. LXIII.

Quid nomine subditorum hoc loco intelligatur?

RESPONDEO intelligi etiam alienigenas, qui sub continuis stipendiis Regis alicuius degunt tam pacis, quam belli tempore: hi enim stipendiati tanquam famuli censentur, qui similiter in dubio tenentur obedire Dominis suis. Secùs de illis, qui tunc temporis conducuntur. Ita Caiet. *2.2.q.169. art.2.& verbo bellum.*Nauar.*c.15.n.15.* Mol.*to.1.de iust.d.113.*& Valent.*2.2. d.3.q.16.p.2.* 1

Hinc, si subditus valetudinarius, aut alio impedimento laborans dubitet, an teneatur ieiunare, abstinere à carnibus, diuinum officium persoluere, rem diuinam audire, tunc accedente authoritate, & præcepto Prælati tenetur subditus obedire, & credere superiori dicenti ad hæc non teneri. 2

Nec obstat periculũ tunc frangẽdi præce

præceptum Ecclesiæ. Quia Ecclesia censetur in tali casu nolle subditum obligare ad ieiunium, vel horas, aut missam, cuius mentis Prælatus interpres est, & cui subditus credere tenetur.

3 Hinc, si subditus dubitet, an dies aliqua sit festiua, & consequenter an teneatur ab operibus seruilibus abstinere, necne, tenetur subditus obedire, & credere suo Prælato dicenti, non esse diem festiuum, nec ad audiendam missam, vel ad abstinendum ab operibus prohibitis obligari: & licet reipsa postea constaret fuisse diem festum, propter bonum obedientiæ, à peccato excusatur.

QVÆSTIO LXIV.

An si ex obedietia aliquod graue incommodum in persona, honore, vel rebus ei qui obedit, vel alteri timeatur, & ex inobedientia nihil incommodi appareat, & dubium sit de bonitate operis; teneatur subditus superiori obtemperare?

1 RESPONDEO non teneri. Ratio est, quia in dubio fauendum est ei, de cuius damno agitur. Et si inferior non sit in possessione suæ libertatis, est tamen in possessione sui iuris quo potest in rebus periculosis se indemnem seruare.

Tum quia in dubio non præsumitur authoritas superioris valere in alterius graue præiudicium, cum nihil incommodi notabilis ex non obediendo sequatur. Si tamen par, vel grauius incommodum sequeretur ex non obediēdo, in dubio teneretur obedire.

2 Hinc si Prælatus mihi præcipiat, vt reuelem crimen fratris occultum, & ex mea reuelatione periclitatur vita, aut fama alterius, quamuis sim conscius, non teneor, nec possum in hoc casu obedire Prælato, quando sum anceps an iure præcipiat. Et ratio est, quia maius damnum est mors alterius, aut infamia perpetua, quam semel non obedire Prælato. Ita Nauarr. *cap. Inter verba nu.* 599. Quod Sotus putat esse verum, etiam quando magis putat quod Prælatus iustè, quam iniustè id præcipiat.

Hinc, si inquirat Prælatus aduersus aliquem de priuato crimine, & nunc dubium est probabile, an sit infamia, vel indicia sufficientia ad legitime inquirendum, non tenetur subditus testificari, immò tenetur celare crimen, quamuis sit illius conscius, & à fortiori nec reus ipse si interrogetur, tenetur se prodere. Ratio est, quia maius est periculum, & damnum, si occidatur frater contra ius, quam si non obediatur semel superiori. 3

Nec obstat, quod Prælatus sit in possessione legitima respectu subditi, quia ex alia parte subditus est in possessione suæ vitæ, & famæ: & maius damnum est prodere crimen fratris, quando eius vita, vel fama periclitatur, quam semel non obtemperare Prælato. Nam periculum vitæ, vel famæ est perpetuum, si semel reuelet crimen, & ita in perpetuum amittit possessionem suæ vitæ; & famæ; si autem semel non pareat, Prælatus non amittit possessionem perpetuam, & sic maius detrimentum est in tali casu prodere crimen fratris, quam semel non obedire Prælato.

Hinc, si videam hominem in extremis constitutum, & Prælatus mihi præcipit, ne eius necessitati subueniam, & dubito an tale præceptum sit iustum, in tali casu teneor

non obedire. Ratio est, quia maius malum est, quod homo fame pereat, quam quod Prælato semel non obediam.

4 Hinc, qui dubitat de seruitute alterius coniugis, quam liberam putabat, non tenetur obedire Prælato iubenti, vt reddat debitum, ob damnum sibi imminens ratificandi ea copula matrimonium, quod erat nullum.

QVÆSTIO LXV.

An subditus teneatur obedire, si ipse certus sit superiorem præcipientem dubitare quoque an id quod iubetur sit licitum?

1 RESPONDEO non teneri, nec posse licitè obedire. Ratio est, quia tota causa, ob quam in dubio subditus potest, & tenetur obedire, est, quia superior est in possessione iuris imperandi, at quando superior est dubius, an res præcepta ab ipso sit licita, non ei fauet possessio, vtporè, quæ est præcipiendi ea sola, quæ licita esse credit: ergo subditus non tenetur, nec potest licitè obedire. Ita Salas 1.2.q.21.*tract.* 8.*d.vnica sect.*26.*n.*275.

QVÆSTIO LXVI.

An si superior dubitet, aut credat id quod iubet esse illicitum, aut excedens suam potestatem, & subditus non dubitet, sed credat illud esse licitum, teneatur tunc subditus obedire?

1 RESPONDEO teneri. Ratio est, quia reuera superior habet ius imperandi, etsi ex conscientia erronea putet ipse illud nō habere: ergo in conscientia tenetur subditus illi obedire. Sicut si ego ex errore putem rem à re possessam non esse meam, & malè petam mihi reddi tanquam meam, tu qui scis rem illam esse meam, teneris in conscientia mihi reddere.

QVÆSTIO LXVII.

An subditus dubitans practiè, an hic, & nunc sibi liceat obedire, obtemperare teneatur?

RESPONDEO teneri. Ratio est, quia quamuis eo dubio perseuerante, non liceat ei obedire, quia ageret contra conscientiam: at accedente superioris præcepto tenetur id dubium practicum tanquam rationi repugnans deponere, quia adest iusta deponendi causa, & vt id dubium transeat in solum speculatiuum, an id quod iubetur sit licitum, an non credendo ob præceptum superioris non tantum fas esse in eo casu obedire, sed teneri. Sic Molina *to.*1.*d.*113. Salas 1.2.q.21.*tract.*8.*d.vnica sect.*26. & Sayr. *in claui.reg.lib.*1.*cap.*13.*n.*39. 1

QVÆSTIO LXIII.

An Religiosus teneatur Prælato suo obedire, quando certus est, esse licitum, quod præcipitur, dubitat tamen, an Prælatus possit id sibi præcipere?

RESPONDEO teneri, nisi inde ei, vel alteri notabile periculum, aut ingens præiudicium spirituale, aut temporale in persona, rebus, aut honore immineat. Ratio est, quia obedien- 1

dientia perfecta, vt omnes Doctores tradunt, debet esse cæca, neque Prælatus tenetur rationem reddere subdito suorum præceptorum, præsertim vbi constat præceptum esse de re licita, & non constat Prælatum iniustè præcipere: ergo tenetur obedire.

Tum quia Prælatus propter religiosi dubium, non amittit iurisdictionem, quam aliàs super ipsum habet: ergo etiamsi religiosus dubitet, tenetur ei obedire.

2 Dixi consultò (*nisi inde ei, &c.*) quia tunc in tali casu, & dubio obediendum non esset, quousque subditus sufficienter esset edoctus de absentia huius periculi. Ratio est, quia nullus se potest alicui superiori obligare, neque ei obedire tenetur in præiudicium tertij, neque cum periculo notabili spirituali sui ipsius, vel alterius.

3 Hinc, si Prælatus mihi præcipiat longum iter, aut rem valde difficilem vt longam abstinentiam, vel aliud opus valde austerum, & nunc dubito, an possit superior id mihi præcipere, non teneor cum tanto meo periculo, & damno statim obedire, donec constet mihi de iure præcipiendi. Quia tanta rei difficultas vnà cum dubio potestatis imperandi præponderat possessioni superioris, & fauet potius libertati subditi. Ita Barth. Med. 1. 2. *q. 19. ar. 6. dub. 4.* & Sot. *de relect. de tegen. secreto in 3. q. 2.*

QVÆSTIO LXIX.

An subditus teneatur obedire, quando est dubius, an superior sit legitimè electus, aut confirmatus?

1 RESPONDEO teneri. Et ratio est, quia superior habet legitimam possessionem, ac proinde non potest ipsum ea spoliare denegando illi debitam obedientiam, ob id dubium, vel opinionem, donec pro certo id sciat. Secùs si dubitaret an alter esset verus superior, nec ille esset suus in possessione superioritatis erga ipsum, quia tunc non teneretur ei obedire, donec de eius superioritate certus omnino sit. Quia cum alter non sit in possessione iuris imperandi, standum est pro libertatis possessione.

QVÆSTIO LXX.

An Religiosus teneatur obedire Prælato coarctanti immunitates, & libertates à Regula, vel ab altiori superiore concessas?

RESPONDEO teneri. Et ratio est, 1 quia quamuis Prælatus non possit in vniuersum huiusmodi libertates immutare, id enim expressè esset contra Regulam, aut superioris maioris præceptum: at potest in casu particulari iusta aliqua de causa huiusmodi immunitates coarctare, neque hoc est contra Regulam, aut eius limites excedens. In dubio autem an Prælatus possit coarctare, & an causa id faciendi subsit, standum est superioris iudicio. Ita Cord. *super Reg. S. Franc. cap. 10. q. 2. p. 6.*

QVÆSTIO LXXI.

An quando constat de præcepto, sed dubium est, an sit vsu receptum, vel consuetudine, vel dispensatione sublatum, teneatur subditus ad illud?

1 SALAS I.2.q.21.tract.8.d.vnica,sect. 25. num. 259. negat. Quia in hoc dubio tota possessio est pro voluntatis libertate.

2 Sed multò verius est hunc ad illud teneri. Ratio est,quia cum constet de præcepto,extat pro eo præsumptio,& possessio, & proinde alleganti illud, non esse vsu receptum,vel sublatum, vt ab eius obligatione eximatur, incumbit onus probandi, & ideò dum non probat, sed anceps est, tenetur ad illud.

QVÆSTIO LXXII.

An si subditus dubitet circa factum,an videlicet hominem interfecerit, aut aliud crimen patrauerit, ob quod irregularitatem,aut censuram incurrerit,an tunc iussus à superiore, non habente authoritatem in ea dispensandi, vt celebret, teneatur ei obedire?

1 RESPONDEO non teneri, nec posse obedire. Ratio est,quia in dubio facti tenetur ille partem tutiorem sequi, credendo se irregularem. Ita Vasq.1.2.quæst.19.ar.6.d.66.c.vlt. num. 50. & Sayr. clau. reg. lib. 1. cap. 13.num. 38.

QVÆSTIO LXXIII.

An qui dubitat,an 21. annum expleuerit,teneatur ieiunare?

1 RESPONDEO non teneri. Et ratio est, quia possessio est ex parte libertatis, quando in dubio non constat de præcepto. Secus autem esset, si dubitaret,an eundem annum compleuerit, vt ad ordinem subdiaconatus promoueatur, tunc enim cum præceptum possideat,illud est seruandum,donec constet de ætate.

QVÆSTIO LXXIV.

An qui dubitat,an sit transacta media nox,cum dies sit ieiunij,possit edere carnes?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia possessio est ex parte libertatis,cui fauendum est, quando in dubio non constat de præcepto: quod si hodie sit dies ieiunij,& dubitatur,an sit media nox, non potest comedere, cum iam ieiunium possideat, & si diuersa sint horologia in loco, & vnum sonuerit,potest solui ieiunium; perinde enim est,ac si essent plures opiniones probabiles, quo casu quam libuerit, licet amplecti. Ità Sanch. tom. 1.lib.2. de matrim.disp.41. 1

QVÆSTIO LXXV.

An qui adhibita diligentia, adhuc est anceps,an in aliqua re,impositum sit præceptum,teneatur ad illud?

VASQ. 1.2. q. 19.ar.6.d.65.cap.3. & d. 66.cap.1. & Salas 1.2.q.21. tract.8.d.vnica sect. 25.n. 258. putant ad id teneri. 1

At tanquam certum,tenendum est hunc ad id non obligari. Ratio est, quia nemo obligatur præcepto, nisi illi sit sufficienter propositum. At quando post sufficientem diligentiam manet quis dubius,an sit præceptum, non 2

non est illi sufficienter propositum: ergo etsi hic speculatiuè maneat dubius an sit præceptum, est tamen practicè certus se ad illud non obligari.

Tum quia donec non constat de præcepto, possidet libertas. Et ideò ita tenent Henriq. *lib. 8. de Euch. cap. 45. num. 3.* Suar. *5. tom. in 3. p. d. 40. sect. 5. n. 15* & Emman. Sà *verbo dubium n. 2.*

QVÆSTIO LXXVI.

An quando præceptum est certum, sed dubius est, an satisfecerit, teneatur integrè satisfacere?

1 RESPONDEO teneri. Ratio est, quia exequutio voti est quid facti, quod non præsumitur, nisi probetur: ergo dum non probatur, sed manet dubius, stat præsumptio, & possessio pro obligatione præcepti, ac proinde tenebitur integrè satisfacere. Ita Nauar. *cap. Si quis autem n. 76. de pœnit. d. 7.* Med. *C. de oratione 9. de horis can.* & Rebell. *de oblig. p. 2. lib. 1. quæst. 3. sect. 2. n. 13.*

QVÆSTIO LXXVII.

An subditus teneatur obedire, quando est diuersitas opinionum, an superior possit id præcipere, & an inferior teneatur obedire?

1 RESPONDEO quamuis subditus tenens opinionem contrariam, obedire possit, non tamen tenetur. Quia cum dubitatur an superior ius præcipiendi habeat, tunc licet subditus parere possit, non tamen ad id obligatur, cum non possit esse obligatio in subdito ad obediendum, nisi vbi sit ius in superiore ad præcipiendum.

QVÆSTIO LXXVIII.

An Religiosus teneatur obedire Prælato aliquid contra propriam opinionem sibi præcipienti?

ADR. *quodlib. 2. ar. 3. negat.* Quia nefas est agere contra conscientiam. 1

Sed iure optimo alij dicunt, Religiosum teneri contra propriam opinionem obedire Prælato, dummodo eius conscientia dictet id facere. Ratio est, quia eo ipso quod religiosus existimat id quod præcipit superior esse bonum, & quod aliàs ipse facere poterat propter probabilitatem contrariæ opinionis, consequenter illud facere poterit, si superior id ei præcipiat, quod si potest, ergo tenetur: in iis enim quæ quis sine peccato facere potest, superior imponere potest præceptum, & subditus obedire tenetur.

Tum quia Iudex contra suam propriam opinionem potest iudicare innocentem tanquam reum secundum allegata, & probata contra illum: ergo & subditus potest in casu posito obedire Prælato contra propriam opinionem, quia quamuis habeat dubium speculatiuum s. an teneatur obedire, an peccet obediens, practicè tamen est certus quod obediens non peccat. Ita Cord. *lib. 3. sui quæst. 1. q. 9.* Vasq. *1. 2. d. 62. c. 6.* & Azor. *tom. 1. lib. 2. c. 17. q. 9.* 2

QVÆSTIO LXXIX.

An religiosus potius teneatur obedire suo Prælato, quam parentibus?

AD hoc dico primò, quod quando parẽtes sunt in extrema necessitate 1

consti

constituti, filius professus potius tenetur eisdem parentibus carnalibus obedire, quam Prælato, & quo illis succurrat potest è monasterio exire, petita humiliter licentia, licet non obtenta. Ratio est, quia præceptum de honorandis parentibus est de iure diuino naturali, fortius obligans, & prius quam quodcunque Prælati præceptum: ergo non debet per hoc vltimum illi priori derogari, aut impediri, cum illud primum sit obligatorium per se, & simpliciter, hoc autem vltimum quasi secundario, & per accidens ex noua superuenienti obligatione voti.

Et confirmatur, nam ad subueniendum extraneo in hac necessitate constituto, tenetur quilibet etiam contra præceptum Superioris extra claustrum exire: ergo multo fortius ad subueniendum parentibus eadem necessitate pressis, nec tenebitur in tali casu Prælato obedire: nam præceptum de subueniendo extremè indigentibus est naturale, & præualet cuicunque obligationi voti. Ita Caiet. 2.2. *qu.* 101. *art.* 4. Nauar. *c.* 14. *n.* 14 & Cord. *c.* 2. *super Reg. qu.* 6.

2 Secundò dico, quod quando parentes non sunt in tali extrema necessitate, sunt tamen in graui necessitate cõstituti, tunc filius professus non potest absque legitima superioris licentia è monasterio egredi, quo parentum inopiæ subueniat, sed potest, & tenetur illis succurrere per modos licitos, non contrarios suæ regulæ, & professioni. Ratio est, quia iam mutauit statum, nec subest amplius patriæ potestati, sed Prælato, vnde illi obligationi subueniendi non tenetur satisfacere, nisi in quantum potest, saluo statu: sicut si esset clericus in sacris, pro releuanda suorum parentum inopia non teneretur armis vti, vel fieri miles, nec exercere officium vile, ac sibi discõueniens, eo quod status id non patiatur: ergo nec filius professus tenebitur extra claustrum exire, vt parentum inopiæ subueniat, id enim statui professi aduersatur. Ita D.Tho. 2.2. *qu.* 101. *art.* 4. *& quodlib.* 3. *artic.* 6.

Tertiò dico, quod si Prælatus esset tyrannus, nec in tali casu permitteret religioso, vt modis suum statum, & professionem decentibus, vt mendicando, aut laborando parentum inopiæ subueniat, tunc petita licentia, licet non obtenta posset secluso scandalo extra claustrum exire contra præceptum Prælati. Ratio est, quia non tenetur religiosus obedire in iis, quæ contra ius militant diuinum, quod præcipit filium patri succurrere, nil contra suum statum agendo. Et ita tenent Adr. *quodlib.* 1. *art.* 3. *in resp. ad* 7. *argumentum*, & Cord. *super Reg. S. Franc. cap.* 2. *qu.* 9 Contrarium tamen huius arbitror probabilius, & ita tenent Roder. *tom.* 2. *qq. regul. q.* 57. *artic.* 3. & Med. *lib.* 1. *sua instruct. cap.* 14. §. 14. 3

QVÆSTIO LXXX.

An quando religionis Regula consuetudine laxata est, teneantur illam professi in suo pristino rigore seruare, an verò secundum consuetudinem, quæ in tali religione viget?

IN qua re conuenit inter omnes, eos qui profitentur secundum consuetudinem, quam inueniunt, licet sciant regulam aliter præcipere, non excusari à peccato, si regulam non obseruant quoad tria vota s. obedientiæ, castitatis, & paupertatis. Ratio est, quia ista tria vota sunt de essentia reli- 1

reli

religionis, qua stante nulla consuetudo potest præualere.

Tum quia tria vota obligant ex iure diuino naturali, aduersus quod nulla consuetudo vim habere potest.

QVÆSTIO LXXXI.

Sed dubium est de reliquis regulæ statutis, quæ quasi leges sunt tribus votis adiunctæ?

1 MAIOR *in 4.d.38. quæst.2.* censet teneri professos eam seruare in suo pristino rigore, non obstante consuetudine, quæ illam relaxauit, quamuis limitatam intentionem habuerit profitendi solum regulam sic collapsam. Eiusdē opinionis est Cord. *in Reg.S.Franc.c.10 q.15* quoad obligatoria regulæ sub culpa: secus autem quoad ea quæ in regula non obligant ad culpam.

2 Alij vero rectius docent, non teneri eius professores in suo pristino rigore eam seruare, sed ad eam, vt de facto seruabatur tempore professionis. Ratio est, quia cum huiusmodi statuta instar legis sint, tantum obligant, dum vim legis habent, hanc autem vim amittunt stante consuetudine contraria sufficienti ad abrogandas alias leges Ecclesiasticas, cum non maiorem vim, quam leges Ecclesiasticæ habeant. Quando autem consuetudo non est talis, quæ sufficiat ad abrogandas leges, tunc eius professores non excusantur seruando regulam relaxatam. Quia regula non est illa, quæ de facto obseruatur, sed primæua, vtpote quæ tanquam non abrogata adhuc viget: ergo vouens viuere secundum regulam, tenetur illam, vt verè obligat, obseruare, ac proinde in suo pristino rigore. Et ideò ita tenent Nauar.*c.12.nu.50.*& Azor. *lib.13.c.11.q.15.* & alij communiter.

QVÆSTIO LXXXII.

An religiosus teneatur obedire Prælato in omnibus, quæ expressè, vel tacitè sunt secundum regulam?

RESPONDEO teneri. Sic D. Thom. *2.2.quæst.104. art.5.ad 3.* Caiet.*2.2.quæst.88.art.3.* Cord.*in exposit.Reg.D.Franc.quæst.2.* Gab. Vasq. *1.2.quæst.95.art.2.d.154.cap.4.nu.20.* & alij qui dicunt quod religiosus subditur Prælato non solum quoad operationes, vel omissiones eorum, quæ expressè, & directè continentur in sua regula, verum etiam quoad omnia illa quæ tacitè, vel implicitè, & indirectè in regulæ statutis continentur, & quæ rationabiliter reduci, seu ordinari possunt ad regularem vitam. Huiusmodi sunt obseruantia silentij, culparum recognitio, & alia huiusmodi pertinentia ad obsequia, & conseruationem fraternæ societatis, vt facere cellerariam, sacristiam, coquinam, & alia monasterij officia, & religionis negotia, sine quibus bonus religiosus status conseruari non potest: alioquin oporteret inter Prælatum, & subditum continuas esse disceptationes, an facere, vel non facere teneretur hoc, aut illud, & an Prælatus huiusmodi possit, aut non possit id sibi præcipere, ex quo in ipsius regula talia non habentur expressa. Satis enim est, quod habeantur implicitè. 1

Illud tamen est hic obseruandum, quod regulæ, & constitutiones in diuersis religionibus sunt variæ, ac proinde potestas præcipiendi, & obligatio obediendi sunt variæ, & ad plura, vel pauciora, prout regula præscribit 2

extenduntur, nam in regula fratrum Minorum, iubentur fratres obedire in omnibus, quæ non sunt contra regulam, vel animam. Et in constitutionibus deuotæ Societatis IESV, dicitur obediendum esse in omnibus, in quibus manifestum peccatum non cernitur. Ex quo infertur omnia supradicta censeri secundum regulam præcipi, & subditum teneri in omnibus iis ex vi voti obedire.

QVÆSTIO LXXXIII.

An religiosus teneatur obtemperare suo Prælato præcipienti aliquid contra præceptum regulæ, aut altioris superioris?

1 AD hoc dico primò, quod si subditus clarè videt Prælatum in tali casu errare, nec habere iustam causam dispensandi, sed leuiter sine causæ discussione moueri pro suo arbitrio, non tenetur, nec potest subditus ei obedire. Quia talis dispensatio est irrita, & præceptum Prælati inualidum, vtpote contra regulam, & de re illicita.

2 Secundò dico, quod si Prælatus potest in eo regulæ præcepto dispensare, & legitima causa contrarium præcipiendi subest, bene potest præcipere aliquid contra regulam, & subditus tenetur illi obedire, cum nihil in hoc casu præcipiat prohibitum in regula, postquam est iam dispensatus. Vnde Bernard. *in lib. de disp. & præcepto* ait. *Votum meum non augeat, nec minuat Prælatus sine necessitate.* Ex quo loco colligitur, quod quando necessitas est, potest illud augere, atque minuere Prælatus, ac præcipere aliquid, quod alias sit, aut esse videatur contra regulam. Ita Caietan. 2. 2. *quæst.* 104. *d.* 3. & Roder. *tom.* 2. *qq. regul. q.* 45. *art.* 10.

Hinc, si Prælatus quispiam ex aliqua iusta causa præcipiat alicui subdito, vt non ieiunet diebus, quibus secundum regulam tenetur ieiunare, aut aliquid aliud iubeat, in quo Prælatus potest dispensare, quia videlicet videt illum infirmum, vel debilem, tenetur subditus ei obedire, quamuis ipsi subdito aliter appareat, & sit dubius an ducatur Prælatus ex iusta causa ad dispensandum. Quia in dubio an subsit causa dispensandi iusta, standum est iudicio Prælati, & pro eo saltem in foro conscientiæ præsumitur. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 12. *ad* 2. *& quæst.* 104. *artic.* 5. Nauarr. *cap.* 23. *num.* 37. Cord. *cap.* 10. *super Reg. S. Franc. quæst.* 2. & Syluest. *verb. religio* 6. *q* 6. 3

Hine colligitur, qualiter intelligendus sit Caietan. 2. 2. *quæstion.* 104. *art.* 5. dum ait, non esse obediendum Prælato absque causæ discussione dispensanti. Est enim intelligendus, quando subditus pro certo scit Prælatum absque legitima causa dispensare. Vnde ad hoc vt subditus in hoc euentu teneatur superiori non obtemperare, triplex certitudo debet simul concurrere. Primò, vt pro certo sciat, id quod iubetur esse contra præceptum regulæ, vel altioris superioris. Secundò, superiorem non posse dispensare. Tertiò, & vltimò, etsi possit, non moueri ex iusta causa. Quando ergo subditus in his est dubius, tenetur in conscientia obedire. 4

QVÆSTIO LXXXIV.

An religiosus teneatur suo Prælato obedire in his, quæ sunt infra, & præter regulam? Vt si Prælatus alicui subdito præcipiat, vt se reficiat

reficiat, recreet, seu aliquid aliud efficiat, quod nec regula iubet, nec vetat, sed sunt infra 1. laxiora, quam regula præscribit, aut præter regulam 1. indifferentia.

1 RESPONDEO religiosum teneri suo Prælato obedire etiam in his, quæ sunt infra, aut præter regulam, si hæc aliquo modo conferunt ad obseruantiam regulæ; & præceptorum eius, aut sunt reducibilia ad ipsam. Ratio est, quia ad regulam pertinent non solum ea quæ in ipsa expresſè continentur, verum etiam illa, quæ in ea continentur implicitè, & quæ ad ipsam quoquo modo possunt ordinari. Atqui hæc supradicta sunt huiusmodi, cum expediat vt quãdoque religiosus recreetur, & à religionis austeritatibus abstineat, ne indiscretè ex nimio feruore deficiat in vita religiosa. Vnde D. Bernard. *in libro de præcepto, & dispens.* ait. *Prælati iussio, vel prohibitio non prætereat terminos professionis; nec vltra extendi, nec contrahi citra. Nihil mihi Prælatus prohibeat horum, quæ promisi, nec plus exigat, quam promisi, vota mea nec augeat sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate.* Et infra: *Monentes eos, non cogentes ad celsiora, condescendentes eis, cum necesse fuerit ad remissiora.*

2 Verum, quia multa, quæ sunt infra, & præter regulam, sunt ex genere suo fatua, irrisoria, ac nugatoria, vt spuere in parietem, leuare festucam, vel aspicere aues volantes, aut his similia, si Prælatus religioso sibi subdito talia indifferentia præciperet, non teneretur ei obedire. Quia hæc nec ex genere suo, nec ex circumstantia reduci, & ordinari possunt ad regularis vitæ obseruantiam. Ita D. Thō. 2.2.*q.*186.*art.*5.*ad* 4.

QVÆSTIO LXXXV.

An religiosus teneatur obedire suo Prælato in his, quæ sunt supra regulam?

RESPONDEO regulariter non teneri. Ratio est, quia superior est custos regulæ, non author, eique potestas datur, vt subditos secundum illam perficiat, non vt ad maiora obliget. 1

Tum quia religiosus per professionem solum se obligauit ad viuendum, & obediendum secundum regulam: ergo Prælatus nihil iuris habet ad præcipiendum sibi ea quæ sunt supra regulam. Patet consequentia, quia Prælatus non habet iurisdictionem, nisi ad præcipiendum ea ad quæ ille religiosus per suam professionem se obligauit. Vnde D. Bernard. *in lib. de dispensat.* dicit. *Nihil præcipiat mihi Prælatus eorum, quæ non voui, nihil prohibeat eorum, quæ non promisi, non augeat, nec minuat votum meum.* Et Rich. de S. Victore ait debitum esse id, quod præcipitur secundum ordinem, & secundum regulam, indebitum autem quod supra professionem.

. Et est conclusio definita à Greg. primo *in cap. gesta*, vbi dicitur, *Iustum non est, vt aliquis crescere compellatur inuitus.* Super quæ verba, dicit Glossa ibidem, quod religiosis inuitis districtior vita imponi non potest. Et ideò ita tenent D. Thom. 2.2.*q.*104. *art.*5. Caietan. 2.2.*quæst.*98.*art.*8. Sot. *lib.*7.*quæstion.*3 *artic.*1. Nauarr. *cap.*23. *num.*39. *& comment.*4. *de regul. num.*13. Tolet. *de 7 peccatis mortal. cap.*16. Roder. *p.*2. *cap.*9. *num.*1 Valent. 2 2. *d.*7. *quæst.*3. *p.*2 & Vasq. 1.2. *quæst.*95. *art.*2. *d.*154. *cap.*4. *num.*21. 2

3 Hinc, si Prælatus mihi per obedientiam præcipiat, vt ieiunem ter, aut quater in hebdomada in pane, & aqua, aut aliam grauem corporis afflictionem subeam, ad quam regula non obligat, etiamsi id iubeat ob maius meritum, non teneor in his ei obedire, sed si id faciam perfectionis, non necessitatis est. Quia hæc omnia sunt supra regulam, & super communem modum laudabilem viuendi religionis, & per consequens super id, quod regula intendit. Rodet. *tom.3. qq.reg. q.19.art.7.*

Dixi notanter *(regulariter)* quia in tribus casibus potest Prælatus aliquid præcipere subdito, quod sit supra ipsius regulam. Primo in pœnam alicuius criminis admissi.

Secundò, si putetur necessarium ad seruanda vota. Sic præcipitur clausura monialibus arctissima, etiam si talem ante non vouerint, quia experientia docuit, hanc esse necessariam ad custodiam castitatis, quam vouerunt.

4 Hinc, religioso ad libidinem proclini, seu grauiter tentato potest Prælatus imponere, vt ieiunet per multos dies in pane, & aqua, vt se disciplinet, aut à carnibus abstineat, in his enim casibus tenetur subditus obedire. Ratio est, quia huiusmodi culparum punitiones, & præcautiones dummodo sint rationabiles, & non fiant in odium personæ potius videntur esse secundum regulam, quam supra regulam. Si tamen non putentur necessaria, non potest subditus ad ea obligari, vt rectè docent Caietan.2.2.*quæstion*.88.*art*.8.Syluest. *verb.religio 6.quæst.6.*& Cord. *cap*.10. *super reg.S.Franc.q.2.*

5 Tertiò, ob aliquam publicam necessitatem, potest Prælatus quædam austeriora ad tempus omnibus imponere, puta pro impetranda pluuia, aut pro belli, aut plagæ remotione. Quia hæc omnia indirectè ad regulam pertinent. Sic Ecclesia præcipit ieiunia, & vigilias.

Dixi consultò *(omnibus)* quia si vni soli absque aliqua peculiari causa hæc austeriora Prælatus iniungeret, non teneretur subditus ei obedire, quia id non esset regulæ consentaneum, sed supra regulam.

QVÆSTIO LXXXVI.

An Religiosi ex vi voti teneantur Romano Pontifici obedire?

RESPONDEO teneri. Et ratio est, quia votum obedientiæ per se primò, & principaliter fit Romano Pontifici tanquam omnium religionum generalissimo; secundario verò aliis regularibus Prælatis vt immediato Monasterij Prælato, Prouinciali, & Generali. Vnde religiosi tenentur obedire Romano Pontifici non solum obligatione illa generali, qua tenētur omnes Christi fideles ei obtemperare, sed speciali voti obedientiæ ratione circa obseruantiam suæ regulæ, eo modo quo tenentur obedire propriis Prælatis regularibus. 1

Dices, ergo religiosus, qui aliquod Ecclesiæ præceptum infringit, duplex peccatum committit, vnum speciale contra votum, alterum vero generale, & commune omnibus fidelibus. 2

Respondeo hæc præcepta generalia omnibus fidelibus non imponit Pontifex, quatenus generalissimus religionum Prælatus, sed tāquam supremum Ecclesiæ caput: Et ideò omnes Christi fideles æqualiter obligat, nec à religiosis obedientiam ex voto sibi debitam huiusmodi præceptis exigit, ac proinde religiosus qui omittit sacrū, aut ieiunium, non nisi vnū peccatum committit. Si autem Pontifex specialiter aliquid religiosis præcipiat, cū possit id præcipere 3

præcipere ratione voti obedientiæ ſi-bi facti, iudicandum erit de huiuſmodi præcepti tranſgreſſione, ſicut de violatione præceptorum aliorum Prælatorum regularium.

QVÆSTIO LXXXVII.

An Episcopus poßit religioſos exemptos cenſuris compellere ad obediendum in caſibus, in quibus ipſi ſubduntur?

1 RESPONDEO poſſe, vt ex multis Conc. Trid. decretis conſtat. Quod fallit quoad religioſos habētes priuilegium, ne poſſint excommunicatione, ſuſpenſione vel interdicto ligari, quale habent omnes Mendicantes, & per communicationem religioſi noſtræ Congregationis. Vide Sanch. *lib. 7. de matrim. d. 33. n. 22.*

QVÆST. LXXXVIII.

An Prælati regulares poßint aliquid præcipere ſub pœna excommunicationis reſeruando ſibi eius abſolutionem?

1 ET videtur quod non, quia Clemens VIII. in ſuo motu proprio edito 1592. die vero 26. Maij abſtulit omnibus Prælatis regularibus facultatem alicuius caſus reſeruandi, præter aliquos, quos ibi expreſſit. Cum ergo excommunicatio non ſit vnus ex illis: ergo.

Contrarium tamen mihi perſua-
2 deo, & ratio eſt, quia Clemens VIII. in eo motu proprio expreſſè loquitur de peccati reſeruatione, ſed in hoc caſu, non peccatum, ſed cenſura ipſa reſeruatur, quæ longè à peccato diſtat, & ad diuerſum forum ſpectat.

Tum quia hæc prohibitio peccati reſeruandi, cum ſit reſpectu ſuperiorum oneroſa, ac ipſis facultatem reſeruandi reſtringens, non eſt extendenda ad reſeruationem cenſuræ.

Nec refert, ex conſequenti reſer- 3
uari peccatum, quia hoc eſt per accidens, cum nullum peccatum poſſit per ſacramentalem abſolutionem tolli non ablata prius excommunicatione.

QVÆSTIO LXXXIX.

An Abbatiſſa poßit aliquid præcipere monialibus ſub mortali?

HÆc quæſtio petit, vt inquira- 1
mus: An mulier ſit capax ſpiritualis poteſtatis eccleſiaſticæ.

In qua re conuenit inter omnes, mulierem non eſſe capacem poteſtatis, quæ dicitur ordinis.

QVÆSTIO XC.

Sed dubium eſt: An ſit capax illius, quæ dicitur poteſtas ſpiritualis iuriſdictionis?

IN qua re etiam conſtat, eam eſſe 1
capacem ſpiritualis iuriſdictionis commiſſæ, & delegatæ Romani Pontificis authoritate, & hac ratione poſſe Abbatiſſam monialibus præcepta ſpiritualia imponere, & præcipere in virtute ſancti Spiritus & in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub formali præcepto. Et ratio eſt, quia hæc poteſtas non eſt iure diuino fœminis interdicta.

Qqq 3 QVÆ

QVÆSTIO XCI.

Tota igitur difficultas consistit: An Prælatus possit id committere fœminæ?

1 RODER. *tom.1.qq.regul.q.15.ar.1.* Lop.*2.p.instr.conf. vbi de clauib.c.1.*& Nauar.*lib.6 de pœnit.c 2 nu.4.* docent Prælatum posse Abbatissæ committere, vt in graui necessitate hæc præcepta spiritualia imponat, & in virtute sancti Spiritus, vel in virtute sanctæ obedientiæ præcipiat.

2 At tanquam certum tenendum est, Prelatum Romano Pontifice inferiorem nequaquam posse Abbatissæ talem facultatem committere. Et ratio est, quia hæc potestas est iure Pontificio fœminis interdicta, contra quod Prælatus nihil efficere potest.

QVÆSTIO XCII.

Sed maius dubium est, An Mulier sit capax iurisdictionis ordinariæ?

1 PANOR.*in cap.dilecta*, affirmat mulierem esse capacem iurisdictionis ordinariæ, ac proinde Abbatissam, posse imponere præcepta spiritualia suis monialibus, eique ratione voti obedientiæ, quod erga ipsam emiserunt in professione, parere tenentur, fungitur enim ipsa officio, & munere publico, quo subditas sibi compellit ad obseruantias regulares.

2 At communis, ac verissima sententia est in contrarium. Et ratio est, quia potestas iurisdictionis, quamuis non sit immediatè potestas clauium, hoc est, remittendi peccata, ordinatur tamen ad illam: immo ex illa ortum habet: vnde sicut mulier non potest habere potestatem ordinis, sic neque congruam habere iurisdictionem spiritualem, vt colligitur *ex cap. Noua de pœnit.& remiss.& ex ecclesiæ vsu.*& tradit D.Th.*in 4.d.25.q.2.ar.2.q.1.ar.2.* & clarius *d.19.q.1.ar.1.q.3.ar.4.* Sot. *in 4.d.20.q.1.ar.4.*Rodet.*to.1.qq.reg.q.12.ar.1.& q.15.ar.1.*& Suar.*5.to.in 3.p.d.2.sect.2.nu.5.*

Ex quo sequitur primò, non posse Abbatissam imponere præcepta spiritualia spectantia ad finem spiritualem, id est monialium profectum, sicut religiosorum Prelati, sed tantum domestica & politica, quæ ad domesticam gubernationem, & communem conuentus pacem conducunt, eiusque præcepta obligabunt iuxta qualitatem materiæ, quæ si grauis fuerit, obligabunt ad mortale, si verò leuis ad veniale, sicut matresfamilias, & ciuilis Magistratus possunt imponere præcepta temporalia, nempe ordinata solum ad bonum temporale, & politicum, vt ad tranquillam Reipublicæ, & domus gubernationem Ita Vasq. *1.2.q.96.d.154 c.6.nu.59.& 60.* 3

Secundò sequitur, Abbatissam non posse præcipere in virtute sancti Spiritus, nec in virtute sanctæ obedientiæ, & si ita præcipiat, factum non tenere, ita vt obliget instar præcepti sic impositi à Prælato. Ratio est, quia ex ecclesiæ vsu præcepta sic imponere pertinet ad solos Prælatos ecclesiasticos potestate spirituali præditos, nunquam enim Principes & alij superiores sæculares sic præcipiunt. Sic Victoria *de potestate eccles.q.2 nu 4.*

Tertiò sequitur, Prælatum plura posse precipere, quã Abbatissam. Ratio est, quia Abbatissa est solum exequutrix regulæ. Et ideo ea solum potest præcipere, quæ necessaria sunt vt monasterium pacifice, & absque scandalis gubernetur. At Prælatus potest omnia, quæ ad maiorem spiritualem subditorum perfectionem conducunt precipere, 4

cipere, dummodo ea directè, vel indirectè ad regulam reduci possint.

5 Quartò, & vltimo sequitur, absolutè nolle obedire Abbatissę esse peccatum mortale. Ratio est, quia tenentur moniales ei obedire in spectātibus ad gubernationem domesticā, sicut filij suis parentibus. At hi peccatum mortale cōmittunt, si absolute nolint obtēperare: ergo. Ita victoria loco supra citato.

6 Dices, Moniales vouent obedire Abbatissæ: ergo virtute huius voti poterit exigere obedientiam sibi debitam, quod est pręcipere in virtute sanctæ obedientiæ.

Respondeo: Moniales vouent obedire Abbatissæ iuxta potestatem, cuius ipsa est capax, quæ est instar potestatis matrisfamilias, cuius est imponere pręcepta temporalia spectantia ad bonum politicum communitatis vt v. g. pacifice, & absque scādalis domus gubernetur, ac proinde non poterit imponere preceptum spirituale, quod est pręcipere in virtute sanctę obediētię: fateor tamen posse Abbatissam præcipere sub pœna voti obedientiæ sibi præstiti, vel in virtute obedientiæ sibi debitæ, sicut materfamilias posset hoc modo præcipere. Quia hi præcipiendi modi nullam aliam obedientiam exigunt, quam temporalem, & domesticā illis debitam. At cum præcipitur absolutè in virtute sanctæ obedientiæ, vel sub formali præcepto, ex ecclesiæ vsu ad potestatem spiritualem spectat.

QVÆSTIO XCIII.

An si Prælatus in virtute sanctæ obedientiæ præcipiat, vt moniales teneantur obedire Abbatissæ, sit peccatum mortale ei non obedire?

1 RESPONDEO esse peccatum mortale. Ratio est, quia id præceptum spirituale ita obligans non oritur ex Abbatissa, sed à Prælato, qui ex iusta causa potest id præceptum imponere. Ita Lop. *p. 2. instr. conf. vbi de clauibus cap. 1.*

QVÆST. XCIV.

An Abbatissa possit cum monialibus dispensare in ieiuniis, & legibus ecclesiasticis?

HENRIQ. *lib. 6. de pœnit. cap. 2. nu. 3.* affirmat, posse. 1

At huius oppositum mihi videtur verius. Et ratio est, quia dispensare in legibus ecclesiasticis pertinet ad solam potestatem spiritualem, sicut dispensare in legibus ciuilibus ad potestatem temporalem. Abbatissa autem vt supra diximus, iure ecclesiastico est incapax potestatis spiritualis: ergo.

QVÆSTIO XCV.

An Prælatus religionis possit subditum obligare ad acceptandum episcopatum?

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia religiosus tenetur obedire Prælato in iis, quæ sunt secundum regulam. At fieri Episcopum, non est secundum regulam, nec ad regularem vitam pertinet, immo ab illa eximit, & prorsus contra rationem est, posse Prælatum id subdito præcipere, per quod ille ab eius obedientia eximitur. 1

Tum quia potestas, quā habet Prælatus religionis ordinatur per se ad cōmune bonum religionis, aut bonum particulare subditi, nec ex vi officij habet communi ecclesiæ necessitati prouidere. Sed episcopatus non ordinatur ex se ad bonum religionis, aut subditi, sed ad commune bonū ecclesię, ergo. 2

Tum

Tum etiam, quia Prælatus secundum D.Bernardum in libro de præcepto non potest augere votum subditi sui, at in promotione ad episcopatum, valde augetur votum religiosorum, cum ascendat ad dignitatem altioris perfectionis & extra ordinem religiosus inuitus trahatur.

3 Dices, D.Thomas 2.2.*q.*185.*ar.* 2. docet religiosum teneri obedire Prelato obliganti ad acceptandum episcopatum.

Respondeo D.Thom. nomine Prelati intelligere Pontificem, & ita explicuit Sotus *lib.*10.*q.* 2.*ar.*2.

QVÆSTIO XCVI.

An Romanus Pontifex possit compellere religiosos ad acceptandum episcopatum?

1 Respondeo posse. Ratio est, quia hac potestate indiget recta ecclesiæ gubernatio: nam vnusquisque secundum proprium voluntatem debet insistere propriæ saluti, aliorumque curam quantum in se est, fugere: ergo oportuit vt Christus in Ecclesia relinqueret potestatem compellendi acceptare episcopatum. Cum ergo cura totius ecclesiæ sit penes Romanum Pontificem, debuit penes ipsum hæc potestas haberi.

2 Et confirmatur, Magistratus ciuilis potest ciues ad Reipublicæ munera acceptanda compellere. *l. si magistratum C. de curionib. lib.* 11. ergo & Romanus Pontifex potest religiosos ad episcopatus munus capessendum cogere; non quidem ratione voti obedientiæ sibi præstiti, sed solum ratione illius obligationis generalis, qua tenentur omnes Christi fideles ei obtemperare, & ideo ita tenet Valent. 2.2.*d.*10.*q.*3.*p.*3. Roder. *tom.*3. *qq. regul.q.*19.*ar.vlt.* & Cord. *cap.* 10. *super regul.S.Franc.q.*2.

QVÆSTIO XCVII.

An Prælatus possit compellere religiosos vt Parochorum munus exerceant?

Lop. *p.*1.*instruct.confess. cap.* 56. & Roder. *p.* 2.*sum.cap.*9.*nu.*7. affirmant posse. 1

At probabilius existimo contrarium. Et ratio est, quia id non est secundum Regulam, sed præter illam; nec ordinatur ad commune bonum suæ Religionis, aut Monasterij, ad quæ, & ad illa pertinentia tantum, potest cogere secundum D. Thom. 2.2 *q.* 104.*art.*5. Ita Nau. *com.*4. *de Regul. num.*23. 2

QVÆSTIO XCVIII.

An superior possit cogere sibi subditos ad suscipiendum beneficium Regulare alterius Monasterij, seu ordinis?

Respondeo non posse. Ratio est, quia id est prohibitum *cap. cum singula §. prohibemus de preben. in* 6. 1

Tum quia tantum potest cogere ad pertinentia ad suum Monasterium, quale non est hoc. Ita Nauar. *comm.* 4. *de reg. nu.*23.

QVÆSTIO XCIX.

An superior Generalis possit Religiosos obligare, vt munus Prælati intra ipsam Religionem exerceant?

Respondeo posse. Et ratio est, quia id est secundum Regulam. 1

Ità

Ita Syluest. *verb. Episcopus qu.* 2. & Sot. *lib.* 10. *qu.* 2. *art.* 2.

QVÆSTIO C.

An superior possit aliquid præcipere cum periculo mortis?

1 IN qua re conuenit primò inter omnes, posse superiorem suo præcepto obligare subditum cum discrimine vitæ, quando s. eius obseruatio in magnam vtilitatem communitatis, aut illius violatio in magnam eius perniciem redundat. Ratio est, quia quilibet homo quidquid habet, & quidquid est, multitudinis est, sicut quælibet pars id quod est, totius est: ergo superior qui curam communitatis habet, potest exponere subditum periculo euidentissimo mortis, si id necessarium sit ad corporis totius conseruationem.

Hinc Romanus Pontifex potest alicui præcipere, vt fidem contra hæreticos defendat: & Princeps potest iubere militibus, vt pugnent, & seruent locum in bello: tenenturque milites obedire ei cum periculo vitæ. Ita Sot. *lib.* 4. *q.* 2. *art.* 3.

2 Secundo etiam conuenit, posse superiorem aliquid præcipere cum periculo vitæ, quando illud sine transgressione præcepti naturalis, aut diuini violari nequit. Ratio est, quia præceptum naturale, vel diuinum obligat cum periculo vitæ: ergo & præceptum superioris quod cum eo necessariò coniungitur.

3 Hinc, si tyrannus alicui mortis metum incutiat, nisi comedat carnem die prohibito, aut in festo laboret, idque facit in contemptum Religionis, aut graue scandalum pusillorum, tenetur in eo casu potius mortem subire, quam legem Ecclesiasticam frangere, propter ius diuinum, & naturale, quo tenetur homo fidem suam confiteri Matth. 10. *Qui me negauerit* &c. Cæterùm si alicui minetur mortem alia de causa v.g. voluptatis, aut commodi, non tenetur talem legem seruare cum tanto discrimine.

Hinc, si Prælatus præcipiat subdito, vt non peieret, non fornicetur &c. tenetur subditus obedire, non obstante periculo vitæ. Quia ad id iure diuino, & naturali tenetur. 4

QVÆSTIO CI.

Sed dubium est: An extra casus supradictos possit superior suo præcepto obligare subditum cum periculo mortis?

ILLVSTRISSIMVS Caiet. 1. 2. *qu.* 96. *art.* 4. & 2. 2. *qu.* 125. *art.* 3. docet in vniuersum superiorem qui obligat sub mortali, obligare cum periculo mortis, pro sui præcepti obseruatione, quia ob nullum mortis metum licet peccatum mortale committere, quod si in casu aliquo non ita obliget, hoc ex præcipientis benignitate prouenire putat. 1

At dicendum est in vniuersum superiorem non posse obligare subditum cum tali periculo. Ratio est, quia præceptum superioris non potest strictiùs obligare, quam aliquod præceptum naturale, aut diuinum, quod similiter obligat ad mortale; constat autem aliqua præcepta naturalia, & diuina obligantia alioqui ad mortale, non obligare cum periculo vitæ, vt patet in præcepto restituendi alienum, quod non obligat cum discrimine vitæ. 2

Item non tenetur quis integrè confiteri, nec baptismum, aut alia sacramenta suscipere cum tali periculo. Et Dauid in extremis constitutus 3

comedit panes propositionis quos laicis manducare non licebat, vt patet primo Reg. 21. & tamen factum defendit Christus Matth. 11. & Machabæi sine peccato contra hostes in Sabbato pugnarunt 1. Machab. 2. Cum igitur præceptum naturale, & diuinum non semper cum tanto periculo obliget, nec præceptum superioris in tali casu semper obligare cum periculo vitæ, censendum est, vt constat de præcepto ieiunij, & de præcepto audiendi missam, & recitandi horas &c. quæ licet ad mortale obligent, nihilominus tamen non solum non obligat cum periculo vitæ, sed nec cum periculo valetudinis. Ita Sot. *lib. 1. q. 6. art. 4.* Arag. *2. 2. qu. 62. art. 3.* & Cord. *sum. qu. 13.*

QVÆSTIO CII.

An liceat metu mortis excommunicato celebrare, audire confessiones? &c.

1 RESPONDEO licere, si non sit in peccato mortali. Ratio est, quia hæc omnia solo iure humano non obligante cum tanto rigore interdicuntur.

Dixi (*si non sit in peccato mortali*) quia tunc esset intrinsecè malum.

QVÆSTIO CIII.

An liceat ob metum mortis excommunicato nominatim denunciato, aut notorio clerici percussori ministrare sacramentum confessionis?

1 RESPONDEO non licere. Ratio est, quia cùm hic Sacerdos ratione cẽsuræ iurisdictione absoluendi careat, sacramentũ confessionis esset nullum.

QVÆSTIO CIV.

An si prælatus tempore pestis præcipiat religioso, vt sacramenta infirmis administret, teneatur obedire, non obstante quod ex custodia huius præcepti debeat sequi mors?

IN hac quæstione constat inter omnes, superiorem monasterij non posse tempore pestis fugere deserto Monasterio. Ratio est, quia superior habet se respectu monasterij, sicut Parochus respectu parochiæ. At Parochus non potest eo tempore fugere, vt omnes Doctores tradunt, ergo nec superior monasterij. 1

2 Secundò etiam constat, religiosos iussos à Prælato, teneri inseruire religiosis domesticis peste infectis, ac eis sacramenta ministrare. Ratio est, quia ad regulam pertinent mutua obsequia ad conseruationem boni status religiosi spectantia, inter quæ principalem locum tenet infirmorum cura, iuxta illud D. Benedicti *in sua Regula cap. 36. Infirmorum cura ante omnia, & super omnia adhibenda est.*

Nec obstat quod ex custodia huius præcepti mortis periculum immineat. Quia quando ratio boni communis, & conseruationis boni status religiosi id postulat, vt contingit in hoc casu, tenetur subditus obedire cum probabilissimo mortis periculo, sicut cum tali periculo tenetur secularis iussus à Principe bellum aggredi. 3

QVÆSTIO CV.

Sed dubium est: An religiosus teneatur obedire Prælato iubenti etiam seruire externis peste infectis?

In

1 IN qua etiam quæstione certum est, religiosos, quorum institutum non est vitæ actiuæ, ac iuuandis proximis vacare, vt sunt Carthusiani, Cistercienses, & alij similes ad id non teneri. Quia hoc est opus perfectissimum charitatis, alienum tamen à suo instituto, ac proinde non tenentur peste infectis sacramenta ministrare.

QVÆSTIO CVI.

Quæstio igitur est, de Mendicantibus, & aliis quorum institutum est spirituali proximorum saluti incumbere?

1 ET quidem certum est, eos ad id non teneri, quando id munus potest sufficienter per Parochos exerceri. Ratio est, quia id munus per se primò ad Parochos spectat, quorum munus est sacramenta suis parochianis ministrare.

Controuersia igitur tota est, quando Parochi ei muneri obeundo minimè sufficiunt. An teneantur hi religiosi iussu Prælati eos adiuuare?

2 In qua re etiam est certum, eos ad id non teneri, quando essent alij Sacerdotes, qui Episcopi sumptibus vellent Parochos adiuuare. Et ratio est, quia hæc religiosorum obligatio est in subsidium, quando deest ministrorum copia: ergo quando sunt alij ministri, præter Parochos volentes id munus exequi expensis Episcopi, cui per se primò hæc cura incumbit, excusantur ab eo onere Religiosi.

QVÆSTIO CVII.

Quæstio ergo tantum est, quando non essent alij sacerdotes, qui vellent id munus obire?

RESPONDEO eos ad id teneri. Ratio est, quia hoc non excedit eorum regulam, sed secundum illam, cum eorum munus sit, esse Episcoporum, & parochorum coadiutores in salute spirituali proximorum adiuuanda: & ob id eleemosynis fidelium sustentantur, vt rectè docet D. Tho. 2. 2. *quæst.* 187. *art.* 1. *& qu.* 188. *art.* 4 *& opusc.* 18. *cap.* 16. 1

QVÆSTIO CVIII.

An Prælatus possit præcipere religiosis, vt ad Indos adeant vel inter hæreticos ad seminandum euangelium commorentur?

NON intelligitur quæstio de religiosis deuotæ societatis Iesu, qui speciali voto ad hoc se obligant, vt habetur ex constitutionibus eiusdem societatis *p.* 3. *cap* 2. *& p.* 6. *cap.* 3. *& in extrauag. Ascendente. Greg. XIII.* & tradit Ribadeneira *lib. de instituto Societ. cap.* 20. Sed intelligitur de aliis religiosis. 1

Sotus *lib.* 7. *de iust. qu.* 2. *art.* 4. affirmat, posse.

Alij vero negant, & meritò quidē, quia est res difficillima, multisque animæ, & corporis periculis exposita, & per consequens præscriptum regulæ excedit, & ideo ita tenent Lop. 1 *par. instruct. confess. cap.* 56. Roder. *tom.* 3. *qq. regul. quæst.* 19. *artic.* 7. Cord. *cap.* 10. *super regul. S. Franc. qu.* 2. & Less. *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 9. Vnde D. Franciscus *in sua regula cap.* 12. agens de missione fratrum ad Saracenos, & infideles id cuiusuis fratris voluntati reliquit cum licentia superioris. Vbi Corduba *in expositione dicti capit. quæst.* 2. 2

Rrr 2 dicit:

dicit, id ita dixisse, quia nullus frater minor potest cogi ad has missiones. Et D.Bonau. *in expositione regulæ Minorum eo cap.* 12. docet religiosos inuoluntarios non esse illuc mittendos.

QVÆSTIO CIX.

An summus Pontifex possit id religiosis præcipere?

1 NON loquimur nunc de religiosis deuotæ Societatis IESV, quos superior Generalis potest obligare omnes ad has partes, & alias quantumuis remotas tendere ad prędicandum Euangelium. Quia præceptum hoc non excedit eorum statutum, sed illi conforme est. Sed loquimur de aliis religiosis.

2 In qua re certum est, Pontificem non posse ex vi voti obedientiæ ab ipsis emissi eos ad hoc obligare. Quia ratione eius voti non se obligant ad obediendum in omnibus Pontifici, sed sicut aliis Prælatis regularibus, in iis quæ sunt secundum regulam.

QVÆSTIO CX.

Sed totum controuersiæ dissidium est: An possit eos obligare, eo modo quo alios clericos?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia ipsi cura vniuersalis boni communis incumbit. Ita Rod. *to.3.qq.reg. q.19.ar.vlt.*

QVÆSTIO CXI.

An Romanus Pontifex iure possit austeriorem & arctiorem vitam religiosis indicere?

MAIOR *in 4. dist.38.quæst.20.* & plerique alij ex canonistis docent id Pontificem posse. 1

Verùm communis sententia Doctorum est, non posse Romanum Pontificem cogere religiosos ad arctiorem vitæ regulam seruandam, quam prima, & antiqua sui instituti norma postulat. Ratio est, quia religiosus non plura vouit, quam prima, & antiqua suæ religionis regula pręscribit. 2

Tum quia Romanus Pontifex nequit eum, qui est vnam religionem professus compellere, vt ad aliam arctiorem transeat: alioquin posset etiam præcipere, vt quis votum religionis emitteret, quod est falsum. Posset tamen Romanus Pontifex præcipere, vt arctior regula seruaretur, & antiqua renouaretur, & reduceretur ad pristinam formulam, eo quod esset paulatim laxata. Ita Sylu. *verb.religio 6.q.6.* Cord. *in explicat. regul. D.Franc.cap.15.q.2.* & Less. *lib.2. disp.41.dub.9.*

Dices: Romanus Pontifex, vt habetur *ex cap.1. de regul. in 6.* vniuersis monialibus clausuram pręcepit, quàm tamen multæ, professæ non fuerant. 3

Respondeo clausuram monialibus indici, quia est valde necessaria pro custodia castitatis, vt habetur *ex Concil. Trident. sess.25. cap. de reform. monialium.*

QVÆSTIO CXII.

An superior Generalis cum consensu maioris partis capituli generalis possit sibi subditis nouam aliam regulam imponere, aut præcipere aliqua noua statuta arctiora facientia nouam religionem?

RESPON

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia non potest Prælatus etiam cum maiori parte capituli compellere eum, qui est vnam religionem professus, vt ad aliam arctiorem transeat: ergo nec poterit sibi subditis nouam aliam regulam imponere.

Tum quia obligatio religiosi est tota ex suo voto, quæ limitatur secundum ea, quæ explicitè, vel implicitè continentur in regula.

2 Tum quia huiusmodi noua statuta facientia religionem nouam, cum ad omnes pertineant, ab omnibus debent approbari iuxta illam regulam iuris, *Quod ad omnes pertinet, ab omnibus approbari debet.*

QVÆSTIO CXIII.

An superior Generalis cum consensu capituli possit sibi subditis aliqua efficere strictiora, & arctiora statuta pertinentia ad reformandam regulam promissam, & ad pleniorem eius obseruantiam?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia reuera eiusmodi statuta non possunt, aut debent dici supra regulam, sed secundum regulam, atque in voto obedientiæ implicitæ inclusa: ergo rectè possunt præcipi.

2 Et confirmatur, nam *in cap. vnicum de statu regul. lib. 6.* Bonifacius VIII. indixit omnibus Monialibus perpetuam, & inuiolatam clausuram, quæ non erat de ipsa regula, pro eo nempe, quod talis clausura pertinebat quammaximè ad obseruantiam castitatis: ergo propter similem rationem de consensu maioris partis capituli bene poterunt fieri à Prælato aliqua stricta, & rigorosa statuta ad maiorem, atque meliorem suæ regulæ obseruantiam, & subditi obseruare tenerentur.

Tum quia, qui se subiicit alicui ad aliquem finem, censetur quoque se subiicere in iis, quæ valde necessaria sunt ad illum finem, quale est regulam iam relaxatam reformari.

Tum quia religiosus eo ipso quod 3
regulam profitetur, tenetur potiùs pati leges aliquas ferri, quæ antea non erant, quam statum religiosum corrui.

Tandem est conclusio definita *in Conc. Trid. sess. 25. cap. 1. de reformatione regularium*, vbi sic habetur: sancta Synodus necessarium esse censuit, quo facilius, ac maturius, vbi collapsa est vetus, ac regularis disciplina instauretur, & constantius, vbi conseruata est, perseueret, præcipere, &c. Et ideò ita tenent Nauar. *com. 4. de regul. nu. 40.* Roder. *to. 1. qq. reg. q. 44. ar. 1.* Bañ. 2. 2. *q. 1. ar. 10.* Cord. *super reg. S. Franc. cap. 10. q. 2. p. 6. & cap. 2. q. 15. p. 3.* Azor. *lib. 13. cap. 8. q. 2.* & Vasq. 1. 2. *q. 95. ar. 2. d. 154. cap. 4. n. 25. 26. & 27.*

QVÆSTIO CXIV.

An quando maior pars capituli generalis veterem regulam collapsam, arctiorem restituit, & intermissam reuocat, minor pars ad eam seruandam compellatur?

RESPONDEO compelli. Ratio est, 1
quia quando res aliqua in capitulo generali per vocalium suffragia decernitur, ad sententiam maioris partis capituli, minor pars accedere debet: id enim religio eligere censetur, quod maioris partis suffragiis eligitur. Vt habetur *in cap. 1. de his quæ fiunt à maiori parte.* Ita Azor. *lib. 13. cap. 11. q. 18.*

QVÆSTIO CXV.

An religionum Præfecti absque consensu capituli, possint præcepta imponere obligantia ad ea, quæ prudenter iudicant necessaria ad reformationem status religionis?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia vt supra dictum est, hæc indirectè pertinent ad regulam, & sub illa implicitè comprehenduntur.

Tum quia religionum superiores eandem potestatem habent imponendi præcepta non perpetua, sed ad eorum vitam duratura, quam superiores cum maiori parte capituli ad edenda statuta in perpetuum duratura, vt rectè docet Syluest. *verb. religio 6. q. 6.*

2 Tum quia quilibet superior tenetur procurare, vt in loco sibi subiecto perfectè seruetur regula, & eam collapsam restaurare, vt constat *ex Conc. Trid. sess. 25. cap. 1.* ergo potest imponere præcepta necessaria ad eum finem. Ita Nauar. *lib. 3. conf. tit. de regul. conf. 43. nu. 2.* & Azor. *lib. 13. cap. 11. quæst. 17.*

3 Est autem hoc loco notandum, quod quando regula, vel eius statuta ex se ad solam pœnam obligant, non possunt superiores in vniuersum obligare conuentum ad eorum obseruantiam sub culpa. At possent priuatum aliquem sic obligare, quando ad exemplum, & terrorem aliorum, & correctionem illius delinquentis id necessarium iudicarent. At propter vnius, aut duorum culpam, non possent in vniuersum religiosos obligare. Ita Vasquez 1. 2. *quæst. 95. art. 2. dist. 154. cap. 4. num. 2.*

* * *

QVÆSTIO CXVI.

An Religionum Præfecti possint regulam ex toto, vel ex parte abrogare, vel mutare?

RESPONDEO non posse sine Romani Pontificis authoritate, qui regulam ipsam confirmauit. Nihilominus superiores ius, & potestatem habent iustis de causis cum sibi subditis in totam regulam dispensandi, præterquam in tribus votis: tunc enim regula, abrogari, mutarique minimè censetur, sed religiosi ab hoc, vel illo regulæ præcepto eximuntur. Vnde D. Bernard. *in libro de Præcepto*, loquens de statutis regulæ sancti Benedicti sic ait: *Ita sanè necessaria dixerim, vt ex eis minimè præiudicetur necessariis, rationabilibus dispensationibus.* Ita Azor. *lib. 13. c. 11. q. 14.* 1

QVÆSTIO CXVII.

An regula consuetudine ex toto, vel ex parte abrogari, aut tolli possit?

RESPONDEO Regulam, quatenus tria vota s. obedientiam, castitatem, & paupertatem continet, quæ ad substantiam religionis spectant, aut proprium ordinis habitum præscribunt, consuetudine abrogari non posse, nam contra essentialia religionis vota consuetudo nullam vim habet: quatenus vero regula constitutiones continet, quæ sunt tribus votis adiunctæ, consuetudine tolli potest, cum eæ religionis substantiam non constituant. Azor. *lib. 13. cap. 11. quæst. 15.* 1

QVÆ

QVÆSTIO CXVIII.

An si consuetudine laxata sit regula, eius professores tuti sint in conscientia?

1 RESPONDEO eos esse tutos. Quia cum professionem emiserunt, vouerunt se regulam sic laxatam seruaturos, & votum vltra intentionem vouentium non obligat. Quare si postmodum monasterium reformetur, tenebuntur hi, vel ad aliud æqualis obseruantiæ, ac erat prius, transire; vel denuo se ad illam reformationem obligare. Azor. *lib.* 13. *cap.* 11. *quæst.* 16. & 17.

QVÆSTIO CXIX.

An superioris statutum, suum successorem adstringat?

1. RESPONDEO minimè. Ratio est, quia par in parem non habet imperium. Ita Nauar. *consil.* 20. *n.* 9. *de regularibus.*

QVÆSTIO CXX.

An superiores præceptis à se factis teneantur?

1 AD hoc primò dico, quod superiores pœnis in suis præceptis contentis, & impositis non subiiciuntur. Ratio est, quia nullus in seipsum potest iudicium condemnationis ferre, si contra legem agat. Vnde Glossa *in illud Psal.* 50. *Tibi soli peccaui,* ait, quod Rex non habet hominem, qui sua facta diiudicet.

Hinc, si Pontifex suas constitutiones non seruat, licet peccare possit, non est tamen excommunicatus. Et si Rex suas leges violet, licet peccet, non tamen in infamiam, nec in pœnam periurij incidit.

Hinc, si Episcopus statutum faciat, quod quicunque luderet aleis, ipso facto excommunicatus sit, & postea ipse contra statutum ludit, peccat quidem, attamen in excommunicationem non incidit. Ratio est, quia excommunicare est actus iurisdictionis, nemo autem potestatem habet in seipsum. 2

Secundò dico, quod superiores per se, & directè suis præceptis non obligantur. Ratio est, quia par in parem non habet imperium: ergo multo minùs in seipsum, cum actio, & passio in eodem subiecto esse non possint. 3

Tum quia præceptum obligat ex præcipientis intentione: superiores autem directè, hoc est ex intentione, non censentur præcipere sibi ipsis: ergo.

Et est conclusio definita *in l. Princeps ff. de legibus*, vbi planè dicitur. *Princeps legibus solutus est.* Et *in l. Si de re sua ff. de receptis arbitris* habetur: *In re sua nemo potest esse arbiter, neque iudex, neque enim imperare sibi aut prohibere quisquam potest.* 4

Tertiò dico, quod superiores quoad vim coactiuam suis præceptis non tenentur. Et ratio est, quia vt rectè ait Sotus, non est intelligibile, vt vim quispiam sibi ipsi inferat, atque adeò sua lege cogatur. Vnde D. Thom. 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. *ad* 3. *legem illam: Princeps ff. de legibus,* exponit de vi coactiua, lex enim nullam vim habet coactiuam, nisi ex præcipientis potestate, & voluntate, nullus autem potest sibi vim inferre.

Quartò

Quarto,& vltimò dico, quod ſuperiores iure, & æquitate naturali,ac diuina quoad vim directiuam tenentur in conſcientia ſua præcepta ſeruare. Nam recta ratio præſcribit, vt ſuperiores ſeruent leges, quas condunt.

5 Tum quia ſuperiores legem diuinam, & naturalem ſeruare tenentur, vt conſtat, ſed tam diuina lex, quam naturalis damnat illos, qui non ſeruant ea quæ ab aliis facienda eſſe ſtatuunt. De lege diuina id colligitur ex Matth.23.vbi Chriſtus redarguit Scribas,& Phariſæos, qui multa iubebant, & non faciebant. De lege autem naturali conſtat ex *cap. Cum omnes de conſtit.* & docet elegant Caietan.1.2. *q.96.art.5.*

6 Tum demum, quia turpis eſt pars quæ toti non eſt conformis.Quod eſt intelligendum de præceptis,quæ non minus ad ſuperiores, quam ad ſubditos ſpectant. Vt v. g. præcipit Prælatus, ieiunium, eadem eſt æquitas in ipſo,atq; in ſubditis.Alia vero præcepta ſunt, quæ ex æquo ad omnes non ſpectant. Vt v.g. præcipit Prælatus, vt qui fregerit ſilentium poſt completorium, teneatur accipere diſciplinam in capitulo, aut comedere in medio refectorij ieiunando in pane, & aqua, præceptum iſtud Prælatum non obligat, cum diuerſa omninò ſit ratio quoad eius obſeruationem in Prælato atque in ſubditis, vt conſtat.

QVÆSTIO CXXI.

An qui profitetur ſeruare aliquam regulam,teneatur ſub mortali. ſeruare omnia quæ ſunt in ipſa?

NOTANDVM, in regula quatuor rerum genera contineri. Primi generis ſunt, quæ aliàs ſunt de iure diuino,naturali,aut Eccleſiaſtico,vt ſi regula præcipiat diligere inimicos, confiteri ſemel in anno &c. 1

Secundi generis ſunt, quæ pertinent ad tria religionis vota nimirum obedientiæ,caſtitatis,& paupertatis,vt ſi regula ea ſeruari iubeat.

Tertij generis ſunt,quæ communiter ſunt ſupererogationis opera, vt ſi regula præſcribat ſpeciali affectu inimicos diligere &c.

Quarti, & vltimi generis ſunt externæ cuiuſlibet religionis obſeruantiæ,vt abſtinere à carnibus, non indui lineis, non loqui poſt completorium &c. Quo iacto fundamento, 2

Primo dico, quod qui promittit ſeruare aliquam regulam ſe obligat ad res in ea contentas eo modo, quo in ipſa continentur: nempe ſi continentur, vt præcepta obligantia ſub mortali,tenetur ad ea ſub mortali. Si ſolum vt obligantia ad veniale,tenetur ſub veniali.Si ſolum, vt opera ſuper erogationis, ad nullam culpam obligabitur. Ratio huius eſt, quia qui profitetur aliquam regulam, non promittit ſingula in ea contenta, ſed ſolum viuere ſecundum regulam ideſt, tendere ad formationem ſuorum morum ſecundum regulam, ſicut ſecundum quoddam exemplar: ergo eodem modo intelligitur obligari,quo regula præſcribit,& obligat,aliàs religionis ſtatus eſſet periculoſiſſimus, & laqueus diaboli, cum multa minutiora in regulis præſcribantur, quæ vix poſſunt obſeruari etiam à viris perfectiſſimis.Ita D.Thom.2.2.*quæſt.* *186.art.9.*& Vaſq. *1.2.qu.96.art.4.d.* *162.c.4.n.6.*Quod eſt veriſſimũ,etiãſi profitens intenderet ſe obligare ſub mortali,aut veniali ad ſingula in regula contenta,putans ex errore ita velle 3

inſti

institutorem regulæ. Quia re vera intendit profiteri vt consuetum erat in tali religione, & maior obligatio est inuoluntaria, vt pote quæ ex errore processit.

Ex quo sequitur primò, contenta in regula, quæ alio præcepto sub mortali
4 sunt debita, obligare sub mortali. Ratio est, quia seclusa regula id obligabat sub mortali, ergo. Ita tenet D.Th. 2. 2. q. 186. ar. 9.

QVÆSTIO CXXII.

Sed est difficultas: An in hoc casu sit duplex peccatum necessariò in confeßione fatendum, alterum contra id præceptum, alterum verò contra regulam?

1 IN qua re certum est, non omnia alio præcepto debita, & in regula contenta, contineri in illa cum intentione ea peculiariter præcipiendi, quia aliquando regula multa aliàs præcepta proponit cum intentione reducendi ea in memoriam, & talium trãsgressio non est speciale peccatum contra regulam, quia hæc, vt suppono, nullam nouam obligationem inducit, & nisi constet de institutoris intentione volentis ea de nouo pręcipere, non foret id pręsumendum, cum huiusmodi nouę obligationes circa eandem rem, plus damni, quam vtilitatis afferant. Ita Caiet. 2. 2. q. 186. ar. 9. & Valent. 2. 2. d. 10 q. 4. p. 5.

QVÆSTIO CXXIII.

Quæstio igitur est, quando constat de peculiari mente institutoris ea de nouo præcipiendi?

1 CAIET. 2. 2. quæst. 186. art. 9. negat esse duplex peccatum, sed vnicum grauius. Quia pręcepti diuersitas auget quidem peccati malitiam, sed non parit diuersitatem specificam, quę non ex pręcepto, sed ex obiecto sumitur.

At pro certo dicendum est, talem transgressionem habere duplicem malitiam specificam in confessione explicandam, quia vltra commune præceptum, est etiam contra peculiare obedientiæ votum, quo religiosus se adstringit ad seruandam regulam eo modo quo ipsa intendit obligare. Sicut quando religiosus contra votũ castitatis, duplex peccatum committit. Quia primò peccat peccato luxuriæ contra præceptum diuinum de non fornicando, alterum vero sacrilegij, contra votum. Et ita tenet Valent. 2. 2. d. 10. q. 4. q. 5. 2

Secundò sequitur, contenta in regula, spectantia ad tria vota essentialia religionis obligare ad mortale. Et ratio est, quia vota illa sub mortali obligant iuxta D. Th. communiter receptum 2. 2. q. 186. ar. 9.

Tertiò sequitur, contenta in regula spectantia ad alia consilia euangelica ad nullam prorsus culpam obligare. 3 Et ratio est, quia hæc ad charitatis perfectionem spectant. At religiosus non tenetur esse perfectus, & si teneatur tendere ad perfectionem, id non est, iuxta omnia consilia euangelica, sed iuxta præscriptum suæ regulæ.

Quartò, & vltimo sequitur, obseruantias regulares externas in regula 4 præscriptas, ad nullam culpam obligare, quando regulæ institutor mentem suam explicuit esse, vt ad nullam culpam obligent, vt habetur in constitutionibus fratrum Prędicatorum, Societatis Iesu, Minimorũ, & nostrę congregationis Fuliensis. Et ratio est, quia cum hæ obseruantiæ sint de rebus alias non obligantibus, nullam obligandi vim habent, nisi ex voluntate institu-

institutoris volentis,& potentis obligare ad culpã: ergo vbi regulę institutor explicuit suam mentem esse, non obligare ad culpam, ęius statuta ad nullam culpam transgressores obligabunt.

Tum quia pœna non necessario præsupponit culpam, sed potest absque culpa imponi, licet non absque aliqua causa, vt rectè docet D. Thom. 2.2.q.108.ar.8. causa autem sufficiens, vt iustè pœna infligatur, est transgressio regulæ.

QVÆSTIO CXXIV.

An omnia in regula sancti Benedicti contenta obligent sub præcepto?

1 RESPONDEO communem esse sententiam, non omnia in hac regula contenta cadere sub præcepto, quod patet ex exordio regulæ, vbi dicitur. *Ausculta ô fili præcepta magistri, & ad monitionem pij patris libenter excipe.* Ergo non omnia in regula contẽta sunt præcepta, sed quædam sunt admonitiones, atque consilia.

Tum quia quemadmodum in regula euangelica non omnia quæ proponuntur, sunt præcepta, sed quædam eorum traduntur per modum præcepti, sicut est illud, *Diliges Dominum* 2 *Deum tuum*, &c. Quædam verò proponuntur per modum consilij, vt est illud Luc. 6. *Si quis te percusserit in vna maxilla, præbe ei & aliam.* Sic in regula nostra sancti Benedicti, non omnia in ea contenta habent vim præcepti, sed quædam proponuntut vt præcepta, quædam verò vt statuta, vel vt simplices admonitiones.

QVÆSTIO CXXV.

An omnia in regula sancti Benedicti contenta obligent ad mortale?

RESPONDEO negatiuè. Et ratio est quia non omnia in regula contenta proponuntur sub præcepto, vt supra ostensum est: ergo non quælibet transgressio eorum quæ in regula sancti Benedicti continentur, est peccatum mortale. 1

Tum quia non quęlibet transgressio eorum, quæ continentur in regula diuina est mortalis: ergo nec quælibet transgressio eorum, quæ in regula sancti Benedicti continẽtur, est mortalis.

Tum quia non quęlibet violatio legis humanæ, siue ciuilis, siue ecclesiasticæ facit hominem dignum pœna mortis corporalis, vt constat; ergo multo minus quælibet violatio statutorum regulæ sancti Benedicti, quæ benignior esse debet, obligabit ad mortem spiritualem animæ. 2

Tum quia status religionis est securior, quam status secularis vt docet D. Greg. *in principio moralium*, vbi comparat vitam secularem mari fluctuanti, vitam autem religiosam portui tranquillo. At si omnia contenta in regula obligant ad mortale, sequeretur, quod religio non esset portus tranquillus, sed naufragium manifestum, & quod vita secularis esset securior vita religiosa, quod est absurdum.

Tum quia D. Greg. *in libro dialog.* cõmendans D. Benedictum, dicit quod scripsit regulã Monachis discretione præcipuam: si ergo transgressio cuiuslibet, quod in Regula mandatur, esset culpa mortalis, non esset discretionę plena, sed indiscretissima. 3

Tum quia religiosus dum profitetur, non vouet se regulam seruaturum, vt apertè *ex cap.* 58. eiusdem regulæ colligitur, & tradit D. Bernard *lib. de præcepto, & disp.* cum ait. *Nemo cum profitetur, spondet regulam, sed determinatè secundum regulam sui quisque conuersationem se dirigere pollicetur.*

Cum

Cum ergo religiosus voto ad singula in regula contenta non obligetur, non est dicendum eum peccare mortaliter quoties quodlibet eorum violat.

4 Tandem, quando apertè non constat de mẽte institutoris religionis: An videlicet voluerit suis legibus lethalem obligationem inducere, non est præsumendum de tali obligatione. Quia sancti Patres (vt optimè D.Tho. *quodlib.* 1.*q.*9.*ar.* 4. aduertit) qui religiones fundarunt, noluerunt hominibus iniicere damnationis laqueum, sed potius viam salutis aperire, ergo pro certo asserendum est, omnia alia religionis statuta præter tria vota, nisi alias euidenter de mente institutorum constet, tantum ad venialem culpam, minimè vero ad mortalem obligare.

5 Ex quo sequitur, præter tria vota, & ea quæ alias lege Dei sunt præcepta, cætera omnia, quæ in nostra Regula sancti Benedicti per modum præcepti, vel cuiusdam ordinationis, ac statuti proponuntur, obligare ad peccatum veniale. Ita expresse tenent D. Thom. 2.2.*q.*186.*ar.* 9. *ad* 1. *& quodlib.* 1.*q.* 9.*ar.* 4. & clariùs D.Bernard. *in libro de præcepto, & dispensat.* Idem sentit Turrecrem. *in expositione eiusdem regulæ circa principium.* & D. Ant. 3.*p.tit.*16.§.7.

Illud tamen est aduertendum, quod licet transgressio regulæ non sit mortalis, est tamen grauissima intra tamen limites culpæ venialis. Ratio
6 est, quia grauius est peccatum, transgredi præceptum superioris, quàm inferioris Prælati: ergo grauius est, Regulæ, quàm Prælatorum præcepta violare.

Dices D. Bernard. *in libro de præcepto ait: omnia contenta in Regula S. Benedicti non profitentibus, id est nouitiis, monita seu consilia sunt censenda, nec grauant non seruata: cum tamen profitentibus præcepta, præuaricantibus in crimina fiant.*

Huic obiectioni respondent D. Anton. & Turrecre. locis supra citatis, D. Bernar. non accipere præceptum propriè, & stricto modo, sed largè pro quacumque iussione vel ordinatione, quæ licet non obliget ad mortale, obligar tamen ad veniale. 7

Sed hæc expositio non placet, quia illa verba D. Bernardi. (*Cum tamen profitentibus præcepta, præuaricantibus in crimina fiant*) grauiorem culpam, quam venialem, significare videntur. Quare dicendum est, D. Bernardum loqui ibi indefinite de aliquibus præceptis, quæ tangunt tria vota essentialia, quæ obligant sub mortali, de reliquis verò in regula contentis aperte docet idem D. Bernardus *in dicto libro* solùm obligare ad veniale. 8

QVÆSTIO CXXVI.

An Romanus Pontifex possit solemne votum obedientiæ in religionis professione factum relaxare?

DOCTOR Angelicus 2.2. *q.* 88. *ar.*11 negat. Quia votum obedientiæ est de essentia, & substantia religionis vt omnes Doctores fatentur, at sublata alicuius rei essentia, necesse est rem ipsam perire. 1

Tum quia implicat contradictionem, quod quis sit religiosus, & tamen non sit voto obedientiæ astrictus, quia votum obedientiæ quod consistit in expoliatione propriæ voluntatis, requiritur necessariò, sicut & duo alia vota ad essentiam religionis, si igitur religiosus est sui iuris, non est religiosus, & si est religiosus, non est sui iuris, sed Prælato subiectus.

2 Sed hoc non obstante, concors est Theologorum,& Canonistarum sententia, posse Romanum Pontificem in voto solemni obedientiæ dispensare. Et ratio est, quia tam intrinsecum est religioni obedientiæ votum, quam castitatis & paupertatis *cap. Cum ad monasterium de statu monach.* Sed in his, vt in sequentibus ostendemus, potest Romanus Pontifex dispensare: ergo & in illo ex iusta boni communis causa poterit similiter dispensare.

Tum quia summus Pontifex potest relaxare votum simplex obedientiæ perpetuæ, vt omnes Doctores cum D. Thoma testantur, ergo, & solemne. Probo consequentiam quia solemnitas voti sola ecclesiæ constitutione est introducta vt expresse definitur à Bonifacio VIII. *in cap. Quod votum, de voto, & voti redempt. in 6.* Si solemnitas est ex sola ecclesiæ constitutione, ergo potest ipse in ea dispensare, quia potest relaxare suam constitutionem.

3 Et confirmatur, multæ historiæ tradunt Romanum Pontificem de facto cum multis religiosis dispensasse. At absurdum est, dicere Pontificem in re tanti momenti errasse. Et ideo ita tenent Scotus *in 4. distinct.* 38. *quæst.* 3. Caietan. 2.2. *quæstion.* 88. *art.* 11. Cordub. *lib.* 1. *sui quæst. q.* 24. Couar. *de test. cap.* 1. *num.* 10. Less. *lib.* 2. *c.* 4. *dub.* 5. Sot. *lib.* 10. *q.* 5. *ar.* 7. & alij communiter.

4 Nec obstant in contrarium adducta, quia solum concludunt Monachum, quamdiu talis est, voto obedientiæ teneri, nec fieri posse, vt existente monachatu, non sit voto obedientiæ astrictus, quia implicat contradictionem, quod quis teneatur voto solemni integro, quod quem subditum Prælato facit, & quod sit sui iuris.

Tum quia non potest aliqua lege etiam Papæ fieri, vt aliquis licitè sit sui iuris, stante voto obedientiæ solemni integro. Nos autem contendimus authoritate Pontificia ex monacho posse fieri non monachum & sic exemptum à religione esse sui iuris, vxorem ducere, & res vt proprias possidere.

QVÆSTIO CXXVII.

An Romanus Pontifex possit super totam Regulam dispensare?

RESPONDEO posse, modo causa rationabilis subsit ad id. Et ratio 1
est, quia ipse cum gerat vicem Christi plenariè, in tota ecclesia habet plenitudinem dispensandi in omni voto, & iuramento, dummodo non sit in præiudicium tertij, vt rectè docet Rich. communiter receptus *in 4. d.* 38. *q.* 2. *ar.* 9.

QVÆST. CXXVIII.

An religionum Prælati possint in legibus suorum superiorum dispensare?

IN qua re conuenit inter omnes, 1
Prælatos inferiores posse dispensare in pœnis iam contractis ob legum violationem, dummodo huiusmodi pœnæ non sint reseruatæ. Ratio est, quia Prælati ordinarij possunt omnia, in quibus specialiter nō sunt prohibiti.

Hinc, Prouinciales possunt dispen- 2
sare ex iusta causa in pœnis positis, & taxatis à constitutionibus, si ipsarum dispensationem Superior Generalis sibi non reseruauit, cum ipsi iure possint omnia, in quibus non sunt prohibiti. Quod intellige de pœnis inflictis ab ipsis constitutionibus: nam

nam si pœnæ sunt impositæ à Prælato ordinario, non potest superior illas tollere contra voluntatem ipsius Prælati ordinarij. v. g. demus Priorem, religiosum aliquem suspendisse à celebratione missæ, non potest Prouincialis talem pœnam tollere contra voluntatem Prioris qui pœnam tulit, vt expresśe definitur in *Conc. Trident. sess.* 14. *de reformat. cap.* 1. cuius definitionis ratio fuit, ne Prælati ordinarij contemnerentur à subditis, quod est maximum totius religionis detrimentum. Verum postquam Prior suo officio functus fuit, poterit iusta de causa, Prouincialis, vel Generalis pœnam inflictam tollere, sine licentia Prioris moderni. Quia cum iam Prior functus fuerit officio suo eius authoritas in hoc casu non contemnitur.

Sed quod in dubium vertitur est, an Prælati regulares possint in legibus suorum superiorum dispensare.

3 Respondeo Prælatos inferiores regulariter non posse dispensare in legibus superiorum tollendo earum obligationem ab aliquo particulari, vt definitur *in cap. Inferior* 21. *d. Clemne*, &c. & tradit Nauarr. *cap.* 22. *num.* 8. & Med. 1. 2. *quæst.* 97. *artic.* 4. Et ratio huius est, quia qui minoris & inferioris est potestatis, ius, & authoritatem contra superiorem non habet: ergo sicut Romanus Pontifex nequit in iure naturali, vel diuino cum aliquo dispensare, sic nec inferior in legibus sui superioris.

Dixi notanter (*regulariter*) quia in quatuor casibus possunt inferiores Prælati in legibus superiorum dispensare.

4 Primò ex consuetudine, quæ est optima legum interpres.

Secundò in causis leuibus.

Tertiò in casibus qui frequenter accidunt, vt est lex ieiunij, obseruationis festorum, &c.

Quartò, & vltimò in casibus, in quibus recurrere ad superiorem esset omnino intolerabile. Ita Caietan. 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 4. vbi etiam ait: Quando Prælati dispensant cum suis subditis v. g. in ieiunio, non debent relinquere scrupulos conscientiis petentium ab eis dispensationem, sed potius debent eis compati, & benignè dispensando à suis scrupulis liberare, aut ieiunium in aliud pium opus commutare. 5

QVÆSTIO CXXIX.

An Religionum Prælati possint in omnibus obseruantiis regularibus dispensare?

RESPONDEO exceptis tribus votis essentialibus, posse Prælatos dispensare in omnibus obseruantiis, & præceptis regularibus. Probatur *ex cap. Cum ad monasterium de statu monachorum*, vbi dicitur: Nec æstimet Abbas quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare; quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò est connexa regulæ monachali, vt contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere. Ex quibus verbis sic argumentor. In isto loco Prælati regulares prohibentur dispensare in tribus religionis votis essentialibus: ergo in reliquis obseruantiis regularibus poterunt dispensare. Quia exceptio firmat in contrarium regulam in omnibus, quæ non excipiuntur; vt latè per multa iura probat Couar. *lib.* 1. *var. resol. cap.* 6. *num.* 6. & Roder. *tom.* 1. *qq. reg. quæst.* 26. *art.* 1. Hoc colligitur ex *Concil. Trident. sess.* 25. *de regul. cap.* 1. vbi dicitur, quod superiores non possunt quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent relaxare: ergo 1

omnia quæ non sunt de substantia regularis vitæ secundum mentem Concilij possunt iusta aliqua de causa à Prælatis dispensari per regulam superius citatam. Vnde D. Bernard. *in libr. de precepto, & dispensat.* sic ait. *Quamdiu charitati militant statuta regularia, immobiliter fixa sunt. At si fortè contra charitatem aliquando visa fuerint, iis duntaxat, quibus hoc posse videre datum est, nonne iustissimum esset, vt aliqua verba, si expedire videbitur, vel omittantur, vel in aliud fortè commodius dimittantur.*

2 Obsecro tamen omnes Religionum Prælatos, vt in dispensando sint parci, quia sunt aliquæ obseruantiæ regulares, in quibus melius est nunquam dispensare, quam illarum rigorem relaxare per dispensationem, etiam si id faciendi causa subsit. Nam minus malum est, aliquando vitam alicuius periclitari ex rigorosa legis obseruatione, quam relaxationibus per dispensationes viam aperire, qua postea aperta regularis obseruantia in dies patiatur detrimentum. Nam sicut vestis per vnum paruum foramen paulatim rumpitur, ita regularis obseruantia per vnius dispensationis facultatem paulatim decidit, quia exemptio aliquorum etiam iusta causa concessa, est occasio, vt alij paulo timorati hoc exemplo ad similia sine dispensatione facienda moueantur.

QVÆSTIO CXXX.

An religionum Prælati possint pro libito voluntatis in Regulæ statutis dispensare?

1 Respondeo non posse, sed tantum iusta causa interueniente. Vnde D. Bernard. *in lib. de precepto*, vbi postquam dixerat quod in statutis Regulæ licitè interdum dispensatur, subiungit. *Vbi sanè, qui hoc legit, attendat me cautè non dicere, ea posse, vel ab istis leuiter pro voluntate mutari: sed ex ratione fideliter dispensari.* Et paulo post. *Patet quod magna ex parte regularis traditio subest ei qui præest: etsi non voluntati, certè discretioni.*

QVÆSTIO CXXXI.

An Prælatus qui absque iusta causa cum subdito dispensat in obseruantia regulari peccet?

Respondeo eum peccare venialiter. Ratio est, quia cum communiter loquendo dispensationes in religione non fiant in præiudicium tertij, cum fiant ad non ieiunandum, ad non sequendum chorum, ad comedendum carnes, & similia venialiter tantum peccabit superior dispensans. Dixi notanter (*regulariter eum peccare venialiter*) quia si in re graui absque iusta causa dispensat cum subdito circa obseruantiam regularem, proculdubio peccat mortaliter, prout doctè suo more resoluit D. Thom. 1. 2. *quæstion.* 79. *artic.* 4. & Roder. *tom.* 1. *qq. regul. quæstion.* 22. *artic.* 4. qui extendit hoc etiam ad Romanum Pontificem. 1

QVÆSTIO CXXXII.

An dispensatio inferioris circa legem sui superioris sine iusta causa facta, teneat?

Respondeo non tenere. Ratio est, quia inferioris, & ministri authoritas non extenditur vltra concessionem eis factam. 1

Tum

Tum quia diſpenſatio Monarchæ ſine iuſta, & rationabili cauſa circa legem Dei nihil valet, vt omnes fatentur, ergo neque diſpenſatio inferioris circa legem ſui Monarchæ ſine iuſta cauſa valebit: & tam diſpenſans, quam diſpenſationem procurans peccant, niſi ignorantia facti excuſet: nam ſi per ſubreptionem obtinetur, non narrata veritate, excuſatur diſpenſans, ſed non diſpenſatus. Quam doctrinam cenſet eſſe veram Roder. *p.* 1.*ſumm. cap.* 24. *num.* 5. niſi inferior habeat ad illum caſum, & alios ſimiles plenitudinem poteſtatis à ſuperiore, prout habent Nuntij ſuæ ſanctitatis ad caſus ipſis conceſſos.

QVÆSTIO LXXXIII.

An qui ab obſeruantia regulari diſpenſationem petit, ſciens deeſſe cauſam, peccet?

1 ET quidem certum eſt, eum peccare. Quia ſcienter rem illicitam petit.

Sed dubium eſt, an peccet mortaliter.

2 Reſpondeo eum eodem modo peccare, quo peccat, qui ſic diſpẽſat. Quia cooperatur diſpenſantis peccato, ad idque inducit. Vnde ſi diſpenſans peccat mortaliter, vel venialiter iuxta ſupradicta, petens quoque reus erit culpæ mortalis, vel venialis.

QVÆSTIO CXXXIV.

An poſtquam diſpenſatio fuit iniuſtè conceſſa, qui eam impetrauit, poſſit in foro conſcientiæ ea vti?

1 RESPONDEO non poſſe. Ratio eſt, quia Religioſus ex vi voti tenetur ad regulæ ſuæ præcepta obſeruanda: ergo non poteſt in foro conſcientiæ ea diſpenſatione iniuſtè ſibi conceſſa vti; cùm ſit certum quod neque Papa poteſt abſque iuſta cauſa in votis diſpenſare, vt rectè Caietan. *in ſumm. verb. diſpenſatio.* Sot. *lib.* 1. *quæſt.* 1. *art. vlt.* & Nauarr. *cap.* 12. *num.* 76.

QVÆSTIO CXXXV.

An Prælatus poſſit in ſuis præceptis diſpenſare?

RESPONDEO poſſe. Ratio eſt, quia fieri poteſt, vt cauſa iuſta ſubſit, ne aliquis præcepto ſuo teneatur.

QVÆSTIO CXXXVI.

An Prælatus peccet, ſi abſque iuſta cauſa cum aliquo in ſuis præceptis diſpenſat?

PALVD. *in* 4. *d.* 38. *quæſt.* 4. *artic.* 4. 1
Angel. *verb. diſpenſatio num.* 3. Roſell. *ibidem num.* 6. Sylueſt. *q.* 3. *num.* 5. & Armill. *num.* 14. tenent eum non peccare. Quia tota vis præcepti pendet ex voluntate Prælati.

Sed omnino dicendum eſt, cum 2
peccare. Quia violat ius naturæ, dictans partem debere conformari ſuo toti, excipiens temere, & imprudenter aliquos per diſpenſationem. Et ita tenet D. Thom. 1.2. *quæſt.* 97. *artic.* 4. Sot. *lib.* 1. *quæſt.* 7. *art.* 3. & Caiet. 1.2. *quæſt.* 96. *art.* 5.

QVÆSTIO CXXXVII.

Sed an hic, qui in propriis præceptis diſpenſat abſque iuſta cauſa, peccet mortaliter, non conueniunt Doctores?

CAIE.

1 CAIETAN. *verb. dispensatio initio*, & ibi Armilla *num.* 13. Roderic. *to.* 1. *qq. regul. quæst.* 12. *art.* 10. & Vega 2. *tom. summ. cap.* 23. *casu* 14. tenent eum peccare mortaliter. Huius sententiæ videtur esse Couarr. 4. *decret.* 2. *p. cap.* 6. § 9. *num.* 7. vbi ait fortassis, & frequentissimè reum esse peccati mortalis.

2 At ego verius existimo, omnique remoto dubio opinor eum non peccare nisi venialiter, nisi scandalum graue, aut notabile aliorum detrimentum sequatur. Quia his cessantibus non est res grauis, quempiam à Prælato absque iusta causa à præcepti obligatione eximi. Cùm præceptum illud à Prælati voluntate vim habeat. Et ideò ita tenent Valent. 1. 2. *d.* 7. *quæst.* 5. *p.* 9. Nauarr. *cap.* 25. *num.* 5. & Cosm. Phil. *de off. sacerd. tom.* 1. *p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 4.

QVÆSTIO CXXXVIII.

An qui dispensatione sine causa concessa vtitur, peccet?

1 DOCTOR Nauar. *cap.* 12. *num.* 57. Arag. 2. 2. *quæ.* 89. *art.* 9. & Azor. *lib.* 5. *cap.* 15. *quæst.* 3. tenent eum, cessante scandalo, ac aliorum damno, non peccare. Quia cum talis dispensatio sit valida, nulla præcepti obligatio superest, cuius transgressio vtentem eadem dispensatione reum culpæ constituat.

2 At verius est, eum peccare non quidem contra præceptum illud humanum, quod omnino per dispensationem abolitum est, sed contra ius naturale dictans partem suo toti congruere debere, nisi iusta causa dispensandi vrgeat. Quare hic iure illo naturali tenetur id præceptum seruare. Et ideò ita sentiunt Caietan. 1. 2. *quæstion.* 96. *artic.* 5. Sot. *lib.* 1. *quæst.* 7. *artic.* 3. Valent. 1. 2. *d.* 7. *quæstion.* 6. *p.* 9. Roder. 2. *tom. qq. regul. quæst.* 46. *art.* 5. Azor. *lib.* 5. *cap.* 15. *quæst.* 3. & multi alij. Sed quæres,

QVÆSTIO CXXXIX.

An hic qui tali dispensatione vtitur peccet mortaliter?

PETR. de Ledesm. *summ. Sacram.* vbi de matrim. *cap.* 27. ait hunc peccare mortaliter. 1

Sed tanquam certum tenendum est, hunc non peccare nisi venialiter, si desit scandalum, & aliorum damnum notabile. Quia ea partis cum toto deformitas non est ita grauis, vt peccatum mortale inducat. Ita Valent. 1. 2. *d.* 7. *quæst.* 5. *p.* 9. Cord. *in suo quæst. lib.* 4. *quæst.* 8. Roder. *tom.* 2. *qq. regul. quæstion.* 46. *artic.* 5. & alij communiter.

QVÆSTIO CXL.

An hic cum quo sine causa legitima est dispensatum in præcepto, teneatur iure naturæ, non obstante dispensatione, tale præceptum adimplere?

RESPONDEO teneri. Ratio est, quia si hic peccat venialiter, vtens tali dispensatione, quia agit contra ius naturæ, quod dictat indecens esse partem non conformari suo toti, ergo eodem iure naturæ tenetur præceptum seruare sub culpa veniali. 1

QVÆSTIO CXLI.

An dispensatio Prælati in suis præceptis concessa absque legitima causa, valeat?

MENDO

1 MENDOZA *de pactis lib.1.quæst.2. num.35.* tenet non valere.

2 At tanquam certum tenendum est, talem dispensationem valere. Et ratio est, quia tunc Prælatus dispensat in re propria, & in propria voluntate, à qua sola vim habebat præceptum: ergo ea dispensatio tanquam in bonis propriis facta valebit absque causa, esto dispensando peccet. Sic Caietan. *1.2.quæst.96.art.5.& 2.2.q.104.art.5.* Sot. *lib.1. quæst.7.art.3.* Henriq.*lib.5. de pœnitent.cap.22. num.5.* Valent.4.*p. disp. 6. quæst.2. p.10.* Arag.*2.2.q.89. ar.9.*& Nauar.*cap.fin.num.4.*

QVÆSTIO CXLII.

An superior, vel æqualis validè dispenset in præcepto inferioris, vel æqualis prædecessoris?

1 RESPONDEO valide dispensare. Ratio est, quia in voluntate superioris est quasi eminenter inferioris voluntas: & successor æqualis reputatur quasi eadem persona ratione eiusdem officij. Ita Suar.*tom.*4. vbi de indulg.*d.59.sect.2.num.*11.

QVÆSTIO CXLIII.

An, si subditus proponat causas, de quarum sufficientia dubitat, peccet?

1 RESPONDEO si petens dispensationem proponat bona fide causas, quibus ducitur, non peccat, quamuis illæ sufficientes non sint. Quia suum non est iudicare, an causæ ex sint iustæ, sed superioris iudicio standum est. Ita D.Thom. *2.2.q.88.ar.vlt.* Nau.*prælud.9.num.*13. & Azor.*lib.7. cap.29.q.6.*

QVÆSTIO CXLIV.

An quando necessitas est occulta, subdito eam propalanti debeat Prælatus fidem adhibere?

RESPONDEO debere. Ratio est, quia melius est, vt Prælatus nimia credulitate credat, quam vt ob huius defectum à debita charitate, & iustitia deficiat. Nam si in priori erret, fortè contra prudentiam, & materialiter tantum peccabit. At verò in secundo casu maiori exponitur discrimini nimirum faciendi contra potissima charitatis, & iustitiæ præcepta. Vnde D.August. *cap.17.suæ regulæ* sic ait. *Si latens est dolor in corpore, famulo Dei dicenti, quid sibi doleat, sine dubitatione credatur. Verumtamen aliquando Prælato proderit leuiter non credere, & cautiorem esse circa oues suas cognoscendas, ne serpens lateat sub herba.* Sic etiam Vmbertus, qui *in commentario eiusdem cap. D. August.* sic scripsit. *Signa seruorum Dei hac sunt, seruire Deo die, ac nocte, voluntariè, humiliter, & deuotè obedire Prælato: quærere bonum commune, & non priuatum: ædificare proximum verbo,& exemplo. Tali* (inquit) *famulo Dei quid sibi doleat absque vlla dubitatione credendum est.* 1

QVÆSTIO CXLV.

An si inferior Prælatus, puta Prior præcipiat subdito, vt non vtatur dispensatione facta à superiore, nimirum à Prouinciali, vel Generali, teneatur subditus obedire?

RESPONDEO non teneri. Ratio est, quia quantum ad hoc non 1

est ei subiectus. Vnde D. Benedict. *cap. 65.* suæ regulæ ait: *Præpositus illa agat cum reuerentia, quæ ab Abbate suo ei iniuncta fuerint: nihil contra Abbatis voluntatem, aut ordinationem faciat.*

QVÆSTIO CXLVI.

An Generalis, vel Prouincialis possit eximere subditum ab obedientia sui Prioris?

1 RESPONDEO non posse, vt habetur *ex decreto Greg. Papæ 16. q. 1. cap. Frater.* Quia non solum iuri, sed rectæ rationi, & consuetudini generali omnino refragari videtur. Vnde solus Romanus Pontifex potest huiusmodi exemptiones indulgere. Ita Syluest. *verb. causa casu 5.* & Roder. *p.1.cap.31.num.6.*

QVÆSTIO CXLVII.

An virtute priuilegiorum possint superiores nostræ Congregationis ieiunia, & abstinentias relaxare?

1 RESPONDEO posse. Et primò quidem per priuilegium concessum à Martino V. ordini Cisterciensi prout refertur in compendio priuilegiorum eiusdem ordinis Cisterciensis *verb. ieiunium* §.2. ieiunia, & abstinentiæ professorum vtriusque sexus nostræ Congregationis Fuliensis, quibus per regulam astringimur, possunt ob complexionum diuersitatem, & secundum temporum, locorúque conditionem arbitrio Generalis moderari, & relaxari.

2 Secundò, per priuilegiũ concessum à Iulio III. prout refertur *in compendio priuilegiorum deuota Societatis* IESV §. 7. potest superior noster Generalis per se vel per alios religiosos, dispensare cum personis Congregationis circa ieiunia, & cibos prohibitos.

Tertiò, per priuilegium concessum ab Eugenio IV. Congregationi D. Hieronymi, vt continetur *in compendio priuilegiorum eiusdem ordinis tit. ieiunium* §.6. Priores nostrorum monasteriorum, seu suppriores in eorum absentia, possunt dare licentiam de consilio medici, vel sine eius consilio, si commodè non potest haberi, vt nostri religiosi, & familiares monasteriorum, infirmi, seu debiles possint comedere carnes, seu oua, seu alia sanis interdicta in quadragesima, & aliis ieiuniis Ecclesiasticis sine licentia Episcopi: vel quod non teneantur ieiunare in prædictis temporibus etiam sine consilio medici, & quod eamdem licentiam possint concedere prædictis Prioribus, & Supprioribus eorum confessores. 3

Est tamen hic aduertendum, quod solus Romanus Pontifex circa ieiunia generalia dispensat absolutè, ne subditi ieiunij lege teneantur, singulariter tamen cum illo, aut illo iusta de causa, ne illo, aut illo die ieiunet, etiam Episcopus potest dispensare, immo, & eo absente parochus, & quilibet Prælatus regularis cum suis religiosis secundum D. Thom. *2.2.q. 147.art.4.* & Caiet. *ibidem.* 4

Ex quo colligitur, quod parum circa ieiunia conceditur præfatis Prælatis regularibus per prædicta priuilegia, cum secundum iuris communis regulam, dictis Prælatis dispensare in prædictis concedatur. 5

Secundò etiam aduerte, quod debilitas, & infirmitas in senibus reperitur, cùm ipsa senectus morbus quidam sit. *cap. Magna de voto, & l.1. Ciuitatibus in princip. ff. de l.1.* Infirma ætas dicitur seniorum, vel puerorum, quod intelligitur de illis senibus, qui 60. annum attingunt.

Ex

Ex quo infert Abbas, statutum disponens aliquid in casu infirmitatis, habere locum in casu senectutis.

6 Quartò, per priuilegium concessum à Leone decimo Minoribus, vt habetur *in supplem. fol. 39. concess.* 282. fratres nostri maximè Prædicatores cum actu concionantur possunt sine violatione ieiunij, anticipare, vel postponere iuxta suam consolationem, horam comestionis, & serotinæ collationis. Vbi tamen aduerte, quod illa dictio, *maximè*, non excludit, quin fratres etiam actu non prædicantes non possint anticipare, vel retardare, prout ipsis commodum videbitur, horas comestionis, & serotinæ collationis; hæ enim dictiones, *præcipuè, præsertim, maximè*, & similes, casus magis dubitabiles exprimunt.

7 Hic etiam aduerte, quod cum collatio vespertina in ieiunio sit introducta per modum medicinæ, seu pro necessitate, ideò siue mane, siue vesperi sumatur, non frangit ieiunium, maximè si id est in consuetudine fieri iusta de causa: immo si aliquis non posset aliter ieiunare, nisi hanc collationem sumendo in mane, licite eam sumeret, vt rectè docet Nauarr. *in Manuel. cap.* 21. *num.* 5.

8 Quintò, per priuilegium concessum ab Innocentio VIII. Congregationi sanctæ Iustinæ, prout refertur *in libro suarum constitutionum, & priuilegiorum, fol.* 86. possunt Priores nostrorum monasteriorum in quadragesima, & aliis ieiuniis de præcepto anticipare horam comestionis ante horam nonam, vt eis expedire videbitur.

Sextò, & vltimò, per priuilegiũ concessum à Leone decimo fratribus Minoris, possunt nostri itinerantes transferre ieiunium itinerationis in alium diem. Quod non tantum de pedestribus, etiam si iter sit breue, sed etiam equestribus intelligendum est, vt rectè ait Roder. *tom. 2. qq. reg. quæst.* 100. *art.* 2.

Præterea etiamsi dies itinerationis sit dies ieiunij Ecclesiæ vel voti, potest talis dies à nostris transferri. Quia cum per hoc priuilegium non fiat dispensatio ieiunij, sed vnus dies in alterum transferatur, & priuilegium absolutè concedat omnibus itinerantibus, de omni ieiunio illimitate, debemus ipsum intelligere, cum indefinita æquipolleant vniuersali. Roder. *supra.* 9

QVÆSTIO CXLVIII.

An Monachis esus carnium sit interdictus?

RESPONDEO esse interdictum, vt habetur *in cap. Carnem de consecrat. d.* 5. & tradit D. Thom. 2. 2. *q.* 185. *art.* 8. *& q.* 189. *art.* 9. *& quodlib.* 1. *q.* 20. *&* 22. 1

QVÆSTIO CXLIX.

An monachus qui absque iusta causa carnes comedit, peccet mortaliter?

IN hac quæst. constat inter omnes eum qui ex contemptu regulæ carnes comedit, peccare mortaliter. Sed dubium est de eo, qui ob solam delectationem sine iusta causa carnes manducat. 1

In quare etiam constat, eum qui absque causa carnes edit, quarum comestione fratres scandalizantur, peccare mortaliter. Ratio est, quia ex huiusmodi comestione datur aliis occasio ruinæ spiritualis, & solet esse causa, vt regularis disciplina tepescat, quod respectu totius ordinis est ingens detrimentum. 2

QVÆSTIO CL.

Totum igitur controuersiæ dissidium consistit de eo qui absque scandalo carnes edit: An videlicet peccet mortaliter?

1 RESPONDEO communem esse sententiam, hunc non peccare mortaliter. Et ratio est, quia cùm hoc regulæ statutum de se solum obliget ad veniale, & ex alia parte non appareat aliquod aliud præceptum; sine dubio, qui absque necessitate carnes edit, non committit nisi peccatum veniale, & quidem grauissimum, & dignum vt à Prælatis seuerè, & acriter puniatur. Atque ita sentit D. Tho. Syluest. *verb. religio 7. q. 14.*

2 Dices, in *dicto cap. Carnem de consecratione*, &c. pœna carceris constituitur contra monachum carnes edétem.

Respondeo cum D. Thom. eam ponit cōtra monachum carnes comedentem ex contemptu regulæ, vel contra speciale præceptum superioris.

3 Excipiuntur tamen quatuor casus, in quibus possunt monachi absque peccato carnes comedere. Primus est cum dispensatione, & licentia sui superioris. *Arg. cap. Non cogantur d. 41. & ibi Abbas, & in c. ad Monasterium.*

Secundus est, ratione infirmitatis. Vnde Prælatus non debet esse multum durus ad dispensandum cùm infirmis non solum febricitantibus, verum etiam cum habentibus stomachum debilem, cum senibus, & itinerantibus valde lassis, cum lectoribus, & prædicatoribus multum in studiis, & animarum salute insudantibus. *cap. fin. de obseru. ieiun.*

Tertius casus est, si inuitentur à Principe, vel Episcopo, vel ab alio Prælato *cap. Carnem de consecration. dist. 5.*

Quartus, & vltimus est, si monachus sit factus Episcopus, vel Cardinalis. Glossa *in cap. 3. 16. q. 1.*

QVÆSTIO CLI.

An qui habet propositum faciendi contra omnes, vel præcipuas suæ religionis regulas, etiam ad culpam non obligantes, peccet mortaliter?

RESPONDEO eum peccare mortaliter. Ratio est, quia hic probabilissimo contemnendi regulas periculo se exponit. 1

Tum quia religiosus tenetur sub mortali sic viuere, vt religioni suæ non sit perniciosus, inducendo alios suo prauo exemplo ad nimis relaxatam vitam: sed hæc damna inferret habens huiusmodi propositum, ergo.

Tum quia si religiosus nollet vnquam seruare silentium, nec orare, nec modestè incedere, sed passim vesceretur carnibus, vteretur linteis, & similes religionis regulas violaret, eo quod singulæ ad culpam per se non obligant, absque dubio grauiter totam religionem perturbaret: ergo sub mortali tenetur eum animum deponere.

Quare non placet quod docent Sylu. *verb. Religio 1. q. 12. &* Valent. 2. 2. *d. 10. q. 4. p. 5.* qui dicunt Religiosum non esse in statu damnationis, si ipse vellet seruare vnum ex præcipuis statutum, etiam si nollet seruare alia, si per illud vna cum suis votis niteretur ad perfectionem tendere. Quia obseruantia vnius statuti etiam principalis non impediret grauem Religionis ruinam, graueque periculum spernendi Regulam, & transgrediendi vota & licet non teneatur Religiosus ad perfectioné currere tenetur tamé sub mortali, 2

mortali, ita suos mores corrigere, vt aliis Religiosis non sit scandalo, causaque ruinæ Religionis, quod non vitatur per obseruantiam vnius, vel alterius statuti. Atque ita tenet Cord. *sup.Reg.B.Franc.c.*1.*q.*3.& Sotus *in* 4. *d.*15.*q.*2.*ar.*1.

Hinc,eadem ratione esser peccatum mortale,si Religiosus haberet animum non seruandi præceptum superioris, nisi quando sub mortali obligat.

QVÆSTIO CLII.

An Religiosus qui passim statuta suæ Religionis,etiā ad culpam nō obligantia violat, peccet mortaliter?

1 CARTHVS.*de reformat.lib.*1.*&* 6. Ang.*verb.inobedientia in fine*, D. Ant.2.*p.t.*9.*c.*3.& Vasq.1.2.*q.*96.*ar.*4. *d.*158.*c.*6.*nu.* 60. tenent eum peccare mortaliter. Quia talis consuetudo est quidam legis contemptus.

2 At communis, ac verissima sententia est in contrarium. Nam actus replicati sunt eiusdem speciei cum primo, ac proinde eiusdem malitiæ, si ergo primus venialis est, & cæteri veniales erunt. Nec praua consuetudo faciendi contra legem, dicitur eius contemptus vt rectè docuit D. Tho. 2. 2. *quæstio.* 186. *artic.* 9. *ad* 3. quia contemptus in solo actu interiori voluntatis perficitur, ac proinde ob solam externi operis multiplicationem, contemptus induci nequit.Quod arbitror esse verum per se, & ex sola venialis natura. Quia interdum ob venialium frequentiam consurgit mortale, non quidem ratione frequentiæ; sed ratione periculi proximi transgressionis votorum, grauisque offensionis aliorum.

3 Vbi nota,quod si huiusmodi transgressiones sunt frequentes in Monasterio,Prælati subditos suos corripere tenentur sub mortali: peccata enim venialia licet in singulis fratribus non sint notabile damnum, tamen quādo sunt frequentia in Monasterio, magni momenti est illa extirpare. Vnde si in Congregatione nostra, caderent obseruationes nostræ: puta si fratres passim vterentur linteis, vescerentur carnibus, & silentia abirent; quamuis apud nos hæc non sint peccata mortalia, tamen Prælatus in huiusmodi tenetur satagere sub mortali, vt ad regulam reuocentur. Et ideò væ Prælatis.

QVÆSTIO CLIII.

An qui Religionis statuta etiam ad solam pænam obligantia ideo violat, vt impediat quantum in se est,finem illorum, peccet mortaliter?

RESPONDEO eum peccare mortaliter. Ratio est, quia qui hoc modo statuta Religionis violat, proportionabiliter se habet ad finem præcepti, sicut qui transgreditur ex contemptu se habet ad præceptum, seu præcipientem:nam iste respuit finem, sicut ille respuit præceptum.v.g. non solum peccat mortaliter,qui non vult ieiunare, quando ad id tenetur, quia non vult subiici præcepto, sed etiam si ideò omittit ieiunare,quia non vult domare carnem, ad quod est institutum ieiunium.Ita Caiet. *in sum. verb. præcepti transgressio.*Valent.1.2.*d.* 7. *q.* 5.*p.*6.& Vasq.1.2.*q.*96.*ar.*4.*d.*158. *c.* 6.*nu.*57. 1

QVÆSTIO CLIV.

An Religiosus violans præceptum superioris in re graui duplex lethale peccatum committat?

ILLVSTRISSIMVS Caiet. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 5. & Vasq. 1. 2. *q.* 72. *ar.* 6. *q.* 98. *cap.* 3. *nu.* 7. censent eum duplex peccatum mortale committere, vnum contra obedientiæ votum, quod semper vnius speciei est, nimirum sacrilegium. Alterum verò contra præceptum superioris, quod pertinet ad diuersas species, iuxta diuersas materias, diuersáque motiua superioris imponentis id præceptum.

2 Sed communis, & verior sententia est, esse vnicum peccatum contra votum. Ratio est, quia superior non habet ius aliquod præcipiendi rem aliquam nisi ratione voti obedientiæ: ergo qui præceptum superioris violat vnum peccatum committit contra votum. Sicut cum quis habens votum solemne, contrahit matrimonium, solum peccat contra votum, etiamsi contra legem impedimenti faciat. Quia impedimentum ex voto pendet, & propter votum inductum est. Vbi enim vnum est propter vnum, ibi tantum censetur esse vnum. Et ideo ita tenent Sotus *lib.* 7. *q.* 2. *ar.* 3. *ad* 1. Petr. de Ledes. *in sum. sacram. tract. de pœnit. cap.* 19. & Less. *lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 9.

QVÆSTIO CLV.

An qui ex contemptu agit contra regulam, aut præceptum superioris, peccet mortaliter?

1 RESPONDEO eum peccare mortaliter. Ratio est, quia agit contra votum professionis, quo religiosus vitam regularem promisit: nam vita regularis promissa consistit in subiectione erga regulam, qui autem illam contemnit, totam hanc subiectionem euertit, ac proinde directè contra suæ professionis votum facit. Tunc autem censetur religiosus peccare ex contemptu, quando ideo regulam, aut superioris præceptum violat, quia non vult subiici illis. Vel quando mouetur ad peccandum eo quod præceptum, vel præcipientem paruifaciat.

QVÆSTIO CLVI.

An qui ex contemptu agit contra regulam, aut præceptum superioris, duplex peccatum committat?

RESPONDEO duplex peccatum committere. Et ratio est quia præter prauitatem violationis Regulæ, vel præcepti superioris, peccat etiam, quia superiorem ipsum, cui subesse, & iure obedire tenetur, paruipendit. Ita Caietanus *in summa verbo contemptus.* 1

QVÆST. CLVII.

An religiosus qui in re leui præcepta sui superioris contemnit, peccet mortaliter?

RESPONDEO eum peccare mortaliter. Ratio est, quia etsi materia præcepti obligantis sub veniali sit leuis, contemptus tamen præcepti est grauis. Contemptus autem efficiens mortale, tunc dicitur, quando quis ideo præceptum violat, quia præceptum est, seu quia ipsi, aut superiori præcipienti subiici renuit. Vt si religiosus dicat intra se, volo modo frangere silentium, quod non frangerem, nisi prohiberet. Et ideo vult frangere silentium, quia Prælatus prohibet. Et ideo ita tenent Nauar. *cap.* 23. *nu.* 42. Valent. 1. 2. *d.* 7. *q.* 5. *p.* 6. Cord. *in reg. S. Franc. c.* 10. *q.* 3. *p.* 2. & Vasq. 1. 2. *q.* 96. *ar.* 4. *d.* 158. *c.* 4. *nu.* 37. 1

Limitat

Limitat tamen Caietanus *in sum. verbo contemptus*, hanc doctrinam bifariam. Primò, quando subditus est in vna re inobediens ex indignatione, ne Prælato rem gratam faciat, nihilominus tamen quantum est ex se, est in aliis obedire paratus, vt si Prælatus præciperet subdito, vt in cella maneat, & ipse ab ea recedit, non ob aliud, nisi vt Prælatum solatio non afficiat,& hoc indignatione, quia non vult illi placere, sed displicere, iste contemptus non est mortalis. Quia iste non eligit non obedire ex contemptu propriè,sed non consolari Prælatum, nec mandatum violat, vt non obediat, sed vt non consoletur Prælatum.

2 Secundò limitat,quando subditus paratus obedire Prælato in grauioribus,in minimis illum contemnit.Nam tunc per contemptum non peccat,nisi venialiter. Ratio est,quia non simpliciter, sed secundum quid præceptum superioris contemnit.

3 Tertiò limitat Valent. 2.2.*d*.10.*qu*. 4.*p*.5. quando subditus simpliciter,& absolutè non contemnit præceptum superioris, sed duntaxat exequutionem illius hic,& nunc.Quia tunc non peccat nisi venialiter; quia non contemnit præceptum, ita vt nolit illi subiici.

4 Illud tamen hoc loco est obseruandum, semper esse mortale peccatum contemnere Prælatum, vt Prælatus est, & à Deo authoritatem habet, siue sit in re graui,siue leui,vt rectè annotauit Alph.à Castro *lib*.1.*de lege pœnali.cap*.5.

QVÆSTIO CLVIII.

An Regulares ad clausuram teneantur?

1 RESPONDEO teneri. Ratio est, quia omnes regulares per professionem renunciant suæ propriæ voluntati, obligantque se in manibus Prælatorum, obedire eis in omnibus illis, quæ conueniunt obseruationi trium votorum essentialium,quæ faciunt,atqui clausura est medium importantissimum ad illam:ergo.

Tum quia omnes regulares emittentes professionem explicitè,vel implicitè illam promittunt, si quidem vouent suam stabilitatem,& permansionem in Monasterio sub obedientia talis, vel talis Prælati, vt constat ex forma profitendi, quam omnes ferè religiones obseruant:ergo. Ita Nauar. *com*.4.*de regul.super cap. statuimus* 19. *qu*.3.*nu*.30.

Hinc, Beatæ vulgò dictæ, quæ viuunt in congregatione sine regula ab Ecclesia approbata, quamuis faciant dicta vota, non tenentur ad clausuram. Et ratio est, quia istæ non sunt propriè religiosæ, cum non promittant certam regulam approbatam à sede Apostolica, vt rectè docet Nauar. *lib*.3.*conf.tit.de regul.conf*.81. 2

Hinc, Nouitij, & Nouitiæ cuiuscunque religionis approbatæ ad clausuram non tenentur.Et ratio est,quia omnia iura illam inducentia,solum de tacite, vel expresse professis loquuntur, vt rectè notat Nauar. *comm*.4. *de regul.num*.47. 3

QVÆSTIO CLIX.

Quo iure sit clausura regularibus indicta?

RESPONDEO solo iure Ecclesiastico *cap. Iuxta*. Et *cap. Monach*. 1.& 2. *ead.causa*, & *quæst*. vbi dicitur quod monachi à monasterio foris egredi non possunt,etiam pro vtilitate illius sine superioris licentia.Et *in c. Placuit el* 2.16.*q*.1.quod est Eug.Papæ, dicitur 1

dicitur sic. *Placuit communi nostro consilio, vt nullus monachorum pro lucro terreno de monasterio exire nefandissimo ausu præsumat.* Et post pauca subiungit. *Sit claustro suo contentus, quia sicut piscis sine aqua caret vita, ita & sine monasterio monachus.*

QVÆST. CLX.

An regularis de licentia sui superioris possit extra monasterium manere?

1 AD hoc dico primò, quod nullus Prælatus potest facultatem facere alicui religioso, vt absque iusta, & rationabili causa extra claustrum maneat. Ratio est, quia cum egressus è Monasterio sit vetitus iure communi, Prælatus inferior Papa, cui facultas demandatur in eo dispensandi, non potest id facere ex libito, sed ex iusta causa, cum sit quædam dispensatio circa legem superioris, quæ sine iusta, & legitima causa, non valet, vt cum D.Thom. testantur vniuersi.

2 Secundò dico, quod iusta existente causa bene potest Prælatus Papa inferior, & à fortiori ipse Papa licentiam indulgere regulari manendi extra monasterium, nimirum pro vrgenti aliqua necessitate, vel vtilitate monasterij, vel suorum parentum. Nauarr. *comment.* 4. *de regul. c. statuimus nu.* 36.

3 Hinc, secundum eundem Nauarrum, non excusantur Prælati à peccato, quando talem licentiam exeundi religiosis sibi subditis sine vlla prorsus causa concedunt, neque vero subditi sunt tuti in conscientia, qui importunè illam à superiore impetrant.

QVÆSTIO CLXI.

Quodnam peccatum committit Prælatus qui sine iusta causa dat licentiam exeundi è monasterio, & qui ea vtitur, sciens illam non esse iustam?

RESPONDEO committere solum peccatum veniale. Ratio est quia iuxta D.Tho. 2.2.*q.*186.*ar.* 9. contenta in regula non obligant ad mortale, nisi quoad essentialia religionis vota, & quoad præcepta formalia ipsius, siue superioris. Cum igitur de his non sit obseruatio clausuræ, clarè colligitur, ipsam non obligare ad mortale, sed solum ad veniale, dum tamen absit contemptus, vel non fiat contra præceptum formale superioris.

QVÆSTIO CLXII.

An summus Pontifex possit facultatem concedere alicui religioso, vt absque iusta causa extra monasterium maneat?

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia quamuis Romanus Pontifex sit humanis legibus solutus quoad vim coactiuam, non tamen quoad vim directiuam, ac proinde peccat, si in ea clausura sine iusta, & rationabili causa dispenset, iuxta doctrinam D. Tho. 2.2.*q.*96.*ar.*5. & Caiet. *ibid.* Et tradit optimè Nauar. *com.* 4. *de regul.nu.*30. 1

Illud tamen aduertant religiosi, quod Clemens VIII. in suis decretis, pro reformatione regularium, has duas fert ordinationes, quarum prima est, vt nullus è conuentu egredi audeat, nisi ex causa; & cum socio, 2

ſocio, licentiaque ſingulis vicibus impetrata, & benedictione accepta, qui non aliter eam concedat, niſi cauſa probata, ſociumque exituro adiungat, non petentis rogatu, ſed arbitrio ſuo, neque eundem ſæpius: licentiæ vero generales nulli omnino concedantur.

Secunda verò eſt, vt degentes extra clauſtra conuentus ad ea reuocentur, nec de cætero, niſi ex grauiſſima cauſa ſede Apoſtolica approbanda huiuſmodi facultates concedi poſſint.

QVÆST. CLXIII.

An ſuperiores poſſint diſpenſare cum monialibus infirmis, vt exeant à Monaſteriis, vt curentur in domibus parentum?

1 AD hoc dico primò, quod Romanus Pontifex poteſt diſpenſare cum monialibus profeſſis, vt poſſint exire à ſuis monaſteriis, ad curandam aliquam grauem infirmitatem, aut ob aliam cauſam iuſtam, vt cum communi reſoluit ſapientiſſimus Nauarrus *capit. Statuimus* 19. *quæſt.* 3. *num.*49.

2 Secundò dico, quod non poſſunt ordinarij concedere facultatem ſuis monialibus, vt poſſint ſe conferre ad domos parentum, niſi ratione alicuius incendij monaſterij, aut ob aliquam infirmitatem lepræ, aut peſtis, vt conceſſit Pius V. in quodam ſuo motu proprio, cuius intentio fuit prouidere communitati. Quia ſi non concederet in his tribus caſibus licentiam, veniret in magnum eius detrimentum.

3 Ex quo ſequitur primò, prædictam conſtitutionem Pij V. non poſſe extendi ad caſum, aut infirmitatem diſſimilem, quæ pertinet ſolum ad vitam particularem monialis infirmæ, licet dicatur à medicis, ipſam ſine dubio morituram, ſi non ſe conferat ad domum parentum.

Hinc non eſt audiendus Nauarr. 4 *qui in comment.*4. *de regul.num.*49. & 50. tener poſſe ordinarios concedere licentiam monialibus, vt poſſint exire à ſuis monaſteriis, vt curentur in domibus ſæcularium ab aliqua infirmitate graui, vltra prædictas, quamuis non ſit contagioſa, nec nociua communitati. Quia hoc eſt expreſsè contra mentem dictæ conſtitutionis.

Secundò ſequitur, prædictam conſtitutionem poſſe extendi ad alios ſimiles caſus, in quibus eadem, aut vrgentior eſt ratio ſ. ad tempus belli &c. Quia hac de cauſa poſſunt à monaſteriis exire, ne tota communitas pereat. Ita Roder. *par.*1 *ſum.cap.*43. *num.*4.

Hinc, iuſta huius egreſſus cauſa, 5 eſt morbus gallicus, & ſancti Lazari, & ignis ſancti Antonij, quando moraliter loquendo intra clauſtra monaſterij non poteſt illi medicina adhiberi, abſque grauis contagionis aliarum monialium periculo. Quia in his quoque inuenitur eadem conſulendi bono communi ratio.

Tertiò dico, quod ordinarij mo- 6 nialium poſſunt iſta de cauſa mutare aliquam illarum de vna domo in aliam eiuſdem ordinis, vt v. g. ſit Abbatiſſa, vel Magiſtra Nouitiarum, vel vt præficiatur muneri ad commune totius monaſterij bonum valde neceſſario. Quia hoc non eſt frangere clauſuram, ſed tranſire ſolum de vno in aliud monaſterium ob maius bonum religionis. Nauarr. *comm.*4. *de regul. num.*48.

Similiter erit iuſta huius egreſſus cauſa, quando is eſt ad nouum eius ordinis monaſterium fundandum, vt Nauarr. *lib.*3. *conſ. in* 1. *edit. titulo de regul.*

regular.conf.48.nu.7.& in 2. edit.tit.de statu monachorum conf.5. nu.7. & Roder. *to.1.qq.regular.qu.49.art.5.* annotarunt.

7 Et idem dicendum est, quando ad alterius monasterij eiusdem ordinis reformationem est necessarius is egressus, cum hoc quoque spectet ad commune religionis illius bonum.

Similiter erit causa iusta huius egressus correctio eius monialis, quando in proprio monasterio timore cognatorum, aut alia causa corrigi commodè non potest. Quia bonum totius religionis petit corrigi moniales absque strepitu. Ita Nauar.& Roder. *supra* à quibus tamen discedit Thom. Zerula *in praxi episcopali p.2. verb. moniales dub.* 8. *&* 12. vbi ait sacram congregationem Cardinalium decidisse non licere hunc exitum causa reformationis, aut nouæ fundationis, aut correctionis, sed in omnibus his casibus sedem Apostolicam esse consulendam.

8 Tandem est iusta egressus causa, quando authoritate Prælati ex iusta causa totus monialium conuentus locum mutat. Quia hoc vtilitatem totius Monasterij concernit. Vnde Concilium Trident *sess.25.de regular. cap.5.* Statuit, vt monasteria monialium sita extra Vrbis, aut oppidi mœnia, ad alia monasteria intra Vrbem, vel oppida reducantur, si ita visum fuerit expedire Episcopis, & aliis superioribus. Ita Roder. *to.1.qq.regul.q. 49.art.5.*

9 Quartò, & vltimò dico, quod possunt ordinarij iusta de causa ingredi monasteria monialium sibi subditarum, licet non habeant licentiam Papæ, aut sacræ congregationis Cardinalium. Quia quando Conc.Trid. dicit neminem posse ingredi monasteria monialium sine licentia superioris, non loquitur de ordinariis, vt sunt Episcopi, & alij superiores ipsarum, vt sunt Prouinciales ordinum, quibus subduntur, qui non solum possunt ingredi iusta de causa, verùm etiam possunt aliis hanc licentiam indulgere, vt Nauarrus *libro 3. conf. titulo de statu monach. conf.6.* annotauit.

QVÆST. CLXIV.

An sit iusta egressus Abbatissæ causa, vt visitet monasteria sibi subiecta?

RESPONDEO quod non. Et ratio est, quia etsi id ad bonum commune spectare videatur, at id non ad Abbatissas, sed ad Prælatos pertinet, vt definitum est à Pio V. in suo motu proprio, qui incipit: *Decori,& honestati.* 1

QVÆST. CLXV.

An religiosi ad chorum professi, horas canonicas persoluere teneantur?

IN hac quæstione conuenit inter omnes, Religiosos beneficiarios, vel sacris ordinibus insignitos teneri ex præcepto Ecclesiastico sub reatu mortali singulis diebus horas canonicas persoluere, vt habetur ex *cap. Si quis presbyter d.92.& ex cap. Dolentes de celebrat. missarum.* Et ratio est, quia per ordinem sacrum accipiunt in Ecclesia statum, qui ad cultum, & laudes diuinas celebrandas est institutus, vnde ratione status ad id præ cæteris obligantur. 1

QVÆ

QVÆST. CLXVI.

Sed dubium est, de religiosis ad sacros nondum promotis?

1 IN qua re etiam conuenit, eos ad id teneri. Et idem iuris est de monialibus eodem modo professis, vt rectè docet Nauarrus *de oratione cap. 7. num. 21.*

QVÆSTIO CLXVII.

Quæstio igitur est, quo iure ad id teneantur?

1 PALVD. *in 4. d. 15. quæst. 5. art. 1.* docet eos ad id obligari iure naturali, quia ex Christiani populi bonis in eleemosynam acceptis sustentantur, & viuunt, ac proinde debent pro iis, qui bene de ipsis sunt meriti, precari.

2 Petr. Arag. 2. 2. *quæst. 83. artic. 12.* censet eos ad id compelli iure canonico scripto.

Caiet. *in summ. verb. horæ canonicæ* fatetur, se nullo modo videre qua ratione huiusmodi religiosi teneantur, nisi consuetudine, de qua vtrum obliget, necne, multum se dubitare ait.

3 At verò Nauarr. *de oratione cap. 7. num. 4. & cap. 21. n. 19.* Tol. *lib. 2. sum. cap. 12.* & alij communiter docent eos ad id teneri, non ex præcepto Ecclesiæ, nec ex vi professionis, sed ex antiquissima, & sancta consuetudine recepta, quæ legis vim habet, vel statuto religionum.

4 Cæterum nostri ordinis religiosi ex vi regulæ tenentur ad persoluendas horas canonicas, vt constat apertè *ex capite octauo, & sequentibus*, vbi de officiis diuinis fit sermo.

QVÆST. CLXVIII.

An Religiosi ad chorum professi, nondum sacris initiati, qui ex præcepto nostræ regulæ ad recitandum diuinum officium tenentur, obligentur ad illud sub mortali?

RATIO dubij est, quia Regula, vt diximus ad peccatum mortale non obligat. 1

Sed hoc non obstante, tanquam certum tenendum est, eos ad id obligari sub mortali. Et ratio est, quia quamuis hæc obligatio primùm fundetur in regula, tamen eius modus obligandi etiam in nostra religione ortum habuit à cómuni consuetudine, qua apud omnes inductum est, choristas etiam sacris non initiatos officium prætermittentes peccare mortaliter. Non deficiunt tamen viri docti, qui meros choristas semel, aut iterum diuinum officium omittentes à peccato mortali excusent. Vide Arag. 2. 2. *qu. 83. art. 12.* cui fauet Sot. *lib. 10 qu. 5. art. 3.* 2

QVÆST. CLXIX.

An Nouitij ad chorum destinati persoluere diuinum officium teneantur?

PALVD. *in 4. di. 15 q. 5.* affirmat eos, sicut cęteros professos ad id teneri. 1

Quia instar professorum de eleemosynis laicorum viuunt.

2 Sed communis est omnium opinio, eos ab hoc onere esse immunes, & liberos. Ratio est, quia nondum sunt religiosi, nec firmiter sunt diuino obsequio mancipati.

Tum quia religiosis eo ipso quod Deo sunt addicti, debetur victus, & vestitus à Religione, quamuis nullum Ecclesiasticum officium persoluant. Ita Arag. 2.2.*q.*83.*ar.*12. Tolet. *lib.*2.*c.*12.Nau. *de oratione cap.* 7. *n.*4. & multi alij.

QVÆSTIO CLXX.

An laici, seu conuersi ad diuinum officium persoluendum teneantur?

1 PALVD. *in* 4.*d.*15.*q.*5. D.Anton. 3. *p.t.*13.*c.*8.Tab.*verb.hora,* & multi alij putant eos ad id teneri. Quia ex bonis secularium viuunt.

2 Sed cæteri communi consensu negant, & meritò quidem, quia vt diximus, regulares nullo naturali, aut diuino iure coguntur diuinum officium persoluere, sed consuetudine vbique recepta. At consuetudo huiusmodi conuersos ab hoc onere eximit: ergo.

Tum quia illorum munus in religione non est vacare exercitiis Ecclesiasticis, sed ministrare seruitiis clericorum.

3 Tum quia in omnibus ferè religionibus loco diuini officij conuersis imponitur certus orationum Dominicarum numerus, quem implere tenentur, & quod suo modo diuinum officium dici potest persoluendum, non est, cur mortaliter obligentur, cum neque ex consuetudine, neque ex iure, neque alia lege eos mortaliter obligari cõstet. Immo in nostra Congregatione Fuliensi, nec ad veniale obligantur, sed ad solam pœnam. Et idem fatetur Aragona *de conuersis sui ordinis Erem.S.Aug.*& summa *Corona de conuersis ordinis canonicorum regularium, & ordinis Prædicatorum.* Secus tamen est de conuersis ordinis sancti Francisci reformati, & S. Benedicti, qui monachi nigri vocantur, qui vt author est Summa Corona, ad mortale obligantur, vt constat ex eorum statutis.

Nec obstat argumentum Palud. 4
Quia etsi conuersi ex eleemosynis laicorum viuant, suo tamen modo pro illis orare censentur, dum clericis orantibus inseruiunt, eos à curis temporalibus excusando, vt deuotiùs, & attentiùs Deo vacent. Quod satis est, etiamsi aliàs ipsi non orarent, vt iustè monasterij eleemosynis viuant.

Et idem dicendum est de monialibus, religionem professis, quæ conuersæ dicuntur.

QVÆSTIO CLXXI.

An si religiosus destinatus ad chorum iusta aliqua de causa superioris authoritate ad conuersorum ordinem transferatur, eo ipso à diuino officio persoluendo sit liber?

RESPONDEO esse liberum. Et ratio 1
est, quia obligatio hæc recitandi non oritur ex vi, & natura religionis, sed ex consuetudine, & ex eo quod religiosus deputatur ad chorum: ergo qui iusta de causa superioris authoritate à choro penitus liberatur, eo ipso à penso diuini officij solutus censetur.

Et

2 Et confirmatur, nam si beneficiarius beneficium deponat,& non sit in sacris constitutus, ab eodem onere eximitur:ergo similiter regularis, qui legitima authoritate à choro diuellitur, ab eodem onere liberatur. Sotus *lib.10.q.5.ar.3.*

3 Hinc, religiosus ad triremes damnatus, vel è monasterio per sententiam definitiuam eiectus, liberari potest ab onere diuini officij, si legitima authoritate superioris ab eo statu,quo erat ad chorum destinatus,ad gradum conuersorum transferatur, eo quod non sit in sacris constitutus.

QVÆSTIO CLXXII.

An si regularis deputatus ad chorum Romani Pontificis priuilegio extra monasterium viuat, ab horis canonicis sit liber?

1 RESPONDEO aut in perpetuum extra monasterium viuere permittitur,aut ad tempus solum.Si primùm, ab horis canonicis liberatur. Quia eo ipso eximitur à choro, ratione cuius, consuetudine, & vsu eiusmodi onus existit. At si secundum, minimè, quia non est à choro in perpetuum liber.

QVÆSTIO CLXXIII.

An Regulares ad diuinum officium publicè, & in communi in suis monasteriis peragendum teneantur?

1 RESPONDEO teneri vt habetur *in Clem.1.§.ne igitur de celebrat.missarum,& in cap.1.adiuncta glossa,verbo* (persoluat) *eod.tit.* vbi definitur, officium diuinum publicè in Ecclesia dici debere.

QVÆSTIO CLXXIV.

An si Regularis absque rationabili causa choro non intersit, peccet?

RESPONDEO eum peccare.Et ratio est, quia hæc est peculiaris choristarum professio. 1

Tum quia ex vi iuris,& consuetudinis omnes tenentur publicè diuinum officium recitare.

Tum quia non caret culpa graui aliquem esse alicui muneri, vel ministerio deputatum,& tale ministerium non adimplere. 2

Tum demum, quia id nostra Regula præcipit *cap.8.& seq.*

QVÆSTIO CLXXV.

Sed totum controuersiæ dissidium versatur: An aliquando peccet mortaliter?

RESPONDEO eum peccare mortaliter,in 4. casibus. 1

Primò,si id facit ex contemptu.

Secundo,si contra speciale præceptum superioris.

Tertio,si ob eius absentiam chorus patitur damnum notabile.

Quarto, si crebro, per magnum temporis spatium sine iusta causa à choro se absentat. Sed hoc mihi displicet,quia consuetudo peccandi venialiter per se solum auget extensiuè numerum peccatorum venialium, & voluntatium in posterioribus peccatis;ex neutro autem augmento potest colligi peccatum mortale,quia multa peccata venialia non faciunt vnum mortale,vt omnes Doctores fatentur, nec maior voluntas sufficit ad pecca- 2

 tum

tum mortale, si materia, & aliæ circunstantiæ peccati eædem sunt, vt suppono, consuetudo ergo non transfert actum de se venialem in mortalem, & per consequens qui crebrò à choro se absentat absque iusta causa, per se non peccat nisi venialiter.

QVÆSTIO CLXXVI.

Qualis numerus fratrum sufficiat, vt regulares teneantur publicè, & in communi horas canonicas persoluere?

1 RESPONDEO difficile esse, in hac certam regulam præscribere, cum id ex varia in religionibus chori qualitate pendeat. Vnde numerus, qui in vna sufficeret, in alia esset minimè conueniens. Cæterum quamuis existimem certam regulam statui non posse omnibus religionibus communem, hoc tamen intelligitur, quando diuinum officium cum cantu celebratur, sic enim in religionibus taxari solet numerus eorum qui ad minus adesse debent in choro, vt preces horariæ cum cantu persoluantur. Tamen vt solum dicantur publicè, & in communi sine cantu, & vt dicitur, in directum, sufficiunt quatuor, qui duos choros componant, nam chorus vt S. Isidor. *lib. 1. de choris cap. 3.* testatur, propriè est multitudo canentium.

QVÆSTIO CLXXVII.

An Religiosus choro deputatus possit superioris authoritate, ad statum conuersorum transferri?

1 IN qua re certum est, non posse Prælatum subditum ordine sacro insignitum ad statum conuersorum transferre. Quia ratione ordinis ei onus recitandi diuinum officium incumbit.

Sed dubium est de clericis professis nondum sacris initiatis.

Nauar. *cap. Quando q. 21. n. 20. de consecrat. d. 1.* negat id fieri posse.

Contrarium tamen est proculdubio affirmandum cum Soto *lib. 10. q. 5. ar. 3.* Arag. *2. 2 q. 83. ar. 12.* Petr. de Ledesm. *2. tom. sum. tract. 9. cap. 4.* & Azor. *lib. 10. c. 6. q. 7.* Ratio huius est, quia nullatenus religionis status variatur, sed illæsus manet, nec hic ad aliam religionem transfertur, sed cum eisdem religionis votis, ligatus manet. 2

Deinde potest Prælatus licentiam indulgere, vt aliquis de vna religione ad aliam laxiorem transeat: ergo à fortiori poterit licentiam concedere, vt religiosus de statu clericorum, ad statum conuersorum intra eandem religionem descendat. Antecedens constat ex dictis in tertio libro. Consequentia verò probatur, nam etsi humilior sit is conuersorum status, est tamen durior, & asperior, & iuxta maiorem, aut minorem asperitatem diximus supra metiendam esse maiorem, aut minorem religionis perfectionem. 3

QVÆSTIO CLXXVIII.

Quæres, cuius Prælati authoritate hæc translatio fieri possit?

RESPONDEO Prouincialis, aut Generalis cum capituli consensu sicut de translatione ad aliam religionem æquè arctam, aut arctiorem diximus *in 5. libro.* Arbitror autem ad hanc translationem valide faciendam requiri iustam aliquam causam; quæ 1

est, vel punitio delicti, vel ineptitudo ad studium literarum.

2 Obiicies, P... latus non potest eximere relig... um destinatum ad chorum ab on... e recitandi diuinum officium: At ab eo vtique eximeret, si cum ad conuersorum statum transferre posset.

3 Respondeo non posse Prælatum per se, & directè eximere religiosum ab onere diuini officij persoluendi: at posse per accidens, remouendo eum à statu clericorum.

QVÆSTIO CLXXIX.

An Regulares qui in religione non laborant, nec aliis spiritualibus exercitiis deseruire volunt, peccent mortaliter?

1 RESPONDEO eos peccare mortaliter. Ratio est, quia in professione fit quidam contractus inter religionem, & profitentes, per quem religio illis omnia necessaria ad decentem sustentationem promittit, ipsi vero seruire religioni circa ea munera, ad quæ per professionem deputantur: ergo ex iustitia tenentur regulares actus suæ professionis in religione exercere, ac laborare.

2 Hinc, religiosi ad chorum deputati, qui sine iusta causa diuinum officium publicè cum aliis recitare ex consuetudine omittunt, aut missam celebrare, si Sacerdos sit, & alia choristarum munera ex consuetudine negligunt peccant mortaliter. Et ratio est, quia religio eos ad hæc munera cum conditione conferendi illis necessaria recepit.

3 Hinc, Conuersi, qui in ministeriis corporalibus, ad quæ per professionem deputantur, sunt notabiliter negligentes, peccant mortaliter. Ratio est, quia pactum in professione initum transgrediuntur. Et hoc est, quod S.Tho. 2.2.q.187.ar.4. ait de religiosis, qui otiosi in monasteriis ex eleemosynis viuere volunt, eos illicitè facere: tenet ergo D. Thomas eos peccare, & quia materia est grauis, certe peccant mortaliter contra iustitiam.

Et confirmatur, si religiosis laborantibus, & sua munera obeuntibus, Prælati eis necessaria ad victum, & vestitum denegarent, proculdubio peccarent mortaliter; non alia ratione, nisi propter dictum pactum tacitè in professione initum: ergo si ipsi non laborant, peccant etiam mortaliter contra iustitiam.

QVÆSTIO CLXXX.

Vtrum Monachi teneantur vnoquoque mense confiteri?

RESPONDEO teneri, vt habetur *in Clem. Ne in agro de statu monach.* vbi dicitur, vt singulis mensibus sacram confessionem faciant, siue in monasteriis, siue extra morentur. 1

QVÆSTIO CLXXXI.

Vtrum Monachi teneantur omni prima dominica cuiuslibet mensis communicare?

RESPONDEO teneri, vt habetur *in dicta Clem. Ne in agro. &c.* vbi dicitur, vt prima dominica cuiuslibet mensis in Monasteriis venerabile 1

sacra

sacramentum Eucharistiæ percipiant, nisi ex causa (quam Abbati, aut Priori, aut pœnitentiariis aperiant) eorumque iudicio, vel abstineant, vel accedant.

QVÆSTIO CLXXXII.

Quid nomine Monachorum hic intelligatur?

1 NAVAR. *in Man. cap.* 21. *nu.* 59. tenet intelligi solum Benedictinos, nempe eos qui nigro habitu vtuntur, quoniam ad eos dicta Clementina dirigitur.

2 Alij vero rectiùs docent, nomine Monachorum hic intelligi non solum Benedictinos, verùm etiam qui vestibus albis induuntur, cuiusmodi sunt Oliuetani, Cistercienses, Camaldulenses, Carthusienses &c. Ita Azor. *lib.* 12. *cap.* 19. *qu.* 17.

QVÆST. CLXXXIII.

An hoc præceptum obliget etiam moniales?

1 RESPONDEO obligare. Ratio est, quia masculinum genus comprehendit fœmininum. Nauarrus *cap.* 21. *nu.* 59.

QVÆST. CLXXXIV.

Quomodo computandi sint menses, quibus religiosi sacram peccatorum confessionem facere tenentur?

1 RESPONDEO mensem esse computandum à die, qua facta est vltima sacra peccatorum confessio, ac proinde numerari debent omnes dies, qui supersunt ex eo mense, & reliqui supplebuntur ex mense sequenti.

QVÆST. CLXXXV.

An si religiosus solum peccata venialia habeat, teneatur singulis mensibus confiteri?

1 ILLVSTRISSIMVS Caiet. *to.* 1. *opusc. tract.* 5. *qu.* 1. & Nauar. *de pœnitentia cap. Placuit d.* 6. *num.* 121. *&* 122. affirmant teneri.

2 At Syluest. *verb. confessio* 1. *qu.* 13. Sot. *in* 4. *d.* 18. *q.* 1. *art.* 3. Nauar. *cap.* 21. *nu.* 34. & Graff. *decis. aur. p.* 1. *lib.* 1. *ca.* 10. *nu.* 2. negant religiosum ad id obligari. Ratio huius est, quia Clementina illa *Ne in agro de statu monachorum*, nullatenus communem canonem, vtriusque sexus *de pœnit. & remiss.* mutat, sed solum tempus abbreuiat, vt quomodo omnes tenentur fideles singulis annis confiteri, si habent peccata mortalia, ita monachi teneantur singulis mensibus.

QVÆST. CLXXXVI.

An si in prima dominica mensis religiosus extra Monasteriū commoretur, accedere ad Eucharistiam teneatur?

1 RESPONDEO non teneri. Ratio est, quia *in dicta Clement.* dicitur (*in monasteriis percipiant*) cum tamen de sacra peccatorum confessione, dicat, confiteantur singulis mensibus, siue in monasterio, siue extra commorentur.

QVÆ

QVÆSTIO CLXXXVII.

An hoc præceptum vsu, & consuetudine abrogari queat?

1 RESPONDEO posse. Ratio est, quia est humanum. Vnde vbi ea consuetudo inoleuit, ne religiosi singulis mensibus confiteantur, aut ne prima cuiuslibet mensis dominica ad sacram communionem accedant, non est talis consuetudo damnanda.

QVÆSTIO CLXXXVIII.

An religiosus factus Episcopus, vel Cardinalis eo ipso à tribus religionis votis sit liber?

1 IN qua re conuenit inter omnes, teneri hunc Episcopum, vel Cardinalem, qui fuit religiosus, ad castitatem seruandam, sicut antea tenebatur absque vlla restrictione.

QVÆST. CLXXXIX.

Sed totum controuersiæ dißidium consistit: An religiosus Episcopus creatus à voto obedientiæ, & paupertatis sit liber?

1 ANGLES *floribus* 2. *p. qu. vnica de voto* tenet hunc religiosum Episcopum electum, esse his religionis votis absolutum.

2 Communis tamen, & vera opinio docet eum nequaquam esse votis solemnibus solutum. Et ratio est, quia hic manet verus religiosus. At hæc vota sunt de essentia status religiosi *c. Cum ad monasterium de statu monachorum*: ergo manet astrictus his votis.

Tum quia nulla est necessitas dispensandi cum illo in his votis, vtpotè quæ officio episcopali non obstant, nec dignitatem dedecent, sed magis iuuant ad perfectionem vitæ. At Romanus Pontifex nequit absque iusta causa in illis dispensare: ergo non dispensat eo ipso quod religiosus ad sedem Episcopalem assumitur.

3 Tum quia, etsi superior Generalis nulli superiori religionis obtemperare teneatur, sed soli Pontifici, non ob id à voto obedientiæ eximitur, cum id per accidens sit, eo quod superiorem alium non habet: ergo idem dicendum est de Episcopo: per accidens enim superioribus religionis obedire non tenetur, eo quod amplius eorum authoritati non subiicitur, sed solum Romano Pontifici subditur.

4 Et est conclusio definita *in cap. de monach. 16. qu. 1.* vbi dicitur de monachis, qui diu morantes in monasteriis, si postea ad clericatus ordines peruenerint, statuimus non debere eos à priori proposito discedere. Atque ita tenent D. Thom 2. 2. *qu* 88. *art. 11. ad 4. & qu.* 185. *art.* 8 *ad* 3. & 4. *sent. dist.* 38. *qu.* 1. *artic.* 4. Caiet. 2. 2. *qu.* 185. *art.* 8. Sot. *lib. vlt. quæst vlt. art. vlt.* Arag. 2. 2. *qu.* 88. *art.* 11. Nauar. *comm.* 3. *de regul. nu.* 46. Henriq. *lib.* 10. *de sacramento ordin. cap.* 32. *nu.* 5. Azor. *lib.* 12. *cap.* 7. *q.* 1. Valent. 1. 2. *d.* 10 *q.* 3. *p.* 8. Less. *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 19. & Vasq. 1. 2. *q.* 96. *art.* 4. *d.* 165. *cap.* 8.

5 Quare non placet, quod tradit Sotus *vbi supra* asserens obedientiam, quam religiosus Episcopus antea præstare cogebatur religionis Prælatis, commutatam esse in obedientiá summi Pontificis. Quia cum Pontifex sit omnium religiosorum supremus Prælatus, cui potissimùm religiosi votum

Xxx obe-

obedientiæ emittunt, non mutatur obedientia aliorum Prælatorum in hanc, sed eà cassata, manet hæc.

6 Hinc, religiosus ad dignitatem episcopalem promotus manet astrictus obtemperare Pontifici non solum generali obedientia, qua omnes Christi fideles tenentur ei obedire, & alia peculiari debita ratione iuramenti obediendi ipsi, quod omnes Episcopi præstant, sed etiam peculiari voto obedientiæ, quod omnes religiosi in solemni professione emittunt, vt recte docent Henriq. *lib.* 10. *de sacram. ord. cap.* 33. & Suar. *tom.* 2. *de relig. tract. de voto lib.* 6. *cap* 7. *nu.* 10. & alij.

7 Hinc, potest Pontifex virtute illius voti præcipere religioso ad Episcopatum promoto ea omnia, quæ sunt secundum religionis illius regulam, sicut ea potuissent præcipere superiores religionis, antequam ad dignitatem Episcopalem ascenderet. Ratio est, quia votum obedientiæ secundum regulam in religione emissum, non est cassatum, sed integrum perseuerat respectu Pontificis.

Hinc, potest religiosus ad religionem reduci ab ipso Pontifice. Quia respectu Pontificis votum obedientiæ in ea religione emissum manet illæsum, & solo ipsius Pontificis priuilegio est exemptus ab obedientia cæterorum Prælatorum religionis: ergo potest ab ipso Pontifice ad pristinam religionis obedientiam reduci. Et ita tenet Vasq. 1. 2. *q.* 96. *art.* 4. *disp.* 165 *cap.* 8. *nu.* 93.

8 Ex quo infertur, Episcopum depositum redeuntem ad monasterium indigere nouo obedientiæ voto, aut vt denuo Pontifex, qui est omnium religiosorum supremus Prælatus, eum subiiciat religionis Prælatis, ad hoc vt teneatur illis obedire. Et ratio est, quia cum omninò exemptus sit ab illorum obedientia, non potest se illis obstringere, nisi nouo voto, aut nisi summus Pontifex, qui est suus superior illis eum subiiciat.

QVÆSTIO CXC.

An religiosus Episcopus creatus, sit à voto paupertatis exemptus?

Et quidem certum est, teneri hunc ex vi voti repudiare dominium bonorum temporalium. 1

Sed dubium est, An huiusmodi religiosus Episcopus electus à voto paupertatis sit liber, acquiratque dominium redditũum Ecclesiasticorum, sicut alij Episcopi sæculares?

Sotus egregius Thomista *lib.* 7. *q.* 4. *art.* 2. Michael à Medina *lib.* 5. *de sacrorum hominum continentia capite* 26. Vasq. 1. 2. *qu.* 96. *artic.* 4. *disput.* 165. *cap.* 8. *num.* 91. & 104. & Angles *in materia de voto* tenent religiosum ad pastoralem dignitatem euectum eximi à paupertatis voto, effici que verum dominum redditũum Ecclesiasticorũ instar Episcoporum sæcularium.

Cæterùm nullatenus placet mihi hæc sententia, sed existimo eum non absolui à paupertatis voto, nec effici dominum redditũum Ecclesiasticorum, sed solum administratorem. Et ratio est, quia huius voti obligatio est de intrinseca natura religionis, vt apertè definitur *in capite Cum ad monasterium, de statu monach.* Sed religiosus per Episcopatum non desinit esse religiosus: ergo hoc voto non liberatur. 2

Tum quia vota, quæ talis in religione emisit, non laxantur, neque limitantur, nisi quatenus eorum obseruantia officio episcopali obstat, tanquam maiori bono, sed huic minimè 3

nimè obstat abdicatio omnis dominij, dummodo talis Episcopus habeat plenam administrationem omnium bonorum Ecclesiasticorum, qualem Iura illi permittunt, tum ad suam sustentationem, tum ad causas pias: hæc enim administratio sufficit ad tales actus.

4 Ex quo sequitur, Episcopum regularem eorum, quæ post dignitatem Episcopalem acquirit non habere verum dominium, sed tantum plenariam potestatem, vt ea dum viuit in quoslibet vsus decentes expendat, post mortem verò ad illius Ecclesiam, cui præest, non vero ad monasterium pertinebunt, vt habetur *ex cap. Statutum* 18. *q.* 1. Et ideo sentiunt D.Thom. 2. 2. *quæst.*88. *art.* 11. *ad* 4. *& quæst.*185. *art.*8. *ad* 3. *& in* 4. *sentent. d.*38. *quæst.*1. *art.*4. *quæst.*1. *ad* 5. Nauar. *Comm.* 1. *de regular. nume.*31. *& comm.* 2. *num.*17. *& comm.*3. *num.*46. Arag. 2. 2. *quæst.*88. *art.*11. Valent. 2.2. *d.*10. *quæst.*3. *part.*8. Cord. *cap.*2. *super regul. S. Franc. quæst.*20. *par.* 3. Azor. *lib.*12. *cap.*7. *quæst.*2. Henriq. *lib.*10. *de sacram. ord. cap.*32 *num.* 5. Roder. *tom.* 2. *qq. regular. quæst.* 58. *art.*3. *& p.*2. *sum. cap.*10. *num.*4. & plerique alij.

QVÆSTIO CXCI.

An religiosus Pontifex electus eo ipso à tribus religionis votis sit liber?

1 RESPONDEO non esse liberum. Quia militant in eo rationes traditæ de aliis Episcopis. Et per accidens est, vt nulli omnino subiectus sit, ex eo quod in terra superiorem non habeat. Atque ita tenent Nauarr. *comm.* 2. *de regular. nume.* 17. & Arag. 2.2. *quæst.*88. *art.*11. qui addit dominium bonorum temporalium manere apud Christum dominum. Non tamen est incapax eius dominij acquirendi, si de facto contra votū paupertatis vellet acquirere quia hæc incapacitas non prouenit ex natura voti, sed ex Ecclesiæ constitutione, cui Pontifex non subditur.

QVÆST. CXCII.

An religiosus ad dignitatem Episcopalem euectus, à regularibus obseruantiis sit liber?

DIFFICVLTAS hæc non est de obseruantiis non obligantibus ad culpam: ab iis enim constat, eum esse liberum, sed de illis, quæ secundum statutum ordinis obligant ad mortale, vel veniale. 1

Et quidem certum est, eum esse liberum à regularibus obseruantiis, quantum ad pœnas, & censuras, quæ in illis in transgressores indicuntur. Quia dedecet dignitatem Episcopalem, ita eum ad huiusmodi obseruantias teneri, vt si transgrediatur, subditus sit pœnis in illis decretis. Ita Caiet. 2.2. *quæst.*185. *art.*8. Sot. *lib. vlt. qu. vlt. art. vlt.* Azor. *lib.*12. *cap.*7. *q.*4. & communis. 2

QVÆST. CXCIII.

Sed dubium est, An remaneat liber quoad culpam?

IN qua re etiam est certum, eum absolui ab iis religionis obseruantiis, quæ officio Episcopali obstant, aut eius dignitati non congruunt, qualia sunt solitudo, clausura, silentium, & alia huiusmodi, vt rectè docet D.Tho. 1

D. Tho. 2.2.*q.*185.*ar.*8.*& q.*88.*ar.*11. *ad* 4. Ab aliis autem obseruantiis, quę per se, nec promouent perfectionem, nec etiam impediunt, sed in casu solum, iuxta varias circunstantias, potest talis Episcopus secum dispensare pro ratione loci, temporis, & personarum, cum quibus agit, sicut potuisset Prælatus dispensare cum illo, si adhuc subditus maneret, vt docet idem D. Tho. 2.2.*q.*185.*ar.*8.

QVÆSTIO CXCIV.

Sed totum controuersiæ dissidium consistit, de cæteris religionis obseruantiis, quæ Pontificium munus non impediunt, nec dignitatem dedecent, sed per se, vel in casu magis iuuant ad perfectionem vitæ?

1 ILLVSTRISS. Caiet. 2.2.*q.*185.*ar.*8. negat eum esse liberum. Ex quo infert, religiosum cui secundum Regulæ statuta interdictus est vsus carnium in feria sexta, peccatum mortale committere, si ad Episcopatum assumptus eis vescitur feria sexta in quam incidit Natale Domini. Quia *cap. explic. de obseruat. ieiun.* vbi indulgetur esus carnium illa die, excipiuntur qui ex voto, vel regulari obseruantia tenentur illa die ab illis abstinere.

2 Contra tamen, & meo iudicio probabilius sentiunt Nauar. *lib.* 3 *consi. tit. de regul. cons.* 15. *n.* 11. Valent. 2.2. *disp.* 10. *q.*3. *p.*8. Azor. *l. b.* 12. *c.* 7. *q.* 4 & Roder. 2. *p. sum. cap.* 10. *n.* 4 nimirum eum non obligari sub peccato ad illas obseruantias, præter vota, sed tantum ex quadam honestate, ac decentiæ debito. Ratio est, quia vt obseruantia regularis obliget aliquem sub peccato, necesse est, talem subiectum esse regulæ, & Prælatis, lex enim obligat tantum subditum. At religiosus factus Episcopus liberatur à iugo regulæ, vt patet ex illo *can. Statutum* 18 *q.* 1. ergo transgrediens in nullam incidit culpam. Eandem opinionem sequitur Caiet. sibi contrarius *in opusc. tom.* 1. *tract.* 25. *de obligat. præceptorum q.* 2. vbi sic ait: Episcopum vi statuti, aut legis, & constitutionis non cogi seruare religionis statuta, sed solum ex honestate rationis, & debito morali. Idem tenet Sotus *lib.* 10. *q.* 5. *ar.* 7. vbi ait, non magis obligari ad regulas religiosum Episcopum electum ex ordine Prædicatorum, in quo illę ad nullam culpam obligant, quam electum ex ordine Minorum, in quo multæ sub mortali astringunt, cum vterque religiosus transgrediens sit omnis culpæ immunis, vtpotè qui ad eas solum ex honestate rationis, & vinculo morali tenetur. Couar. *cap.* 1. *n.* 18. *de testam.* Angles *in materia de voto*, Emm. Sà *verb. Episcopus n.* 11. & plerique alij.

Ex quo deducitur primo religiosum factum Episcopum ex ordine S. Francisci nullatenus peccare, sed posse licitè carnes comedere in die Natiuitatis Domini, quando cadit in feriam sextam. Quia iam liber est à legali regulæ obligatione. Ita Caiet. Sot. Couar. & alij *vbi supra.* 3

Secundo deducitur, eum esse liberum ab onere, & penso diuini officij persoluendi secundum formulam regulæ monasticæ præscriptam. Quia regere Ecclesiam debet iuxta morem, & vsum clericorum, quibus præest. Azor. *lib.* 12. *cap.* 7. *q.* 4.

* * *

QVÆ

QVÆSTIO CXCV.

An si religiosus ille Episcopus creatus, esset ex familia Minimorum, peccaret mortaliter edendo carnes?

1 ET videtur quod sic, quia *dictus textus cap. Explicari de obseruatione ieiun.* excipit eos quoque qui ex voto tenentur à carnibus abstinere. At hi religiosi solemne huius abstinentiæ votum emittunt: ergo.

2 At verius est, eum posse carnibus vesci. Quia religiosus Episcopus immunis manet à votis, quæ præter substantialia ex religionis præscripto emittuntur, vt latè probat Sanch. *tom. 2. operis moralis lib. 6. cap. 6. numero 15.*

QVÆSTIO CXCVI.

A quo tempore religiosus Episcopus creatus eximatur ab obedientia Regulæ, & Prælatorum?

1 RESPONDEO à die confirmationis. Et ratio est, quia ab illa die est initum matrimonium inter ipsum, & Ecclesiam, & ita est sub speciali Romani Pontificis obedientia, & ex tunc iurisdictionem spiritualem exercere valet: ergo ex tunc ita censetur Romano Pontifici subiectus, vt à cæterorum superiorum obedientia, & à cæteris regulæ obseruantiis eximatur.

QVÆSTIO CXCVII.

An religiosus ad dignitatem Episcopalem euectus priuilegiis suæ religionis gaudeat?

RESPONDEO non gaudere. Ratio est, quia sicut liber est ab obedientia Regulæ, & superiorum regularium, ita quoque priuilegiis suæ religionis non gaudet. Ita Roder. *to. 2. qq. regular. q. 58. ar. 4.* qui affert motum Sixti IV. 1

QVÆSTIO CXCVIII.

An ea omnia dicta de religioso Episcopo electo locum habeant in religioso ad Cardinalatus dignitatem promoto?

RESPONDEO quod sic. Ratio est, quia Cardinalis in sua Ecclesia titulari habet iurisdictionem quasi Episcopalem, vt tenent Azor. *lib. 12. cap. 7. q. 4.* Roder. *tom. 2. qq. regul. q. 58. ar. 7.* & Sanch. *tom. 2. operis moralis lib. 6. cap. 6. n. 34.* Idem dicendum est de religioso promoto in Abbatem, aut aliam dignitatem habentem propriam diœcesim nulli Episcopo subiectam. Quia huiusmodi Prælati habent iurisdictionem quasi Episcopalem. 1

QVÆSTIO CXCIX.

An religiosus Episcopus creatus teneatur deferre habitum sui ordinis?

RESPONDEO teneri. Ratio est, quia hæc obligatio non ex regulæ præscripto, sed iure canonico, & consuetudine communiter recepta oritur. Nec hoc eius officio obstat, 1

Xxx 3 &

& est veluti quoddam signum obligationis ad vota regularia quibus astrictus est. Et est conclusio definita *in cap. Clerici officia de vita, & honestate clericorum*, vbi constitutum est, vt monachi in Episcopali gradu constituti habitum regularem gestent, ac teneant. Et ideò ita sentiunt D. Thomas 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 8. Sotus *lib. vlt. quæst. vlt. ar. vlt.* Nauar. *lib.* 3. *cons. tit. de regul. cons.* 15. *num.* 11. Emmanuel Sà *verb. Episcopus nu.* 11. Henriquez *lib.* 10. *de sacr. Ord. cap.* 32. *num.* 5. Roder. *tom.* 2. *qq. reg. quæst.* 51. *art.* 3. & Azor. *lib.* 12. *cap.* 7. *quæst.* 4.

QVÆSTIO CC.

An si Religiosus factus Episcopus sine causa habitum religionis deponat, sit excommunicatus?

1 IN qua re conuenit inter omnes, eum peccare mortaliter, si fine rationabili causa id facit, erubescendo, & contemnendo insignia suæ matris, quæ eum aluit, & ad altiorem statum euexit.

Sed quod in dubium vertitur est: An incidat in excommunicationem?

2 Maiolus *lib.* 2. *de irregular. cap.* 1. *num.* 13. Syluester *verb. religio* 7. *q.* 11. & Henriq. *lib.* 10. *de Sacram. ord. cap.* 33. *fine.* censent eum esse excommunicatum.

Couar. *de testam. cap.* 2. *n.* 18. fatetur rem sibi esse dubiam, & inclinat in partem negatiuam.

3 At verò alij rectius sentiunt eum non incurrere excommunicationem. Et ratio est, quia textus *cap. Vt periculosa*, loquitur de religioso sub superiorum potestate constituto, eiusque regulis astricto.

At religiosus Episcopus electus est à superiorum cura, & potestate liber. 4

Tum quia talis excommunicatio fertur, ne detur religioso materia vagandi, dimisso habitu, eo quod à nemine cognosceretur, quod in Episcopo religioso deficit, vtporè qui induens Episcopalem habitum minus aptus erit ad vagandum. Et ideò ita sentiunt Azor. *lib.* 12. *cap.* 7. *quæst* 4. & Roder. *tom.* 2. *qq. regul. quæst.* 58. *ar.* 3.

Est tamen hic aduertendum, quod in rituali Romano per Clementem VIII. reformato concessum est Episcopis regularibus, vt retento colore habitus suæ religionis possint se conformare cum Episcopis secularibus in forma, seu figura illius, & ita seruatur modo in praxi, vt Sanchez *lib.* 6. *cap.* 6. *numero* 22. annotauit. 5

QVÆSTIO CCI.

An Religiosus Episcopus creatus ratione regulæ, constitutionísve socium ex eodem ordine habere teneatur?

RESPONDEO non teneri, nisi ex solo honestatis, ac decentiæ debito. Ratio est, quia hæc obligatio solum ex regulæ, constitutionísve præscripto consurgit, quæ vt diximus, ex solo honestatis debito ligant. 1

QVÆ

QVÆSTIO CCII.

An si postea religiosus pastoralem dignitatem deponat, ad monasterium redire compellatur?

1 PALVD. *in* 4.*d*.38.*q*.4.*ar*.3. Abulens. *cap*.30.*Num*.*q*.109. Arag. 2.2.*q*.88.*ar*.11.& Azor. *lib*.12.*cap*.7. *fine*, tenent eum ad id compelli; ducuntur primo, quia communi omnium sententia, Episcopus tenetur ad omnia religionis onera, quæ munus Pontificium non impediunt, nec dedecent. At huiusmodi est, tunc redire ad monasterium, & eius Prælatis obedire.

Tum quia, si quispiam religiosus alieni ordinis monasterio præficiatur, & postea eam præfecturam deponat, tenetur ad pristinum monasterium redire.

Tum quia qui simplici voto ligatus, matrimonium contrahit, ac consummat, defuncta vxore, cogitur à secundo matrimonio abstinere: ergo cum deposito Episcopatu, vel papatu cessauit impedimentum redeundi ad religionem, & eius obseruantiam exequendi, tenebitur ad hoc.

Tandem, quia sic fecisse multi perhibentur, nam Cælestinus Papa hoc nomine V. Pontificatu deposito ad monasterium rediit.

2 Sed quamuis sententia hæc sit valde probabilis, probabiliorem tamen iudico contrariam, nimirum hunc ad id non teneri, sed manere in perpetuum exemptum sicut prius. Ducor quòd ratione dignitatis Episcopalis cum eo legitimè dispensatum sit, exemptusque sit ab obligatione obediendi Prælatis religionis, & obseruantiæ regularis. At hæc non cessat deposito Episcopatu: ergo ad pristinum religionis statum se conferre non tenetur. Quod est verum, siue deponatur ob demeritum, siue ob spontaneam renunciationem. Secus, si ex propria culpa ita depositus degradaretur, quia cum per degradationem exuatur omnibus priuilegiis ratione dignitatis concessis, cessabit quoque prædictum exemptionis priuilegium, & tenebitur ad religionem redire. Et ideò huius opinionis sunt Nauarr. *lib*. 3. *consil*. *tit*. *de regul*. *consil*. 15. *num*. 11. Emman. Sà *verb*. *Episcopus num*. 11. Henriq. *lib*.10.*de Sacram*. *ord*. *cap*. 32. Roder. *tom*.3 *qq*.*regul*.*q*.52. *ar*. 26. & plerique alij.

Nec obstant contrariæ partis argumenta. Nam ad primum respondeo religiosum effectum Episcopum teneri ad obseruantiam regulatem solum de honestate, & eodem modo tenebitur in hoc casu ad monasterium redire, non autem sub culpa. 3

Ad secundum nego similitudinem. Quia Abbas ille tantum eximitur ad tempus, at Episcopus eximitur in perpetuum.

Ad tertium dico esse disparem rationem, quia cum eo non est dispensatum in illo voto, sed eius vis omnino manet, licet obligatio exequutionis ob vinculum fortius superueniens impediatur. At cum Episcopo religioso sit dispensatio in perpetuum.

Ad vltimum dico eos sic fecisse solo decentiæ debito, non autem legali.

QVÆSTIO CCIII.

An qui temere suæ religionis habitum dimittit, sit ipso iure excommunicatus?

RESPON

1 RESPONDEO esse ipso iure excommunicatum, vt constat *ex c. Periculosa in 6.*

QVÆSTIO CCIV.

Quæ, & quotnam conditiones exigantur, ad hanc excommunicationem incurrendam?

1 RESPONDEO quatuor. Prima est, dimissio habitus facta à religioso professo.

Secunda, vt habitus illa dimissio sit suæ religionis.

Tertia, vt dimissio illa sit temeraria, idest absque causa iusta.

Quarta, & vltima, vt talis sit dimissio, quæ attentis circunstantiis sit apta ad periculose vagandum. Ita Caietan. *in summ. verb. excommunicatio cap.* 61. Valent. 2. 2. *d.* 1. *qu.* 12. *p.* 1. & Bañ. 2. 2. *qu.* 12. *art.* 1.

2 Hinc, si simplices Nouitij, vel Donati nostræ congregationis, aut Tertiarij ordinis S Dominici, vel Francisci, habitum deponant, vel clam, vt è monasterio exeant, & redeant, vel absolutè, ita vt nunquam redire intendant, hi non sunt excommunicati, quia non sunt religiosi professi.

Hinc qui Pontificis priuilegio habitum suæ religionis dimittit, in hanc excommunicationem non incurrit. Quia temerè habitum non dimittit.

3 Hinc, qui ex iusta, & rationabili causa habitum deponit, cum intentione illum reassumendi, non peccat, nec pœnam excommunicationis incurrit, vt si religiosus gratia lauandi, vel mundandi, vel causa morbi, vel metu mortis, vel periculi, aut mali alioqui grauioris habitum dimittit. Ratio est, quia hæc non est temeraria habitus dimissio.

Est autem hic aduertendum, quod ad excusandum ab hac excommunicatione non necessariò requiritur causa omninò iusta, & sufficiens ad liberandum à culpa habitus dimissionem, sed satis est, ac sufficit, vt causa sit apparens, quamuis à culpa non excuset ob ignorantiam culpabilem, vel imprudentem timorem. Quia quamuis tunc ea habitus dimissio sit mala, non est tamen temeraria. Ita Suar. 5. *tom. in* 3. *p. d.* 23. *sect.* 4. *nu.* 16. 4

QVÆSTIO CCV.

Quænam ignorantia à temeraria habitus dimissione excuset?

SAPIENTISSIMVS Nauarus *cap.* 27. *num.* 17. putat solam ignorantiam inuincibilem ab hac temeritate excusare. 1

At verius existimo excusare ignorantiam, etsi crassa sit, & supina. Quia vt rectè suo more Suarez *vbi supra d.* 4. *section.* 10. *nume.* 3. annotauit, hæc particula, *temere* idem est, quod scienter. At quando Ius punit eos qui scienter, aut temere aliquid faciunt, excusat ignorantia crassa, & supina, vt latè probat Sanchez *lib.* 9. *de matrimonio d.* 32. *num.* 36. 2

Tum quia ista particula, *temerè*, importat propriè aliquid facere ex contemptu legis vt docet Caietanus 2. 2. *quæstione* 53. *articulo* 3. At qui ex ignorantia crassa aliquid facit, dicitur quidem ignoranter facere, non tamen temerè, nec cum legis contemptu. Secus si ignorantia affectata, aut adeò crassa, vt esset quasi scientia, & ingens temeritas. Ita Suar. 3

Suar. 5. *to. in* 3. *p. d.* 4. *sect.* 10. *nu.* 3. & Sanch. *lib.* 9. *de matrimonio, disputatione* 31. *nu.* 39. *&* 40.

QVÆST. CCVI.

An ad hanc excommunicationem contrahendam necessario apostasia à religione requiratur?

1 RESPONDEO non requiri. Ratio est, quia textus capitis *Vt periculosa* solos relig.osos temerè habitum suæ religionis deponentes excommunicat. Hæc autem dimissio potest absque apostasia fieri, & è contra potest esse apostasia absque hac dimissione, vt ex infra dicendis patebit. Vnde religiosus deponens temerè habitum absque animo apostatandi, eã excommunicationem contrahit, & è contra quantumuis apostata sit, si non deponit habitum, non eam incurrit. Ita Nauar. *lib.* 5. *consi. de apostat. conf. vnico nu.* 7. Valent. 2. 2. *d.* 1. *q.* 12. *p.* 1. Roder. *to.* 1. *qq. regul. q.* 30. *ar.* 1. & alij.

QVÆSTIO CCVII.

An ad hanc excommunicationem contrahendam necessaria sit vna cum sui habitus dimißione, alterius habitus assumptio?

1 SVAR. 5. *tom. in* 3. *p. d.* 23. *sect.* 4. *nu.* 28. negat. Quia textus *dicti cap.* solum punit temere deponentes habitum suæ religionis.

Tum quia ea sola habitus dimissio dat sufficientem vagandi causam, quæ eius prohibitionis ratio præcipua fuit.

2 Sed quamuis sententia hæc sit valde probabilis, probabiliorem tamen iudico contrariam, nimirum exigi quoque ad hanc excommunicationem alterius habitus assumptionem.

Tum quia vt ipse etiam Suar. *ead. sect.* 4. *nu.* 27. testatur, tunc proprie aliquis habitum dimittit, quando alterum habitum assumit, ad se occultandum, & incedendo eo modo. At cum simus in materia odiosa, verba sunt in propria significatione accipienda. 3

Tum demum, quia moraliter loquendo sola proprij habitus dimissio non dat materiam vagandi; non enim homines nudi vagari solent. Et ideo hanc partem sustinent Nauar. *cap.* 27. *num.* 131. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 3. Bañ. 2. 2. *quæst.* 12. *ar.* 1. Roder. *tom.* 1. *qq. reg. quæst.* 76. *artic.* 6. Valent. 2. 2. *d. quæst.* 12. *p.* 1. Sa *verb. excommun. vbi de non reseruatis nu.* 9. & multi alij.

QVÆSTIO CCVIII.

An Religiosus qui in casu illicito habitum deponit, eo ipso in excommunicationem incidat?

ROSELLA *verb. excommunicatio* 1. *excommunicatione* 16. absolutè affirmat eum in excommunicationem incidere. 1

Communis tamen sententia est in contrarium, cui subscribendum censeo. Quia non quælibet illicita habitus dimissio dicitur temeraria. Nauar. *cap.* 27. *num.* 131. Roder. *to.* 2. *qq. reg. q.* 76. *ar.* 6. & Azor. *lib.* 12. *cap.* 17. *qu.* 9. 2

Hinc religiosus, qui intra, vel extra monasterij septa quadam animi leuitate ad horam habitum suæ religionis dimittit, vt dulcius somnum capiat, vel expeditius currat, aut saltet, vel lapidem proiiciat, vel vt se in

flumine lauet, non est excommunicatus, quia temere habitum non dimittit: quod est verum, etsi eo breui tempore religiosus ille alias vestes, habitu suæ religionis deposito induat. Suar. 5. *tom. in* 3. *p. d.* 23. *sect.* 4. *num.* 27. *&* 29. Immo secundum Caietanum *verb. excommunicatio cap.* 61. qui deponit habitum etiam per totam diem domestice manendo, excommunicationem non incurrit, si secularium conspectui non se exhibeat. Ratio huius est, quia hæc non est temeraria dimissio.

Tum quia in hoc casu cessat ratio legis, quæ pro causa adducit vagationem scandalosam.

Quare optime Syluest. *verb. excommunicatio* 9. *casu* 24. *num.* 53. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 131. & Roder. *tom.* 2. *qq. regul. quæst.* 76. *artic.* 6. tradunt religiosum induentem ad breue tempus vestes virgatas, vel partitas clericis omnino interdictas, vt festum amici celebret, vt nuptias, primum sacrum, doctoratum, non inuolui hac censura.

QVÆST. CCIX.

An qui ad breue tempus habitum dimittit causa diuagandi, aut eundi ad lupanar, vt dimittens incognitus incedat, hanc excommunicationem incurrat?

1 ET quidem certum est apud omnes, hunc peccare, vel contra suam regulam, vel contra debitam decentiam, & modestiam, vel quia præbet scandalum, vel ex intentione mala.

Secundò etiam certum est, hunc qui habitum dimittit, vt in cella cum muliere dormiat, non esse excommunicatum. Quia hic quamuis re vera habitum deponat, & grauiter peccet, quia dimittit, vt expeditius peccet, non tamen dimittit, vt liberius vagetur, aut sumat alium, sed deponit voluntate statim reassumendi.

QVÆSTIO CCX.

Sed dubium est, quando hic eo breui spatio dimisso proprio habitu suæ religionis, alium assumit, causa diuagandi, aut eundi ad lupanar?

SYLVEST. *verb. excommunicatio* 9. *num.* 51. Sayr. *de censuris lib.* 3. *cap.* 33. *num.* 13. *&* 14. & Roder. *p.* 1. *sum. cap.* 43. *num.* 1. affirmant hunc esse excommunicatum. Et hanc opinionem tenet etiam Suar. 5. *to. in* 3. *p. d.* 23. *sect.* 4. *nu.* 31. 1

Cæterùm nullatenus placet mihi hæc sententia, sed existimo hunc non incurrere excommunicationem. Et ratio est, quia vt quis hanc censuram incurrat, requiritur vt habitum suæ religionis moraliter dimittat. At dimissio momentanea non dicitur moralis dimissio, vt constat *ex l. diuortium. ff. de diuortio.* 2

Tum quia, licet ea dimissio momentanea ratione prauæ intentionis sit grauis, at in ratione dimissionis temerariæ, quæ sola subiicitur huic censuræ, censetur leuis, & moraliter loquendo potius expoliatio, quam dimissio dici debet. Et ideo hanc sententiam sustinent Tolet. *lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 3. Emman. Sa *verb. excommunicatio* vbi de *non reseruatis num.* 9. & Azor. *lib.* 12. *cap.* 13. *q.* 5.

QVÆST.

QVÆSTIO CCXI.

An religiosus qui intra monasterij claustra temere habitum deponit, sit excommunicatus?

1 ANGEL. *verbo excommunicatio 7. casu* 27. negat. Quia putat hanc iuris pœnam non contrahi, nisi religiosus habitum extra monasterium dimittat. Nam *in cap. Vt periculosa* dicitur *Qui in scholis, vel alibi*. Et quoniam in eo etiam capite causa redditur, vt libera euagandi occasio religiosis præcidatur.

2 Rosella *verb. excommunicatio 1. casu 16.* dicit hanc opinionem Angeli esse post factum amplectendam, at ante factum contrariam esse veriorem.

3 Alij vero vt Syluest. *verb. excommunicat. 9. num.* 54. Nauarr. *cap. 27. num.* 131. & Azor. *lib. 12. cap. 17. quæstion.* 15. affirmant. Et ratio huius est, quia textus *dicti cap. Vt periculosa* solam habitus dimissionem punit. Et quamuis hic religiosus intra septa monasterij existens, actu non vagetur, ea tamen dimissio, affert euagandi ansam, quam textus ea pœna interdixit. Quam opinionem censent esse veram Roder. *tom. 2. qq. regul. quæstion. 76. artic. 6.* & Sayr. *de censuris lib. 3. cap. 33. num. 13. & 14.* quando in monasterio habitu religionis dimisso, in alio habitu laicorum oculis patet, aut se illis obiicit.

***

QVÆST. CCXII.

An religiosus qui sine habitu dormit peccet mortaliter?

RESPONDEO minime. Et ratio est, quia hoc nullo iure cauetur. 1

Tum quia Ius clamat solum contra temerariam habitus dimissionem, quando videlicet religiosus habitu exutus, alioque assumpto oculis secularium patet ad tollendum scandalum: ergo eo cessante, non erit ibi temeraria habitus dimissio, aliter talis non solum peccaret mortaliter, verum etiam esset excommunicatus, quod nullus dicit.

Nec obstat Regula sancti Benedicti dicentis, vt monachi vestiti dormiant. Quia huiusmodi præceptum cum sit circa rem leuem, non obligat ad mortale.

QVÆSTIO CCXIII.

An qui non totum habitum, sed aliquam partem eius dimittit, hanc excommunicationem incurrat?

RESPONDEO non incurrere, si ea quæ retinetur, est proprius habitus religionis, quo satis cognosci possit. Ratio est, quia ista dimissio non est dimissio simpliciter, sed solum ex parte, & secundum quid. 1

QVÆSTIO CCXIV.

An qui suæ religionis habitum ita abscondit sub pallio, vt nihil foris prorsus appareat, sit excommunicatus?

1 ET quidem certum est, eum qui ob iustam causam habitum ita occultat, vt puta quia equitat, & non vult agnosci, cuius religionis sit, nec peccare, nec pœnam excommunicationis incurrere, vt habetur expressè *in cap. Deus qui, de vita, & honest. clericorum.*

Sed dubium est de eo, qui ex causa non rationabili, vel illicita habitum abscondit.

In qua re etiam conuenit inter omnes, eum peccare mortaliter.

QVÆSTIO CCXV.

Sed totum controuersiæ dissidium versatur, an etiam incidat in excommunicationem.

1 ILLVSTRISSIMVS Caiet. *in summa verb. excommun. cap. 61.* Nauarr. *cap. 27. num.* 131. Bañ. 2. 2. *quæst.* 12. *dub.* 1. Roder. *tom.* 1. *qq. regul. quæst.* 30. *artic.* 2. & *tom.* 2. *quæst.* 76. *art.* 6. & Azor. *lib.* 13. *cap.* 12. *quæst.* 5. *cap.* 17. *quæst.* 10. affirmant eum esse excommunicatum, quando ita habitum abscondit, vt à circumstantibus cognosci nequeat, cuius ordinis religiosus ille sit. Quia hic licet non dimittat habitum materialiter, dimittit tamen formaliter in quantum est talis religionis protestatiuus. Secus quando ab his cerni, & videri potest, quamuis ab aliis prætereuntibus nec videri, nec cognosci valeat, quia in hoc casu nec materialiter, nec formaliter habitum omnino dimittit, sed secundum quid.

Sed quamuis sententia hæc sit valde probabilis, probabiliorem tamen iudico contrariam, nimirum hunc non esse excommunicatum. Et ratio est, quia qui habitum occultat, nec materialiter, nec formaliter suæ religionis habitum dimittit, quamuis secundum quid aliqualiter dimittere dici possit. 2

Tum quia lex pœnalis vltra verborum proprietatem extendenda non est. At occultare omnino habitum, non est propriè, & in rigore dimittere.

Tum quia textus *dicti capitis Vt periculosæ* non prohibet omnem occasionem vagandi, sed eam, quæ est per habitus dimissionem.

Hinc, qui dimisso habitu professorum, habitum Donatorum peculiarem assumit, ita vt ille religiosus suæ religionis cognosci nequeat, excommunicationem incurrit. Quia ius expressè punit temere dimittentes habitum suæ religionis, & alium assumentes. At hic verè deponit habitum suæ religionis, nam is, quem assumit, non est habitus religionis, sed donatorum. 3

QVÆSTIO CCXVI.

An qui suæ religionis habitu dimisso, alterius religionis habitum assumit, sit excommunicatus?

IN qua re certum est, eum qui non transeundo ad aliam religionem, habitum alterius religionis assumit, esse excommunicatum. Quia dum hic ad aliam religionem non transit, datur ei magna euagandi causa. 1

QVÆ

QVÆSTIO CCVII.

Sed dubium est, quando transeundo contra ius ad aliam religionem ad profitendum habitum alterius religionis assumit?

1 NAVARR. *cap.*27.*num.*131.Azor. *lib.*12.*cap.*13.*quæst.*3.Suar.5.*tom. in* 3.*p. d.* 23.*sect.*4. *num.*32. affirmant hunc esse excommunicatum. Et probant, quia in *dicto cap. Vt periculosa* planè excommunicatur is qui suæ religionis habitum temere dimittit. At hic reuera deponit habitum religionis suæ, nam adhuc post ingressum in posteriorem religionem, prior religio verè sua est iure, & obligatione, & ea dimissio est temeraria, cum mortalis sit hic transitus.

2 Alij verò negant eũ esse excõmunicatum. Quia hic licet certæ religionis habitum deponat, tamen absolutè & simpliciter habitum religionis non dimittit.

Tum quia hic non dimittit suæ religionis habitum, vt liberè vagetur, quæ fuit ratio tam seuere id prohibendi. Vnde cum lex pœnalis strictè sit interpretanda, non videtur extendenda ad hunc casum. Nec sufficit, si dicas eum transire ad laxiorem religionem, vbi licentius viuat: quoniam satis est, si ad religionem migret, in qua sit absque vagationis periculo. Et ideò huius opinionis sunt Caietan *in summ.verb.excomm.cap.*61. Arag. 2.2.*quæst.*12.*artic.*1. Roder.*tom.* 2.*qq.regul.quæst.*76.*artic.*4.Sayr.*de censuris lib.*3.*cap.*38. *num.*17. & dicit esse valde probabilem Azor. *lib.*12.*ca.*13. *q.*5.*& cap.* 17. *q.*11. & eam tenet ibi *q.* 12. & hæc opinio mihi magis probatur, quando immediatè assumit alium habitum neque id facit animo vagandi, quæ fuit causa talis prohibitionis.

QVÆSTIO CCXVIII.

An qui suæ religionis habitu dimisso, alterius sumit, vt ad tempus illi religioni obsequium præstet concionando, vel disputando, sit excommunicatus?

AZOR. *lib.*12. *cap.*17. *quæst.*14. affirmat, hunc esse excommunicatum. 1

Alij vero negant. Quia is iusta de causa id facit, ac proinde habitum non videtur temere dimittere. Et ideò ita tenet Bañes 2.2. *quæst.*12. *artic.* 1. Quam opinionem arbitror esse veram, quando grauis necessitas alterius religionis, & lex charitatis id suadent, nec commodè id obsequium præstari potest retento propriæ religionis habitu: quoniam seclusis his circumstantiis, temeraria est dimissio. 2

QVÆSTIO CCXIX.

Quænam sit differentia inter religiosum fugitiuum, eiectum, & apostatam?

RESPONDEO fugitiuus propriè est is, qui sine Prælati sui licentia, è monasterio discedit, vt extra ipsius potestatem existens ad tempus liberè vagetur, interea animum habens redeundi, siue habitum exuat, siue non. 1

Eiectus est is, qui ob culpam suam extra monasterium expellitur.

At verò apostata est is, qui sponte à religione recedit animo ad eam nunquam redeundi. Et sic omnis apostata est fugitiuus, sed non è contra. Vnde apostasia idem est, ac retro statio, & deriuatur ab apo, quod est re, &

sto, quod est stare, vnde apostasia importat retrocessionem quandam siue separationem à religione, quam quis solemniter professus est.

2 Hinc, non sunt apostatæ mulieres, quæ vulgo vocantur Beatæ tertij ordinis S. Dominici, & Francisci, si ab eo statu retrocedant in perpetuum, matrimonioque copulētur contra vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ emissa. Ratio est, quia hæ solis simplicibus votis tenentur Ita Bañ. 2. 2. *quæst.* 12. *artic.* 1. & ibi Arag. *in dubio vnico.*

Sed hæc istorum ratio non valet, nam religiosi Societatis IESV solis biennij simplicibus votis astricti, per quæ veri professi efficiuntur, sunt verè, & propriè apostatæ, si ab eo statu retrocedunt, vt definitum est à Greg. XIII. in suo motu proprio. Quare vera ratio huius est, quia illa Beatarum Congregatio non est approbata à sede Apostolica tamquam religio, nec per ea vota constituuntur in statu vere religioso. At apostasia est ab instituto religioso recessus.

QVÆSTIO CCXX.

An qui è religione discedit animo ad eam numquam reuertendi, sed viuendi semper seculariter, habitu tamen ipsius religionis retento, sit verè, & propriè apostata?

1 RESPONDEO esse verè, & propriè apostatam. Ratio est, quia sicut habitus monachum non facit, sed instituti religiosi professio; sic apostatam reddit, ab instituto religioso recessus, etiam si habitus non dimittatur. Et è contra non est apostata, sed solum fugitiuus, qui dimisso habitu fugit ad tempus, si animum ad religionem redeundi habeat Caietan. 2. 2. *q.* 12. *art.* 1.

Hinc, caute sunt intelligendi D. Anton. 3. *p. t.* 16. *cap.* 6. & Syluest. *verb. excommunic.* 9. *casu* 24. dum appellant apostatam, religiosum qui ita suæ religionis habitum alio cooperit, vt nihil foris prorsus appareat, ij enim de apostasia largè, & impropriè sumpta intelligendi sunt; nam vt ex dictis constat, habitus dimissio, vel detentio nihil refert ad veram apostasiam, sed eam solus animus excutiendi obedientiæ iugum in perpetuum, deserendique monasticam professionem, constituit. 2

QVÆSTIO CCXXI.

An hic apostata attento iure communi excommunicationem incurrat?

HENRIQ. *lib.* 13. *de excommunic. cap.* 40. *num.* 1. Azor. *lib.* 12. *cap.* 17. *quæst.* 6. & plerique alij tenent eum ipso facto in excommunicationem incidere, nam *in cap. Vt periculosa*, ideò excommunicatio fertur contra eos, qui suæ religionis temere habitum dimittunt, ne periculosa religiosis euagandi occasio detur: ergo siue habitu indutus, siue eo exutus religiosus è monasterio recesserit, vt extra obedientiam libere euagetur, in excommunicationem incurrit. 1

Sed verius, ac probabilius multo est, hunc nulla excommunicatione ligari. Et ratio est, quia nullibi in iure canonino ea excommunicatio reperitur lata contra hunc apostatam: ergo non est asserendum. 2

Tum quia *in cap. Vt periculosa* solum excommunicatio fertur contra eum, qui temere suæ religionis habitum dimittit. At hic apostata, vt suppono,

pono, non deserit habitum suæ religionis, ergo non est excommunicatus.

5 Nec obstat finem eius excommunicationis esse subtrahere religiosis occasionem uagandi, quia non quamcumque occasionem huiusmodi apprehendit, sed occasionem ex habitus dimissione consurgentem. Immo dum retinetur habitus, non est ea occasio, quia apostatæ ex habitu cognoscuntur, & possunt capi, vt suæ religioni restituantur. Et ideò ita tenent D. Anton. 3. *p.t.* 24. *cap.* 53. Ang. *verb. apostata num.* 6. Tab. *quæst.* 12. *num.* 15. Caiet. *in summ. verb. apostasia* Arag. 2.2. *quæst.* 12. *art.* 1. & ibi Bañes *dub.* 1. Less. *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 15. Roder. *p.* 1. *summ. cap.* 43. *num.* 1. & Suar. 5. *tom. in* 3. *p.d.* 31. *sect.* 6. *num.* 1.

Dixi notanter *(iure communi)* nam per varia religionum priuilegia, ac earum constitutiones possunt excommunicationem incurrere, quæ tamen consulenda sunt.

QVÆSTIO CCXXII.

An apostata promotus ad ordinem sacrum, possit in ordine sacro ministrare?

1 RESPONDEO non posse, quantumlibet postea pœnitentia ductus ad religionem pristinam, redeat, vt expresse habetur *in cap. finali de apostatis.*

QVÆSTIO CCXXIII.

An apostata possit ad superiores ordines ascendere?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia cui vetita sunt minora, maiora intelliguntur illi prohibita. *cap. Cum illorum de sent. excommunicat.* At minus est, posse vti ordine suscepto, quàm posse ad superiores ascendere. Quia remoto defectu principali per dispensationem, cessat quoque consequenter defectus accessorius.

QVÆSTIO CCXXIV.

An apostata ad solos ordines minores promotus, possit in eis ministrare?

SYLVEST. *verb ordo* 5. *q.* 6. Henriq. 1 *lib.* 13. *de excommun. cap.* 39. *num.* 1. *& cap.* 40. *num.* 1. & Azor, *lib.* 12. *cap.* 17. *q.* 5. negant.

At oppositum est veriùs, quia textus *cap. fin. de apostat.* solum loquitur 2 de apostatis recipientibus ordinem sacrum, hisque solus vsus ordinis interdicitur: & absque vllo fundamento dicitur recipientibus ordinem minorē interdici quoque illius vsum, quia textus id non dicit. Et ideò ita tenet Suar. 5. *tom. in* 3. *p.d.* 31. *sect.* 6. *nu.* 2.

QVÆSTIO CCXXV.

An apostata rediens ad religionem possit ad omnes ordines promoueri?

RESPONDEO posse. Quia *eo* 1 *cap. fin. de apost.* solum ordinis sacri vsus in apostata recepti interdicitur, etsi post ordinem susceptum ad pristinam religionem redeat. At hic nullum ordinem sacrum durante apostasia recipit: ergo. Ita Suar. 5. *tom in* 3. *p.d.* 31. *sect.* 6. *num.* 5.

Dices, Paulus IV. *in sua extrauag.* 2 quæ incipit. *Postquam diuina bonitas:* omnes apostatas à religione ab omni cuiuscumque ordinis executione in perpetuum suspendit, & ab omni gradu, ab omnibusque beneficiis obtentis, & eos reddit inhabiles ad quoscumque gradus, & quæcumque beneficia in posterum obtinenda.

Respon

3 Respondet Sanch. *lib.6.cap.8.num.* 30. hanc Pauli IV. extrauagantem non esse vsu receptam, ac proinde non habere illam vim obligandi.

QVÆSTIO CCXXVI.

An religiosus ob aliqua grauia, atque enormia delicta, possit è monasterio expelli?

1 CORD. *in Clement. Ne in agro §. quia verò, de statu monachorum,* sequutus nonnullos Iurisperitos, quos ibi allegat, tenet ob nullum crimen posse iure communi à monasterio expelli, etiam si contumax, ac incorrigibilis sit, sed ad carcerem perpetuum, vel ad tempus detrudendum, ne eiectus religiosus occasionem sumat liberioris, & licentioris vitæ, cum magna multorum offensione. Eandem sententiam tenere videtur Armilla *verb. religio in fine*, vbi ait, quod nullus religiosus vtcumque malus, & facinorosus, si vult corrigi à religione debet expelli, sed eiusmodi est sequestrandus, atque incarcerandus, & in monasterio debet puniri secundum constitutiones Ordinis cuiusque cum hoc sit magis secundum charitatem, & conducens correctioni proximi, atque etiam ad vitandum scandalum. Ducunturque *ex cap. fin. de regul.* vbi religionum superiores iubentur apostatas, & fugitiuos, & eiectos ad monasterium reuocare.

2 Sed hoc non obstante, concors est Theologorum sententia, religiosos incorrigibiles, pestilẽtes, & scãdalosos posse, & debere è monasterio repelli etiam sine habitu. Probatur primo ex praxi omnium religionum.

Secundò, quia Regula sancti Augustini *cap. 20.* expressè tradit posse religiosum expelli, si nolit emendari: dicit enim sic. *Si quis emendatoriam subire vindictam recusauerit, de vestra societate proiiciatur; non enim hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat.*

Tertiò, quia Regula sanctissimi Patris nostri Benedicti *cap. 28.* apertè concedit monachum semel, & iterum fugientem è monasterio, posse recipi, si ad cor rediens reuertatur: at si tertio recesserit, eum non amplius admittendum. Immò etiam manifestè præscribit, monachum, qui sæpe admonitus, sese non emendauerit, ferro abscissionis eiiciendum, ne vna ouis morbida, totum gregem contaminet. Et *cap. 29.* dicit, frater qui proprio vitio egreditur aut proiicitur à monasterio. 3

Quartò, quia melius est, vt pereat vnus, quam vnitas vt docet D. Bernardus. Et *in cap. Resecandæ 24. quæst. 3.* habetur ex D. Hieronymo, resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus, & pecora, ardeat corrumpatur, putrescat, intereat. Arrius enim in Alexandria vna tantũ scintilla fuit sed quia nõ statim oppressa est, totum orbem, eius flamma est populata. Sicut enim clericus ob crimina omni Ecclesiastico priuilegio nudatus, ciuili magistratui, ac potestati traditur, sic religiosus si corrigi, & emendari nolit, ne cæteros offendat, aut corrumpat, extrudi, & eiici potest, vt pudefactus citius, facilius, ac promptius ad saniorem mentem redeat. 4

Quintò, quia bonum religionis commune præponendum est bono cuiuscumq; particularis, quãdo vtrũque simul haberi non potest, sed in hoc casu fieri non potest, nisi interdum à religione expellatur religiosus, qui prauo suo exemplo, & incorrigibilitate alios inficit, ergo ad tollendum. 5

lendum huiusmodi malum de loco sancto, licitum est, religiosum eiicere, quando aliter non potest debitè prouideri bono communi regularis disciplinæ, & honori totius religionis.

6 Sextò, quia frangenti fidem, fides frangenda est, vt habetur *in cap. Frangenti de regulis iuris.* Ergo qui in scandalum, & dedecus totius religionis incorrigibilis est, religio nō tenetur eum retinere, nec illi seruare pactum, quod in professione cum eo iniit de alendo, & retinendo illum.

7 Septimò, si religio esset desperabiliter deformata, religiosus posset ab ea exire, vt fatentur vniuersi: ergo similiter religio non tenetur sustinere illum, qui in dedecus, scandalum, atque totalem destructionem ipsius, est notabiliter deformatus, pestilens, & desperabiliter incorrigibilis, quia non est melior conditio vnius religiosi, quam religionis, & multorum.

8 Octauò probatur ex multiplicibus priuilegiis, quæ hac de re habentur in ordinum monumentis. In primis Alexand. Sextus concessit facultatem Generalibus ordinis Minorum, vt per semetipsos duntaxat, & Prouincialibus, & per eos cum consensu maioris partis capituli Prouincialis fratres dicti ordinis, quos incorrigibiles reperirent, habitu expoliare valeant, atque ab ordine eiicere. Pius etiam V. anno Domini 1566. Pontificatus sui anno 1. concessit ordini S. Hieronymi in Hispaniis quod capitulum generale, aut priuatum tantum, fratres delinquentes in casibus, quibus quis de iure communi pœna capitis punitur, posset perpetuo incarcerare, vel eosdem in perpetuum, seu ad tempus ad triremes relegare, & condemnare, & in aliis delictis grauioribus, & grauissimis, velut inobedientiæ, contumaciæ, seu incorrigibilitatis etiam eos vsque ad priuationem habitus inclusiuè punire, & castigare. Quam quidem concessionem volens postea modificare, considerans, quod Superior Generalis per constitutiones dicti ordinis habet omnimodam, atque ordinariam potestatem, quam Capitulum generale tempore quo celebratur, concessit dicto Superiori Generali facultatem relegandi, & condemnandi præfatos delinquentes ad perpetuas triremes seu ad tempus, necnon priuandi habitu, & ipsum habitum extrahendi, & auferendi per se, vel per suos ministros, dum tamen id faciat de consilio fratrum monasterij. Quibus priuilegiis fruuntur, ac frui possunt omnes Generales omnium aliarum religionum, priuilegium habentes communicationis.

Tandem videtur esse conclusio 9 definita *in cap. vltim. de regularib.* vbi tanquam certissimum, atque indubitatum præsupponitur, regulares eiici, atque expelli posse à religionibus. Nam ibi statuitur, vt fugitiui vel eiecti reducantur. Et *in cap. Cum ad monasterium de statu monachorum*, decernitur, monachum proprietarium expellendum. Et ideò ita tenent D. Bonau. *in opusc. de determinat. quæst. circa regul. S. Franc. cap. 24.* D. Thom. *quodlib. 12. quæst. vltim.* vbi ait, *Quoniam secundum Apostolum, malum est auferendum, ne modicum fermentum totam massam corrumpat: ideò religiosus si corrigi, & emendari renuerit, cum contumax est, merito repellitur.* Humbertus *in exposit. Regulæ S. Augustin. cap 99.* Turrecrem. *in expos. regulæ S. Benedicti tract. 18.* Angel. *verb. Abbas quæstion. 18.* Syluest. *verb. religio 6. quæsti. 17.* Tab. *v. religio. quæstion. 45.*

Nauarr. *comment*. 2. *de regul. num*. 33. Cord. *in explicatione Regulæ S. Franc. capit*. 2. *quæstion*. 1. Molina *tom*. 1. *de iustit. disput*. 1. Roder. *tom*. 1. *quæstion. regul. quæstion*. 30. *artic*. 14. Less. *lib*. 2. *cap*. 41. *dub*. 13. & Azor. *lib*. 12. *cap*. 16. *quæst*. 2.

QVÆSTIO CCXXVII.

An solus incorrigibilis possit è monasterio expelli?

1 D. Thom. Angel. Syluest. & Tabien. *locis suprà citatis* censent religiosum solum ob incorrigibilitatem posse è monasterio expelli.

Communis tamen opinio habet ob alia etiam crimina posse è monasterio dimitti.

2 At ego dico, iure communi non nisi eum, qui est incorrigibilis, posse è monasterio repelli. Et D. Thom. ac eius sequaces de hoc iure videntur loquuti: at iure peculiari, & instituto cuiusque religionis ob multas alias causas potest religiosus meritò expelli. Nam Regula nostra sancti Benedicti habet, ne religiosus tertiò recedens amplius admittatur, quamuis redeat. Aliæ verò Regulæ sunt, quæ constituunt, vt si quis certum delicti genus admiserit, aut in ipso in religionem ingressu certum impedimentum celauerit, libere expelli queat.

Nec obstat, quod huiusmodi causæ præter incorrigibilitatem non sint in iure expresse, quia sufficit illas esse ab Ecclesia approbatas, & notas Nouitio ante professionem.

* * *

QVÆSTIO CCXXVIII.

Quisnam religiosus censeatur incorrigibilis, ita vt possit ob eius contumaciam ab ordine expelli?

RESPONDEO in ordine fratrum 1
Minorum ille censetur incorrigibilis, secundum ordinationes generales Toletanas *cap*. 6. *de incorrigibilitate*, qui ter fuit iuridicè conuictus, & punitus de eodé crimine graui: & non fuit correctus. Et *in ordinationibus generalibus Vallisoletanis factis in cap. Generali celebrato anno domini* 1593. ad coërcendam delinquentium insolentiam, fuit declaratum illum dici incorrigibilem, qui ter fuit conuictus, & punitus de aliquibus criminibus grauibus etiam distinctis, & nunquam fuit emendatus. Et *in constitutionibus ordinis Prædicatorum nouiter impressis Romæ anno* 1566. definitur quod incorrigibilitas fratris, quare ab ordine est eiiciendus, est quando s. culpas non timet committere, & pœnas recusat ferre, vel ex earum sæpius repetita inflictione iudicio discretorum cognoscitur non proficere. Talis de consilio discretorum, si expediens iudicatur, potest Magister ordinis, vel Capitulum Prouinciale facere, vt exutus habitu de ordine expellatur.

QVÆSTIO CCXXIX.

Sed maius dubium est, quando religiosus ille non fuit ter conuictus, atque punitus de aliquo crimine graui, committit tamen multa enormia delicta, an ob ea censeatur quoque incorrigibilis?

SYLVEST. *verb. Abbas num*. 6. & 1
verb. incorrigib. censet in hoc casu eum

eum esse incorrigibilem, cui semel & iterum, atque iterum crimina,& delicta sunt condonata.

2 At Iulius Clar. *in sua practica crimin.q.36. nu.* 34. ait ex determinatione parlamenti Parisiensis, in criminibus, in quibus pœna mortis imponitur,declaratum fuisse ad hoc,vt quisque clericus reputetur incorrigibilis quantum ad effectum, vt degradatus tradi possit curiæ sæculari, satis esse, quod bis venia sibi data fuerit.

QVÆSTIO CCXXX.

An quando religiosus per iustam sententiam eiectus,ad pristinam religionem etiam correctus non admittitur, teneatur ex vi voti ad aliam religionem transire?

1 D Bonauent. *in Reg. S. Francisci quæst.*14. Cord. *cap.2.quæst.*21. *p.*3.D. Anton.3. *p.t.*1. *cap.*4. affirmant teneri. Hoc idem supponunt Ang. *verb. religiosus num.* 41. Syluest. *verb. religio 6. quæst.*12.& Armil. *verb.religio num.*15.dum dicunt hunc eiectum quando in suam religionem non admittitur, nec inuenit aliam, posse in seculo viuere. Ratio huius est, quia eo ipso quod in hac professus est, religioni in genere sese astrinxit: cum ergo in hac nequeat esse, tenebitur aliam ingredi.

2 Arbitror tamen contrarium esse affirmandum. Et ratio est, quia religiosus minimè vouit religionem in genere, sed hanc: ergo vel ad hanc, vel ad nullam tenetur.

Tum quia,etsi in ea professione generatim censeretur religio promissa, at iam manens in sæculo religiosus est,& tribus votis ligatus. Et ideò ita tenent Sotus *lib.7.quæst.2.ar.1.*Nauar. *comment.2.de regul.nu.*36. Molina *to.1. de iustitia disp.*140. Less. *lib.2. de iust. cap.*41.*dub.*15.Roder. *tom.1.qq. regul. quæst.*30.*art.*20.& Azor. *lib.*12.*cap.*16. *quæst.*7.

QVÆSTIO CCXXXI.

An Prælatus possit incorrigibilem è monasterio eiicere, iubendo ei, vt intra certum tempus ad aliam religionem transeat?

D Bonauent. *in regul. S. Franc. q.* 14. & Passarellus *in compend. priuileg. Minorum cap.*16 tenent posse Prælatum ad id cogere. Quia tempore, quo cogit, est religiosus ille sub eius obedientia & per professionem ita se religioni obstrinxit, vt nullo modo ei liceat ad sæculum redire. 1

At omnino tenendum est, nullum superiorem ad id cogere posse. Ratio est, quia cum Prælatus habeat iurisdictionem in suum subditum quanto tempore subditur illi, at simul vt priuatur habitu, desinit esse eius subditus: ergo non potest in illud tempus illum obligare,vt ad aliam religionem transeat. 2

Tum quia professio religionis debet esse voluntaria,sicut & matrimonium, ac proinde sicut in nullo casu potest quis ad matrimonium cogi ita nec ad religionis professionem: & si quis ob sua delicta damnari possit, vt in monasterium pœnitentiam acturus detrudatur, at vt in illo profiteatur cogi nequit. Et ideò ita tenent Nauarr. *Comment.*4.*de regul. num.* 71. Roder. *tom.1.qq.regul.quæstion.*30 *art.* 22.Vega *tom.2. summ. cap.*86. *casu* 13. & Less. *lib.2.cap.*41. *dub.*15. *num.* 114. addit nec Pontificem posse ad id cogere.

QVÆSTIO CCXXXII.

Sed quid, si hic ante ingressum in illum ordinem, vouerat religionem in genere?

1 SOTVS *lib.7. quæst. 2. art. 1. ad 3.* putat in hoc casu eum teneri aliam religionem inquirere, si in sua non recipitur, quia manet votum religionis, cui tenetur satisfacere.

2 Contrarium tamen est proculdubio affirmandum. Quia hoc votum religionis in genere sicut est simplex, ita etam perinde ac cætera vota simplicia, quæ ante emisit fuit per solemnem professionem extinctum, nec reuiuiscit per eiectionem à religione, nam è monasterio expulsus, religiosus adhuc est, & tribus votis obstrictus, quamuis per iustam, & definitiuam sententiam extra monasterium viuat. Et ideò ita tenent Less. *lib. 2. cap. 41. dub.15.* Sayr. *lib.6. cap. 11. dub.14.* & Azor. *lib.12. cap.6. q.5. & 7.*

QVÆSTIO CCXXXIII.

An si religio aliquem professum expellat absque iusta causa, peccet contra iustitiam?

1 RESPONDEO eam peccare contra iustitiam. Ratio est, quia professio est cõtractus reciprocus per quem religiosus obligatur perseuerare in ordine, & ordo vicissim obstringitur ad illum retinendum, & tractandum tanquam filium, nisi contingat illum ordini esse noxium: ergo si religio absque causa illum dimittit, peccat contra iustitiam.

2 Ex quo infertur, religiosum iniustè eiectum posse compellere monasterium vt ipsum admittat, & ab eo alimenta percipiat, quia iniustè eo iure spoliatus est Nau. *com.2. de regul. n.65.*

QVÆSTIO CCXXXIV.

An iuste à religione expulsus ad seruandam castitatem teneatur?

RESPONDEO certissimum esse, & omni dubio procul, religiosum per iustam, & definitiuam sententiam eiectum ad seruandam perpetuam castitatem teneri, eo prorsus modo quo in religione tenebatur: & constat de consuetudine Ecclesiæ, quæ nunquam tales à religione expulsos ad matrimonium admisit. Et ideò ita tenent Nauarr. *super cap. Non dicatis numer.33.* Sor. *lib.7. quæst.1. art.1.* Cord. *super reg. S.Franc. cap.2. quæst.21.* & Roder. *to.1. qq. regul. q.30. art.20.* 1

QVÆSTIO CCXXXV.

An religiosus per iustam sententiam eiectus sit à voto obediētiæ liber?

SOTVS *lib.7. quæst.1. art.1.* & Arag. *2.2. quæst.88. art.3.* affirmant esse à tali voto liberum, eo quod Prælatus eum reiecerit. 1

At omnino dicendum est, non esse à voto obedientiæ liberum, etsi cesset ex parte eius executio ob defectum materiæ, nempe, quia caret superiore, à quo dirigatur, tenetur tamen eam seruare quantum ad præparationem animi. 2

Tum quia certum est, eum non deobligari à voto castitatis, at eadẽ est ratio de voto obedientiæ: cum enim omnia æquè sint solemnia, ac religiosi essentialia, perpetuitate gaudent; nec potest eorum obligatio cessare per Prælati repulsam, sed suspendi, quia status

ſtatus eiecti non patitur eam obedientiam. Et ita tenent Nauar. *comm. 2. de regul. num.* 34. Cord. *ſuper regul. S. Fran. cap.* 2. *quæſt.* 21. *p.* 3. Roder. *tom.* 1. *qq. regul. quæſt.* 30. *ar.* 19. Azot. *lib.* 12. *c.* 16. *q.* 4. Suar. 5. *to. in* 3. *p. d.* 21. *ſect.* 1. *num.* 20. Vaſq. 1. 2. *quæſt.* 96. *ar.* 4. *d.* 165. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 15. & Mol. *to.* 1. *diſp.* 140.

QVÆSTIO CCXXXVI.

An iuſtè expulſus ad ſeruandum votum paupertatis teneatur?

1 SOTVS *lib.* 7. *de iuſt. q.* 1. *ar.* 1. negat, eo quod monaſterium eum non alat.

2 At dicendum eſt oppoſitum, ſcilicet teneri id votum ſeruare eo modo quo poteſt, nullius rei habendo proprium, ſed eorum quæ canendo, celebrando acquirit, ſolam adminiſtrationem habet, tum ad vitæ neceſſaria, tum ad aliquas pias cauſas de licentia, & beneplacito ſummi Pontificis, cui immediatè ſubiicitur.

3 Tum quia religioſus creatus Epiſcopus non liberatur tribus votis eſſentialibus, vt ſuprà probatum eſt: ergo multo minus eiectus. Nec Prælatus poteſt expulſum liberare vototum, & monaſticæ profeſſionis iugo, quia non poteſt facere de monacho, non monachum: immo de Romano Pontifice id multi negant, & quamuis verius ſit, id poſſe Pontificem, nunquam tamen id facit, niſi ex aliqua vrgentiſſima cauſa ob commune totius Regni commodum.

Demum, quia alias ex ſuo delicto commodum reportaret nempe exemptionem à votis. Et ideo hunc non eximi à voto paupertatis tenent Mol. *to.* 1. *diſp.* 149. Azor. *lib.* 12. *c.* 6. *quæſt.* 4. & alij ſupra citati.

QVÆSTIO CCXXXVII.

An iuſtè eiectus ad reliquas religionis obſeruantias, vt ad ieiunia, vigilias, delectum ciborum, ſilentia teneatur?

D. Anton. 3. *p. t.* 16. *cap.* 5. §. 3. Angel. *verb. religioſus num* 42. Syluest. *verb. religio* 6. *q.* 17. Armil. *verb. religio n.* 15. & Cord. *ſuper reg. S. Franc. c.* 2. *q.* 21. *p.* 3. affirmãt hunc ad hæc omnia teneri. Quia iniquum eſt, vt commodum exemptionis ex ſua iniquitate reportet. 1

At quamuis hanc ſententiam valde piam exiſtimem, & poſſet aliquis horum Doctorum authoritate nixus illam conſulere, & ſequi, non audeo illam approbare. Quia ſolido fundamento caret. Vnde abſolute dicendum eſt, hunc eiectum ad hæc non teneri. Et ratio eſt, quia hæc omnia comitantur vitam religioſam, & ratione ſolius religionis, à qua eiicitur, tenebatur ad illa.

Tum quia religioſus per ſe, & immediatè ſolum vouet tria eſſentialia vota, reliquas verò religionis obſeruantias mediate, ſuppoſito quod in eadem religione perſeueraret. Quare ſicut vouens religionem non tenetur ex vi voti ad ſpeciales regulæ obſeruantias, donec de facto religionem profiteatur, ita etiam à religione expulſus. Atque ita tenet Sotus *lib.* 7. *q.* 2. *ar.* 1. *Nauar. com.* 3. *de regul. nu.* 46. Arag. 2. 2. *q.* 55. *ar.* 3. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 15. Sayr. *theſ. caſuum tom.* 2. *lib.* 19. *nu.* 28. Emma. Sa *verb. religio num.* 40. Coſm. *Phil. to.* 1. *p.* 2. *lib.* 3. *c.* 21. & Conrad. *in ſuis reſp.* 1. *p. q.* 285. 2

3 Quare non placet, quod tradit Roder. *tom. 1. qq. regul. quæst. 30. artic. 19.* dicens prædictam doctrinam esse intelligendam de obseruantiis, ad quas non tenetur religiosus sub mortali. Ex quo infert fratres Minores expulsos non liberari à ieiuniis, ad quæ secundum regulam sub mortali obligantur. Sed non placet quia omnes prædicti doctores indistinctè loquuntur de religionis obseruantiis, & rationes adductæ hoc idem probant de omnibus. Et Nauar. docens eiectos esse absolutos ab obligatione regulæ, & ieiuniorum, mentionem facit de fratribus Minoribus.

4 Hinc, fratres Minimi in perpetuum eiecti à voto quadragesimalis vitæ sunt liberi. Et ratio est, quia huiusmodi votum emittitur vt annexum professioni illius vitæ religiosæ, & vt illam concomitans, & quasi accessorium. Cum ergo hi absoluti sint à principali vitæ religiosæ obligatione, liberabuntur quoque ab obligatione accessoria huius voti, non ita vt illud omnino cesset, sed vt eius obligatio suspendatur, dum hi extra religionem sunt. Ita Vega 2. *tom. sum. cap. 86. casu 16.*

QVÆST. CCXXXVIII.

An iniustè expulsi, ab obseruantia regulæ sint liberi?

1 RESPONDEO eos esse liberos. Ratio est, quia exemptio hæc non pendet ex iustitia, vel iniustitia expellentium, sed ex necessitate, & impossibilitate eiectorum, quæ æqualia sunt in eiectis iniustè. Ita Sanch. *lib. 6. cap. 9. nu. 57.*

QVÆST. CCXXXIX.

An Religiosi ad triremes damnati ab obseruantiis regularibus sint liberi?

RESPONDEO si in perpetuum damnentur, certum est eos esse liberos, quia eiectio est perpetua. At si ad tempus damnentur, & eo tempore finito admittendi sint ad religionem, censeo eos teneri ad obseruantias regulæ, quas possunt ibi obseruare, perinde ac religiosi qui iusta de causa cum superioris licentia ad tempus extra monasterium commorantur. Quia non sunt eiecti, sed verè illius religionis membra. 1

QVÆSTIO CCXL.

An in perpetuum eiectus, ad horas canonicas teneatur.

ET quidem, si sit in sacris, certum est apud omnes, ad id teneri. 1

QVÆSTIO CCXLI.

Sed dubium est, quando à religione eiectus non est sacris insignitus?

NAVARR. *cap nullum 18. q. 2. nu. 45.* & *in lib. de oratione cap. 7. nu. 20.* affirmat hunc ad id teneri. 1

At vero Sotus *lib. 7. q. 1. ar. 1.* & *lib. 10. q. 5. ar. 3.* negat; & merito quidem; quia hoc expressè non vouit, sed solum ad id tenebatur ratione religionis, à qua tamen est exclusus. 2

QVÆST.

QVÆST. CCXLII.

Cuinam maneat subiectus eiusmodi religiosus per iustam sententiam à religione expulsus?

1 RESPONDEO Episcopo loci, vbi reperitur, sicut cæteri alij clerici. Ratio est, quia cum hic religiosus eiectus, sit iam liberatus à suorum Prælatorum ordinaria iurisdictione, nec cogi possit redire ad monasterium, cùm etiam non esse debeat acephalùs, id est sine capite, manifestè colligitur quod esse debet subditus Episcopo loci, ad modum quo & Eremitæ etiam Episcopo subduntur. Ita Nauarr. *comment. 2. de regul. num.* 34. *& lib. 5. consf. t. de regular. conf.* 79. vbi etiam addit teneri hunc adire Episcopum suum, significando se esse religiosum à suo ordine expulsum, & suæ obedientiæ subiectum, paratumque suis iussis, & mandatis obedire, vt possit Episcopus curam illius habere.

QVÆSTIO CCXLIII.

An religiosus eiectus teneatur Episcopo obedire eo modo, quo ante ex vi voti tenebatur obedire suis Prælatis?

1 SAPIENTISSIMVS Nau. *Commen. 2. de regular. nu.* 34. *& lib. 5. conf. t. de regul. conf.* 79. affirmat hunc eiectum ex vi voti obedientiæ in professione emissi esse sub Episcopi obedientia, & potestate.

2 Quod si quæras, cui Episcopo debeat esse subiectus, originis, an domicilij, in quo situm est monasterium, an loci, in quem habitaturus se confert?

Respondet Nauar. eum subiici Episcopo originis, subdit tamen, posse Episcopum originis licentiam ei concedere transeundi ad aliam diœcesim, vt eius Episcopo subsit.

Cæterùm multo probabilius est, quod modo in toto orbe obseruatur, nimirum hunc ex vi voti solemnis obedientiæ non teneri Episcopo alicui obedire, sed tantum instar aliorum clericorum Episcopo subiici, in cuius diœcesi commoratur. Et ratio est, quia religiosus solemni more religionis promittit perpetuo obediturum tantum superiori illius religionis, & successoribus ipsius, non aliis extra religionem: ergo per iustam sententiam eiectus, non cogitur vi voti in omnibus Episcopo obedire, sed sufficit, vt instar aliorum clericorum obtemperet ei, in cuius diœcesi habet habitationis domicilium.

Tum quia ipse Nauar. *in cap. nullum nu.* 46. affirmat hunc non teneri aliam religionem etiam laxiorem ingredi, etiamsi religio, aut summus Pontifex id ei concedat, quia ad hoc nunquam se obligauit: ergo non tenetur aliter obedire Episcopo, quam cæteri clerici episcopatus, siquidem ad id etiam non se obligauit. 3

Tum quia hic, quamuis sit à religione expulsus, est verè, & propriè religiosus, sicut Episcopus ab episcopatu suo eiectus, vere, & propriè est episcopus, ac proinde ex vi voti debet eo animo esse, vt superiorum iussis obediat, si contigerit ipsum ad pristinum statum, & curam superiorum restitui, quibus obedientiam promisit. Et ideo ita tenent Molina *tom. 1. de iustit. disputat.* 140. Azor. *lib. 12. capit. 16. qu.* 11. & Less. *lib. 2. c. 41 dub.* 15. vbi addit hoc maxime locum habere in iis qui sunt ab Episcoporum iurisdictione exempti.

exempti: nam in non exemptis valde probabilis est sententia Nauarr. quia ex vi voti subsunt Episcopo, non tamen tenentur illi offerre, vt ipse eos dirigat, & ab ipso in omnibus dependeant, quia hunc modum viuendi non vouerunt. Immo Sanch. *lib. 6. cap. 9. num. 29.* tuetur huiusmodi eiectos nec esse sub obedientia Pontificis, quatenus est Prælatus regularis, sed solum quatenus est Pontifex. Quia militat eadem ratio, cum non vouerint obedientiam Pontifici vt Prælato religionis, nisi quandiu religio eos pateretur, & essent in illa.

QVÆSTIO CCXLIV.

Cuinam religiosus fugitiuus acquirat extra monasterium?

1 RESPONDEO suo monasterio acquirere, vt colligitur *ex c. Quanto de off. ordinarij, & cap. Abbas* 18. *qu.* 2. Sicut quidquid seruus fugitiuus acquirit, non sibi, sed domino acquirit. Ita Syluest. *verb. religio* 4. *qu.* 10. Nau. *cap. Non dicatis nu.* 65. & Azor. *lib.* 12. *c.* 16. *q.* 8.

QVÆSTIO CCXLV.

Cuinam acquirat religiosus è monasterio eiectus?

2 NAVAR. *comment.* 2. *de regular. num.* 33. tenet hunc non acquirere sibi, cum sit incapax cuiuslibet dominij pecuniarij ratione voti solemnis, à quo per suam culpam, & sententiam contra eam latam non absoluitur. Nec monasterio, quia tunc desinit esse membrum illius, nec ei subiicitur.

Tum quia eiectus per iustam sententiam habetur pro derelicto. Vnde veluti seruus derelictus, non amplius domino acquirit. In eandem sententiam propendet Azor. *lib.* 12. *cap.* 16. *quæst.* 9.

QVÆSTIO CCXLVI.

Cui igitur talis religiosus acquirit, si nec sibi, nec monasterio acquirit?

RESPONDET Nauar. eum acquirere quoad verum dominium Deo, quoad verò ius administrandi si sit exemptus Romano Pontifici, si non exemptus Episcopo, in cuius est potestate. 1

At verò Rosella *verb. religio* 1. *nu.* 1. dicit hunc nulli acquirere. 2

Sed hæc opinio caret fundamento, quia cum eiusmodi bona non habeantur pro derelictis, debent in alicuius dominio esse, alias primo occupanti concederentur.

Cæterum verius, ac probabilius existimo, eum acquirere monasterio, vel dominium si est capax, vel saltem commoditatem post mortem suam si non est capax. Ratio est, quia monasterium ob religiosi delictum, ratione cuius per sententiam iustam eiicitur, non debet amittere ius, quod habuit in bonis illius siue acquisitis, siue acquirendis. Neque enim per expulsionem ita desinit esse membrum religionis, vt hæc omne suum ius in illum perdat, cuius signum est, quod si ab ea reuocetur, tenetur ad religionem reuerti; quod si reuerti nolit, excommunicari præcipitur *in cap. fin. de regul.* & si se emendauerit, cogi possit religio illum admittere, nisi iustas causas habeat recusandi. Et ideo ita tenent Less. *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 15. & Molina *to.* 1. *de iust. disp.* 140. 3

Hinc

4 Hinc, religiosus expulsus ab ordine, nihil tanquam proprium potest sibi acquirere, aut capere, sed solum ius habet acquirendi vsum nudum eorum quibus ad victum, vestitum & habitationem indiget. Ita Less. *lib. 2. cap. 41. dub. 15.* Azor. *lib. 12. cap. 16. quæst. 4.* Sayr. *clau. reg. lib. 6. cap. 9. num. 18.* Mol. *tom. 1. de iustit. d. 140. & to. 2. d. 776.* & Nauarr. *comm. 2. de regul. nu. 35.* vbi addit, teneri hunc licentiam Episcopi obtinere, vt bona quæ comparat, conuertat in proprios vsus sibi necessarios. Sed merito hanc sententiam Nauarri Molina impugnat, quia eo ipso, quod ab ordine per iustam sententiam expellitur, censeri tacitè ei concessam administrationem, & commoditatem vsus rerum, quas comparat, non solum ad congruam sui sustentationem, sed etiam ad pias causas, & ad cõpetentes suo statui donationes faciendas, non tamen potest testari, quia iure est ad hoc inhabilis.

QVÆST. CCXLVII.

An si eiectus ea bona in vsus vanos, & illicitos expendat, sit proprietarius?

1 RESPONDEO esse proprietarium. Ratio est, quia cum non sit dominus, sed administrator non potest ea bona, quæ comparat in vsus profanos, & illicitos expendere, sed tenetur illa distribuere in eos vsus, qui cum paupertatis voto non pugnant. Poterit tamen vt diximus in vita sua facere donationes honestas, & eleemosynas moderatas, cùm plenam eorum bonorum administrationem habeat. Et in hoc omnes conueniunt.

QVÆST. CCXLVIII.

Sed dubium est, An si in vsus superfluos, & illicitos ea bona expendat, recipiens ad restitutionem teneatur?

MOLINA *tom. 2. de iustit. disput. 276.* & Less. *lib. 2. cap 41. dub. 15.* affirmant non teneri. Ratio est, quia commoditas tota illorum bonorum interim dum viuit, perinde ad ipsum spectat, ac si religiosus non esset; nec cuique cura est quomodo expendat, sed perinde quoad administrationem, acquisitionem, & alienationem eorum bonorum se habet, ac si dominium illorum haberet. 1

Cæterum nullatenus placet mihi hæc sententia, sed existimo hunc ad restitutionem teneri. Et ratio est, quia ille non est Dominus, sed solum administrator: ergo si contra mentem veri domini aliquid expendit tenetur accipiens illud restituere. 2

Tum quia si religiosi beneficia Ecclesiastica obtinentes, aut iustis de causis extra monasterium commorantes non habent à superioribus similem donandi licentiam, eum non possint Prælati eam, (ipso Molina testante,) eis concedere, ergo neque religiosi expulsi poterunt hanc facultatem habere, cum vere sint religiosi, nec sit rationi consonum, melioris debere esse conditionis, vt ampliorem habeant aliis potestatem.

QVÆST. CCXLIX.

Quid si aliqua religio in vniuersum deleretur, & religiosi permitterentur priuatim viuere, cuinam

Aaaa acqui

acquirerent id quod donatione, industria, arte, vel labore compararent?

1 RESPONDET Nauar. *commem. 2. de reg. n.* 34. eos acquirere quod ad dominium, & proprietatem artinet, Deo; quoad vsum nudum, qui est res facti, non iuris sibi, quoad verò ius administrandi Episcopis, in quorum obedientiam recidunt.

2 Alij verò rectiùs docent, earum rerum, quas illi religiosi acquirerent, vsus qui est res facti ad ipsos pertinere, ius vero administrandi, & dominium ad Romanum Pontificem, qui est supremus omnium religiosorum Prælatus in cuius potestate nunc sunt vniuersi religiosi ab Episcoporum iurisdictione exempti.

QVÆSTIO CCL.

An eiectus in perpetuum deferre habitum suæ religionis teneatur?

1 RESPONDEO non teneri, nec posse, quia cū eo spolietur per iustam sententiam, eo vti nequit. Naua. *comm. 2. de regul. nu.* 36.

QVÆSTIO CCLI.

An eiectus teneatur deferre habitum clericalem conditioni suæ conuenientem?

1 RESPONDEO teneri. Ratio est, quia religiosus per iustam sententiam eiectus habitum suæ religionis deferre absque Pontificis facultate non potest, vt supra probatum est, sicut nec deferre habitum alterius religionis, nisi ad eam transierit, ad quod vt diximus, non tenetur, ergo necesse est, vt clericali habitu conditioni suæ conuenienti vtatur, & ideò ita tenent Nauarr. *comm. 2. de regular. num.* 36. Azor. *lib.* 12 *cap.* 16. *quæst.* 13. Less. *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 15. Cord. *in exposit. reg. S. Franc. cap. 2. quæst.* 21: Sayr. *clau. reg. lib. 6. cap. 9. num.* 28. & Roder. 2. *tom. de Reg. qu.* 30. *art.* 26.

QVÆSTIO CCLII.

An religiosus per iustam sententiam eiectus teneatur emendare vitam, & ad monasterium redire, si eum suus superior velit recipere?

IN qua re conuenit inter omnes, eum qui per iustam sententiam est ad tempus condemnatus, vt extra religionem viuat, ac se emendet, teneri se emendare, habilemque reddere, vt recipiatur, nec excusatur, quin emendatus debeat se religioni offerre, quantumuis ab ea non reuocetur. 1

QVÆSTIO CCLIII.

Sed dubium est de eo qui per definitiuam sententiam Iudicis in perpetuum est è monasterio eiectus: An V. tunc emendatus ad religionem redire teneatur, si eum religio velit recipere?

NAVAR. *in cap. Non dicatis* 12. *quæst.* 1. *num.* 34. & 36. Sayr. *thes. casuum tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 9. *nu.* 26. Rod. *tom.* 1. *qq. regular. quæst.* 30. *art.* 20. & Azor. *lib.* 11. *cap.* 16. *quæst.* 6. & *cap.* 17. *quæst.* 1. putant hunc non teneri ad religionem redire, sed tuta conscientia posse 1

posse extra religionem, ex qua eiectus est, viuere, vt in eo iustam sententiam, & pœnam sustineat, immò nec posse per superiorem compelli, vt ad religionem redeat. Ratio est, quia per iustam sententiam eiectus in perpetuum, desinit esse membrum illius ordinis, à quo est repulsus: sicut seruus eiectus à Domino efficitur sui iuris, desinitque sub Domini potestate esse.

2 At multò verius est, teneri hunc totis viribus vitam in melius mutare, & ad monasterium redire, vt secundum ordinis disciplinam recipiatur; alioquin est in malo statu. Ratio est, quia religiosus tenetur ex vi voti vsque ad mortem manere in sua religione, ergo quantum in se est, tenetur id præstare, & impedimenta amouere: ac proinde cum fit ei potestas ad illam redeundi, tenetur redire ad implendum quod Deo promisit.

3 Et confirmatur, hic antea solum excusabatur, eo quod non erat in ipsius potestate in religione manere: ergo eum iam ad religionem regressus ei monasterio permittatur, resurgit vis obligationis.

Tum quia ex sua culpa non est sua conditio melior facta, vt iam sit deobligatus à religione promissa, vt constat, eiectio autem ei inflicta est in pœnam confusibilem, vt sic redeat ad cor, vel vt maiori malo, & scandalo ordinis prouideatur, non autem, vt per hoc ipse liberetur ab obligatione redeundi ad cor, & ad religionem, quamuis religio non teneatur ei ex culpa sua: ergo.

4 Tum quia facto diuortio per iustam sententiam Iudicis nocens tenetur reuerti, si innocens velit eum in gratiam recipere, vt omnes Doctores tradunt; non enim innocens per diuortium iure suo spoliatus fuit, cum illud in fauorem ipsius factum sit. Quod autem in fauorem alicuius factum est, non debet in eius damnum retorqueri, vt habetur *in regul. 6. de regul. iuris in 6.* ergo religiosus per sententiam definitiuam expulsus tenetur redire, si religio illum velit recipere. Probatur consequentia; quia sicut professio est spirituale coniugium, ita expulsio est spirituale diuortium. Et ideò ita sentiunt Sot. *lib. 7. quæst. 2. art. 5.* Arag. *2. 2. quæst. 88. art. 5.* Less. *lib. 2. cap. 41. dubio. 15.* Mol. *tom. 1. de iustit. d.* 140. Roder. *to. 1. qq. regular. quæst.* 30. *art.* 19. Cord. *in reg. S. Franc. cap. 2. qu. 21. p. 5.* Coint. Phil. *de offic. sacerd. tom. 1. par. 2. lib. 2. cap.* 21. Sayr. *cl. regia. lib.* 10. *cap. 9. num. 25. & 27.* Vasq. 1. 2. *quæst. 96. artic. 4. d.* 165. *cap. 8. num.* 87. Suar. 5. *tom. in 3. p. d.* 27. *sect. 5. num.* 20. & Sanch. *lib. 6. cap. 9. nume.* 31. vbi addit, non teneri eos dum extra religionem sunt, obedire Prælatis aliquid præter reditum, ad religionem præcipientibus, quia eo ipso quod eos eiecerunt, constituere eos extra ipsorum potestatem, & curam, ac subinde obedientiam.

QVÆST. CCLIV.

An si per iustam sententiam eiecti, voluerint, superiores eos plenè correctos admittere teneantur?

D. Bonauent. *in qq. quas fecit super reg. S. Franc. q.* 14. Cord. *super c. 2. reg. q. 21. p. 2.* D. Anto. 3. *p. tit.* 16. *c.* 5. & Sylu. *verb. apostasia qu.* 5. affirmant eos ad id teneri; Et probant *ex c. fin. de reg.* vbi præcipitur, vt quotannis superiores, eiectos, & fugitiuos requirãt, & monasteria eosdẽ recipere compellãt. 1

At pro certò tenendũ est, superiores 2

 nulla

nulla lege teneri ad eos recipiendos, etiamsi correcti, & emendati redierint. Ratio est, quia tales, sunt infames, & infames, religionum superiores nulla lege compelluntur ad religionem recipere; quin verò prohibentur idipsum facere per constitutionem Sixti V. qua statuit infames nullo modo posse ad religionem admitti, quæ constitutio licet loquatur de secularibus expostulantibus habitum, pari modo extendenda videtur ad prædictos eiectos, qui cum sint ab obedientia suorum superiorum exempti iam reputantur quasi seculares.

3 Tum quia si per iustam sententiam eiecti possent Prælatos compellere, vt illos iterum reciperent, idque ipsi facere tenerentur, frustrarentur profectò, & quasi inania redderentur tot priuilegia religionibus concessa, quibus superiores possunt fratres incorrigibiles in perpetuum è religione expellere: quod cùm non sit asserendum; dicendum est, superiores nulla lege teneri ad eos recipiendos, etiamsi correcti, & emendati redierint. Et ideò ita tenent Nauar. *comment. 2. de regul. n.* 36. Roder. *tom.* 1. *qq. regul. quæst.* 30. *ar.* 5. Azor. *lib.* 12. *c* 16. *q.* 2. *&* *cap.* 17. *q.* 2. & plerique alij.

Nec obstat dicta decretalis, quia loquitur de his qui iniustè, vel iustè, sed inordinatè non seruato iuris, neque regulæ ordine, sunt à religione expulsi: aut de iis qui sunt ad tempus eiecti. Secus autem de iustè eiectis per sententiam definitiuam rectè, & rite latam. Ita Nauarr. *suprà.*

Sed prorsus displicet hæc expositio, quia id caput absolutè loquitur de eiectis, qui propriè tales dicuntur, quando iustè eiecti sunt.

Tum quia loquitur de eiectis, qui secundum ordinem regularem non possunt amplius recipi, qui nequeunt esse iniustè eiecti.

4 Alij vero rectius dicunt, totum id decretum cùm sit iuris humani, consuetudine abrogatum fuisse, neque enim religionum Præfecti religiosos eiectos quotannis perquirunt, neque reducunt, neque reperiunt. Et esto, id decretum esset in viridi obseruantia, & ita obligaret, intelligendum esset quando sine maiori malo, vel sine aliorum damno, & scandalo fieri potest: non autem quando non potest commodè fieri, vt si sint omninò incorrigibiles, & in scandalum aliorum. Ratio est, quia salus proximi est procuranda, quantum potest, dummodo prouideatur maiori malo, præsertim quia tales non corriguntur, & melius est, vt tales damnentur alibi, quam in religione cum detrimento aliorum.

Tum quia sancta mater Ecclesia, quæ vult religionem in sua puritate consistere, non cogit, neque intendit Prælatos teneri recipere illos, quorum cõuersatio esset nocua, & dedecus religioni, tunc enim puniret innocentes, reosque foueret, & occasionem daret religionis corruptioni, per tales pestiferos, si eos teneri, vel recipi oporteret.

QVÆSTIO CCLV.

An iustè è monasterio expulsus possit propria authoritate ad aliam religionem licet laxiorem transire?

CORDVBA *in reg. S. Franc. cap.* 2. *quæst.* 21. *p.* 3. & Suar. *to.* 5. *in* 3. *p. d.* 22. *sect.* 5, *num.* 20. negant posse. 1

posse hunc ad aliam religionem transire absque speciali Romani Pontificis dispensatione.

At verò Angel. *verb. religiosus nu.* 42. & Tab. *verb. religio q.* 25. docent cum licentia sui Prælati posse ingredi religionem æqualem, vel laxiorem, quando nulla est spes, vt in propriam admittatur.

2 Cæterùm absque dubio tenendum est hunc per definitiuam sententiam Iudicis eiectum posse intrare sine vlla licentia, immo inuitis prioris religionis superioribus ad aliam religionem, siue strictiorem, siue æqualem, siue laxiorem, quam posset intrare, si numquam intrasset illam, à qua est iam solutus per talem sententiam iuridicam, per quam extincta est obligatio, qua tenebatur tali religioni, cum obligatio extincta non possit reuiuiscere iuxta *l. qui res. §. aream ff. solu.* Ratio est, quia hic liber est ab obedientia, & obseruantia illius religionis, & potest liberè in seculo manere: ergo à fortiori poterit aliam religionem ingredi. Quod intelligitur quando religiosus ille in perpetuum eiectus est, ita vt quantumuis correctus, nulla subsit spes vt admittatur. Nam quando correctus admitteretur, cum teneatur ad priorem religionem redire, & se corrigere, vt admittatur, manifestum est eum non posse ad aliam religionem transire absque legitima licentia. Et ideò ita tenent Nauarr. *lib. 3. consil. tit. de regul. consil.* 78. *num.* 2. Roder. *tom.* 1. *qq. regul. quæst.* 30. *art.* 21. Emmanuel Sà *verb. relig. num.* 40. Armil. *verb. religio n.* 15. Less. *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 15. & plerique alij.

QVÆSTIO CCLVI.

An si religiosus per iustam sententiam eiectus aliam religionem ingrediatur, teneatur redire, si eum religio repetat?

RESPONDEO non teneri. Ratio est, quia superior hoc ipso quod illū è monasterio eiecit, & habitu priuauit, ei licentiam concessisse conuincitur ad aliam religionem transeundi, quam reuocare non potest. Ita Less. *lib. 2. c. 41. dub. 15.* 1

QVÆSTIO CCLVII.

An si eiectus ad aliam religionem transeat, teneatur in ea iterum profiteri?

RESPONDEO teneri, non obstante quod ea religio eadem vota essentialia habeat, sicut prima, propter distinctas asperitates, quas secunda religio habet, quibus se de nouo astringi necesse est. 1

QVÆSTIO CCLVIII.

An si religiosus eiectus velit ad suum proprium ordinem redire, teneatur in eo iterum profiteri?

DOCTOR Nauar. *lib. 3. consf. tit. de regul. consf.* 64. *n.* 2. *& super cap. Non dicatis nu.* 36. quamuis dubius affirmat eiectum per iustam sententiam definitiuam à religione non posse ad illam redire, absque noua professione. 1

2 Alij verò rectius negant, noua professione indigere, quia à priori non est absolutus, sed eius obligatio ad tempus quo hic extra religionem manet, est quoad aliqua suspensa, nec est omnino à regulæ obseruantiis liber, sed solum quandiu iterum in religionem non admittitur. Et ita tenet Roder. *tom. 1. qq. regul. quæst. 30. art. 28.*

QVÆSTIO CCLIX.

An religiosus eiectus teneatur labore manuum suarum victum sibi quærere?

1 RESPONDEO non teneri, sed tuta conscientia posse ex mendicato cibo viuere, sicut cuicunque seculari liberum est omnia pauperibus erogare, & ex eleemosynis viuere. Ita Nauar. *com. 2. de reg. n. 37* & Azor. *lib. 12. c. 16. q. 14.*

QVÆSTIO CCLX.

An Prælati Regulares teneantur requirere fratres apostatas, & fugitiuos?

1 RESPONDEO eos ad id strictissimè teneri iuxta quandam decretalem *cap. à nobis extra de apostatis, & cap. ne relig. extra. de reg.* Quæ requisitio mandatur ibi fieri annuatim in tempore capituli. Quando tamen religiosus aliquis ita esset scandalosus, & periculosus aliis fratribus, vt aptè non posset capi, cogi, & detineri, non tenetur Prælatus reducere talem, ne aliis noceat, si non speratur posse emendari. Quia bonum commune præponendum est bono priuato. Ita Syluest. *verb. apostasia quæst. 6.* qui citat *cap. Resecandæ 24. quæst. 3.* quod est D. Hier. desumptum *ex epist. ad Galat. c. 5.* vbi inquit, *Resecandæ sunt carnes putrida, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus massa corrumpatur.* Hoc idem sentit D. Bonau. *in quæst. super reg. S. Franc. quæst. 14.* vbi sic ait. *Quod si Deo permittente aliqui seipsos eiicerent, gratia sunt Deo referenda, non quia illi peccauerunt, sed quod oues suas à pestifera contagione liberauit.* Vnde Apostolus ad Galat. 5. scribens ait: *Vtinam abscindantur, qui vos conturbant.* Si autem speratur correctio, si coerceatur, vel detineatur, tenetur Prælatus & corrigere, & cogere ad redeundum.

QVÆSTIO CCLXI.

An apostatæ, & fugitiui ad religionem redeuntes, sint à suis Prælatis benignè suscipiendi?

RESPONDEO esse benignè suscipiendos. Ita Glossa *communiter recepta in cap. à nobis de apostatis, ve b. resipiscant.* Vbi etiam dicit esse cum venia recipiendos, quia (inquit) Ecclesia nunquam consueuit redeuntibus claudere miserationis suæ gremium. Idem docuit Nauar. *in cap. Statuimus num. 13.* vbi sic ait: *eos qua parte fieri potest, tum blandiendo, tum docendo, inducendos esse, vt ad idem aratrum, in quod manum miserant, redeant, & iti pareant, vt contumacia, & inobedentia, quibus vsi sunt in duplicatam obedientiam, & reuerentiam commutentur. Et si ad id non potuerint induci, au[illegible]antur ex quibus impedimentis ad id peragendum. retardantur; & iuxta illorum varietatem* 1

eis

tis prouideatur, aliis quidem facta facultate transeundi ad eiusdem religionis monasteria, aliis ad altas eiusdem religionis prouincias, aliis ad alias religiones æquales, aliis autem ad laxiores, quod prudentia, & superiorum iudicio relinquitur.

2 Ex quo colligitur, qua benignitate sint isti perditi recipiendi, & tanquam oues errantes à pastoribus super humeros suos subleuandi, non extinguentes hæc ligna fumigantia, & hos calamos quassatos non infringentes exemplo Christi tam anxie, & sollicitè ouem vnam perditam quærentis.

QVÆSTIO CCLXII.

An Prælati possint vbique capere apostatas & fugitiuos?

1 RESPONDEO Prælatos posse capere, & vinctos in suum monasterium apostatas, & fugitiuos vbicunque etiam in curia Romana inuentos, siue dent operam rei licitæ, siue illicitæ: sicut qui possidet rem aliquam, potest propria authoritate vbicunque eam inuenerit, capere, & retinere iuxta *l. quis §. diff. ff. de acqui. possess.* Immò virtute etiam priuilegiorum possunt illos incarcerare, & excommunicare, ad hoc inuocato (si opus sit) auxilio brachij secularis, non tantum sibi subditos, sed etiam quoslibet alios eiusdem ordinis. Ita enim concessit Leo X. Congregationi Camaldulensi, & Eug. IV. Congregationi Montis Oliueti, & Congregationi sanctæ Iustinæ, & Clem. III. & Clem. IV. & Gregor. IX. Carthusiensibus prout refertur *in compend. priuileg. Cister. ordinis tit. fugitiuos §. 5.*

Hic etiā non immerito quærat aliquis: an Monasterium reuocans eiectos, aut fugitiuos, & apostatas, teneatur soluere expensas, quas religiosi illo tempore quo fuerunt extra monasterium pro alimentis fecerunt?

Et quidem loquendo de expulsis iniustè dicimus monasterium ad has expensas teneri, quia per eiusmodi eiectionem iniustam non sunt ab eo præcisi. 2

De expulsis autem per iustam sententiam, certum est monasterium ad has non teneri, cùm non sint amplius illius membrum.

Sed tota difficultas consistit de fugitiuis, & apostatis.

At existimo monasterium ad id non teneri, cum non teneatur eos alere, quandiu in fuga sint. Et ratio est, quia ideo monasterium tenetur religiosos alimentare, quia religiosi, ipsi inseruiunt. At apostatæ, & fugitiui sua culpa monasterio non seruiunt: ergo monasterium non tenetur eos alere.

Tum quia ex contractu, vel delicto religiosi, non tenetur monasterium, nisi quatenus ex illo factum est locupletius, in eiusque vtilitatem versus est contractus, vt colligitur *ex cap. Non liceat 12. q. 2.* At in hoc casu neutrum reperitur: ergo monasterium ad nihil tenetur. 3

Quæ doctrina est intelligenda de apostatis, vel fugitiuis, quandiu illi in fuga fuerint, nam si ab aliquo caperentur in monasterium reuocandi, vel ipsi pœnitentia ducti redirent, ex tunc ad necessarias redditus expensas monasteriū teneretur. Quia fit, quod ad eos reuocandos monasterium facere tenebatur.

QVÆ

QVÆST. CCLXIII.

An Nouitius è monasterio discedens teneatur soluere sumptus, quos in eo alendo monasterium fecit?

1 QVÆSTIO intelligitur quando seruitia religioni à Nouitio exhibita non æquiualent expensis illis, quia si æquiualerent certum est, eum ad illos sumptus non teneri.

QVÆST. CCLXIV.

Quæstio igitur est, quando seruitia ipsius non sunt æquiualentia expensis?

1 RESPONDEO non teneri. Et ratio est, quia probatio est in bonum vtriusque.

2 Tum quia si monasterium eum aluit, ipse quoque monasterio inseruiuit, & per accidens est, si ratione morbi, aut alia causa non inseruiat, aut sumptus mercedem laboris excedant: nam si labor excederet expensas, non haberet ius Nouitius mercedis excessum exigendi. Et ideò ita tenet Rosell. *verb. Nouitius nu.* 11. Syluest. *verb. Religio* 5. *quæst.* 8 Roder. *tom.* 3. *qq. regul. quæst.* 15. *art. vlt.* Azor. *lib.* 12. *cap.* 3. *quæst.* 6. & Emm. Sà *verb. religio num.* 8. Quod intelligo nisi pactum esset largiendi monasterio expensas Nouitij, vt in monasteriis monialium contingit: tunc enim siue nouitius perseueret, siue retrocedat expensæ debentur monasterio nulla ratione habita seruitiorum exhibitorum religioni.

QVÆST. CLXV.

An quæ dicta sunt de religiosis eiectis locum habeant in monialibus?

RESPONDEO quod sic. Quia omnes rationes adductæ ad probandum licitam esse religiosorum expulsionem, idem probant in Monialibus. Nec obstat præceptum clausuræ, quia id intelligitur, quandiu hæ moniales in monasteriis detinentur. 1

QVÆSTIO CLXVI.

Cuinam acquirant apostatæ, seu fugitiui à religione?

RESPONDEO attento iure communi eos acquirere monasterio, vt expressè definitur *cap. Abbas* 18. *qu.* 2. At attento motu proprio Greg. XIII. incipiente, officij nostri partes, eos acquirere cameræ Apostolicæ, intelligendo quando extra monasterium obirent. Quia ille motus tantum dicit succedere in hæc bona post mortem horum religiosorum cameram Apostolicam, & loquitur de bonis quomodocunque acquisitis siue ex testamento, siue ab intestato, siue industria religiosorum parata sint, siue quouis alio modo acquisita. Nauar. *lib.* 3. *consil. titu. de statu monach. cons.* 17. *num. vnico.* 1

QVÆSTIO CCLXVII.

An religiosus possit appellare à grauaminibus suorum superiorum?

Ratio

1 RATIO quæstionis est, quia multi Romani Pontifices id religiosis prohibuerunt, vt Alexand. IV. *in cap. Ad nostram* Innocent. III. *in cap. Cum speciali de appellat.* Quod & Bonifacius VIII. in singulari vetuit patribus Ordinis Minorum & Sixtus IV. Augustinianis, & Carmelitanis, & Eug. IV. monachis sancti Benedicti congregationis Casinensis aliàs sanctæ Iustinæ de Padua, & Iulius II. sub pœna excommunicationis hoc prohibuit fratribus, & monialibus ordinis Prædicatorum.

2 Non disputamus: An religiosus possit appellare ad curiam sæcularem, quia certum est, hoc omnibus regularibus esse interdictum per Greg. 13. *in cap. Cum speciali de appellat.* & Iulium II. sub pœna excom. papalis, cum laici non priuilegiati non possint cognoscere de causis Ecclesiasticorum.

QVÆST. CCLXVIII.

Sed dubium est de appellatione regularium ad suos veros ac legitimos superiores.

1 ET quidem si loquamur de appellatione à suorum superiorum iustis mandatis, ac correctionibus, quæ fiunt iuxta statuta regulæ, vel ordinis, & ad effugiendam regularem disciplinam, certum est non posse religiosum ab eis appellare, & hoc modo interpretantur omnia decreta Pontificum. Vnde si ego frango silentium post completorium, comedo carnes sine iusta causa, & debita licentia superioris, & propter hæc Prælatus pœnitentiam in constitutionibus taxatam mihi imponit, vt v. g. comedam in pane, & aqua in medio refectorij, non possum ab ea appellare. Quia me punit in casu manifesto iuxta meas constitutiones.

2 Si verò loquamur de appellatione facta propter iniquam sententiam contra aliquem latam non solum in causa ciuili, vel criminali, sed etiam in causa correctionis regularis, quia nimirum Prælatus malè procedit, aut notabiliter excedit modum correctionis, communis Doctorum sententia tenet, posse sic grauatum appellare à suo Priore ad Prouincialem, de Prouinciali, ad Generalem, & de Generali ad Illustrissimum Protectorem, & de Protectore, ad sacram congregationem Cardinalium, vel Romanum Pontificem iuxta decretum Sixti V. 1587. De quo decreto vide *compendium priuileg. verb. appellare in annot. capucini* §. 1. Cuius ratio ea esse potest quia appellatio est, quædam proprij iuris defensio: at quisque lege naturali ius habet seipsum tuendi: ergo. Et ideo ita tenent Nauar. *lib.* 2. *consil. tit. de appellat. cons.* 5. *& comm.* 3. *de regul. num.* 51. Azor. *lib.* 12. *cap.* 17. *num.* 11. Sayr. *lib.* 12. *cap.* 17. *nu.* 38.

3 Hinc, Prælatus qui sic appellantem non audit, vel alia via grauamen non tollit, peccat mortaliter, vt habetur ex *capite De priori de appellat.* vbi grauiter iubetur castigari Prælatum, qui appellationem non admisit. Et ad hoc, vt Prælatus peccet mortaliter non admittendo appellationem non requiritur, vt sententia sit iniusta, sed satis est, vt talis esse credatur, vt rectè docet Nauarr. *cap.* 25. *numero* 13.

QVÆSTIO CCLXIX.

An religiosus à Superiore inique supra modum vexatus, possit sine licentia ad suum Maiorem

 confu

QVÆST. CCLXIII.

An Nouitius è monasterio discedens teneatur soluere sumptus, quos in eo alendo monasterium fecit?

1 QVÆSTIO intelligitur quando seruitia religioni à Nouitio exhibita non æquiualent expensis illis, quia si æquiualerent certum est, eum ad illos sumptus non teneri.

QVÆST. CCLXIV.

Quæstio igitur est, quando seruitia ipsius non sunt æquiualentia expensis?

1 RESPONDEO non teneri. Et ratio est, quia probatio est in bonum vtriusque.

2 Tum quia si monasterium eum aluit, ipse quoque monasterio inseruiuit, & per accidens est, si ratione morbi, aut alia causa non inseruiat, aut sumptus mercedem laboris excedant: nam si labor excederet expensas, non haberet ius Nouitius mercedis excessum exigendi. Et ideò ita tenet Rosell. *verb. Nouitius nu.* 11. Syluest. *verb. Religio* 5. *quæst.* 8 Roder. *tom.* 3. *qq. regul. quæst.* 15. *art. vlt.* Azor. *lib.* 12. *cap.* 3. *quæst.* 6. & Emm. Sà *verb. religio num.* 8. Quod intelligo nisi pactum esset largiendi monasterio expensas Nouitij, vt in monasteriis monialium contingit: tunc enim siue nouitius perseueret, siue retrocedat expensæ debentur monasterio nulla ratione habita seruitiorum exhibitorum religioni.

QVÆST. CLXV.

An quæ dicta sunt de religiosis eiectis locum habeant in monialibus?

RESPONDEO quod sic. Quia omnes rationes adductæ ad probandum licitam esse religiosorum expulsionem, idem probant in Monialibus. Nec obstat præceptum clausuræ, quia id intelligitur, quandiu hæ moniales in monasteriis detinentur. 1

QVÆSTIO CLXVI.

Cuinam acquirant apostatæ, seu fugitiui à religione?

RESPONDEO attento iure communi eos acquirere monasterio, vt expressè definitur *cap. Abbas* 18. *qu.* 2. At attento motu proprio Greg. XIII. incipiente, officij nostri partes, eos acquirere cameræ Apostolicæ, intelligendo quando extra monasterium obirent. Quia ille motus tantum dicit succedere in hæc bona post mortem horum religiosorum cameram Apostolicam, & loquitur de bonis quomodocunque acquisitis siue ex testamento, siue ab intestato, siue industria religiosorum parata sint, siue quouis alio modo acquisita. Nauar *lib.* 3. *consil. titu. de statu monach. consil.* 17. *num. vnico.* 1

QVÆSTIO CCLXVII.

An religiosus possit appellare à grauaminibus suorum superiorum?

R...

1 RATIO quæstionis est, quia multi Romani Pontifices id religiosis prohibuerunt, vt Alexand. IV. *in cap. Ad nostram* Innocent. III. *in cap. Cum speciali de appellat.* Quod & Bonifacius VIII. in singulari vetuit patribus Ordinis Minorum & Sixtus IV. Augustinianis, & Carmelitanis, & Eug. IV. monachis sancti Benedicti congregationis Casinensis aliàs sanctæ Iustinæ de Padua, & Iulius II. sub pœna excommunicationis hoc prohibuit fratribus, & monialibus ordinis Prædicatorum.

2 Non disputamus: An religiosus possit appellare ad curiam sæcularem, quia certum est, hoc omnibus regularibus esse interdictum per Greg. 13. *in cap. Cum speciali de appellat.* & Iulium II. sub pœna excom. papalis, cum laici non priuilegiati non possint cognoscere de causis Ecclesiasticorum.

QVÆST. CCLXVIII.

Sed dubium est de appellatione regularium ad suos veros ac legitimos superiores.

1 ET quidem si loquamur de appellatione à suorum superiorum iustis mandatis, ac correctionibus, quæ fiunt iuxta statuta regulæ, vel ordinis, & ad effugiendam regularem disciplinam, certum est non posse religiosum ab eis appellare, & hoc modo interpretantur omnia decreta Pontificum. Vnde si ego frango silentium post completorium, comedo carnes sine iusta causa, & debita licentia superioris, & propter hæc Prælatus pœnitentiam in constitutionibus taxatam mihi imponit, vt v. g. comedam in pane, & aqua in medio refectorij, non possum ab ea appellare. Quia me punit in casu manifesto iuxta meas constitutiones.

Si verò loquamur de appellatione facta propter iniquam sententiam contra aliquem latam non solum in causa ciuili, vel criminali, sed etiam in causa correctionis regularis, quia nimirum Prælatus malè procedit, aut notabiliter excedit modum correctionis, communis Doctorum sententia tenet, posse sic grauatum appellare à suo Priore ad Prouincialem, de Prouinciali, ad Generalem, & de Generali ad Illustrissimum Protectorem, & de Protectore, ad sacram congregationem Cardinalium, vel Romanum Pontificem iuxta decretum Sixti V. 1587. De quo decreto vide *compendium priuileg. verb. appellare in annot. capucini §.1.* Cuius ratio ea esse potest quia appellatio est, quædam proprij iuris defensio: at quisque lege naturali ius habet seipsum tuendi: ergo. Et ideo ita tenent Nauar. *lib. 2. consil. tit. de appellat. cons. 5. & comm. 3. de regul. num. 51.* Azor. *lib. 12. cap. 17. num. 11.* Sayr. *lib. 12. cap. 17. nu. 38.* 2

Hinc, Prælatus qui sic appellantem non audit, vel alia via grauamen non tollit, peccat mortaliter, vt habetur ex *capite De priori de appellat.* vbi grauiter iubetur castigari Prælatum, qui appellationem non admisit. Et ad hoc, vt Prælatus peccet mortaliter non admittendo appellationem non requiritur, vt sententia sit iniusta, sed satis est, vt talis esse credatur, vt rectè docet Nauarr. *cap. 25. numero 13.* 3

QVÆSTIO CCLXIX.

An religiosus à Superiore iniquè supra modum vexatus, possit sine licentia ad suum Maiorem

confugere, vt tanquam pater eum protegat?

1 BAñes præclarus Thomista 2. 2. *qu.*12.*art.*1 negat.

2 Alij vero rectiùs docent eum posse è monasterio exire, dummodo id faciat alium superiorem adeundi gratia, cuius authoritate ab iniqua vexatione liberetur, nec in apostatæ pœnas incurrit. Et ratio est, quia hic ius habet se tuendi,& eo ipso quod egreditur, vt alium superiorem adeat perfugij causa,eum tacitè videtur appellare.

Tum quia de iure non est petendus consensus ab eo, ob cuius grauamen tollendum ad superiorem recurritur. Et ideò ita sentiunt Nauar. *comm* 2. *de regul. num.*61. *& comm.*3. *num.*51.Arag. 2.2.*quæst.*69.*art.*3.Roder. *tom.*1.*qq.regul. quæst.*30.*art.*4.& Sayr. *in clau.reg.lib.*12.*cap.*17.*nu.*40. Quod puto esse verissimum, quando certo,& euidenter constat religiosum à suo superiore iniquè vexari, nec aliud remedium habere, nisi à monasterio recedendo suum superiorem adierit, vt seipsum possit apud illum tueri.

3 Nec obstat Conc. Trident. *sess.*25. *cap.*4. *de regul.* quatenus statuit, vt nullus religiosus à suo monasterio recedat, etiam causa adeundi superiorem sine licentia in scriptis obtenta. Quia intelligitur de illo qui superiorem adit non ex aliqua graui, sed leui, aut leuissima causa, vt rectè explicuit Arag 2.2. *quæst.*69.*art.*3. vbi ait hoc posse fieri in negotiis grauibus,in causis autem minimis ad superiorem accedere non licet, quia vergit in maximum religionis detrimentum.

Opinio tamen Bañ potest teneri, quando ex tali fuga ad superiorem, sequeretur scandalum,& perturbatio magna religionis propter ignorantiam causæ,qua dictus religiosus mouetur ad talem fugam.

QVÆST. CCLXX.

An religiosus perpetuo carceri damnatus possit fugere ab eo?

IN qua re certum est apud omnes, sæcularem,quamuis sit clericus,qui detinetur in carcere propter aliquod delictum graue, ex quo potest sequi mors, aut abscissio alicuius membri posse tuta conscientia ab eo fugere,vt rectè Docet D.Thom.2. 2. *quæst.*69. *art.*4.*ad* 2. & Caietan. *ibid.*Immò secundum Sotum *lib.*5.*qu.*6.*ar.*4.potest licitè perfringere compedes,portas,& parietes,dummodo abstineat ab omni vi, personali percussione, & occisione. Quia cui licitus est finis, licita etiam sunt media: ergo cui licita est fuga,licitum est se ad eam expeditum reddere,eiusque impedimenta remouere.Quod procedit licet etiam multi alij fugerint,videntes apertam portam,quia talis vtitur iure suo, & non tenetur custodire reliquos.Immò qui fauet huic carcere detento porrigens illi limam, aut alia instrumenta, non peccat nisi iste sit iustitiæ minister,cui commissa sit eius custodia. 1

QVÆST. CCLXXI.

Sed tota difficultas versatur de religioso.

BAñes 2.2. *q.*69 *art.*4. tenet posse eum fugere, non quidem ad vagandum, aut habitum dimittendum, sed ad impetrandam illius pœnæ veniam 1

niam à superiore Prælato, vel à Romano Pontifice.

2 Alij verò probabilius existimant, non posse, sed teneri ibi permanere etiam ante condemnationem, vbi Prælatus iussit illum stare. Et ratio est, quia religiosus per votum obedientiæ sua se libertate priuauit exeundi.

Tum quia Conc. Trident. *sess.* 25. *de regul. cap.* 4. interdixit regularibus aditum ad superiorem nisi ab eodem missi, aut vocati fuerint. Et ideò ita tenent Caietan. 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 4. *ad* 2. Nauar. *comm.* 4. *de regul. num* 64. Sayr. *clau. reg. lib.* 12. *cap.* 18. *num* 9. & plerique alij. Quod debet intelligi quando iustè, ac legitimo iuris ordine seruato est in carcerē coniectus, vt docet Couar. *lib.* 1. *variar. resol. cap.* 2. *num.* 14 & Nauar. *cap. statuimus* 14. *quæst.* 3. *num.* 63. & Roder. *tom.* 1. *qq. reg. q.* 12. *ar.* 6 Secus si carcer sit iustus, modus tamen quo in eo detinetur sit iniustus, quia ibi non haberet, necessaria ad victum & vestitum, quia in tali casu non solum posset fugam arripere, sed etiam carcerem perfringere, catenas limare, & alia facere, dummodo non inferat violentiam ministris. Immò si aliquis confrater ei fugam, & vinculorum diruptionem consuleret, dummodo non sit custodiæ minister, non peccaret, quia quod ego possum licitè facere, idipsum possum alteri consulere, vt faciat, nisi ratione officij prohibeat. Immò nec etiam peccaret si eidem carcere detento instrumenta porrigeret, quibus vincula effringeret. Quia si possum huic consulere finem, cur non etiam porrigere media ad illum consequendum, cum consilium non sit aliud, quam spirituale quoddam instrumentum. Non tamen potest iuuare reum effringendo exterius carcerē, & rumpendo vincula. Quia solum reus ad id habet ius, propter maximum incommodum quod ipsi imminet.

QVÆST. CCLXXII.

An religiosus ad carcerem coniectus, iussusque à superiore ibi manere, possit licitè fugere, si pœna mortis, aut mutilationis ei imminet?

ILLVSTRISSIMVS Caiet. 2. 2. *qu.* 69. *art.* 4. Valent. 2. 2. *d.* 5. *qu.* 12. *p.* 4. & Sayr. *in clau. reg. lib.* 12. *cap.* 18. *nu.* 14. negant. 1

2 Alij vero vt Sot. *lib.* 5. *qu.* 6. *art.* 4. Bañ. 2. 2. *qu.* 69. *art.* 4. Vasq 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. *d.* 174. *cap.* 2. *nu.* 10. Less. *lib.* 2. *cap.* 31. *dub.* 5. Lop. 1. *par. instruct. cap.* 66. Arag. 2. 2. *qu.* 69. *art.* 4. *& ibi* Salon rectiùs affirmant. Quia intolerabile est, & propensioni naturali repugnans, reum cogere, vt aliquid agat, quo ad mortem sibi inferendam cooperetur, quamuis possit damnari, vt illam ab alio illatam patiatur, quando ei nulla ostenditur spes euasionis.

QVÆSTIO CCLXXIII.

An religiosus iustè ad triremes damnatus possit licitè fugere?

BAñes. 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 4. affirmat posse. 1

Contrarium tamen est proculdubio affirmandum Quia religiosus per votum obedientiæ hac sua facultate se priuauit.


Tum quia Nauarr. *comm.* 4. *de regul. num.* 64. Valent. 2. 2. *d.* 5. *qu.* 13. *p.* 4. Cord. *summ. quæst.* 195. Less. *lib.* 2. *cap.* 31. *dubi.* 5. Petr. Tolet. *de restit. cap.* 1. *in* 3. *par. d* 4. *nume.* 185. & Sayr. 2

Bbbb 2 lib.

lib. 12. *cap.* 18. *num.* 8. tenent ſeculares huic pœnæ damnatos non poſſe licitè fugam arripere. Et quamuis reſpectu ſecularium hanc opinionem exiſtimem eſſe probabiliorem, quia hoc genus pœnæ eſt veluti quædam perpetua mors. Nec videntur damnari, vt ibi ſpontè maneant, ſed vt patienter ferant, ſi detineantur, at reſpectu religioſorum hoc non admitto, quia ratione voti obedientiæ, quam profeſſi ſunt, non gaudent eadem fugiendi libertate, qua ſeculares gaudent.

Et de voto Obedientiæ hæc nobis ſufficiant.

DE



DE VOTO SOLEMNI CASTITATIS.

LIBER SEPTIMVS.



HActenvs de voto solemni Obedientiæ pro ingenij nostri tenuitate loquuti sumus libro superiore, nunc operæpretium est, vt in hoc libro (Deo iuuante) de voto solemni castitatis disseramus, de quo disputat Magister cum cæteris Theologis *in* 4. *d*.35.*&* 37. D.Thom. 2. 2. *q*. 88.*art*.11.*&* *q*. 151.*ar*.1. & Caiet. *ibidem*. Sotus *lib*.7. *de iustitia*, *& iure*. Michael Medina *lib*.2. *de sacrorum hominum continentia*. Valent. 4. *p. tract. de Sacramento Ordinis*. Arag. 2.2.*q*. 88. *art*. 11. Azor. *lib*.11.*cap*.12. *& lib*.13.*cap*.12. & multi alij. Summularij verò vt Angelus, Syluester, Tabiena, Armilla, & Pisanella *verbo votum, verbo religio, & verbo ordo*. In cuius explicationis gratiam, quæritur in primis.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit castitas?

1 RESPONDEO quod est virtus, qua homo secundum iudicium rationis, & electionem voluntatis refrænat concupiscentias venereorum. Et est duplex, perfecta, & imperfecta.

Castitas perfecta est, quæ ab omnibus voluptatibus carnis tam licitis, quam illicitis perpetuo abstinere proponit; vnde etiam affectum nuptiarum excludit. Et hæc est castitas virginalis, & religiosa, de qua nunc loquimur.

Imperfecta est, quæ vel solum ad tempus id proponit, vel solum ab illicitis abstinere, & licitis moderatè vti vt in matrimonio. Hæc autem moderatio consistit in debito loco, tempore, modo, & fine, qui enim cum hisce circunstantiis matrimonio vtitur, ab aliis abstinet, castitate coniugali præditus est.

QVÆSTIO II.

An castitas religiosa sit virtus?

RESPONDEO, esse veram, & propriam virtutem. Ratio est, quia 1
est habitus bonus inclinans hominem ad continendum se ab omni delectatione carnali secundum rectam rationem: ergo est virtus.

 Tum

2 Tum quia castitas est materia voti, nam de illa in religione emittitur solemne castitatis votum: ergo est virtus. Probo consequentiam, quia vt rectè docet D.Tho. 2. 2. q.88.ar.2. votum emitti non potest, nisi de actu virtutis.

QVÆSTIO III.

An castitas sit præstantior coniugio?

1 RESPONDEO, esse præstantiorem. Ratio est, quia id est præstantius, & Deo gratius, per quod homo magis auocatur à voluptatibus carnis, & curis huius sæculi, sed castitas est huiusmodi: ergo est præstantior, & gratior Deo, quàm coniugium.

Tum quia id est melius, & Deo carius, quod maximè præbet facultatem Deo seruiendi: sed castitas est talis, vt constat, & tradit Apostolus 1. Cor. 7. ergo.

2 Tum quia, id est præstantius, & Deo gratius, quod Dominus noster, quod Apostoli, & quod sancti complexi sunt: sed hi complexi sunt cælibatum, vt constat; vel si aliqui eorum iuncti erant matrimonio abstinuerunt ab vsu coniugij, vt Hieronymus de Apostolis ait: ergo.

Tandem est conclusio definita *in Conc. Ancyrano can. 18. in Conc. Carthag. tertio cap. 33. in Conc. Tolet. 4 cap. 55. in Conc. Turonensi 2. c. 16. & in Conc. Romano cap. 10.*

Dixi (per se) quia per accidens potest esse è conuerso, id est facta suppositione necessitatis conseruationis vniuersi, & educationis filiorum, &c.

QVÆSTIO IV.

An virginitas prout est virtus necessario, & intrinsecè inuoluat integritatem corporis?

RESPONDEO quod non. Et ratio est, quia multæ virgines vi oppressæ non amiserunt coronam virginitatis, hæc enim sola voluntate perditur: ergo formaliter non inuoluit integritatem corporis, sed mentis, etsi materialiter illam requirat iuxta vtrumque Thomam 2. 2. *quæst.* 152. *ar.* 1. & 3. 1

QVÆSTIO V.

An virginitas reperiatur in vtroque sexu?

RESPONDEO cum Caiet. 2. 2. *q.* 154. *ar.* 6. quod virginitas formaliter prout dicit firmum propositum abstinendi ab omni actu libidinoso siue illicito, siue licito, est communis vtrique sexui, & in via, & in aureola patriæ. At materialiter prout habet talé, vel tale signaculum, vel clausuram, non inuenitur, nisi in sexu fœmineo, quia plures masculi, qui nunquam cum mulieribus sunt coinquinati, non habent signaculum, & claustrum virginale; & tamen moraliter virgines sunt, & virtus reperitur in moribus, & non in natura formaliter, sed tantum materialiter. 1

QVÆSTIO VI.

Vtrum virginitas possit amitti absque vllo peccato?

RESPON

1 Respondeo cum D.Tho. 2. 2. q. 152. art. 3 quod virginitas prout dicit fracturam claustri virginalis potest amitti per copulam licitam, id est, coniugalem, quæ amissio dicitur naturalis, & non moralis, ac proinde sine vllo peccato. At vt dicit rectitudinem voluntatis ad seruandam integritatem claustri virginalis ex voto, non potest amitti stante voto, sine peccato, quia nullus potest violare votum absque peccato.

QVÆSTIO VII.

An virginitas possit per pœnitentiam recuperari?

1 Respondeo, & dico primò, quod virginitas materialiter prout includit signaculum virginale, est irrecuperabilis. Ratio est, quia sicut innocentia denotat animam nunquam peccato esse infectam, ita virginitas includit carnem nunquam esse violatam, aut libidine pollutam. Et sicut vno peccato irrecuperabiliter perit innocentia, ita virginitas vno actu libidinis. Vnde Hieron. *epist. 22. ad Eustoch. de custodia virginitatis*, ait, *Audenter loquar, cùm omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam: valet quidem liberare de pœna, sed non vult coronare corruptam.*

2 Secundò dico, quod virginitas formaliter prout dicit firmum propositum abstinendi à quacunque copula carnali potest recuperari per pœnitentiam, non quidem quoad aureolam patriæ, quia verè amissa fuit, sed quoad præmium, & meritum iuxta D. Tho. communiter receptum 2 2. q. 152. ar. 3. ad 3.

QVÆSTIO VIII.

An castitas sit sacris ordinibus annexa iure diuino, an potius ex sola Ecclesiæ constitutione? Perinde est, ac si quæreretur: An qui est sacris ordinibus initiatus iure diuino, & naturali, an Ecclesiastico ad votum castitatis teneatur?

In hac quæstione duæ extant opiniones. Prima ait esse annexam iure diuino, & naturali, ac proinde eodem iure ad castitatem teneri. Ita Ioan. Maior *in 4. d. 24. q. 2.* & Medina *lib. 2. de sacrorum hominum continentia cap. 7.* 1

Ex quo inferunt, Romanum Pontificem non posse potestatem facere clericis in sacris constitutis, vt matrimonium contrahant.

Secunda verò opinio, quam sequor, tenet, castitatis votum non esse cum ordinibus sacris iure diuino, aut naturali coniunctum, sed ex sola Ecclesiæ constitutione statuentis, vt sacris initiati votum castitatis emittant, ac sint incapaces validi matrimonij contrahendi, ac proinde posse etiam statuere, vt promouendi ad ordines sacros, deinceps talem castitatem non voueant. Ratio est quia coniugium cum ordine sacro non pugnat, nam tota Orientis Ecclesia ab antiquis temporibus viros matrimonio coniunctos ad ordines sacros assumit. *C. olim de cler. coniug.* & D. Greg. *lib. 1. epist. 42.* subdiaconis Siciliæ concessit posse vti matrimonio ante ordines contracto. 2

Tum quia, si iure naturali, & diuino ordo sacer pugnaret cum matrimonio, essentque incompatibilia, diri

dirimeret vtique ordo sacer matrimonium ratum præcedens, instar professionis solemnis, cuius contrarium definiuit Ioan. XXII. *de voto, in motu proprio, qui incipit*: Antiquæ.

Tandem est conclusio definita à Calixto primo *cap. Presbyteris d.27.* & in Conc. Trid. *sess.24. can.9* vbi disertis verbis lex hæc de clericorum cælibatu vocatur Ecclesiastica, & tradit eleganter D. Thom. 2. 2. *quæst.88. art.11.* & Caiet. *ibid.* Sot. *lib.7. qu.6. art.2.* Henriq. *lib.10. de sacram. ordinis cap.14. num.7.* Valent. 4. *par. tractat. de ordin. d.9. quæst.5. p.5.* Arag. 2.2. *quæst.* 88. *artic.11.* & Azor. *lib.13. cap.12. quæstione 1.*

QVÆSTIO IX.

An in vtraque Ecclesia, scilicet Græca, & Latina semper fuerit seruatum, vt clerici post sacros ordines à matrimonio contrahendo arceantur?

1 ILLVSTRISSIMVS Caietan. *in opusc. tom.2. tract.27. de dispens. matrimonij*, & Sot. *lib.7. quæst.6. art.2.* censent id quidem in Ecclesia Latina semper fuisse in vsu, non tamen in Græcia, nam olim Græcis Diaconis licuisse matrimonium contrahere.

At omnino dicendum est, in vtraquo Ecclesia nunquam licuisse ad sacros ordines promotis matrimonium inire. Nam de Ecclesia Græca *in cap. Si quis eorum d.32.* sic dicitur. *Si quis eorum qui ad clerum accedunt, voluerit nuptiali iure mulieri copulari, hoc ante ordinationem subdiaconatus faciat.* De Latina verò Ecclesia hoc habetur *ex capite Sicut quidam 27. quæst.1.* vbi Innocent. 1. præcipit, vt Episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, qui sacrum transgredientes propositum, vxores sibi copulare præsumpserint, separentur.

2 Ex quo colligitur differentia inter Græcos, & Latinos in sacris constitutos, nam Græci possunt post coniugium ad sacros ordines ascendere, & vti matrimonio ante contracto, quod Latinis est prohibitum.

QVÆSTIO X.

Sed maius dubium est, de ordine Episcopali: An videlicet iure diuino sit illi annexum votum castitatis?

1 SVNT quidam qui tenent partem affirmatiuam.

2 At tenendum est, solo iure Ecclesiastico esse illi annexum ratione ordinis sacri. Ratio est, quia coniugium cum ministeriis Episcopalibus non pugnat, sed tantum ex quadam decentia, & honestate debet Episcopus à coniugio abstinere, quod seclusa Ecclesiæ constitutione non est sub præcepto.

Tum quia D. Paulus 1. ad Timoth. 3. & ad Titum 1. dixit oportere Episcopum esse vnius vxoris virum, & elegit in Episcopum Dionysium Areopagitam, quem tamen coniugatum fuisse constat *ex cap.17. Actuum Apost.* & Turonica Synodus 2. *can.13. & 14.* vxorem Episcopi, appellat Episcopam.

3 Nec obstat statum Episcopi esse perfectiorem religioso. Quia status religiosus licet sit imperfectior in ordine ad alios perficiendos: at in ordine ad propriam perfectionem comparandam est perfectior, & claudit mortem perfectam spiritualem. Vnde si Episc. esset tantùm electus, & confirmatus, & nondũ in sacris cõstitutus, non

non teneretur ratione status ad castitatem.

QVÆSTIO XI.

An qui sacris initiantur, continentiam seruare teneantur ex vi voti, an verò solo ecclesiæ statuto?

1 DOCTOR subtilis *in 4. d. 37. qu. vnica*, & Valent. *4. p. tract. de sacramento ordinis d. 9. quæst. 5. p. 1.* dicunt eos ad castitatem teneri solo ecclesiæ statuto. Et probant, quia cùm votum sit lex priuata, quam quis sua sponte sibi imponit, non videtur qua ratione in ecclesiæ facultate sit positum voto aliquem obligare, quamuis suo statuto possit illi castitatem indicere.

2 Alij vero rectius docent, eos ad castitatem teneri ex vi voti, quod ecclesia ordinibus sacris annexuit, cogitque eos qui sacris initiantur, vt id votum emittant, non expresse sed facto ipso, & sic tacitè per sacrorum ordinum susceptionem. Et ratio est, quia quamuis ecclesia neminem possit voto obligare ad castitatem, cùm illa sit opus supererogationis. At in ordine sacro, quem confert, potest apponere conditionem istam, vt qui vult ad illum promoueri, castitatem voueat. Sicut quilibet in rei suæ traditione potest legem apponere. Vnde supposita hac lege, eo ipso quod quis vult ad sacros promoueri, vult ex consequenti castitatem vouere, sicut vult obligari ad persoluendum diuinum officium, quod similiter est ordini sacro annexum. Quare id votum non est absque propria voluntate.

3 Et est conclusio definita à Greg. *lib. 1. epist. 42.* & refertur *cap. 1. d. 28.* vbi sic dicitur. *Nullum facere diaconum præsumant Episcopi, nisi qui se victurum castè promiserit.* Vbi Glossa *verbo, promiserit*, dicit, *expressè*, vel *tacitè*. *Et in cap. diaconi ead. d. quod est ex Synodo Ancyrana cap. 10.* vbi sic habetur: *Quicumque sane tacuerunt, & susceperunt manus impositionem, professi sunt continentiam.* Et *in cap. Cum olim de cler. coniug.* habetur. *Nos igitur attendentes, quod orientalis ecclesia votum continentiæ non admisit.* Ergo supponit in ecclesia Latina id votum continentiæ esse ordinibus annexum. Hoc idem habetur *in cap. vnico de voto, & voti redempt. in 6. & in extrauag. Antiquæ* Ioannis 22. & *in Concil. Toletano 2.* & refertur *cap. De his d. 25.* quibus in locis id expressè vocatur votum. Et *in Concil. Trid. sess. 24. canon. 9.* vbi statuitur, vt clerici à susceptis ordinibus castitatem seruent vel lege canonica, vel voto. Et ideo ita tenent D. Thom. *in 4. disput. 37. quæst. 1. artic. 1.* Caietan. *in opusc. tom. 1 tract. 27. de dispen. matrim.* Sot. *lib. 7. quæst. 4. ar. 2.* Arag. *2. 2. quæst. 88. artic. 11.* Nauarr. *cap. 22. num. 52.* Henriq. *lib. 10. de sacram. ord. cap. 14. num. 7.* Bañ. *2. 2. quæst. 12. art. 1.* Tolet. *lib. 4. cap. 17. nu. 1. & lib. 7. c. 8. nu. 3.* Bellarm. *in suis controuers. lib. 1. de matri. c. 21.* & Vega *to. 2. c. 57. casu 7.*

QVÆSTIO XII.

An qui sciens, & prudens sacros ordines suscepit, at continentiæ votum eis annexum prorsus ignorauit, teneatur continere ex voto, an ex solo ecclesiæ statuto?

ET quidem certi iuris est, hunc sic initiatum ad castitatem teneri, nec 1

 posse

posse valide matrimonio copulari. Sicut quamuis ignorarit, tenetur officium diuinum persoluere, & alia huic statui conuenientia obseruare. Ratio est, quia lex semel legitimè promulgata omnes ligat, quantumuis ignorantes, quamuis hi à culpa transgressionis legis excusentur.

QVÆSTIO XIII.

Sed quod in dubium vertitur est; An scienter, & sponte sacris initiatus, ignorans omnino votum continentiæ ordini sacro annecti; teneatur continere ex voto, an ex solo ecclesiæ statuto.

1 SYLVEST. *verb. matrim.* 8. *q.* 12. Rosell. *verb. impedimentum, impedimento* 11. & Nauar. *sum. hisp. c.* 23. *num.* 108. aiunt teneri hunc ex sola ecclesiæ constitutione. Et probant, quia votum est lex priuata, quam quis sponte sua sibi imponit, at qui inuincibiliter ignorat votum, caret voluntate vouendi: ergo ex vi voti non tenetur continere, sed solum ex ecclesiæ constitutione.

At communissima, atque multo verior sentẽtia habet ita initiatum teneri cõtinere ex voto. Ratio est, quia qui
2 sciens & prudens vnum facit, subinde vult, & facit ei annexa, vt qui officium Prætoris suscipit, aut ad episcopatum ascendit, contrahit eo ipso obligationes statui, & officio annexas, licet eas ignorarit.

Tum quia qui sacris initiatur, scit se ad alium clericorum statum ascendere, & accedit intentione saltem virtuali faciendi quod vult ecclesia, ac proinde vouendi, vt ecclesia præscribit, licet ipse ignotet, quid ecclesia velit. Et ideo ita cum multis aliis tenet Azor. *lib.* 13. *c.* 14. *q.* 10.

QVÆST. XIV.

An qui sacris initiatur, habens expressam intentionem minimè se ad continentiam obligandi, teneatur se continere?

IN hac quæstione ardua sanè & difficili, omnes Doctores conueniunt 1
in primis, eum qui sacris initiatur sine animo verè promittendi continentiam, peccare mortaliter. Quia in re grauissima violat ecclesiæ statutum.

Deinde, in eo omnes etiam conueniunt, hunc ad eam teneri saltem ex ecclesiæ constitutione, quæ suo præcepto omnes sua sponte promotos, velint, nolint, ad eam obligat.

QVÆSTIO XV.

Sed quæstio tota est: An tunc teneatur ex voto?

DOCTOR Nauar. *cap.* 22. *nu.* 52. 1
& Tolet. *lib.* 7. *c.* 8. *nu.* 3. affirmant teneri sic promotum ad continentiam seruandam ex voto. Quia id votum est ex ecclesiæ statuto ordini annexum independenter ab ordinati voluntate, sicut & onus recitandi diuinum officium.

Sed tenendum est, tanquam multo 2
probabilius hunc ad id teneri ex solo ecclesiæ statuto. Quia quoad reliqua ordinibus annexa potest ecclesia suo præcepto spontè ordinatos velint, nolint, astringere, non autem ex vi voti, id enim eius naturæ prorsus repugnat, vt pote quæ est veluti lex priuata, quam quis sibi sua sponte imponit.

QVÆ

QVÆSTIO XVI.

An qui verè promoueri voluit, sed deficiente aliquo substantialiter requisito, fuit inualide promotus, possit matrimonium inire?

1 RESPONDEO communem esse sententiam hunc valide posse matrimonium contrahere; vt Palud. *in 4. d.38.q.2.ar.vnico, & ibi supplementum q.vnica,ar.2.* fatentur.

QVÆSTIO XVII.

In dubio autem vertitur: An hic teneatur voto simplici seruare castitatem, ac proinde peccet mortaliter matrimoniũ contrahendo.

1 QVIDAM affirmant. Quia profitens inualide, tenetur voto simplici castitatem seruare. *cap Quidam,* &c.*Placet de conuersat.* ergo & inualide ordinatus, tenebitur voto simplici castitatis.

2 Sed tanquam certum tenendum est, hunc ad nil prorsus obligari. Ita Palud. & supplementum vbi supra. Et ad fundamentum contrariæ opinionis respondeo disparem esse rationem inter inualide professum, & inualide ordinatum. Quia castitas est essentialiter annexa statui religioso, ordini vero sacro accidentaliter est illi statui accessoria ex solo ecclesiæ statuto. Vnde qui religionem profitetur per se, & principaliter votum castitatis emittit, quod quamuis non valeat vt solemne, propter aliquod essentiale impedimentum, valet tamen eo modo quo valere potest, nempe vt simplex. At qui ordinatur, non emittit per se, & principaliter votum castitatis, sed accessoriè, & in consequentiam status ob ecclesiæ statutum. Quando igitur principale non valuit, accessoriũ corruere necesse est.

QVÆSTIO XVIII.

An votum solemne ordinis sacri, sit per se, & essentialiter solemne?

IN hac quæstione duæ extant Doctorum opiniones. Prima ait id votum esse per se votum simplex castitatis, sed per accidens, & extrinsecè, solemne eo quod ex ecclesiæ constitutione habeat quemdam voti solemnis effectum, reddens personas inhabiles ad matrimonium. Ita Caiet. *to. 1. opusc.tract.17.de dispens.matrim. q. vnica.* Sot.*lib.7.q.4.art.1.* Valent.*4.p.1.tract. de sacram.ord.d.9.q.5.p.1.* & Arag. *2.2. q. 88.ar.11.* 1

Cæterùm verius est, votum ordini sacro annexum, per se, & essentialiter esse solemne instar voti professorum. Ratio est, quia tota essentia voti solemnis ex ecclesiæ constitutione est, in eoque consistit, vt ecclesia illud acceptet tanquam solemne, constituensque in statu perpetuo, & immobili, cum ceremoniis ab ecclesia statutis in eius emissione: quæ omnia competunt huic voto; acceptatur enim tanquam solemne ab ecclesia *cap. vnico de voto in 6.* & emittitur cum ceremoniis ab ipsa statutis; & constituit in statu perpetuo, ac via ordinaria indissolubili: siquidem solus Romanus Pontifex ex grauissima causa potest in eo voto dispensare, idque rarissimè facit. Et ideo ita tenent Med.*lib.5.de sacrorum hominum continentia cap. 8.* & Sanch.*d.27.nu.17.* 2

Ex quo colligitur votũ solẽne ordinis, & professionis nõ differre specie in 3

genere moris, sed solum quod illud sit tacitum, hoc autem professorum expressum, vt Cord. *sum. q.* 3. & Lop. *p.* 1. *c.* 29 fatentur.

4 Hinc non est audiendus Roder. *p.* 1. *sum. cap.* 53. *nu.* 5. qui ait vtrumque votum differre specie à voto simplici. Sed tenendum est, neque hæc duo vota differre inter se specie, neque etiam à voto simplici, sed per solum ecclesiæ statutum, quo definitur hæc duo vota dirimere matrimonium, non autem votum simplex.

QVÆST. XIX.

An si professus in sacris constitutus cum muliere rem habeat, teneatur in confessione, sacri ordinis, & professionis circumstantiam fateri?

1 IN qua re certum est, quod si religiosus, vel in sacris ordinatus cum muliere commisceatur, peccat peccato sacrilegij, ac proinde teneri inter confitendum illam circũstantiam voti patefacere. Quia talis circumstantia mutat speciem peccati, quia vltra fornicationem, in religionem delinquit violans eius votum.

2 Hinc, falsa est sententia supplementi Gabr. *in* 4. *d.* 24. *q. vnica ar.* 3. & Tab. *verb. votum* 1. *nu.* 3. asserentium fornicationem sacerdotis, aut monachi non addere circumstantiam specie diuersam; ac proinde necessario fatendam. Quia votum non cadit propriè supra rem positam sub præcepto sed est tunc, quasi noua confirmatio, & ratificatio præcepti illius. Falsa inquam est hæc doctrina, quia cùm altera obligatio sit ex lege naturali diuina pertinens ad temperantiæ virtutem, altera verò sit ex voto pertinens ad religionis virtutem, dicendum est necessariò, duas esse obligationes specie diuersas, ac proinde in transgressione duplicem reperiri malitiam.

QVÆSTIO XX.

Sed dubium est: An si simul professus, & in sacris constitutus, cum muliere commisceatur, teneatur vtramque circumstantiam voti explicare scilicet & se esse professum, & sacris ordinibus initiatũ.

SVNT multi qui existimant hunc teneri vtramque circumstantiam fateri. Quia hæc vota specie distinguuntur. 1

Alij vero docent satis esse alterutram illarum patefacere, dicendo se esse professum, vel sacro ordine insignitum. Ita Cord. *in sum. q.* 3. Lop. *p.* 1. *c.* 29. Roder. *p.* 1. *c.* 53. *n.* 5. Henriq. *lib.* 5. *de pœnit. c.* 5. *n.* 6. Arag. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 7. & Med. *lib.* 1. *sum. c.* 14. §. 18. Pro quo,

Primò dico, quod religiosus castitatem violans, suæ conscientiæ satisfacit, si inter confitendum, votum castitatis se fregisse dicat. Ratio est, quia votum simplex, & solemne per se non differunt. 2

Secundò dico, quod si Sacerdos professus fornicetur, suum peccatum ex toto confitetur, si tantum apud confessarium exprimat se esse sacerdotem. Quia vota ordinis sacri, & professionis specie non distinguuntur, nec vnum alterum notabiliter aggrauat.

Tertiò dico, quod si sacerdos professus castitatẽ violet, confessioni satisfacit, si tacito sacerdotio, dicat se esse professum. Ratio est, quia tota malitia voti ordinis sacri violati inclusa est in voto solemni professionis violato. 3

Quartò dico, quod si sacerdos non professus fornicetur, non tenetur in confessione, sacerdotij circunstantiam expli- 4

explicare, sed satisfacit, si se in sacris esse dicat. Ratio est, quia sacerdotium nullam aliam obligationem ad castitatem affert, quam eam quæ insurgit ex voto emisso in subdiaconatu.

Tum quia licet ea circumstantia aliquantulum trásgressionem augeat, sicut, auget, fornicantem esse sanctiorem, aut doctiorem: hæc tamen non ita notabiliter aggrauant, vt sit necessarium eam in confessione fateri.

Immò arbitror hunc suæ conscientiæ satisfacere, si inter confitendum solum patefaciat se voto castitatis teneri.

5 Quia tota malitia specifica superaddita fornicationi consurgit ex voti fractione, & quamuis votum castitatis in ordine sacro emissum sit solemne, non differt tamen à simplici nisi per accidens ex solo Ecclesiæ statuto decernentis per id votum dirimi matrimonium. Vnde in eo nullam aliam malitiam specificam inuenio, quam in voti simplicis fractione.

6 Hinc, qui expresè votum castitatis emisit, deinde ad sacros ordines ascédit, tandem professus est religionem, si hic ad confessionem accedit, suæ conscientiæ satisfacit, si votum castitatis se fregisse fateatur. Quia omnia ea vota à voto simplici essentialiter non distinguuntur, nec multiplicatio votorum nouam affert malitiam.

Hinc, professus qui se non habiturum mollitiem vouit, & postea se polluit, suæ conscientiæ satisfacit, si tacito eo voto se professum explicet. Quia hic per votum solemne religionis ad id tenebatur, nec votorum multiplicatio efficit, vt id sit necessariò in confessione explicandum.

7 Hinc, si professus, aut Sacerdos, aut quiuis alius voto castitatis ligatus, iureiurando se ad castitatem liget, confessioni non satisfaciet; si tacito iuramento, professionem, vel sacerdotium fateatur. Quia votum, & iuramentum sunt duo vincula specie diuersa, necessario in confessione aperienda.

QVÆSTIO XXI.

An si Episcopus fornicetur, teneatur in confessione circumstantiam Episcopatus explicare?

RESPONDEO non teneri. Ratio est, quia Episcopus nullam aliam obligationem ad castitaté habet, quam ratione voti annexi ordini sacro: ergo secluso scandalo, eiusdem rationis est fornicatio Episcopi, ac fornicatio cuiuscumque ad sacros ordines promoti. Ita Henriq. *lib. 5. de pœnitentia cap. 5. num. 6.* 1

Dixi notanter *(secluso scandalo)* quia si Episcopus publicè cum muliere commisceretur, proculdubio teneretur inter confitendum hanc circumstantiam prælationis explicare. Quia aduersus specialem sui officij obligationem delinqueret.

Ex quo infero primò, fornicationem Episcopi nondum consecrati, sed tantum electi, & confirmati, nec sacris ordinibus decorati non excedere malitiam simplicis fornicationis. Cùm Episcopus nullam aliam obligationem habeat quam eam quæ ex ordinis sacri susceptione consurgit. 2

Secundò infero Prælatum religionis abundè suæ conscientiæ, & confessionis integritati satisfacere, si omissa prælatione, votum solemne se fregisse fateatur ob eamdem rationem.

QVÆSTIO XXII.

An qui per vim, vel metum est sacro ordine insignitus, castitatem

seruare teneatur, ita vt matrimonium contrahere non possit?

1 IN qua re constat inter omnes, eum qui per vim absolutam est ordinatus, nulla ratione teneri seruare castitatem, sed posse sua sponte ad nuptias transire. Ratio est, quia cum non sit verè ordinatus, nullo iure cogitur castitatem seruare.

QVÆSTIO XXIII.

Sed dubium est de eo solum, qui metu graui ad sacros ordines est promotus?

1 IN qua quæstione etiam constat, eum qui post matrimonium contractum est sacris ordinibus initiatus, ad continentiam non teneri, sed posse nutu suo matrimonio vti, ac si ordinem non accepisset. Quia non est rationi consonum cum iure vtendi matrimonio inito priuari, qui metu constantis viri compulsus ad ordines ascendit. Quod est verum, quamuis matrimonium consummatum non sit, vt rectè docuit Abbas *cap. Maiores §. vltimo num. 7. de baptismo.*

QVÆSTIO XXIV.

Quæstio igitur est de eo, qui matrimonij vinculo liber, ob metum viri constantis, ad ordines est promotus?

1 MAGISTER Sotus *lib. 7. q. 2. ar. 5.* affirmat hunc teneri ad continentiam, & matrimonium postea initum esse nullũ, quia hic suscipit characterẽ ordinis: ergo & continẽtiam seruare tenetur, cui cõtinentia annexa est.

2 At communis, ac verissima sententia est, eum debere continentiam seruare. Ratio est, quia ordo sacer non obligat ex natura rei ad castitatem, sed solum ratione voti ex Ecclesiæ statuto ei annexi; at votum metu cadente in virum constantẽ emissum est omnino irritum, & nullum *ex cap. Perlatum. & ex cap. Cum dilectus de his quæ vi,* &c. ergo. Et ideò ita sentiunt Nauarr. *cap. 22. num. 52.* Henriq. *lib. 10. de sacramento ord. cap. 14. num. 3. & lib. 11. de matrimonio cap. 3. num. 9.* Roder. *p. 1. summ. cap. 124. num. 5.* & Emm. Sa *verb. ordo num. 24.* Quod est verum etiam si metus non sit grauis, dummodo sit talis, sine quo ad ordines non promoueretur, vt rectè docet Nauar. *lib. 1. cons. 1. de his quæ vi, &c. cons. 5. num. 4.* Vnde Ecclesia solum coget eum, aut votum castitatis denuo emittere, aut à sacrorum ordinum vsu, & executione abstinere. Verum si is metu ordinatus, postea sine coactione verbo, vel facto semel vtens ordine suscepto ratum habeat hunc consensum, tenetur tunc continere instar aliorum clericorum, qui sponte sacris initiantur.

Hinc, sequitur primo, húc posse suo nutu ad nuptias transire. Quia sola continentia ordini sacro annexa hunc transitum posset impedire: at hic non tenetur cõtinere, ergo. Nau. *c. 22. n. 52.* 3

Secundò sequitur, hunc nolentem vti ordine sacro, non teneri diuinum officium persoluere. Quia id est onus adiunctum ordini sacro sponte suscepto, sicut & onus castitatis Nauarr. *cap. 22. num. 51.*

Quæ omnia de metu iniuste incusso ab extrinseco intelligenda sunt. secus si vrgente necessitate Prælatus compulit præcepto iusto ad ordines assumendos, quia tunc ad castitatem & ad reliqua ordinis onera teneretur. cum nullam iniuriam passus sit. Ita Henriq. *lib. 10. de sacram. o. d. c. 14. n. 3.* 4

Et ad argumentum Soti respondeo primò; non omnem impressionem characteris obligare ad castitatem, nam si puer recipiat ordinem sacrum, non 5

tenetur

tenetur ad castitatem, quia castitas est de voto, non de præcepto, vt docet D.Thom. *in 4.d.25.quæst.3.* votum autem vt teneat, debet esse voluntarium.

Secundò respondeo, continentiam non esse necessariò, & iure diuino ordini sacro coniunctam vt patet de sacerdotibus Græcis, sed solum ex constitutione Ecclesiæ, quæ etiam statuit votum per metum grauem extortum esse irritum.

QVÆSTIO XXV.

An qui huiusmodi metu ad sacros ordines ascendit, gaudeat clericorum priuilegiis?

1 RESPONDEO non gaudere, si continere nolit. Quia non est rationi consonum, vt qui onus sentire recusat, sentiat commodum, de *regul. iuris in 6.*

QVÆSTIO XXVI.

An qui ante vsum rationis est ordine sacro insignitus, cum ad ætatem adultam peruenit, continere teneatur?

1 IN qua re conuenit inter omnes ordinatum ante rationis vsum, ordinis characterem suscipere, ordinis tamen functione, & vsu priuatum esse, nisi cùm factus est rationis compos, continentiam perpetuam voueat.

Sed dubium est, an hic continere teneatur.

2 Palud. *in 4.d.37.q.1.ar.1.* D.Anton. *3.p.t.1.cap.8.* Supplem. Gab. *in 4.d.25. quæst.1.art.2.* & Ledesm. *2.p.quæst.55. art.4.* censent hunc ad id teneri, non vi voti, sed vi statuti Ecclesiastici, quo ligantur omnes, qui sacris initiantur. Quia verum characterem suscepit. Ex quo inferunt matrimonium postea contractum esse irritum.

3 At verissima sententia est, eum nulla ratione astringi ad continentiam. Et ratio est, quia votum vt obliget debet esse voluntarium. Nec Ecclesia suo statuto intendit facere inhabilem matrimonio, nisi qui sponte ordinem suscipiens, obligatur implicitè ad votum castitatis. Et ideò ita tenent Nauar. *lib.1.consi.tit de his quæ vi, &c.cons. 4.num.4.* Henriq. *lib.10.de sacram.ord. cap.14.num.3.* Azor. *lib.13.cap.14.q.9.* Arag. *2.2.quæst.88.art.1.* Vega *tom.2. sum.cap.57.casu 7.* & Sayr. *lib.6.cap.4. num.5.*

Ex quo infertur, hunc liberè posse, si manere in statu ordinis nolit, matrimonium inire. Quia sola continentia ordini annexa poterat id impedire. At hic continentiam seruare non cogitur, ergo. 4

Hinc, non est audiendus Petr. de Ledesm. *de sacramentis, vbi de sacram. ordinis cap.6.diff.1.* qui dicit posse Ecclesiam reddere inhabilem ad matrimonium, ordinatum ante rationis vsum. Non est inquam audiendus. Quia potuit Ecclesia id imponere his, qui sua sponte sacris initiantur, quia cùm sua sponte ad ordines promoueantur, voluntariè subinde ad castitatem obligantur, ad quam nullum inuitum potest Ecclesia cogere; Infans autem sic ordinatus, cum fuerit doli capax, relinquendus est suo arbitrio, qui si voluerit in ordine permanere, iam voto castitatis manebit astrictus: si autem noluerit suspensus manebit vsu ordinis, ac priuilegiis clericorum priuatus.

QVÆSTIO XXVII.

An qui post rationis vsum ante tamen pubertatē sacris est insignitus ad castitatem seruandā teneatur?

SOTVS

1 SOTVS *lib. 7. quæst. 2. art. 5.* & Vega *tom. 2. summ. cap. 57. casu 7.* affirmant teneri. Quia voluntariè ad sacros ordines ascendit.

2 At ego verius existimo, omnique remoto dubio opinor, hunc nulla ratione teneri seruare castitatem, nisi cum pubertatem attingit, promotionem ratam habeat. Ratio est, quia votum solemne religionis ante pubertatem emissum non valet, nisi post pubertatem ratificetur, vt constat *ex cap. Ad nostram de regul. & ex cap. Illud 20. quæst. 1.* ergo nec votum solemne tacitè emissum in sacri ordinis susceptione. Immo quia iuxta sacri Conc. Trident. decretum solemne religionis votum ante 16. annum expletum emissum, nullius est valoris, idem puto esse dicendum de insignito ordine sacro ante dictam ætatem, nempe eum nulla ratione adstringi ad castitatem, sed liberè posse vxorem ducere. Quia ratio tradita militat etiam in hoc casu.

3 Ex quo infertur, hunc non teneri ad diuinum officium, nec ad reliqua ordinis onera. Quia hic non tenetur ad principale onus annexum ordini sacro, quod est castitas, ergo nec ad onera minus principalia. Quod si hic post legitimam ætatem promotus verbo vel facto ratificet, semel vtens ordine suscepto, in posterum non erit sibi integrum resilire, sed tenebitur continere instar aliorum clericorum, qui legitima ætate ad ordines assumpti sunt.

4 Illud tamen est hic aduertendum, quod qui ante legitimam ætatem promouetur, non potest ordine iam suscepto vti, donec ad legitimam ætatē perueniat. Quia est ab illius executione suspensus. At vbi adeptus fuerit ætatem iure ad ordines petitam, si bona fide promotus fuit, poterit absque alia dispensatione ordine vti, quia iam impedimentum cessauit.

QVÆSTIO XXVIII.

An qui per ignorantiam ad sacros ordines promouetur, continere teneatur?

RESPONDEO aut is, qui promouetur, scit se ad sacrum ordinem ascendere, aut penitus ignorat. Si primùm castitatem seruare compellitur. Quia implicitè votum castitatis emisit, eo ipso quod sciens, & volens ad ordines sacros ascendit. Si secundùm, castitatem seruare non cogitur. Quia cum hic inuoluntariè accedat, nec ordinem, nec characterem suscipit. 1

QVÆSTIO XXIX.

An matrimonium post sacros ordines contractum sit validum?

RESPONDEO esse inualidum. Ita enim definitum est *in cap. Si quis eorum & in cap. 1. & 2. Qui cler. vel vouentes. Et in cap. Erubescant d. 32.* & clarius *in cap. 1. de voto, & voti redemptione.* Idem definierunt Nicolaus Pontifex, & Alexand. II. *cap. Nullus* & Ioann. 22. *in sua extrauag. Antiqua de voto.* Et nouissimè Concil. Trident. *sess. 24. de matrim. cap. 9.* & tradit Azor. *lib. 13. cap. 12. q. 5.* 1

QVÆSTIO XXX.

Quo iure ordo sacer matrimonium subsequens dissoluat?

MAIORIS *in 4. dist. 24. quæst. 2.* ait iure diuino. 1

Sed

2 Sed communis,& verior sententia est, ordinem sacrum solo Ecclesiæ statuto dirimere matrimonium subsequens, quo sancitur, vt in sacris constituti efficiantur inhabiles ad matrimonium, vt habetur expressè *in cap. Vnico de voto, & voti redemptione in 6.* Sic Caietan. 2.2.*quæst.*88. *art.*7. Less.*lib.*2.*cap.*41.*dub.*8.& Azor.*lib.*12. *cap.*6.*q.*3.

QVÆSTIO XXXI.

An si clericus in sacris constitutus de facto matrimonium ineat, sit ipso iure excommunicatus?

1 RESPONDEO esse ipso facto excommunicatum vt expressè definitur *in Clementina vnica de coniugatis.*

QVÆSTIO XXXII.

An si clericus existens in sacris, matrimonium contrahat, sit irregularis?

1 RESPONDEO esse irregularem vt habetur *in can. Quotquot 27. quæst.*1.*& cap.fin.de bigamis*, nec opus est ad hanc irregularitatem incurrendam matrimonij consummatione vt post D. Anto.& Sylu. tradunt Sot. *in* 4.*d.*27.*art.*3.& Couar. 2.*p.epit. cap.*6. §. 3. *num.* 1. à quibus tamen discedit Nauarr. *cap.* 27. *quæst.* 195. qui tenet ante consummationem non incurri irregularitatem.

QVÆSTIO XXXIII.

An huius peccati cognitio ad tribunal sancti officij pertineat?

1 RESPONDEO pertinere. Ratio est, quia qui existens in sacris, matrimonium contrahit, videtur esse de hæresi suspectus, cum ipso facto malè sentiat de solemni voto castitatis.

QVÆSTIO XXXIV.

An matrimonium ratum, nondum consummatum per sacrorum ordinum susceptionem dissoluatur?

RESPONDEO non dissolui, vt definiuit Ioannes XXII.*in sua extrauag.* quæ incipit. *Antiqua de voto, & voti redemptione.* 1

QVÆSTIO XXXV.

An qui post matrimonium consummatum ad sacros ordines ascendit in Ecclesia Latina, possit licitè vti matrimonio antea contracto?

RESPONDEO aut hic fuit ad ordines promotus vxore volente aut reluctante, vel nescia. Si primum, nec petere, nec reddere debitum coniugale potest: non petere, quia votum castitatis emisit: non reddere, quia eo ipso quod consensit castitatis votum emittere, iure compellitur, & ideò se iure petendi priuauit. Si secundùm, idest inuita, vel ignorante vxore ad ordines ascendit, debitum coniugale exigere non potest, debet tamen vxori petenti reddere. Quia cùm vxor non consenserit, ius suum petendi non amisit. 1

QVÆSTIO XXXVI.

Quid iuris de eo qui post matrimonium contractum, nondum consummatum, ad sacros ordines ascendit?

1 RESPONDEO in primis hunc, inuita, vel inscia vxore, non posse sacros ordines suscipere, licet ad religionem transire iure possit, vt fatentur vniuersi. Deinde, aut maritus id facit de consensu vxoris, aut non. Si primùm, matrimonium consummare non potest, neque petendo, neque reddendo debitum. Si secundum, petere debitum iure non potest, quia votum castitatis emisit.

QVÆSTIO XXXVII.

An in hoc casu vxori petenti debitum, maritus soluere iure possit?

1 RESPONDEO non posse. Quia per sacri ordinis susceptionem voto castitatis se adstrinxit, & cum matrimonium non sit adhuc consummatum, tenetur religionem ingredi vt suum votum adimpleat. At huius oppositum est verius, nam ingredi Religionem non est medium proportionatum, sed longè difficilius, & altioris ordinis, & nemo tenetur rem furto ablatam alteri restituere cum iactura rei altioris ordinis, vt pecuniam cum detrimento famæ, aut famam cum iactura vitæ. At talis est Religio respectu continentiæ promissæ.

2 Et est conclusio definita *in extrauag. Ioan. XXII. Antiquæ concertationi*, vbi sic dicitur: *Ad ingressum huiusmodi sic ordinatum, si matrimonium consummatum non fuerit, per Diœcesanum instanter moneri præcipimus, & induci. Quod si renuerit ipsum si sponsa eius institerit, per censuram Ecclesiasticam compellendum decernimus, contractum matrimonium consummare.* Et ideò ita tenet Sot. 4. *d.* 38. *q.* 2. *art.* 1. & Sanch. *lib.* 9. *d.* 34. *num.* 3.

QVÆSTIO XXXVIII.

An viro defuncto, vxor relicta possit ad alias nuptias transire?

RESPONDEO, aut vxore consentiéte vir ad sacros ordines ascendit, aut non. Si vxor consensit, alteri nubere non potest, quia eo ipso iuri suo cessit. Tum quia in hoc casu cogitur Religionem ingredi, si iuuenis sit, vel de incontinentia suspecta, si autem sexagenaria, cogitur perpetuam castitatem vouere, & si de facto contrahat, tale matrimonium est ipso facto nullum, vt constat ex *cap. Si vidua d* 25. Si repugnauit, vel ignorauit, potest viro defuncto ad secundas nuptias transire. Quia ius suum non amisit. Et ideò ita sentiunt D. Thom. *in addit. q.* 53. *art.* 4. & Azor. *lib.* 13. *cap.* 14. *q.* 11. 1

QVÆSTIO XXXIX.

Quid iuris de eo, qui sciente, & reluctante vxore est ad sacros ordines promotus?

RESPONDEO in hoc casu vxorem posse virum suum repetere Quia ius suum non amisit, & virum vxori restitutum teneri ei debitum soluere, non tamen petere, quia per votum iuri suo petendi cessit. Idem dicendum est, si vir est sacris initiatus vxore volente quidem, sed vi, dolo, vel metu viri constantis, vel vxore ignorante. Ita Syluest. *verb. diuortium q.* 17. 1

QVÆSTIO XL.

An Papa possit in voto solemni ordinis sacri dispensare?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia id votum non est essentialiter ei 1

anne

annexum: nec iure diuino, aut naturali dirimit matrimonium, sed solo Ecclesię statuto, in quo vt constat, potest Papa dispensare.

QVÆSTIO XLI.

An ad hanc dispensationem causa publicæ vtilitatis requiratur?

1 CAIET. *in opusc. tom. 1. tract. 27. de matrim. q. vnica* putat sufficere ad hanc dispensationem solam spiritualis boni ipsius vouentis causam.

2 At contrarium est tenendum. Ducor quia dispensatio hæc nequit fieri absque aliquo status clericorum detrimento. At rationi valde dissonat, spectari speciale bonum ipsius vouentis, postposito totius status clericorum detrimento. Ita Valent. *2. 2. d. 6. q. 6. p. 7.* & Sanch. *lib. 8. d. 8.*

QVÆSTIO XLII.

An matrimonium valeat, si Papa absque iusta causa dispensat in voto ordinis sacri?

1 RESPONDEO, si Papa absque causa iusta dispensat, vt in sacris constitutus matrimonium ineat, peccat mortaliter, at matrimonium tenet. Quia talis inhabilitas est inducta de iure Ecclesiastico, super quo Papa sine iusta causa valide dispēsare potest, etsi sic dispensando peccet. Ita Sot. *in 4. dist. 38. q. 1. art. 1.*

QVÆSTIO XLIII.

An hic dispensatus peccet lethaliter, matrimonium contrahendo?

1. RESPONDEO hunc peccare lethaliter. Ratio est, quia quamuis dispensatio absque iusta causa facta in illo iure humano ratione cuius votum ordinis sacri dirimit matrimonium, teneat, at dispensatio in eo voto facta absque iusta causa est irrita, ac proinde peccat mortaliter contra id votum contrahens matrimonium, ac postea debitum petens, quamuis reddere teneatur. Ita Caietan. *opusc. tom. 1. tract. 27. de dispen. matrimonij quæst. vnica*, & Petr. de Ledesm. *de matrim. quæst. 53. art. 3.*

QVÆSTIO XLIV.

Vtrum omnes Religiosi professi necessario obseruare castitatem teneantur?

RESPONDEO omnes religiosos solemniter professos ex vi voti solemnis, & Ecclesiæ præcepto ad castitatem seruandam teneri, vt expressè definitur *in cap. Cum ad monasterium de statu monachorū* & in Conc. Turonensi *cap. 16.* celebrato sub Pelagio Romano Pontifice. Et in Conc. Trident. *sess. 25. cap. 1.* 1

QVÆSTIO XLV.

An religiosi rectè voueant castitatem?

RESPONDEO sic. Et ratio est, quia quod à Deo commendatur, & à viris perfectioribus acceptatur, non potest esse nisi iustum, & sanctum. Tale est votum castitatis, ergo. Probatur minor ex illis verbis Matth. 19. *Sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter Regnum cœlorum*: & postea subiungit cohortationem: *Qui potest capere, capiat.* Quem locum de voto castitatis exponunt Epiphanius *hæresi 58.* Hier. *eo in loco.* D. Aug. *de sācta virg.* 1

Fulgent. *lib. de fide ad Petrum c.* 3. Item probatur ex illo Luc. 1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.* Ex quibus verbis omnes sancti Patres deducunt Beatam Virginem votum castitatis habuisse, factum secundum D. Thom. 3. *p. q.* 28. *art.* 4. post desponsationem ex diuina reuelatione, quo stante miratur. Vnde D. Bernardus *serm.* 4. super Missus est. *Non dubitat,* inquit, *de facto, sed modum quaerit, & ordinem: nec enim quaerit, an fiet istud, sed quomodo,* quasi dicat, cum sciat Dominus meus testis conscientiae meae, votum esse ancillae suae, non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, vt fiat istud. Si oportuerit me frangere votum, vt pariam filium, & gaudeo de filio, & doleo de voto.

QVÆSTIO XLVI.

Quidnam cadat sub voto castitatis?

1 RESPONDEO sub illo cadere non solum abstinentiã à vinculo matrimonij, & suis actibus, sed etiam ab omni alio actu interno, & externo castitati aduerso, & secundum se prohibito per legem Dei, vt à turpibus cogitationibus, & delectatione morosa, à pollutione, ab actu venereo, à turpi contactu, ab impudico aspectu, ac denique ab omnibus iis, quae aliquo modo sunt contra virtutem castitatis. Quare quidquid in secularibus extra coniugium est aliquo modo peccatum contra castitatem, est in religioso etiam sacrilegium contra id votum, ita tamen vt malitia sacrilegij sit mortalis in iis actibus, in quibus malitia libidinis est in secularibus mortalis, venialis verò, in quibus illa est venialis. Et ideò ita tenent Less. *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 9. *num.* 78. & Suar. *tom.* 1. *de relig. lib.* 3. *cap.* 3.

QVÆSTIO XLVII.

An quando Religiosus peccat contra votum castitatis, duplex peccatum committat?

RESPONDEO duplex peccatum committere. Quia primò peccat peccato luxuriae contra virtutem castitatis. Secundò, peccato sacrilegij, aut infidelitatis in Deum contra virtutem religionis. 1

QVÆSTIO XLVIII.

An summus Pontifex possit dispensare, in voto solemni castitatis per professionem religionis facto?

DVÆ in hac quaestione sunt inter se pugnantes Doctorum sententiae. Prima negat posse Pontificem in eo voto dispensare. Et probat, quia votum castitatis est statui religioso essentialiter annexum, vel potius innexum, & intrinsecè inclusum; ergo non potest ab hoc statu amoueri: ac proinde non potest diuelli ab homine habente illum statum, quia hic status consistit in quadam consecratione, per quam homo totaliter mancipatur diuino cultui ad castitatem perpetuo seruandam: quod autem semel consecratum est, non potest amplius ad vsus profanos conuerti; nec potest desinere esse consecratum, quandiu integrum manet, iuxta illud Leuitic. vltim. *Animal quod quis Deo deuouit, sanctum erit, nec mutari poterit,* vt patet in calice consecrato: ergo, qui semel est consecratus Deo per votum solemne castitatis non potest desinere esse religiosus. 1

Tum quia nihil est melius continẽtia, quo possit pro ea fieri cõpensatio iuxta 2

iuxta illud Eccles. 26. *Omnis ponderatio non est digna anima continentis.* Sic D. Tho. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 11. Alber. Magnus *in* 4. *d.* 38. *ar.* 16. *&* 18. Arag. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 11 Syluest. *verb. votum* 4. *q.* 5. Lop. *p.* 1. *c.* 49. *&* *p.* 2. *c.* 48.

3 Secunda verò opinio, quam sequor, tenet iusta exigente rationabili causa, bene posse summum Pontificem in voto solemni castitatis religionis dispensare, & facere quod religiosus aliquis matrimonium contrahat. Ratio est, quia Pontifex potest dispensare in voto simplici castitatis perpetuæ, ergo etiam poterit dispensare in voto solemni. Probo consequentiam, quia solemnitas voti solo ecclesiæ decreto est introducta, vt expresè definitur *in cap. vnico de voto in 6.* ergo summus Pontifex si subsit iusta causa potest in eo dispensare. Quia potest suum decretum relaxare.

Tum quia Pontifex potest relaxare votum solemne castitatis clericorum, vt etiam D. Thom. communiter receptus testatur, ergo etiam poterit relaxare votum solemne religiosorum. Probo consequentiam, quia cùm vtrumque sit solemne, æqua debebit esse vtriusque ratio.

4 Et confirmatur, multæ historiæ tradunt Romanum Pontificem de facto cum multis religiosis dispensasse, vt matrimonium contraherent. Primò cum Nicolao Iustiniano Monacho professo dispensauit Alexander III. vt posset vxorem ducere, ne familia tam illustris extingueretur. Ex qua susceptis sex filiis, & tribus filiabus ad monasterium rediit, miraculis postea clarus.

Secundò cum Rege Aragoniæ, qui cùm esset monachus professus, & eius pater sine filiis obiisset, solutus est votis monasticis, vt vxorem duceret.

Tertiò cum Constantia filia Regis Siciliæ moniali professa, vt nuberet cum Henrico VI. dispensauit Cælestinus III.

Quartò cum Casimiro filio Regis 5
Poloniæ, monacho professo in monasterio Cluniacensi, vt vxorem duceret, dispensauit Clemens II.

Quintò cum Germano Illustrissimi Cardinalis Ioyosæ Galli, sacerdote professo, & Prouinciali ordinis Capucinorum, dispensauit Greg. XIII. Atqui absurdum est dicere Bontifices in re tanti momenti errasse. Vnde immerito Sot. *lib.* 7. *q.* 4 *ar.* 2. dicit huiusmodi historias non esse vndequaque veras.

Obiicies, Sacerdos vtpote consecratus nequit non esse consecratus, ergo nec religiosus potest desinere esse religiosus.

Respondeo disparem esse rationem, nam Sacerdos est consecratus per characterem diuinitus impressum, qui nunquam deletur: at religiosus non est religiosus effectus per vllum characterem, sed per professionem.

Dices, *in cap. Cum ad monasterium* 6
de statu monachorum habetur: *Neque æstimet Abbas, quod super habenda proprietate, possit cum aliquo dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa regulæ monachali, vt contra eam, neque etiam summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

Ad hoc respondet Duran. *in* 4. *d.* 28. *q.* 2. consulto textum dicere, non posse Romanum Pontificem licentiam dare, quia non potest ad libitum, & absque causa iusta.

Sed hæc responsio non placet, quia 7
licentia cum à verbo, *liceat*, deriuetur, facultatem rationi consentaneam significat.

Alij dicunt, illa verba intelligenda esse, ex modestia summi Pontificis, ad conuincendum illum Abbatem,

qui existimabat ipsum habere facultatem concedendi Monacho, vt haberet proprium.

Alij verò rectius dicunt non posse Pontificem dispensare vt religiosus quamdiu manet religiosus proprium habeat, vxorem ducat, ac liber sit ab omni obedientiæ iugo, eo modo quo sunt cæteri seculares, successiuè tamen bene fieri potest, ex aliqua vrgenti, & multum rationabili causa, & authoritate Apostolica, vt qui alias erat religiosus, desinat religiosus esse, & fiat sæcularis, habeatque proprium, & matrimonium contrahat, & liber sit ab omni obedientia.

8 Dices, Matthæus Apostolus (vt refert Abdias Babylonius in eius vita) potius mortem elegit, quam dispensare vt Iphigenia monialis contraheret matrimonium cum quodam rege promittente conuersionem dimidij regni sui ad fidem: signum est ergo eum non potuisse.

Respondeo id contigisse, quia tunc temporis, vtpote in initio nascentis ecclesiæ, non tam fuit expediens religionem christianam propagari relaxatione eorum, quæ ad ipsam religionem pertinent, quam sanguinis effusione pro illorum constanti obseruatione.

9 Demum obijcies S. Tho. authoritatem, qui *in 2.2.q.88 ar.11.* docet summum Pontificem id facere non posse.

Respondeo, ipsi sancto Thomæ, ipsummet sanctum Thomam opponimus qui *in 4.d.38.q.1.ar.4.q.1.ad 3.* manifestè ait Romanum Pontificem posse relaxare votum solemne religionis.

Profectò nunquam persuadere mihi potui S. Thomam hanc authoritatem Romano Pontifici negasse, sed solum docuisse, vt optimè Caietanus annotauit, Romani Pontificis authoritate fieri non posse, vt quis sit religiosus, & coniux, vel dominium habeat: pugnat enim cum natura religionis, coniugij, & dominij vsus. At pontificia authoritate fieri potest, vt religiosus desinat esse religiosus, & sic matrimonium contrahat, & res vt proprias possideat.

Certè S. Thomas *loco citato*, Scotus 10 *in 4.d.38.* Caiet. 2.2.q 88.*ar.*11. Cord. *in quæst. libro* 1.*q*.24. Tolet. *lib.*4 *c.*18. *nu.*5. Henriq. *lib.*12 *de matrim c.*5.*n.*7. Valent. 2.2.*d.*6.*q.*6.*p* 7. Nau. *c.*22.*n.*77. Roder *to.*1.*qq.reg.q.*25.*ar.*2.*& to.*3.*q.*1.*ar.*5. Couar. *c.*2. *de test. nu.*10.*&* 11. & omnes alij recentiores vno ore fatentur Romanum Pontificem iusta de causa posse votum solemne castitatis religiosorum dissoluere.

Et ad primum argumentum Thomistarum respondeo negando statum religiosum non posse ab homine auferri: hic enim status non in aliqua consecratione consistit, vt isti falsò supponunt, sed in ipsa voti obligatione, quæ ab homine potest auferri, vt patet in voto sacris ordinibus annexo. Et quamuis res Deo consecrata non possit passim, ac indifferenter alijs vsibus deputari, potest tamen causa vrgente ad vsus profanos conuerti. Sicut licitus est vsus calicis sacri ad bibendum perituro alias præ siti, sicut 1. Reg. 21. Dauid fame oppressus vsus est licitè panibus propositionis & illud Leuitici fuit ceremoniale, quod per mortem Christi extinctum est. 11

Ad secundum respondeo, negando 12 non dari maius bonum continentia; nam oratio, & contemplatio sunt multo meliora bona, quam continentia, nam Apostolus 1. Cor. 7. nos inducit ad continentiam propter contemplationem; finis autem potior est his quæ sunt ad finem, & tamen potest dispensari in voto orationis, vel contemplationis, ergo. Vnde Ecclesiastici 26. solis bonis externis vt opibus

ange

antefertur continentia vt ex D. Augustino D. Thomas testatur 2. 2. *q.* 88. *ar.* 1. Et quamuis bonum vnius, vel alterius non præponderet continentiæ religionis. At commune totius Regni bonum tanquam præponderans illi anteferendum est.

QVÆST. XLIX.

Qualis debeat esse causa ad dispensandum in voto solemni castitatis religiosorum?

1 RICH. *in* 4. *d.* 38 *q.* 1. *ar.* 9. & Caiet. *in opusc. tom.* 1. *tract.* 27. *de dispensat. matrim. q. vnica* aiunt sufficere ad huius dispensationem maius bonum priuatum ipsius vouentis, vt vitationem probabilissimæ voti transgressionis.

Sed hoc non obstante concors est Theologorum, & canonistarum sententia, desiderari vrgentissimam boni communis causam, vt pacis totius Regni, eiusve ad fidem conuersionis. Ratio est, quia dispensatio hæc fieri non potest sine aliquo detrimento religiosi status. At non videtur rationi consonum, vt cum damno communitatis alicuius ordinis vel religionis, ratio habeatur boni priuatæ personæ. Ita Valent. 2. 2. *d.* 6. *quæst.* 6. *part.* 7.

QVÆSTIO L.

An Papa possit dispensare, vt matrimonium professi ad tempus duret, nempe donec habeat prolem, & postea statim ad religionem redeat?

1 ANTON. Cuchus *lib.* 3. *instit. maiorum tit.* 1. *nu.* 120. affirmat.

At oppositum est certa fide tenendum. Quia perpetuitas vinculi est de essentia matrimonij. 2

QVÆSTIO LI.

An Papa possit ita cum professo dispensare, vt teneatur vxor, manente matrimonij vinculo indissolubili, continere, vt habita prole, professus ad religionem redeat.

RESPONDEO, non posse. Ratio est, quia hæc conditio est contra matrimonij substantiam. 1

QVÆSTIO LII.

An possit Papa ita cum professo dispensare, vt si habita prole, vxor liberè consentiat, vel ob adulterium causam diuortij dederit, ad religionem redire teneatur?

RESPONDEO posse. Quia hoc non est contra matrimonij substantiam: cum quilibet coniux sua sponte possit se ad id obligare. 1

QVÆST. LIII.

An matrimonium valeat, si Pontifex absque iusta causa dispenset in voto solemni religionis?

D. Thomas, ac eius sequaces tenent, non valere, quia putant hanc ad matrimonium inhabilitatem esse de iure naturali, & diuino, super quo Papa sine iusta causa non potest dispensare. 1

Sed omnino tenendum est, tale matrimonium valere. Quia tale impedimentum prouenit ex sola eccle- 2

siæ

siæ constitutione, quæ sanxit, vt religionem professus inhabilis sit ad matrimonium, vt expresse definitur *in cap. vnico de voto, & voti redempt. in 6.* ergo dispensatio Pontificis absque causa concessa tenet, ac proinde matrimonium contractum est validum. At eo contracto non poterit petere debitum, tenebitur tamen reddere. Quia votum illud iure diuino naturali impedit matrimonium, & obligat post matrimonium contractum ad abstinendum à debiti petitione. Quia ea dispensatio in hoc voto facta sine causa fuit irrita.

QVÆSTIO LIV.

An hic Religiosus, cum quo dispensatum est, vt contrahat matrimonium, teneatur ad dicendas horas canonicas?

1 RESPONDEO non teneri. Ratio est, quia per talem dispensationem desiit esse religiosus. Ita Roder. *p. 1. sum. c.* 141. *nu.* 14.

QVÆST. LV.

An qui post simplex religionis votum, matrimonium contraxit, teneatur à debito petēdo abstinere?

1 AD hoc dico primò, quod qui voto religionis ligatus matrimonium prima vice consummat, siue petendo, siue reddendo peccat mortaliter. Ratio est, quia adhuc potest suum votum implere religionem ingrediēs, & consummans constituit se in eo statu, vt implere nequeat.

Secundò dico, quod is qui religionem vouit, post semel consummatum matrimonium potest licite petere, & reddere debitum. Ratio est, quia vouens statum, non se obligat ad illius leges, donec illum reipsa assumat, vt qui sacerdotium vouit, non tenetur donec illud sumat, diuinum officium persoluere, nec castitatem seruare: ergo qui religionem vouit, non tenetur ad castitatem, nec ad paupertatem vel obedientiam, donec profiteatur.

2 Tertiò dico, quod soluto eo matrimonio, vel facto diuortio ratione adulterij, tenetur is qui religionem vouit, illam ingredi. Ratio est, quia cum iam impedimentum cessarit, potest hic implere suum votum, ergo tenetur.

QVÆSTIO LVI.

Quæ, & quotnam sint vtilitates, seu fructus castitatis?

RESPONDEO septem. Primò quidem mundum reddit hominem, & decorum. Vnde Bernard. *epist.* 42. *Quid castitate decorius, quæ mūdum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, Angelum denique de homine facit?* Et D. Chrysost. *hom.* 23. *ad Ephes.* dicit, castitatem esse Angelorum virtutem è cælo per Christum allatam.

Secundò hominem liberum reddit, & expeditum ab innumeris curis, & anxietatibus, quibus matrimonio coniuncti implicati sunt. 1. Cor. 7.

2 Tertiò, ponit in homine fundamentum omnium virtutum, quia vt B. Gregorius dicit, *nihil est bonum sine castitate.*

Quartò, hominem amicum Dei facit iuxta illud Prouerb. 22. *Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum Regem.* Vnde Sulpitius *dialog. 2. Beata,* inquit, *species eius, & digna Deo.* Et Greg. Nicen. *libro de vera virginitate,* hac asserit restaurari, ac restitui deprauatam imaginem Dei in nobis.

Quintò,

Quintò, reddit hominem amabilem Angelis, qui cum per naturam sint casti, specialiter diligunt homines castos.

3 Sextò, reddit hominem commendabilem, & laudabilis opinionis iuxta illud Sapient. 4. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis est memoria illius.*

Septimò, & vltimò ducit hominem ad vitam beatam, iuxta illud Matt. 5. *Beati mundo corde &c.*

QVÆSTIO LVII.

Quæ, & quotnam sint illa, quibus castitas conseruatur?

1 RESPONDEO decem: primum est, humilitas, per quam, nostra fragilitate cognita ad Deum recurrimus. iuxta illud Sap. 8. *Vidi quòd non possum esse continens, nisi Deus det.*

Secundum est sobrietas. Vnde Hier. *difficilè inter epulas seruatur pudicitia.* Et D. Bernar. *Periclitatur castitas in deliciis.*

Tertium est vestium asperitas, per quam mollitiem repellimus. Luc. 7. *Qui mollibus vestiuntur &c.* Vnde Bernard. *Memento quod asperior cardo pannum facit leniorem, sic asper habitus carnem facit castiorem.*

Quartum est carnis mortificatio, per quam carnales motus restringuntur. 1. Cor. 9. *castigo corpus meum* &c.

Quintum est, custodia sensuum, iuxta illud Eccles. 9. *Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias mulierem alienam; propter enim speciem mulieris multi perierunt.*

Sextum est vitatio, & declinatio occasionum. Vnde Hieron. *Epist. 2. ad Nepotianum. Hospitiolum tuum aut rarò aut nunquam mulierum pedes terant: nec sub eodem tecto mansites, nec in præterita castitate confidas: quia nec Dauid sanctior, nec Salomone sapientior esse potes, qui tamen lapsi sunt per mulieres.* 2


Septimum est virilis tentationum resistentia, per quam dæmonum suggestiones repellimus iuxta illud 1. Pet. 5. *Cui resistite fortes in fide.*

Octauum est scripturarum sanctarum meditatio, per quam carnales cogitationes, spiritualibus impedimus. Vnde Hier. *Ama studia literarum, & vitia carnis non amabis.* 3

Nonum est feruens Dei dilectio, per quam in Deo delectamur, & sic voluptates carnis tanquam amarissimas despicimus. Quia *gustato spiritu, desipit omnis caro.*

Decimum, & vltimum est mortis meditatio, & æternarum pœnarum, quę debentur impiis, consideratio, per quam stultum esse cognoscimus pro breui voluptate, æterna sustinere supplicia. Vnde Hier. *Facilè contemnit omnia, qui se cogitat moriturum.*

Hæc pauca de voto solemni castitatis sufficiant, reliqua vide apud Summistas.



DE VOTO SOLEMNI PAVPERTATIS.

LIBER OCTAVVS.

DISSERVIMVS hactenus pro ingenij nostri tenuitate de duobus essentialibus votis, scilicet de obedientia, & castitate; nunc superest, ad huius operis complementum, vt in hoc libro, de tertio, scilicet de voto solemni paupertatis agamus. De quo disputat Magister sententiarum cum cæteris Theologis *in*.4 *dist*.38. D.Tho.2.2.*qu*.186.*art*.3. *&* 6. & Caiet.*ibidem*. Molina *tom*.3.*de iust.disput*.687. Valent.2.2.*d*.10.*qu*.4. *par*.2. Less. *lib*.2. *de iust. cap*.4. *&* 41. Corduba *in summ. qu*.54. Nauar.*com*.2.*de Regul*. Roder.2. *tom.de qq.regul. qu*.29. Lop.2.*p. instruct. confess.cap*.4. Azor *tom*.1.*inst. mor.lib*.12. *cap*.12. & Petr. Nauar.*lib*.3.*de restitut. cap*.1.*nu*.171. Summistæ vero vt Angel. Sylu. Tab. Rosell. Armil. & multi alij *verbo Religio*. *&* *verbo dominium*.

1 Quoniam verò materia hæc de voto paupertatis celebris est inter Theol. & Canonistas, & Religiosis vniuersis summoperè necessaria propter innumeros nodos, & laqueos conscientiarum, quos continet, quandoquidem proprietas eius æmulatrix, est vitium adeò execrandum, vt meritò celeberrimus ille Patriarcha Monachorum S. Benedictus *in sua Reg.cap*.33. eam nequissimum vitium appellet: estq; eiusmodi conditionis, quod licet sit ab omnibus bene practicatum, est nihilominus male cognitū, & intellectum. Quam ob rem in huius rei veritatem vir quidam doctus, dicere solebat, maiorem eorum, qui damnantur Religiosorum numerum, infici hoc vitio, & propter hoc vitium damnari. Quare paulo fusius hanc materiam prosequemur, vt quo maioris momenti res est, eo plus diligentiæ in ea tractanda adhibeatur. Et vt à certioribus præmissis, ad minus certa disponenda gradum faciamus præmittenda sunt nonnulla, quæ erunt veluti præambula, & fundamenta dicendorum.

TEXTVS

TEXTVS CAPITIS

Non dicatis, 12. *quæst.* 1.

NON *dicatis aliquid proprium: sed sint vobis omnia communia.* Et infrà. *Quicunque autem in tantum progressus fuerit malum, vt occultè literas ab aliquo, vel quodlibet munus accipiat, si hoc vltrò confiteatur parcatur illi & oretur pro illo. Si autem deprehenditur, atque conuincitur, secundum arbitrium presbyteri, vel Præpositi grauius emendetur.* Et infrà. *Cum huius nostræ Congregationis fratres non solum facultatibus, sed voluntatibus propriis in ipsa ordinis susceptione renunciauerint, & se per promissam obedientiam penitus aliorum potestati, & imperiis in Christo, & pro Christo subdiderint, certum est eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere sine superioris licentia debere. Quod si propinquus, vel amicus, vel quilibet fratrum cuiquam aliquid offerre voluerit, primò quidem Priori insinuetur: & sic suscipiatur, si ipse mandauerit. De quo tamen nihil fiat aliud, nisi quod Priori placuerit.*

TEXTVS CAPITIS

Monachi, de statu Monachorum.

MONACHI *non pretio recipiantur in monasterio, nec peculium permittantur habere.* Et infrà. *Qui vero peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta administratione permissum, à communione remoueatur altaris, & qui in extremis cum peculio inuentus fuerit, & dignè non pœnituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres accipiat sepulturam. Quod etiam de vniuersis religiosis præcipimus obseruari. Abbas autem qui diligenter ista non cauerit, officij sui iacturam se nouerit incursurum.*

TEXTVS CAPITIS

Cum ad Monasterium, eodem titulo.

CVM *monasterium Sublacens.* Et infrà: *Prohibemus districtè in virtute obedientiæ, sub obtestatione diuini iudicij, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat: sed si quis aliquid habeat proprij, totum in*

continenti resignet. Si verò post hoc proprietatem aliquam deprehensus fuerit habere, regulari monitione præmissa, de monasterio expellatur, nec recipiatur vlterius, nisi pœniteat secundum monasticam disciplinam. Quod si proprietas apud quemquam inuenta fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinio subterretur. Secundum quod Beatus Gregorius narrat in dialogis fecisse. Vnde si quicquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati, vel Priori, vel cellario assignetur. Et infrà. *Tales enim ad agenda officia monasterij deputentur, qui fideles fuerint, & discreti. Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò possidenda, tanquam in sua sibi vita locetur, sed cum oportuerit amoueri, sine contradictione qualibet reuocetur.* Et in fine textus. *Nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa Regulæ monachali, vt contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

DECRETVM CONCILII Tridentini de Paupertatis voto integerrimè seruando *sess. 25. cap. 2.*

NEMINI *igitur Regularium, tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia, cuiuscunque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine conuentus possidere, vel tenere, sed statim ea superiori tradantur, conuentuique incorporentur. Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui Regularium concedere, etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, vel commendam. Administratio autem bonorum monasteriorum seu conuentuum, ad solos officiales eorundem ad nutum superiorum amouibiles pertineat. Mobilium vero vsum ita superiores permittant, vt eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conueniat. Nihilque superflui in ea sit, nihil etiam quod sit necessarium, eis denegetur. Quòd si quis aliter quidquam tenere deprehensus, aut conuictus fuerit: is biennio actiua, & passiua voce priuatus sit, atque etiam iuxta suæ Regulæ, & ordinis constitutiones puniatur.*

CAPVT

CAPVT XXXIII.

Regulæ S. Patris Benedicti Abbatis, celeberrimi Patriarchæ Monachorum, de vitio proprietatis extirpando?

PRÆCIPVE *hoc vitium radicitus amputetur de monasterio, ne quis præsumat aliquid dare, aut accipere sine iussione Abbatis, neque aliquid habere proprium, nullam omnino rem: neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino, quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria potestate. Omnia vero necessaria à patre monasterij sperare, neque quicquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiserit. Omniaque omnibus sint communia, vt scriptum est, nec quisquam suum esse aliquid dicat, vel præsumat. Quod si quisquam huic nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel & iterum, si non emendauerit, correctioni subiaceat.*

SERMO XLVIII.

Melliflui Patris nostri Bernardi Abbatis de proprietate abdicanda.

SOROR *charissima, peculiare quod habetur apud seruos Dei pro magno crimine, nunquam inueniatur in te. Omnia quæ in monasterio sunt, omnibus sunt communia. Ergo si ancilla Dei aliquid habet absconsum, vel proprium, quod à cæteris ancillis Dei ignoratur, furtum est, peccatum furti est. Quare quia omnia habet in communi cum cæteris ancillis Dei, & quasi proprium sibi aliud abscondit. Furtiuè aliud habere in communi cum cæteris ancillis Dei, est quasi proprium sibi aliud abscondere. Hoc furtum est, hæc manifesta fraus est. Hoc grande peccatum est, hoc est iter inferni, per hanc viam latrones descenderunt in infernum. Sic enim ait Paulus Apostolus: Neque latrones, neque rapaces regnum Dei possidebũt. Ancilla Dei, quæ semetipsam separat à communione monasterij, aliud quasi proprium abscondendo, consequens est, vt separetur à consortio cœlestis vitæ. Multi ad communem societatem monasterij veniunt: sed quod sine graui gemitu dicere non possumus, non omnes in eo secundum Euangelium viuunt. In monasterio sunt S. Apostoli Iesu Christi. Est etiam ibi Iudas Scarioth traditor Domini, & ibi Ananias, cum sua vxore Saphira. Est etiam ibi Giezi discipulus Helisæi. Qui propter Deum omnia quæ habent in hoc mundo ad imitatio-*

nem Apostolorum derelinquunt causa solius aeternæ vitæ, cum eisdem Apostolis lætabuntur, & remunerabuntur in æterna beatitudine. Qui autem postquam ad conuersionem monasterij venit, de rebus monasterij facere fraudem præsumit Iudas est, & pœnam Iudæ sustinebit in inferno, quia de hoc, quod commune est, facere fraudem præsumit, proprium facit. Qui autem à seculari vita ad seruitium Dei conuertuntur, de his, quæ de sæculo habuerunt, vnam partem sibi reseruant, alteram vero secum monasterio tradunt, cum Anania, & Saphira sententiam maledictionis merentur. Qui autem de sæculo ad monasterium venit, & quod in domo sua habere non potuit, si illud in monasterio habere voluerit, vel requisierit, sine dubitatione lepra Giezi adhærebit ei. Et lepram quã Giezi sustinuit in corpore, iste sustinebit in anima. Honesta soror, sicut superius dixi tibi, magna est differentia inter eos, qui in monasterio viuunt, ab illis qui in monasterio more Apostolorũ viuunt, qui ex his, quæ in hoc sæculo habuerũt, vel habent in monasterio nihil abscondunt, conuenit illud Psalmista: Mihi autem adhærere Deo bonum est, & ponere in Deo spem meam, & illud: iacta cogitatũ tuum in domino, & ipse te enutriet. Illis, qui sicut Iudas Scarioth proprium retinent, vel de rebus monasterij abscondunt, cõuenit illud: Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebant. Illis vero qui cum Anania, & Saphira ex his, quæ in sæculo habuerũt vnam partem monasterio tradunt, alteram vero sibi in proprium retinent, conuenit illud: Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur. Etiam illis, qui sicut Giezi, ea non potuerunt habere in sæculo, requirunt in monasterio, conuenit illud: Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & præualuit in vanitate sua. Tu ergo, soror venerabilis, nihil celes, nihil abscondas, nihil apud te absconsum reponas. In abscondito nihil retineas, apud te nihil remaneat absconsum. Quidquid habes, habeto cum licentia, si quid habes, habeto cum benedictione. Sine licentia Abbatissæ, vel Priorissæ nihil habeas, sine benedictione nihil accipias, sine licentia nihil tribuas. Honesta virgo iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet.

HIs itaque iactis fundamentis, nunc operæpretium est, antequam de voto paupertatis, ac de proprietatis vitio illi opposito inchoationem aggrediamur, prius prælibare, ac declarare quædam, quæ valde sunt vtilia, ac necessaria ad huiusmodi cognitionem, quibus postea enucleatis, ac cognitis, statim ad singularem, ac præcipuam eorum tractationem, atque expositionem nos conferamus. Hęc autem sunt dominium proprium, vsus, vsusfructus, administratio, possessio, & peculium. Quæritur igitur in primis.

QVÆ

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit dominium?

1 RESPONDEO quod est ius perfectè disponendi de re in suum commodum, nisi lege prohibeatur. In qua definitione quatuor sunt partes, Prima est (*Ius*) quæ ponitur loco generis, & est idem, quod facultas legitima, & iuridica disponendi de re, quod est commune ad dominium, & alias iuris species.

2 Secunda pars est (*perfectè disponendi de re*) quæ ponitur ad differentiam vsus, & vsusfructus. Nam dominium est ius perfectum, quod quis habet supra rem ipsam, seu substantiam rei, ad vtendum ea, eo vsu, quo voluerit, vt destruendo eam quoad substantiam, vel alienando per donationem, vel venditionem, &c. At verò vsus, & vsusfructus est ius, quod quis habet non supra rem, aut substantiam rei, ad eam destruendam, vel alienandam, sed solum supra vsum rei, vel fructum, qui ex re colligitur salua eius substantia.

3 Tertia pars est (*in suum commodum*) quæ ponitur ad differentiam iurium, quæ habent superiores in inferiores, quæ idcirco non sunt dominia, quia respiciunt non tam vtilitatem propriam, quam ipsorum inferiorum. Rex enim habet ius in ciues, Episcopus, & Prælatus in suos subditos, & pater in filios, & tamen nemo istorum rectè dicitur illorum dominus, quia tale ius non ad commodum Regis, aut Prælati, aut parentis, sed ad commodum subditorum, & filiorum debet ordinari.

4 Quarta, & vltima pars est (*nisi lege [illegible]*) quæ adiicitur ad significandum [illegible] loquendo,

liberè posse vti vt libuerit re, cuius est dominus, nisi per accidens, hoc est aliunde, quam ex natura dominij f. ex superioris præcepto, vel lege prohibeatur id facere, vt pupillus qui prohibetur alienare sua bona vsque ad certum tempus, cum tamen sit verus dominus, vt Apostolus ait ad Galat. 4.

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit dominium?

RESPONDEO duplex f. iurisdictionis, & proprietatis. Dominium iurisdictionis est ius, seu potestas gubernandi suos subditos. 1

Et est duplex, seculare, & Ecclesiasticum. Seculare est potestas Imperatoria, Regia, Ducalis, & similes respectu Regnorum, Prouinciarum, & oppidorum, quæ ipsis proprio iure in negotiis secularibus subduntur. Ecclesiasticum dominium est potestas Papalis, Patriarchalis, Episcopalis, & aliæ inferiores respectu subditorum, qui ipsis in spiritualibus subiiciuntur.

Dominium proprietatis est ius disponendi de re aliqua, tanquam sua in suum commodum. Et est duplex, plenum, & non plenum: plenum dicitur, quod proprietatem rei, & eius emolumenta continet. Non plenum, quod tantum habet, vel proprietatem rei absque emolumentis, vel emolumenta absque rei proprietate. Quod rursus est duplex, directum, & vtile. Directum continet solam rei proprietatem. Vnde habens hoc dominium solet dici proprietarius. Tale dominium est, quod habet dominus [illegible] in emphyteusim, vel feudum datæ. 2

datæ. Dominium verò vtile continet solam rei commoditatem, & vtilitatem. Tale est, quod habet, qui rem in feudum, vel emphyteusim accepit.

QVÆSTIO III.

Vtrum Dominium, & titulus dominij distinguantur?

1 RESPONDEO distingui: Ratio est, quia dominium est facultas libera vsurpandi rem aliquam in suum commodum.

At titulus est principium, basis, radix, & veluti causa moralis, & fundamentum, quo nascitur hoc dominium, seu facultas tanquam effectus illius. Vnde dicenti alicui, se esse dominum alicuius rei, solemus dicere, ostende titulum, idest fundamentum, & basim huius dominij. Ita Sot. *lib.* 4. *quæst.* 1. Mol. *tom.* 1. *disp.* 4. & Arag. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 1.

QVÆSTIO IV.

Quot, & quæ conditiones ad dominij acquisitionem requirantur?

1 RESPONDEO, duæ scilicet titulus, & traditio, vt habetur *in l. nunquam ff. de acquirendo rerum dominio.* Cuius ratio est ipsa legum dispositio: nam iure naturæ non est necessaria traditio, est tamen rationi consona, quia tunc transfertur dominium ab vno in alterum, quando desinit esse sub potestate prioris domini, & transit in potestatem posterioris, sed hoc non est, quando aliquis solum promisit, vel donauit, aut vendidit: quia adhuc manet sub potestate sua, ita vt possit alteri dare, ita vt datio, & alienatio valeant, licet peccet, dando vni, quod promisit, vel vendidit alteri vt habetur *ex l. Quoties C. de rei vendit.* vbi habetur. *Si quis rem suam vendidisset Titio, cui non tradidit, deinde venderet alteri puta Caio, & traderet, tunc Caius, & non Titius acquireret rei illius dominium, licet Titius habeat actionem damni in venditorem.*

Excipiuntur tamen à Doctoribus sex casus, in quibus potissimum transfertur rei dominium absque reali traditione, quos, si placet, vide *in nostro speculo confessariorum disputat.* 1. *qu.* 1. *num.* 2.

Est autem hic aduertendum, quod nomine *dominij*, intelligitur etiam quasi dominium. Nam dominium propriè dicitur respectu corporalium: quasi dominium verò rerum incorporalium, cuiusmodi sunt beneficium ecclesiasticum, ius nominandi, designandi, eligendi, confirmandi, & alia id genus similia. 2

QVÆSTIO V.

Quid, & quotuplex sit proprium?

RESPONDEO proprium quantum ad propositum nostrum spectat bifariam sumi potest. Vno modo, prout opponitur termino illi, *commune*, & hac significatione accipitur in capite *Non dicatis*, dum dicitur. *Non dicatis vobis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.* 1

Secundo verò modo sumitur, prout opponitur alieno, & in hoc sensu accipitur *in l. eos qui §. fin autem iudicio propriam quis fuerit causam prosequunt* 2

quutus &c. *iuncto verſiculo, is vero, qui alienum tuetur iudicium.cap. De appell.* Et ſic proprium idem eſt, quod meum. Et hac ſignificatione vſurpatur *in cap. Redintegranda 3.queſt.1.* ibi enim proprias ſubſtantias ideſt meas exponit Pontifex. Vndè ſecundum Iuriſperitos, vt rectè monet Nauarr.*comment. 2.de Regul. num. 12.* proprium, & dominium idem ſunt. Ac proindè, quæ de dominio à Doctoribus diſſeruntur, accommodanda ſunt proprio. Et ſic proprium hoc modo ſumptum nihil aliud eſt, quam ius ſeu facultas ad libitum diſponendi de re in ſuum commodum videlicet alienando, defendendo, ac repetendo eam in iudicio, vel extra, nullam legem violans. Nos autem in latiori ſignificatione hic proprium accipimus, nimirum, non ſolum, vt comprehendit dominium, verum etiam vſumfructum, & vſum, & quodlibet aliud ius politicum, & ciuile. Quod ex ſequenti diſtinctione magis patebit.

3 Rurſus, Proprium dupliciter ſumi poteſt, vno modo quoad veram proprietatem, vel quaſi proprietatem: vel quoad veram poſſeſſionem, aut quaſi, iuris rei pecuniariæ, vel quoad vſumfructum, vel vſum præſertim quatenus ſunt iura. Et huius generis proprij ſoli homines ſæculares ſunt capaces ſuo nomine, quia hi ſolum ſunt capaces dominij. Alio verò modo largè, prout continet ſolam detentionem, vſum, adminiſtrationem, & poſſeſſionem facti tantum, cuius ſunt capaces filij nondum emancipati reſpectu parentum, ſerui reſpectu dominorum ſuorum, & religioſi de licentia ſuorum ſuperiorum. Quod proprium, ſimpliciter proprium non eſt, ſed ſecundum quid & per quandam analogiam proprium dicitur.

QVÆSTIO VI.

Quid ſit vſus?

RESPONDEO quod eſt ius vtendi re aliena, ſalua eius ſubſtantia. In qua definitione tres particulæ ponuntur. Prima eſt, (*ius*) quod commune eſt ad dominium, vſum, & vſumfructum. 1

Secunda particula eſt(*vtendi*) quæ ponitur ad differentiam vſusfructus, qui non tantum eſt ad vtendum, ſed etiam ad fruendum re aliena: & ad reiiciendum iura, quæ non ſunt ad vtendum, vt ius depoſitarij in comparatione depoſiti, & creditoris in comparatione pignoris.

Tertia particula eſt (*re aliena*) quæ ponitur ad differentiam dominij, quod eſt ius diſponendi de re propria.

Quarta, & vltima particula eſt(*ſalua eius ſubſtantia*) quia vſus, quo ſubſtantia conſumitur, aut alienatur, non eſt verè, & propriè vſus, & ſic non definitur hac definitione, ſed tantum vſus qui eſt ſeparatus à dominio, & ſolet dici vſus nudus, ſiue ſimplex rei, vt conſtat *ex lege 1.ff.de vſu.* 2

QVÆSTIO VII.

Quotuplex ſit vſus?

RESPONDEO duplex ſ. vſus facti, & vſus iuris. Vſus facti eſt vſus in actu, qui eſt ipſa actualis rei conſumptio. Vt equitatio dicitur vſus equi, & habitatio vſus domus. Et hunc vſum aliqui vocant aſinarium, quem etiam ipſa pecora habent in ſuis ſtramentis, aut cibariis. 1

Ffff Huius

Huiusmodi est,qui seruis , & regularibus competit,qui sibi & suo nomine nullius rei vsum iuris habere possunt, etiam eorum , quæ manducant, & quibus vestiuntur.

2 Vsus verò iuris, est vsus in habitu idest præter ipsum factum includit ius vtendi re aliqua salua eius substantia. Vnde qui habet vsum iuris, licet non possit donare, vendere, locare &c. habet tamen ius ad vtendum re in suos vsus. Qui verò habet tantum vsum facti , non habet ius ad vtendum , sed tantum habet factum.

3 Vsus iuris iterum est duplex s. absolutus, & limitatus , seu dependens ab alio. Vsus iuris absolutus idest independens est libera , & plena facultas habitualis vtendi re sine dependentia ab alio , etiam consumendi illam, atque adeo quocunque modo ei placuerit. Vsus verò iuris limitatus seu dependens est facultas , seu concessio veniæ vtendi his rebus cum dependentia ab alio,apud quem propriè residet dominium.

QVÆST. VIII.

Quid sit vsusfructus?

1 RESPONDEO quod est ius vtendi, ac fruendi re aliena , salua tamen eiusdem rei substantia. In qua definitione tres sunt partes. Prima pars est *(ius)* quæ ponitur loco generis, & est idem quod facultas legitima aliquid faciendi.

Secunda pars est *(vtendi,& fruendi)* quæ ponitur ad differentiam vsuarij, qui tantum habet vsum rei.

Tertia vero pars est *(salua eiusdem rei substantia)* quæ ponitur ad denotandum, quod vsusfructuarius potest vti re,non consumendo eius substantiam,sed tantum percipiendo fructus.

Ex quibus omnibus colligitur primo discrimen , quod est inter dominium,vsum & vsumfructum.Nam Ius duplex esse potest , vnum in substantiam rei , vt possit illam consumere, si vsu consumptibilis sit , vel saltem alienare, vt vendendo, donando &c. Et hoc est dominium. Alterum est in qualitatem, seu accidentia rei, & hoc rursus est duplex,vnum est ius vtendi re aliena in propriam tantum vtilitatem , salua eius substantia , & dicitur vsus, vt si alicui concessus sit vsus pomarij , poterit quidem ipse colligere ex eo flores , & fructus pro se, & sua familia , non autem alteri dare , vel vendere. Alterum est ius vtendi & fruendi salua substantia rei , & hoc dicitur vsusfructus; frui enim aliqua re dicitur ille , qui non solum potest consumere fructus in suum commodum,sed etiam donare,vendere,locare,vel gratis dare alteri ius quod habet in vsufructu. 2

Secundo colligitur, vsum,& vsumfructum propriè loquendo non posse constitui nisi in rebus immobilibus , quales sunt domus, prædia &c. Et etiam mobilibus , quæ vsu statim non consumuntur , vt sunt oues, boues,equi &c. Quoniam in his manifestè patet post vsum , & fruitionem rei , remanere eius substantiam, & sic vsus , & vsusfructus possunt esse vnius , & proprietas , & dominium alterius,non autem in mobilibus quæ statim vsu consumuntur , vt sunt vinum,oleum,panis pecunia, quia post vsum in his nihil remanet. 3

QVÆSTIO IX.

Quid sit administratio?

Respon-

1 RESPONDEO quod est ius gubernandi, vel distribuendi rem aliquam iuxta conditiones, ac leges peculiares ad hoc assignatas,& non alio modo.

QVÆSTIO X.

Quid sit possessio?

1 RESPONDEO quod est ius retinendi rem aliquam in sua potestate, vel eam corporaliter apprehendendi, cum facultate eam possidendi, siue res sit sua, siue alterius, vel per se, vel per alium.

QVÆSTIO XI.

Quid sit peculium?

1 RESPONDEO peculium quasi parua pecunia, à pecunia deducitur, quod à pecore seu pecude deductum, significat quidquid in hominis est patrimonio. Strictiùs tamen captum significat peculium, quod filiusfamilias habet separatum à bonis paternis, vt habetur *ex lege deposit. §. peculium.* Quod quidem peculium variis nominibus nuncupatur, prout variis, & diuersis modis comparatur. Nam si filius familias illud acquirit ex patrimonio, dicitur profectitium. Si occasione militiæ armatæ appellatur castrense. Si militiæ togatæ dicitur quasi castrense. Si verò illud acquirit aliunde, dicitur aduentitium. Peculium autem de quo loquimur in hoc loco, translatiuè sumitur pro illis bonis, quæ à regularibus peculiariter possidentur. Quod est, duplex, iustum, & iniustum. Iustum est, cum religiosus habet administrationem, & vsum alicuius rei, dependenter tamen à voluntate Prælati, & appellatur peculium ex similitudine peculij profectitij, vt optimè aduertit Nauar. *comm. 1. de regulari. num.* 14. Nam sicut filiusfamilias habens peculium profectitium non habet dominium, neque ius aliquod politicum, & ciuile, sed tantum administrationem,& negotiationem bonorum patris,cui subditur. Sic religiosus dicitur habere peculium regulare, ex eo quod habet administrationem,& negotiationem bonorum monasterij, vel aliqua alia bona suis propriis vsibus deputata, dependenter tamen à voluntate Prælati. Aliud vero est peculium iniustum, vt cum religiosus aliquid apud se habet sine licentia Prælati. Et hac significatione vsurpatur *in dicto cap. Monachi*, vbi dicitur: *Qui vero peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro iusta administratione permissum, à communione remoueatur altaris, & qui in extremis cum peculio inuentus fuerit &c.* Vnde peculium hoc modo sumptum idem est, quod proprium; & quando iura loquuntur de abdicanda proprietate, exponenda sunt de abdicatione peculij in prædicto sensu, idest de peculio iniusto, iniustéque possesso, sine dependentia Prælati. Hæc sunt illa, quæ dicenda erant pro notitia eorum, quæ ad voti paupertatis,& proprietatis vitij illi oppositi cognitionem aliquo modo poterant esse vtilia. Quæritur igitur nunc.

QVÆSTIO XII.

Quid sit paupertas religiosa?

RESPONDEO quod est vltronea rerum temporalium abdicatio, ob 1

regnum cœleste suscepta: quæ, bona externa, sicut obedientia, & castitas interna sacrificat, vel vt dicit D. Bonauentura *in Opusc. 10. 2. apol. paup. resp. 3. p. 1.* Paupertas est virtus temporalium abdicatiua bonorum, qua quis nil proprium gerens, sustentatur de non suo. Vel secundum Albertum Magnum. Paupertas vera, & perfecta est omnia propter Deum sponte, & libenter relinquere, nihil præter solam necessitatem possidere, eadem necessitate se indignum sentire. Vel dic, quod est virtus heroica, qua quis propter Deum renuntiat, & à se abdicat omne ius ciuile, seu politicum; & omne dominium politicum, semper viuens de non suo. Vnde paupertas nihil aliud significat, quam paruam substantiam, siue pecuniam, exiguum patrimonium, penuriam rerum, & modicas facultates.

QVÆSTIO XIII.

Quotuplex sit Paupertas?

1 RESPONDEO triplex, exterior, interior, & mixta.

Exterior paupertas est illa, quam inuoluntariè patiuntur pauperes seculares, qui communiter vagantur per mundum, ferè omnino nihil habentes, & de hac in præsentiarum non loquimur.

2 Interior paupertas est illa, quæ non in actu, sed in affectu consistit, de qua loquutus est Dominus cum dixit Lucæ 14. *Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Eandem commendauit Matthæi 5. illis verbis, *Beati pauperes spiritu*, &c. quasi dicat, beati qui propter Deum spontè diligunt paupertatem. Ita exponunt hunc locum ferè omnes Patres, D. Hieron. Greg. Nissen. Ansel. Lyran. Ambros. Bernard. Abul. & alij relati à Bellarmino *to. 1. lib. 2. de monachis.*

Paupertas verò mixta est illa, qua quis non solum bonis temporalibus caret, verum etiam, & voluntatem habendi deserit, vt sic spontè rebus omnibus spoliatus, nudus Christum nudum sequatur. Et de hac paupertate intelligenda sunt illa verba, quæ Christus Matth. 19. illi iuueni diuiti respondit dicens: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni, sequere me.* id est, si ad finem totius legis aspiras s. ad perfectam charitatem, quæ suapte natura Dei amicitia est, & vnio animæ cum Deo, & vnio intima supra id quod mens humana cogitare potest, perfectionis impedimenta remoue, diuitias & opes derelinque, quibus solutus scopum tibi præfixum perfectæ charitatis comparabis. Et hæc est paupertas Euangelica religiosorum omnium, & de qua in præsentiarum Deo dante agendum est: quæ rursus est duplex, priuata, & in communi. Priuata est illa, quæ emittitur in particulari in religionibus, & est de essentia voti paupertatis, per quam religiosus abdicat à se capacitatem cuiuscunque dominij rerum temporalium, potest tamen in communi possidere, vt sunt Carthusiani, Benedictini, &c. quorum monasteria habent suos redditus, & possessiones. 3

Altera verò in communi, per quam nihil omnino nec in communi, nec in particulari possidetur, quæ non solum ad religiosos verùm etiam ad conuentus, quantum ad redditus, & immobilia bona extenditur quam B. Franciscus suo ordini seruandam reliquit.

Est autem inter vtramque paupertas-

pertatem duplex differentia.

4 Primò differunt, quia paupertas in particulari cadit sub voto: emittitur enim de illa solemne votum in omnibus religionibus. Paupertas autem in communi non inuenitur in aliqua religione esse sub voto. Nam licet multi arbitrentur vniuersa præcepta regulæ sancti Francisci esse vota solemnia, tamen secundum veriorem, & probabiliorem sententiam præter tria essentialia vota, nullum aliud speciale emittitur à fratribus Minoribus in professione suæ regulæ, sed quidquid præter hæc tria, in regula statuitur, solum habet vim præcepti, vt apertè colligitur *ex Clement. exiuit de paradiso.* Quare in nulla religione emittitur votum de paupertate in communi, sed tantum ea seruatur, vel ex præcepto regulæ, vt in ordine Minorum contingit, vel ex constitutionibus propriis qua ratione fuit introducta apud cæteros mendicantes. De paupertate vero particulari semper fit in religionibus speciale votum.

5 Secundò differunt, quia paupertas in communi solet esse maior, vel minor secundum varias constitutiones religionum. Paupertas verò in particulari, quæ cadit sub voto æqualis est in omnibus religionibus. Et ratio est, quia per votum paupertatis religiosi abdicant à se dominium omnium rerum temporalium, efficiunturque incapaces cuiuslibet iuris politici, & ciuilis; cùm igitur omnes religiosi hac incapacitate sint præditi, non est cur hæc paupertas priuata sit maior in vno religioso, quam in alio.

6 Ex quo fit, quod stante hac paupertatis æquali in omnibus professione, contingat, vt in diuersis religionibus exercitium huius voti non sit omnibus æquale, quod ex eo contingit, quia licentiæ Prælatorum tacitæ, vel expressæ sunt inæquales. Vnde cum eodem, & æquali voto paupertatis stat, quod in vna religione talem quantitatem quis possit expendere in vsus pios, qualem religiosus alterius religionis non posset sine vitio proprietatis. Quod est valde notandum, vt eorum ignorantiam reiiciamus, qui absolutè in omnibus religionibus vnam, & eandem regulam circa paupertatem tradunt, & ea quæ in vna religione contingunt, ad aliam trahunt, quia considerare deberent illa in hac religione ex tacita Prælatorum licentia licere, quæ in alia vbi talis licentia non extat, non licent.

QVÆSTIO XIV.

An paupertas religiosa sit potissimum perfectionis instrumentum?

RESPONDEO quod sic. Et ratio est, quia ad perfectionem charitatis acquirendam maximè iuuat exuere affectum rerum temporalium: exuitur autem per votum paupertatis, quatenus parum affici solemus erga ea, quæ nostra non sunt, sicut contra, afficimur erga ea, quæ possidemus. Dixit enim D. P. Aug. *lib. 10. conf.* ad Deum loquens, *Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* Et *in libr. 83. quæst.* ait quod *nutrimentum charitatis est diminutio cupiditatis*: & postea statim subiungit, *Summa perfectio, nulla cupiditas*: ergo rationi consentaneum est, vt homo omnia sua relinquat, vt Christum perfectè sequatur iuxta illud D. Hieronymi *in epist. ad Rusticum monachum. Christum nudum,* 1.

nudus sequere. Vnde D. Gregor. 2. *lib. mor.* ait: *Sunt nonnulli iustorum, qui ad comprehendendum culmen perfectionis accincti, dum altiora interius appetunt, exterius cuncta derelinquunt.* Cuius obseruationem Apostoli Christi complexi de præmio tanti laboris, interrogant, dicentes. *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Et *libr.* 4. *cap.* 3. ait, rarum valde esse, vt qui aurum possident, ad requiem tendant. Et ob hanc causam D. Ambros. *lib.* 5. in Lucam, Saluatorem nostrum diuinum illum sermonem à paupertate incepisse credit, quia hæc omnium virtutum parens est. Hoc idem docuit Hieron. *epist.* 13. affirmans non posse in eodem pectore conuenire virtutes, ac diuitias. D. quoque Bernardus *epist.* 103. *Beatus* (inquit) *qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant.* Tandem D. Thom. 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 3. *ad* 4. alludens (ni fallor) ad illud Pauli 1. ad Timoth. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & in desideria multa vana, & inutilia, quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem:* ait, *diuitiæ autem habitæ per se quidem natæ sunt perfectionem charitatis impedire principaliter alliciendo animum, & distrahendo.*

QVÆSTIO XV.

An paupertas religiosa sit virtus?

1 ET videtur quod non, quia si paupertas esset virtus, eius oppositum nempe diuitiæ essent vitium, quia virtuti semper vitium contrariatur: constat autem diuitias per se neque bonas, neque malas esse: ergo paupertas non est virtus.

Deinde, virtus consistit in medio, paupertas verò religiosa extremum liberalitatis amplectitur: ergo non est virtus.

Sed certa fide tenendum est, paupertatem religiosam esse veram, & propriam virtutem. Et ratio est, quia paupertas est actus humanus bonus, & laudabilis in medio consistens: ergo est virtus. Consequentia est per se nota. Antecedens verò probatur ex testimonio Christi Matth. 5. vbi non vtcunque paupertatem laudat, sed eam maximè extollit, dum pauperes beatos appellat, & ob paupertatem illis cœlorum Regna promittit, gloriosa, & laudabilis est paupertas, cui respondet tam excellens præmium. 2

Tum quia paupertas est materia voti, nam de illa in religione emittitur solemne paupertatis à Domino Christo institutum: ergo est virtus. Probo consequentiam, quia vt rectè docet D.Thom. 2.2.q.88.art.2. votum emitti non potest, nisi de actu virtutis.

Tum quia ex eo aliquis actus est virtuosus, quia per rectam rationem ordinatur ad aliquem finem honestum, hoc autem conuenit paupertati religiosæ: ergo est virtus. Maior propositio est D. Thom. 2. 2. q. 147. *ar* 1. *& quæst.* 152 *ar.* 2. & 3. vbi ex hoc fundamento probat virginitatem esse virtutem. Minor verò probatur, nam paupertas religiosa ex se multa bona confert. 3

Primò peccatorum expiationem, iuxta illud Gregor. *Mala Lazari purgauit ignis inopiæ, bona diuitis epulonis remunerauit fœlicitas vitæ transeuntis. Illum paupertas afflixit, & tersit; istum abundantia remunerauit, & repulit.*

Secun

Secundò, peccatorum radices occasionesque extirpat. Per eam enim abscinditur prima radix vitiorum, quæ est cupiditas. Vnde Chrysostom. *super epist. ad Hebr.* ait: *Christianus in paupertate constitutus, qui tamen diuitiis veris magis irradiat, excludit à se superbiæ typum, non erit arrogans, sed patiens, obtemperans, pudicus, & mitis: non adulator, ex quo non quærit fauorem diuitum, aut lucrum temporale, non applausum populi, cui nihil est super terram.*

4 Tertiò disponit ad virtutes acquirendas, conseruandas, & ad perfectionem. Ideo enim paupertas vocatur mater Religionis, quia sicut mater generat, & nutrit filiam, sic paupertas generat, & nutrit, & custodit humilitatem, & per consequens omnes alias virtutes, iuxta illud Prouerb. 11. *Vbi humilitas, ibi sapientia.*

Quartò parit, & nutrit pacem cum hominibus, quia paupertas tollit hæc duo s. *meum, & tuum*, ex quibus lites proueniunt inter homines, & cupiditatem, quæ est venenum charitatis, radixque omnium malorum.

5 Quintò generat cordis quietem iuxta illud Tob. 5. *Sufficiebat nobis paupertas nostra, vt diuitias computaremus hoc, quod videbamus filium nostrum.*

Sextò, desiderij impletionem iuxta illud, *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus.*

Septimò, diuinæ præbet dulcedinis participationem, iuxta illud Psalmi 67. *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.*

6 Octauò, exaltationem iuxta illud primi Regum 2. *Suscitans de puluere egenum, & de stercore erigens pauperem.*

Nonò disponit ad aliorum hominum ædificationem, quia per eam inducuntur homines ad mundanorum contemptum, ad confidentiam Dei, & spem in Deo reponendam, & ex consequenti ad spiritualia magis eriguntur.

Decimò, & vltimò confert cœlestem hæreditatem, iuxta illud Matth. 7
5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Vnde D. Hieron. *in epist. ad Demetriadem* exponens hunc locum sic ait: *Apostolici fastigij est, perfectæque virtutis omnia vendere, & pauperibus distribuere, & sic leuem, & expeditum cum Christo ad cœlestia subuolare.*

Tandem, sicut cupiditas est fundamentum, & radix omnium malorum, 8
ita paupertas est virtus, & verum, & solidum fundamentum totius Euangelicæ perfectionis. Vnde Saluator noster iaciens fundamenta Christianæ perfectionis, à paupertate tanquam à fundamento exorsus est, dicens: Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, &c.*

Et ad primum in contrarium adductum respondeo in primis, virtu- 9
tibus, quæ sunt de consilio non contrariari vitium, vt patet in religione nostra, cuius constitutiones transgressores ad nullam culpam obligant, quæ tamen obseruatæ ad virtutem obedientiæ pertinent, & tamen earum transgressio potest esse sine vitio inobedientiæ.

Secundò respondeo, paupertatem esse virtutem prout cadit sub voto, & tunc ei opponitur vitium proprietatis, quo fundamento ductus D. Tho. 2.2.q.152.ar.3.ad 4. probat virginitatem esse virtutem.

Ad secundum respondeo, pauper- 10
tatem Euangelicam consistere in medio secundum rectam rationem, quia religiosi sic relinquunt omnia, vt

vt non reiiciant necessaria vitæ. Vel melius ita relinquunt dominium rerum temporalium, vt non reiiciant vsum facti.

QVÆSTIO XVI.

An votum paupertatis fuerit à Christo Domino institutum?

RESPONDEO quod sic, & patet ex illo Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus & veni, sequere me* Quo loco Saluator noster non solum optimum consilium dedit renunciandi omnibus diuitiis, sed etiam ad votum paupertatis hortatus est, quia parum prodesset dare omnia pauperibus, & postea iterum ad diuitias redire. Vnde D. Aug. *Epist.* 59 *& psalm.* 103. & D. Bernard. *super hunc locum*, omnia hæc verba referunt ad perfectam paupertatem, quæ firmatur voto. Quare Christus Dominus huius consilij author, & constructor status religiosi, vt opere confirmaret, quod verbis docebat, mendicus, & pauper vixit, ita vt nec vbi caput reclinaret, haberet, nec puduit eum, qui erat Rex Regum, & dominus dominantium, aliorum eleemosynis suam vitam sustentare. Et hanc filij paupertatem Mater & virgo purissima amplexa est. Hoc idem fecerunt Apostoli, vt patet ex illis verbis Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia.* Vnde August. *lib. 7. de Ciuit. Dei cap. 14.* ait, *Dixerunt potentes illi*, idest, Apostoli, *Ecce nos reliquimus omnia.* Hoc votum potentissimi vouerant, sed vnde hoc eis, nisi ab illo, de quo continuo dictum est: *Date votum vouentis.* Atque ex hoc paupertatis voto quod Apostoli fecerunt, ortum habuit ille viuendi modus, qui in primitiua Christi Ecclesia floruit, vt patet Act. 4. vbi dicitur: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed illis erant omnia communia.* Quod autem hic communis vitæ modus voto tunc esset firmatus Ananiæ, & Saphiræ exemplum confirmat, qui cum post emissum votum suorum bonorum pretij partem retinuissent continuò ab Apostolo detecti, & à Deo percussi miserè perierunt. Post Apostolorum autem tempora hoc Christi consilium à cunctis religiosæ vitæ cultoribus in sensu explicato fuit intellectum.

QVÆST. XVII.

An Religiosi rectè voueant voluntariam paupertatem Deo?

RESPONDEO quod sic. Et ratio est, quia quod à Deo commendatur, & à viris perfectioribus acceptatur, non potest esse nisi iustum & sanctum. Tale est votum paupertatis: ergo. Probatur minor ex illo Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Et ibid. *Ecce nos reliquimus &c.* Quæ loca de voto paupertatis exponunt patres. In primitiua quoque Ecclesia omnia in communi more religiosorum ponebantur secundum quod habemus Act. 4. Vnde D. Bernard. super illum locum Matt. *Ecce nos. Hæc*, inquit, *sunt verba, quæ contemptum mundi in vniuerso orbe, & voluntariam persuasere paupertatem, hæc sunt quæ monachis claustra replent, deserta Anachoretis.* Quod autem ex voto ita viuerent primi illi Christiani in Hierusalem docet D. Aug. *serm. 1. de communi vita Christianorum*, vbi dicit, idipsum secũ suis facere voluisse, quod primos christianos fecisse testantur Acta Apost. & tamen ibidem

ibidem sæpius repetit, nemini licere in tali vita habere proprium, idque ex professione facta Deo. Et *in Epist.89. Neque*, inquit, *mihi minus imputabitur, quia diues non fui; nam nec Apostoli, qui primi hoc fecerunt, diuites fuerunt, sed totum mundum dimittit, qui & quod habet, & quod optat habere, dimittit.*

QVÆSTIO XVIII.

Quidnam sit illud, ad quod religiosi obligantur, quando in solemni professione vouent paupertatem.

1 RESPONDEO omnes in vniuersum religiosos ex vi voti paupertatis obligari ad non quærendum, acquirendum, atque tenendum aliquid, quod sit sibi proprium, neque vtendum aliqua re totius mundi tanquam propria, siquidem propter Christum voluntariè omnibus quæ possident, aut possidere possunt, renunciant, vt sic rebus omnibus exuti, nudi sequerentur, atque imitarentur Christum nudum. Vnde emisso voto solemni paupertatis statim religiosus moritur mundo, & omnibus iuribus, ita vt non sit amplius capax, nec illius, quod antea possidebat, vel ei quouis modo obuenerat, nec illius quod in futurũ consequi quouis modo & adipisci posset, sed in his omnibus, & singulis prædictis succedit tanquam verus, & legitimus dominus eius monasterium, vel religio. Quare religiosus in tali statu remanens fit per omnia similis seruo, qui à domino suo emptus, & seipsum, & quidquid quauis via, & occasione acquirit, totum domino acquirit.

2 Ex quo sequitur essentiam paupertatis euangelicæ, quam omnes in vniuersum religiosi profitentur, consistere in hoc, quod ipsi renunciant, & voluntariè à se abdicant omne ius, dominium, vel quasi dominium, proprietatem, vel quasi proprietatem, vsum, vel vsumfructum, possessionem, vel quasi possessionem rerum temporalium, contenti, solo simplici vsu eorum, quibus indigent, non quidem iuris, sed facti tantum, vt habetur *in cap. Cui portio 12.q.1.*

Ex quo colligitur quod ad constituendum aliquem religiosum, requiritur primò quod vouens paupertatem obligetur solemniter ad non volendum habere, nec habere posse etiam iustè, vel vti tamquam proprio, scilicet affectu retinendi iure suo, seu independenter à voluntate superioris. 3

Secundò, vt sit paratus exui possessione, & vsu omni momento, quo superior iusserit, quia non potest hæc retinere nisi cum dependentia à voluntate superioris, alioquin esset proprietarius, vt habetur *ex cap. Cum ad Monasterium de statu Monach.* & tradit D.Thom. 2.2.*quæst.*168.*art.* 6. Less. *lib.* 2. *de iust. cap.*41. *dub.* 8. & 9. Nauar. *comment.*2. *de regul. nu.* 14. Roder. *tom.*3.*qq.regul.quæst.*29. *art.* 3. & alij.

Hinc, religiosus, qui ex his, quæ sunt sibi à Prælato concessa aliud quærit, quam simplicem vsum facti necessarium, dependentem à voluntate Prælati peccat peccato proprietatis.

Ex quo colligitur, quam arcta sit via paupertatis, per quam ex vi suæ professionis tenentur incedere religiosi, & in quanto periculo suæ salutis viuant, qui non contenti huiusmodi vsu simplici, & paupere, instar secularium quærunt continuo vsum iuris, vsum fructum, ac proprietatem in omni eo, quod habent, vel acquirunt, non permittentes vllo modo vt Prælati possint liberè de his omnibus disponere, quinimo volunt tanquam 4

 diuites.

diuites huius sæculi abundare in omnibus non curantes tot sacrorum canonum prohibitiones.

5 Dixi notanter *(rerum temporalium)* quia iurium,& bonorum spiritualium possunt habere dominium, vt sunt scientia,sapientia,& quodcumquedonum à Deo datum,vt virtutes,& animi dotes. Neque sunt incapaces, aut prohibentur religiosi habere, seu capere, honores sanctos, & licitos vtpote honorem presbyteralem, doctoralem, & huiusmodi, quæ dantur propter merita, quibus religiosi non renunciarunt vt docet D. Tho. 2.2.q. 186.*ar.*7.*ad* 4.

Item religiosi beneficiarij habent dominium, vel quasi dominium, & possessionem suorum beneficiorum, & possunt agere nomine proprio ad eorum dominium obtinendum, & adipiscendum,retinendum,& recuperandum eorum possessionem. Ratio horum omnium est, quia per votum paupertatis religiosi non renunciant bonis spiritualibus,nec iuribus prædictis, vt honoribus qui pro his debentur, sed tantum temporalibus, vt post D.Tho.tenet Illustrissimus Caiet.2.2. q 186.*ar.*7.Nauar.*de redd.q.*1.*monit.*9. Less.*lib.*2.*c.*4.*dub.*5.& Mol.*to.*3.*de iust. disp.*687.

QVÆSTIO XIX.

An religiosus possit habere aliquid proprium?

1 NON disputamus modo, an religiosus possit habere aliquid proprium in communi, quia certum est, posse illud habere, vt expresse habetur in Conc.Trid.*sess.*25.*de regul. cap.* 3. vbi conceditur omnibus monasteriis, & domibus tam virorum, quam mulierum etiam mendicantium exceptis domibus fratrum B. Francisci Capucinorum,& eorum qui Minores de obseruantia nuncupantur, vt deinceps bona immobilia possidere liceat. Nec id habere à statu,& ratione perfectionis diminuit,sed maximè ad illam conducit,vt expressè definitur *in iure* 12.*q.*1.*cap.expedit*, vbi sic dicitur: Debere propria propter perfectionem contemni, & quod sine impedimento eiusdem perfectionis ecclesiæ facultates, quæ sunt communes iure optimo possunt possideri.

QVÆSTIO XX.

Tota igitur difficultas consistit non de monasteriis in communi, sed de religiosis ipsis in particulari, An videlicet post solemnem professionem aliquo modo possint habere proprium?

RESPONDEO iuxta fidem certissimum esse,nullum religiosum posse habere proprium stricto modo sumptum,quoad veram proprietatem, quale est illud, quod habent seculares. Patet *ex cap.Cum ad monasterium de statu monachorum* vbi sic habetur. *Prohibemus in virtute sancta obedientia, ne quis regularis proprium aliquo modo possideat. Sed si quis aliquid habeat proprij, totum in continenti resignet. Si vero post hoc proprietatem aliquam deprehensus fuerit habere, regulari monitione præmissa de monasterio expellatur.* Et *in cap. Non dicatis* dicitur. *Non dicatis vobis aliquid proprium.* In quæ verba Gerson *in opusc. contra proprietarios* sic ait: *Si ergo expressè prohibetur verbum proprietatis, à fortiori & factum.* Quasi dicat, si enim aliquid proprium appellare monachis prohibetur, quanto magis illud habere, aut retinere? 1

Idem

Idem habetur *in Concil. Aurelianensi* 1. *canon.* 21. vbi grauiter monachi puniri iubentur, qui contra professionem suam, aliquid proprij possidere voluerint. Et *in Concil. Prouinciali Oxoniensi Anglicano* dicitur. *Quoniam non licet viris religiosis aliquid proprium possidere, qui se, & sua pariter in ipso religionis ingressu Domino dedicauerunt.* In *Concilio Coloniensi sub Conrado Archiepiscopo anno* 1260. *celebrato tit. de monachis, & eorum conuersatione, & vita capit.* 3. habetur: *Statuimus, quod Monachi proprium non habeant.* Sacrum Concilium Tridentin. *sess.* 25. *capit.* 2. idem districtè interdicit, dum ait. *Nemini igitur regularium, tam virorum, quam mulierum liceat bona cuiuscumque qualitatis fuerint, tanquam propria possidere.* Tandem *in Concilio Mediolanensi celebrato sub B. Carolo Borrom. Cardinali anno* 1677. *part.* 3. *tit. de communi vita vsu, ac de proprietate tollenda, dum de monialibus agitur,* sic habetur. *Tuum & meum, atque omnis priuata rerum possessio, & re, & verbo omnino tollatur, neque vlla sit, qua quicquam possideat vt proprium, etiamsi ad necessitatem concessum sit.* Vnde Vrbanus primus *in epistola seu decretali de paupertate* loquens sic ait. *Quicumque vestrum vitam communem susceperit, & vouit, se nihil proprium habere videat, ne pollicitationem suam irritam faciat.* Diuus Basilius *in constitutionibus monasticis capit.* 35. *Debet*, inquit, *pietatis cultor, qui vitam communem amplexus est, ab omni priuata rerum possessione liber esse.* Et iterum: *proprietatis vitium est, priuatam pecuniam habere, & clanculum inscio superiore aliquid demoliri.* Cassian. *libr.* 4. *de institutis renunciantium capit.* 3. *de Aegypti monachorum paupertate loquens: Nulli*, inquit, *cistellam, nulli peculiarem sportellam liceat possidere, nec tale aliquid, quod vt proprium retinens, suo debeat communire signaculo.* B. Benedictus *in sua regula capit.* 33. *Neque aliquid quis presumat habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino.* D. quoque Bernardus *serm.* 48. ait. *Qui postquam ad conuersationem monasterij venit, de rebus monasterij aliquam facere fraudem presumit, Iudas est, & pœnam Iudæ sustinebit in inferno.* Et post pauca. *Qui sicut Iudas Iscarioth proprium retinent, vel de rebus monasterij aliquid abscondunt, conuenit illud: Ascendant vsque ad cœlum, & descendant vsque ad abyssos.*

Quæ vero ratio sit, cur tam serio, ac strictè religiosis omnis proprietas interdicatur, ex eo colligere licet, quia cum religiosus sui iuris non sit, ac suæ libertatis dominium non habeat, sed illud in superioris potestatem per traditionem, quæ in professione fit, transferat: necessariò sequitur, eum nihil habere, neque possidere posse, non aliter ac si seruus esset. Cuius rationis vim idem Benedictus *vbi supra* meminit, vbi cum docuisset nihil omnino à monachis esse possidendum, talem rationem addit, *Quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates suas licet habere in sua propria potestate.* Et D. August. *in sermone de communi vita relatus in dicto cap, Non dicatis,* eodem modo argumentatur dicens: *Cum huius Congregationis fratres se per obedientiam penitus aliorum potestati subdiderint: certum est, eos nihil habere posse.*

Ex quo meritò infert Nauar. *lib. de reddit. q.* 1 *monit.* 10 *&* 12. *& comm.* 2. *de regul. nu.* 2. religiosum professum nullius rei temporalis habere dominium, ne vestis quidem, qua induitur, aut panis, quo vescitur: sed quicquid 2

habet, esse penitus subiectum administrationi superioris, sine cuius nutu, nihil omnino habere potest.

QVÆST. XXI.

An valeat professio religiosi facta sub ea conditione, vt possit sibi aliqua reseruare, & de his liberè sine scientia, & voluntate superioris disponere?

1 QVIDAM dicunt valere, sicut valet matrimonium contractum sub conditione turpi, vt habetur *ex cap. Quicumque de condit. apposit.* Quia talis conditio habetur pro non adiecta.

2 Sed oppositum est proculdubio affirmandum. Et ratio est, quia hic non intendit se obligare ad id, quod est de essentia religionis: abdicatio enim dominij saltem quoad præparationem animi, & quoad obligationem abdicandi, ad substantiam status religiosi pertinet.

Et confirmatur *ex cap. vltimo de conditionibus appos.* vbi sic dicitur, quod si aliqua apponatur conditio in matrimonio contra substantiam matrimonij, matrimonium ipsum est nullum. Ex quo loco à simili sic argumentor: Hæc conditio de proprio habendo est contra substantiam religionis: ergo professio cum tali pacto facta est irrita.

3 Ad fundamentum contrariæ opinionis respondeo, quod illud caput *Quicumque*, intelligitur de conditione turpi, quando non est contra substantiam matrimonij vt expressè habetur *ex cap. fin. eod. tit. de condit. apposit.* vt si quis matrimonium ineat sub ea lege, vt alter victum ex furto acquirat, vel homicidium committat, talis conditio non impedit matrimonium, sed habetur pro non adiecta: secus tamen in casu nostro, vbi conditio apposita de proprio retinendo est contra essentiam, & naturam voti paupertatis quod est de substantia religionis.

QVÆSTIO XXII.

Sed maius dubium est de eo, qui dum emittit solemnem professionem, intendit retinere dominium ad tempus, & postea illud à se alienare, quando superior iusserit?

LESS. *lib. 2. de iust. c. 41. dub. 8.* in ea est sententia, vt affirmet spectato iure communi talem professionem esse inualidam. Et probat quia professio iure communi priuat dominio bonorum mobilium, & immobilium, & reddit inhabilem ad illud, vt habetur *in cap. Cum ad monasterium de statu monach.* 1

Tum quia Prælatus non habet facultatem ad acceptandum talem professionem insufficientem ad incorporandum religioni, nam ius canonicum ei resistit, & est contra essentialia status religiosi. Posset tamen sibi reseruare vsumfructum &c. Sed cum dependentia, & voluntate Prælati, reseruando semper ei potestatem disponendi de illis bonis. Nec hoc est facere proprietarium, sed vsufructuarium, nam propriè proprietarius est ille, qui habet dominium absolutũ rei.

Credit tamen hic author, talem professionem habere vim voti simplicis, & ita tenebitur mutata voluntate postea profiteri, nisi mens eius expressa, vel tacita alia fuerit, quia votum vltra intentionem vouentis non obligat. Si tamen de eo non constat, interpretatio facienda est, vt valeat instar voti simplicis. 2

QVÆ

QVÆSTIO XXIII.

An quispiam possit religionem profiteri ea conditione tacita, vel expressa, vt domi sua maneat, & certam suorum bonorum portionem habeat?

1 AD hanc quæstionem dico primò, quod si ea conditio sit, vt religiosus tanquam proprium aliquid habeat, vel quod nutu superioris reperi nequeat, tunc nulla est professio, quia talis conditio cum voto solemni paupertatis, quod est de substantia, & natura status religiosi, pugnat.

2 Secundò dico, quod si eiusmodi conditio sit, vt tum habitationem, tum suorum bonorum portionem, ad necessarios vsus suæ personæ habeat, ex superioris voluntate pendentem, tunc valida erit professio, nec cum iure antiquo pugnat, vt colligitur *ex cap. De viduis 27. quæst. 2.* & tradit optime Nauarr. *comment. 2. de regular. n. 14.*

3 Tertiò, & vltimo dico, quod iure nouo Concil. Trident. *sess. 25. cap. 2. de regular.* id est, interdictum, quia in eo loco præcipitur, ne religiosis priuato: dentur etiam ad vsum, & administrationem stabilia bona, cuiusmodi sunt domus, fundi, agri, redditus, & id genus alia.

4 Hinc, religiosi non possunt ex consensu suorum Prælatorum habere aliqua bona, vt ab eis administrentur, ea lege vt certam pensionem reddant monasterio, & ex reliquo sibi ad necessaria vitæ subsidia, & alimenta, ac in pios vsus, quos ipsi maluerint, expendant: quale peculium habere solent de licentia Papæ religiosi senes, vel infirmi de religione bene meriti, quibus habitationes aliquæ salubriores, commodioresque concedi solent. Ratio huius est, quia licet secundum ius antiquum id non sit interdictum, iure tamen nouo in Concil. Trident. *sess. 25. cap. 2. de regular.* est vetitum: & propterea redditus, & alia bona immobilia, vt domus, agri, & aliæ possessiones tradi superiori debent, vt is singulis religiosis prouideat, vt (teste Quaranta *in suo compendio bullarij verbo casus reseruati fol. 157.*) sacra Congregatio Cardinalium declarauit.

QVÆSTIO XXIV.

Quo iure solemne votum paupertatis faciat religiosum incapacem dominij retinendi, vel in posterum acquirendi?

MVLTI affirmant solemne votum paupertatis, vi ac natura sua hanc inhabilitatem inducere. 1

Almay. *in tract. de potestate Eccles. cap. 15.* censet eiusmodi votum non vi sua, nec iure canonico, sed diuino vim habere faciendi religiosum incapacem dominij.

Less. *lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 8.* putat religiosum esse inhabilem ad dominium ex duplici causa. Prima, ratione traditionis sui in ius ordinis, ita enim religiosus se tradit ordini, vt partim mancipio partim filiofamilias compararetur, quorum neuter sibi acquirit, sed ei in cuius potestate est. 2

Secunda, ratione Ecclesiæ decreti: quod non solum traditionem illam confirmat, ita vt ille non possit sui iuris effici, sicut seruus, vel filius, sed etiam illum directè incapacem dominij acquirendi facit.

Cæterùm meo iudicio rectius docent Nauarr. *comment. 2. de regul. num. 51.* & Couar. *de testam. cap. 2. num. 5.* nempe per solemne votum paupertatis religiosum esse inhabilem ad dominium 3

minium sola Ecclesiæ, constitutione. Quam opinionem vt probabiliorem, ac iuri ciuili authoritate canonis approbato magis conformem sequitur Azor. *part.* 1. *inst. mor. lib.* 12. *cap.* 12. Fundamētum præcipuum huius opinionis est, quia *in cap. Quod votum, de voto, & voti redemptione in 6.* generatim dicitur, solemnitatem voti esse sola Ecclesiæ constitutione. Vnde, sicut Ecclesiæ decreto religiosus professus, est inhabilis ad matrimonium contrahendum, sic etiam eiusdem Ecclesiæ decreto est incapax dominij acquirendi.

QVÆSTIO XXV.

Vtrum summus Pontifex posit in voto solemni paupertatis dispensare, id est, vt religiosus habeat proprium, sicut cæteri seculares?

1 DOCTOR Angelicus 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. tenet non posse.

Ratio ipsius est, quia votum paupertatis statui religioso est essentialiter annexum, vel potius innexum, & intrinsecè inclusum.

2 Tum quia implicat contradictionem quod religiosus sit regularis, & tamen sit capax alicuius iuris ciuilis, nempe habeat proprietatem, eo quia votum paupertatis, quod consistit in expropriatione cuiuscumque dominij, requiritur necessariò, sicut & duo alia vota ad essentiam status regularis. Si igitur regularis est proprietarius, non est regularis, & si est regularis non est proprietarius.

3 Tum quia *extra de statu monast. in fine illius decretalis, cum ad monasterium*, dicitur. Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeò est annexa Regulæ monachali, vt super ipsam, neque summus Pontifex licentiam valeat indulgere. Eandem sententiam sequuntur Syluest. *verb. votum 4. quæst.* 5. Arag. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 11. Armil. *verb. dispens. num.* 11. & multi alij ex Thomistis.

Ex quo inferunt, quod dispensante summo Pontifice cum aliquo religioso, vt fiat clericus sæcularis, tenetur habere propositum custodiendi tria vota essentialia, quæ promisit, qui si non habet hoc popositum, existit in peccato mortali, cùm Papa non possit dispensare in dictis votis. 4

Sed his non obstantibus, concors est Theologorum, & Canonistarum sententia posse summum Pontificem votum solemne paupertatis relaxare. Probatur, Pontifex potest dispensare in voto solemni castitatis vt ferè omnes fatentur, ergo etiam poterit dispensare in voto solemni paupertatis. Probo consequentiam, quia cum vtrumque sit solemne, non erit maior ratio, cur Pontifex possit in voto castitatis dispensare potius, quam in voto paupertatis. 5

Deinde summus Pontifex potest relaxare votum solemne castitatis clericorum, vt fatetur S. Tho. & communis sententia Doctorum, ergo & in voto paupertatis religiosorum. Probo consequentiam, quia votum paupertatis religiosorum non est magis solēne quam votū castitatis clericorum. 6

Præterea summus Pontifex potest relaxare votum simplex paupertatis perpetuæ, vt omnes Doctores fatentur, ergo & solemne. Probo consequentiam, quia solemnitas voti sola Ecclesiæ constitutione est introducta, vt expresè habetur *in cap. Quod votum, de voto, & voti redemptione in 6.* Si solemnitas est ex sola Ecclesiæ constitutione, ergo potest ipse in ea dispensare, quia potest relaxare suam constitutionem.

Tandem

7 Tandem Caietan. 2.2. *quæst.*88.*art.* 11. Less. *lib.*2. *de iust. cap.*41. *dub.* 19. Arag.2.2.*quæst.*88.*art.*11. & multi alij nobiles authores referunt Romanum Pontificem de facto dispensasse cum multis, vt matrimonium contraherēt. Atqui absurdum est dicere Pontificem in re tanti momenti errasse. Et ideò ita tenent D. Thom. sibi contrarius *in* 4. *d.*38. *quæst.*1. *art.*4. *quæst.*1. *ad* 3. Scot. *ibidem quæst.*3. Caietan.2.2. *quæst.*88.*art.*11. Couar. *de testam.cap.*1. *num.*10. Less. *lib.*2.*cap.*4.*dub.*5. *& cap.* 40. *dub.* 19. Sot. *lib.*10. *quæst.*5. *art.*7. Azor. *lib.*12.*cap.*7.*quæst.*4.*art.*1. Cord. *lib.*1.*quæst.q.*24. Vasq. 1.2.*q.*96. *art.*4. *disp.*165.*cap.*9.*num.*109.

8 Et ad primum argumentum contrariæ opinionis respondeo quod quāuis verum sit, quod votum paupertatis sit essentiale religioni, nec ab ea possit separari, potest tamen efficere summus Pontifex ex rationabili causa, vt qui antea erat religiosus, non sit, & sic proprium habeat, & vxorem ducat, & ex matrimonio filios procreet.

Ad secundum respondeo, ex eo solum concludi, religiosum quandiu talis est, voto paupertatis teneri, nec fieri posse, vt existente statu religioso, non sit votiua paupertate astrictus, quia implicat contradictionem, quod quis sit religiosus, id est, teneatur voto solemni integro, quod quem incapacem dominij rei pecuniariæ facit, & quod fiat dominus talis rei.

9 Ad tertium, & vltimum respondeo primò illa verba cap. Cum ad monasterium, intelligendi esse ex modestia summi Pontificis ad conuincendum illum Abbatem qui existimabat ipsum habere facultatem concedendi religioso vt haberet proprium.

Secundò respondeo Innocentium Papam eo in loco hanc facultatē cum religioso dispensandi Romano Pontifici denegasse, religioso manente in statu religioso, id enim Romanus Pōtifex non potest efficere, id est, proprietatem rei cum paupertatis voto, & matrimoniū cum voto castitatis vna, & simul coniungere. Non tamen ibi Romano Pōtifici potestas denegatur, quominus possit id facere successiuè aliqua vrgentissima causa propter bonum commune, faciendo de religioso, non religiosum, & sic exemptum à religione, vxorem ducere, & proprium patrimonium habere.

QVÆSTIO XXVI.

Sed dubiæ quæstionis est, an in indiuiduo possit dari causa aliqua legitima, ob quam oporteat authoritate Pontificia votum solemne paupertatis dissolui?

NAVAR. *comm.*2. *de regular. n.*17. existimat non posse causam subesse, vt quis dispensetur à voto solemni paupertatis, quia dari potest causa, & necessitas, vt religiosus fiat Rex, vel Princeps, & matrimonium contrahat, & proinde liber omnino à voto castitatis sit, non autē subesse potest causa, vt sit regni dominus, quia sufficit, vt ei concedatur plena administratio, quæ tamen sit aliquo modo dependens ab arbitrio Pontificis: hæc enim sufficiens est, ad omnes actus necessarios, vt ad donandum, ad acquirendū, ad contrahendū, ad condendū testamētum, &c. 1

Hoc idem dicit de voto solēni obedientiæ, non enim necesse est, hoc vinculum dissolui, sed satis est materiam subtrahi, tollēdo subiectionem, quam habet subditus ad suum Prælatum, & tunc manebit Pontifici subiectus sicut accidit quando religiosus fit superior Generalis, Episcopus, vel Cardinalis. Quare hoc fundamento ductus Nauarrus absolutè asserit non posse Romanum Pontificem super voto paupertatis dispēsare, non quia Romanus 2

Ponti

Pontifex id præstare non possit, si aliqua iusta causa occurreret, sed quia talis nulla occurrere potest, ideo non potest in eo dispensare.

3 At ego veriùs existimo, omnique remoto dubio opinor, posse iustam causam subesse, vt religiosus dispensetur in voto paupertatis. Vt si v.g. religiosus dispensetur vt fiat Rex, & ducat vxorem, ista est iusta causa, vt votum paupertatis ei omnino relaxetur, ne affectu proprietatis, largitionibus, sumptibus superfluis, aliisque modis, qui facile in statu regio possunt occurrere, peccet contra votum.

Tum quia quando Papa dispensat cum religioso, vt ducat vxorem, non dispensat cum eo, vt manens religiosus, simul habeat vxorem, sed ex iusta causa per dispensationem facit vt de religioso, fiat non religiosus, & sic factus non religiosus vxorem ducat,
4 propriúmque habeat. Vnde dispensante Papa cum religioso vt succedat in Regno, & vxorem ducat, causa quæ sufficit ad dispensandum cum eo, vt possit matrimonium contrahere, sufficit vt possit habere proprium; non enim potest habere vxorem, & liberos absque eo quod ipsi concedatur proprium.

Et confirmatur, nam Nauarr. admittit Romanum Pontificem dispensantem in voto solemni castitatis facere de religioso non religiosum: ergo tunc dispensat etiam in voto paupertatis. Probo consequentiam, quia est omnino absurdum velle non religiosum ad paupertatem obligare, vel religiosum cum solo paupertatis voto manere. Et ideò ita tenet Less. *lib. 2. cap. 4. dub. 5.* Azor. *lib. 12. cap. 7. quæst. 2.* & Vasq. *1. 2. quæst. 69. art. 4. d. 165.*

Idem videtur dicendum de voto solemni obedientiæ, immo videtur hoc votum sponte cessare, hoc ipso quod desinit esse religiosus.

QVÆSTIO XXVII.

An si Romanus Pontifex absque iusta causa in tali voto dispenset, talis dispensatio valeat?

RESPONDEO valere, validumque esse factum quoad voti solemnitatem reddentem religiosum incapacem dominij. Quare verum bonorum dominium acquiret, & in alium id verè transferre poterit. Quia sola Ecclesiæ constitutione votum solemne paupertatis ad hoc inhabilem religiosum reddit. At non valebit dispensatio quoad substantiam eius voti paupertatis obligantis iure diuino naturali. Ac proinde peccabit mortaliter is religiosus acquirendo, vel transferendo rei alicuius dominium contra id votum paupertatis. 1

QVÆSTIO XXVIII.

An religiosus professus saltem de licentia Prælati possit habere proprium?

RATIO dubij est, quia *in dicto cap. Non dicatis 12. quæst. 1.* absolutè præcipitur religiosis, vt non habeant, aut dicant aliquid se habere proprium. Et *in c. Monachi de statu monachor.* dicitur, quod monachis non permittatur habere peculium. Hoc idem definitur *in cap. Cum ad monasterium.* Et in Concil. Trident. *sess. 25. de regul. cap. 2.* 1

His tamen non obstantibus, primò dico quod religiosus professus etiam de licentia sui superioris non potest habere proprium stricto modo sumptum, quoad veram proprietatem, quale est illud, quod habent seculares. 2

Ratio

Ratio est, quia hoc est expressè contra votum solemne paupertatis, quod omnes religiosi emittunt, atque obseruare tenentur; nec Romanus Pontifex potest dispensare, vt religiosus existens verè, & propriè religiosus proprium habeat, eo modo quo illud habent seculares.

3 Secundò dico quod religiosus professus de licentia superioris potest habere proprium largo modo acceptum, prout continet solam detentionem, vsum, administrationem, & possessionem facti, cum facultate disponendi de eo in suos vsus honestos, & pios tantum, amouibile tamen ad nutum superioris, vt habetur *ex cap. Monachi in fine*. vbi dicitur posse peculium concedi alicui monacho. Vnde supradicta capita sunt intelligenda de proprio primo modo sumpto, vel etiam secundo modo, quoad ius administrandi nomine suo, & sine expressa, aut tacita licentia Prælati, aut sine iusta, & rationabili causa, aut de proprio expendendo in quoscumque vsus, etiam prophanos, vt posset quilibet alius secularis de re sibi propria. Et quamuis Concil. addat, neque etiam nomine conuentus, intelligendum est sine dependentia Prælati. Atque ita tenet Ioann. Andr. *in cap. Non est obligatorium de reg. iuris* vbi ait, validum esse statutum, vt monasterium det monialibus solummodo victum, & pro vestitu habeant ea quæ labore manuum suarum lucrantur, quod in multis monasteriis positum est in more, & certum est, inquit, hoc fieri non posse, absque eo quod aliqua ratione habeant proprium. Et Panorm. *in dicto cap. Cum ad monasterium, de statu monachorum*, inquit, satis esse licitam constitutionem, siue consuetudinem, qua religiosis traditur certum quid annuum, pro annuo vestitu. Immo in nulla religione ita rigorosè seruatur votum paupertatis, quin de licentia Prælati tacita, vel expressa religiosi habeant aliquod proprium largo modo acceptum suis peculiaribus vsibus deputatum, vt puta vestes, lectum, libros, imagines, & id genus alia, quæ omnia cum habeant de licentia, & dependentia Prælatorum, non censentur esse contra paupertatis votum.

QVÆSTIO XXIX.

An regulares possint licitè habere peculium?

ET quidem certum est posse Regulares de licentia suorum Prælatorum, libros, vestes, pecuniam, & alia mobilia habere in suos vsus licitos, & honestos. Immo licita est consuetudo in multis monasteriis introducta, vt regulares victum tantum à monasterio accipiant, vestitum autem & alia ex suis laboribus sibi quærant; & quod magis est, vt quilibet religiosus accipiat quotannis ab officiali certam pecuniæ summam pro vsibus sibi necessariis. Quia Concil. Trident. *sess. 25. cap. 2. de reform. regular.* quoad bonorum mobilium vsum, nihil noui statuit, cum expressè ibi agat de bonis stabilibus: & ex alia parte id olim de iure licebat, ergo id modo etiam licitum erit vt sacra Congregatio declarauit. 1

Sed tota controuersia consistit de peculio consistente in bonis stabilibus, vt sunt annui redditus alicuius agri, vel vineæ, vel alterius possessionis.

Et quidem, attento iure communi antiquo etiam certum est, non esse contra votum paupertatis habere huiusmodi 2

iusmodi peculium de licentia Prælati ex legitima causa concessum ad honestos, & licitos vsus ad nutum superioris reuocabile. Quia in hoc casu religiosus non vtitur huiusmodi rebus tam quam suis, sed vt alienis, cùm alieno superioris arbitrio ducatur. Et colligitur expressè *ex cap. Insinuante qui clerici, vel vouentes. Et ex cap. De viduis 27. quæstione 1.* vbi conceditur moniali, vt remaneat in domo quondam sua cum omni propria substantia quoad vsum illius, plenariamque in vsus licitos administrationem. Et *in cap. Monachi de statu monachor.* permittitur monachis pro administratione iniuncta peculiũ habere. Et ideo ita tenent Nauar. *commentar. 2. de regular. numero 15. & 27.* Azor. *lib. 12. cap 9. quæstione 2.* Cord. *summ. quæstione 54.* Petr. Nauarr. *lib. 3. de restit. cap. 1. part. 3. numero 163.* Roder. *2. part. summ. cap. 31. num. 3.* & communis.

QVÆSTIO XXX.

Quæstio igitur est, an post decretum Concilij Tridentini adductum, id liceat?

1 SVNT multi qui existimant id non licere. Et probant, quia eiusmodi redditus annui à iure inter bona immobilia enumerantur *iuxta Clem. 1. §. cumque annuus redditus de verb. signif.* At habere huiusmodi bona immobilia, & stabilia est ipsis regularibus à Concil. Trident. *vbi supra* interdictum: ibi enim sic habetur: *Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, aut commendam* ergo. Sic tenent Cord. *summ. quæstione 54.* Molina *tom. 2. d. 276.* Roder. *part. 2. cap. 31. num. 3.* Less. *lib. 2. cap. 4. dub. 5.* Nauarr. *lib. 3. de restit cap. 1. part. 3. num. 163.* Valentia *2. 2. d. 1. quæst. 4. part. 3.* & Thom. Zerula *in praxi Episcopali p. 1. verb. moniales*, asseritque ita declarasse Cardinalium Congregationem.

Alij vero rectè fieri posse affirmant. Ita Syluest. *verb. Abbas quæst. 3.* Nauarr. *comment. 2. de regul. num. 15. & 18. & de redd. quæst. 1. num. 84.* Roder. *tom. 3. de regul. quæst. 29. artic. 10.* Vega *2. tom. cap. 86. casu 5.* Graff. *1. part. decis. lib 3. cap. 5. num. 53.* & multi alij. Nonnullas tamen conditiones statuunt, vt licitè absque proprietatis nota religiosi possint habere redditus vitalitios. 2

Prima est, vt non illos habeant quoad dominium tamquam suos proprios, sed solum quoad simplicem vsum facti congruentis pro suis particularibus necessitatibus.

Secunda, vt eos habeant ex expressa, aut saltem tacita suorum superiorum licentia.

Tertia, vt huiusmodi redditus sint moderati. 3

Quarta, vt prædicti redditus, vel aliæ quæuis res illis concessæ, sint incorporatæ communibus bonis monasterij.

Quinta, vt sint reuocabiles ad nutum superioris.

Sexta, vt non malè vtantur, expendendo illos in vsus illicitos, & prophanos.

Septima, vt non vagè, & ad vsus indeterminatos illis relinquatur dispositio prædictorum bonorum, sed solum ad certos vsus determinatos, pios licitos, necessarios, & à superiore cognitos.

Octaua, vt id fiat ex aliqua iusta, & rationabili causa.

Nona, vt prædictos redditus illis concessos, non habeant penes se, sed in manu 4

in manu publici officialis per superiorem assignati, qui in monasterio Monialium dici solet, Depositoria, vel Borsera.

5 Decima, & vltima conditio est, vt subditus quando ab officiali necessaria petit, exponat in particulari suas necessitates, nam alias tantum esset officialis materialiter, & subditus esset dispensator, cum illa bona ipse pro libito acciperet, & distribueret, quod est contra mentem Concilij. His ergo decem conditionibus, licita est hæc redditiuum concessio. Sicque saluandam esse consuetudinem censent, non obstante dispositione dicti Concilij Tridentini. Ratio huius est, quia cùm sint in potestate publici officialis, vel Procuratoris, in superioris potestate esse dicuntur, cum officialis locum habeat superioris: adeo vt si quando monasterium egeat in communi, ex illis pecuniis, ac bonis, prouideantur necessaria monasterij. Quod certè non raro superiores tentare deberent, vt discerent subditi, non proprietatem, sed vsum & eum ad nutum superioris, se habere, & hoc esset iuxta Concilij Tridentini dispensationem, ait enim, *statim administratio bonorum monasterij ad solos officiales eiusdem ad nutum superioris amouibiles pertineat.*

6 Ex dictis sequitur primò, Prælatum, qui sine iusta, & rationabili causa huiusmodi bona subditis concedit esse proprietarium. Et ratio est, quia cum administret, vel distribuat bona monasterij in eos vsus, in quos à iure ipsi est prohibitum dispensare, peccat proculdubio contra votum paupertatis.

Secūdò sequitur, subditum qui huiusmodi peculij beneficio vtitur, esse proprietarium. Ratio est, quia cum Prælatus sine iusta causa tale peculium concedat, subditus eo vtens sine iusta licentia, iniustè vtitur, ac proinde peccat mortaliter contra votum paupertatis.

Tertiò sequitur, eum qui tenet peculium apud Depositarium tanquam rem propriam, & computat minutatim quidquid per ipsum Depositarium expenditur, nec patitur, vt Prælatus possit de eo ad libitum disponere, mortale peccatum committere contra votum paupertatis. 7

Nec valet dicere mentem Romani Pontificis esse, vt prædictum peculium remaneat depositatum, ac designatum pro eius indigentiis, ac proinde Prælatum non posse de eo absque ipsius consensu disponere. Quia depositum, vt rectè annotauit Petr. Nauarr. ad hoc inuentum est, vt auferatur à religiosis vsusfructus, & administratio peculij, & incorporetur, saltem quoad proprietatem, & vsumfructum cum bonis monasterij, licet quoad vsum simplicem facti remaneat designatum ad subleuandas eorum indigentias, administratio verò eius resideat penes prædictum Depositarium, & hoc de licentia Prælati, & amouibiliter, & non vt præfati regulares habeant eius proprietatem, vel vsum irreuocabiliter, ita vt Prælatus non possit de eo ad libitum disponere, quoniam hoc esset in proprio dispensare. 8

QVÆSTIO XXXI.

Sed maius dubium insurgit: An de superioris licentia, iusta aliqua de causa magna vtilitatis, vel necessitatis monasterij, vel ordinis, liceat ipsi priuato bona stabilia possidere?

SVNT, qui putent id esse licitum. 1

diuites huius sæculi abundare in omnibus non curantes tot sacrorum canonum prohibitiones.

5 Dixi notanter (*rerum temporalium*) quia iurium,& bonorum spiritualium possunt habere dominium, vt sunt scientia,sapientia,& quodcumque donum à Deo datum,vt virtutes,& animi dotes. Neque sunt incapaces, aut prohibentur religiosi habere, seu capere, honores sanctos, & licitos vtpote honorem presbyteralem, doctoralem, & huiusmodi, quæ dantur propter merita, quibus religiosi non renunciarunt vt docet D. Tho. 2.2.*q.* 186.*ar.*7.*ad* 4.

Item religiosi beneficiarij habent dominium, vel quasi dominium, & possessionem suorum beneficiorum, & possunt agere nomine proprio ad eorum dominium obtinendum, & adipiscendum,retinendum,& recuperandum eorum possessionem. Ratio horum omnium est, quia per votum paupertatis religiosi non renunciant bonis spiritualibus,nec iuribus prædictis, vt honoribus qui pro his debentur, sed tantum temporalibus, vt post D.Tho.tenet Illustrissimus Caiet.2.2. *q* 186.*ar.*7.Nauar.*de redd.q.*1.*monit.*9. Less.*lib.*2.*c.*4.*dub.*5.& Mol.*to.*3.*de iust. disp.* 687.

QVÆSTIO XIX.

An religiosus posit habere aliquid proprium?

1 NON disputamus modo, an religiosus possit habere aliquid proprium in communi, quia certum est, posse illud habere, vt expressè habetur in Conc.Trid.*sess.*25.*de regul. cap.* 3. vbi conceditur omnibus monasteriis, & domibus tam virorum, quam mulierum etiam mendicantium exceptis domibus fratrum B. Francisci Capucinorum,& eorum qui Minores de obseruantia nuncupatur, vt deinceps bona immobilia possidere liceat. Nec id habere à statu,& ratione perfectionis diminuit,sed maximè ad illam conducit,vt expressè definitur *in iure* 12.*q.*1.*cap.expedit*, vbi sic dicitur: Debere propria propter perfectionem contemni, & quod sine impedimento eiusdem perfectionis ecclesiæ facultates, quæ sunt communes iure optimo possunt possideri.

QVÆSTIO XX.

Tota igitur difficultas consistit non de monasteriis in communi, sed de religiosis ipsis in particulari, An videlicet post solemnem professionem aliquo modo possent habere proprium?

RESPONDEO iuxta fidem certissimum esse,nullum religiosum posse habere proprium stricto modo sumptum,quoad veram proprietatem, quale est illud, quod habent seculares. Patet *ex cap.Cum ad monasterium de statu monachorum* vbi sic habetur. *Prohibemus in virtute sancta obedientia, ne quis regularis proprium aliquo modo possideat. Sed si quis aliquid habeat propriij, totum in continenti resignet. Si vero post hoc proprietatem aliquam deprehensus fuerit habere, regulari monitione præmissa de monasterio expellatur.* Et *in cap. Non dicatis* dicitur. *Non dicatis vobis aliquid proprium.* In quæ verba Gerson *in opusc. contra proprietarios* sic ait: *Si ergo expressè prohibetur verbum proprietatis, à fortiori & factum.* Quasi dicat, si enim aliquid proprium appellare monachis prohibetur, quanto magis illud habere, aut retinere? 1

Idem

Idem habetur *in Concil. Aurelianensi* 1. *canon.* 21. vbi grauiter monachi puniri iubentur, qui contra professionem suam, aliquid proprij possidere voluerint. Et *in Concil. Prouinciali Oxoniensi Anglicano* dicitur. *Quoniam non licet viris religiosis aliquid proprium possidere, qui se, & sua pariter in ipso religionis ingressu Domino dedicauerunt.* In *Concilio Coloniensi sub Conrado Archiepiscopo anno* 1260. *celebrato tit. de monachis, & eorum conuersatione, & vita capit.* 3. habetur: *Statuimus, quod Monachi proprium non habeant.* Sacrum Concilium Tridentin. *sess.* 25. *capit.* 2. idem districtè interdicit, dum ait. *Nemini igitur regularium, tam virorum, quam mulierum liceat bona cuiuscumque qualitatis fuerint, tanquam propria possidere.* Tandem *in Concilio Mediolanensi celebrato sub B. Carolo Borrom. Cardinali anno* 1677. *part.* 3. *tit. de communi vita vsu, ac de proprietate tollenda, dum de monialibus agitur,* sic habetur. *Tuum & meum, atque omnis priuata rerum possessio, & re, & verbo omnino tollatur, neque vlla sit, qua quicquam possideat vt proprium, etiamsi ad necessitatem concessum sit.* Vnde Vrbanus primus *in epistola seu decretali de paupertate* loquens sic ait. *Quicumque vestrum vitam communem susceperit, & vouit, se nihil proprium habere videat, ne pollicitationem suam irritam faciat.* Diuus Basilius *in constitutionibus monasticis capit.* 35. *Debet*, inquit, *pietatis cultor, qui vitam communem amplexus est, ab omni priuata rerum possessione liber esse.* Et iterum: *proprietatis vitium est, priuatam pecuniam habere, & clanculum inscio superiore aliquid demoliri.* Cassian. *libr.* 4. *de institutis renunciantium capit.* 3. *de Ægypti monachorum paupertate loquens: Nulli,* inquit, *cistellam, nulli peculiarem sportellam liceat possidere, nec tale aliquid, quod vt proprium retinens, suo debeat communire signaculo.* B. Benedictus *in sua regula capit.* 33. *Neque aliquid quis præsumat habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino.* D. quoque Bernardus *serm.* 48. ait. *Qui postquam ad conuersationem monasterij venit, de rebus monasterij aliquam facere fraudem præsumit, Iudas est, & pœnam Iudæ sustinebit in inferno.* Et post pauca. *Qui sicut Iudas Iscarioth proprium retinent, vel de rebus monasterij aliquid abscondunt, conuenit illud: Ascendant vsque ad cœlum, & descendant vsque ad abyssos.*

Quæ vero ratio sit, cur tam serio, ac strictè religiosis omnis proprietas interdicatur, ex eo colligere licet, quia cum religiosus sui iuris non sit, ac suæ libertatis dominium non habeat, sed illud in superioris potestatem per traditionem, quæ in professione fit, transferat: necessariò sequitur, eum nihil habere, neque possidere posse, non aliter ac si seruus esset. Cuius rationis vim idem Benedictus *vbi supra* meminit, vbi cum docuisset nihil omnino à monachis esse possidendum, talem rationem addit, *Quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates suas licet habere in sua propria potestate.* Et D. August. *in sermone de communi vita relatus in dicto cap, Non dicatis,* eodem modo argumentatur dicens: *Cum huius Congregationis fratres se per obedientiam penitus aliorum potestati subdiderint: certum est, eos nihil habere posse.*

2 Ex quo meritò infert Nauar. *lib. de reddit. q.* 1 *monit.* 10 *&* 12. *& comm.* 2. *de regul. nu.* 2. religiosum professum nullius rei temporalis habere dominium, ne vestis quidem, qua induitur, aut panis, quo vescitur: sed quicquid

habet, esse penitus subiectum administrationi superioris, sine cuius nutu, nihil omnino habere potest.

QVÆST. XXI.

An valeat professio religiosi facta sub ea conditione, vt possit sibi aliqua reseruare, & de his liberè sine scientia, & voluntate superioris disponere?

1 QVIDAM dicunt valere, sicut valet matrimonium contractum sub conditione turpi, vt habetur *ex cap. Quicumque de condit. apposit.* Quia talis conditio habetur pro non adiecta.

2 Sed oppositum est proculdubio affirmandum. Et ratio est, quia hic non intendit se obligare ad id, quod est de essentia religionis: abdicatio enim dominij saltem quoad præparationem animi, & quoad obligationem abdicandi, ad substantiam status religiosi pertinet.

Et confirmatur *ex cap. vltimo de conditionibus appos.* vbi sic dicitur, quod si aliqua apponatur conditio in matrimonio contra substantiam matrimonij, matrimonium ipsum est nullum. Ex quo loco à simili sic argumentor: Hæc conditio de proprio habendo est contra substantiam religionis: ergo professio cum tali pacto facta est irrita.

3 Ad fundamentum contrariæ opinionis respondeo, quod illud caput *Quicumque*, intelligitur de conditione turpi, quando non est contra substantiam matrimonij vt expressè habetur *ex cap. fin. eod. tit. de condit. apposit.* vt si quis matrimonium ineat sub ea lege, vt alter victum ex furto acquirat, vel homicidium committat, talis conditio non impedit matrimonium, sed habetur pro non adiecta: secus tamen in casu nostro, vbi conditio apposita de proprio retinendo est contra essentiam, & naturam voti paupertatis quod est de substantia religionis.

QVÆSTIO XXII.

Sed maius dubium est de eo, qui dum emittit solemnem professionem, intendit retinere dominium ad tempus, & postea illud à se alienare, quando superior iusserit?

LESS. *lib. 2. de iust. c. 41. dub. 8.* in ea est sententia, vt affirmet spectato iure communi talem professionem esse inualidam. Et probat quia professio iure communi priuat dominio bonorum mobilium, & immobilium, & reddit inhabilem ad illud, vt habetur *in cap. Cum ad monasterium de statu monach.* 1

Tum quia Prælatus non habet facultatem ad acceptandum talem professionem insufficientem ad incorporandum religioni, nam ius canonicum ei resistit, & est contra essentialia status religiosi. Posset tamen sibi reseruare vsumfructum &c. Sed cum dependentia, & voluntate Prælati, reseruando semper ei potestatem disponendi de illis bonis. Nec hoc est facere proprietarium, sed vsufructuarium, nam propriè proprietarius est ille, qui habet dominium absolutũ rei.

Credit tamen hic author, talem professionem habere vim voti simplicis, & ita tenebitur mutata voluntate postea profiteri, nisi mens eius expressa, vel tacita alia fuerit, quia votum vltra intentionem vouentis non obligat. Si tamen de eo non constat, interpretatio facienda est, vt valeat instar voti simplicis. 2

QVÆ

QVÆSTIO XXIII.

An quispiam possit religionem profiteri ea conditione tacita, vel expressa, vt domi suæ maneat, & certam suorum bonorum portionem habeat?

1 AD hanc quæstionem dico primò, quod si ea conditio sit, vt religiosus tanquam proprium aliquid habeat, vel quod nutu superioris repeti nequeat, tunc nulla est professio, quia talis conditio cum voto solemni paupertatis, quod est de substantia, & natura status religiosi, pugnat.

2 Secundò dico, quod si eiusmodi conditio sit, vt tum habitationem, tum suorum bonorum portionem, ad necessarios vsus suæ personæ habeat, ex superioris voluntate pendentem, tunc valida erit professio, nec cum iure antiquo pugnat, vt colligitur *ex cap. De viduis 27. quæst. 2.* & tradit optime Nauarr. *comment. 2. de regular. n. 14.*

3 Tertiò, & vltimo dico, quod iure nouo Concil. Trident. *sess. 25. cap. 2. de regular.* id est, interdictum, quia in eo loco præcipitur, ne religiosi priuato: dentur etiam ad vsum, & administrationem stabilia bona, cuiusmodi sunt domus, fundi, agri, redditus, & id genus alia.

4 Hinc, religiosi non possunt ex consensu suorum Prælatorum habere aliqua bona, vt ab eis administrentur, ea lege vt certam pensionem reddant monasterio, & ex reliquo sibi ad necessaria vitæ subsidia, & alimenta, ac in pios vsus, quos ipsi maluerint, expendant: quale peculium habere solent de licentia Papæ religiosi senes, vel infirmi de religione bene meriti, quibus habitationes aliquæ salubriores, commodioresque concedi solent. Ratio huius est, quia licet secundum ius antiquum id non sit interdictum, iure tamen nouo in Concil. Trident. *sess. 25. cap. 2. de regular.* est vetitum: & propterea redditus, & alia bona immobilia, vt domus, agri, & aliæ possessiones tradi superiori debent, vt is singulis religiosis prouideat, vt (teste Quaranta *in suo compendio bullarij verbo casus reseruati fol. 157.*) sacra Congregatio Cardinalium declarauit.

QVÆSTIO XXIV.

Quo iure solemne votum paupertatis faciat religiosum incapacem dominij retinendi, vel in posterum acquirendi?

MVLTI affirmant solemne votum paupertatis, vi ac natura sua hanc inhabilitatem inducere. 1

Almay. *in tract. de potestate Eccles. cap. 15.* censet eiusmodi votum non vi sua, nec iure canonico, sed diuino vim habere faciendi religiosum incapacem dominij.

Less. *lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 8.* putat religiosum esse inhabilem ad dominium ex duplici causa. Prima, ratione traditionis sui in ius ordinis, ita enim religiosus se tradit ordini, vt partim mancipio partim filiofamilias comparetur, quorum neuter sibi acquirit, sed ei in cuius potestate est. 2

Secunda, ratione Ecclesiæ decreti: quod non solum traditionem illam confirmat, ita vt ille non possit sui iuris effici, sicut seruus, vel filius, sed etiam illum directè incapacem dominij acquirendi facit.

Cæterùm meo iudicio rectius docent Nauarr. *comment. 2. de regul. num. 51.* & Couar. *de testam. cap. 2. num. 5.* nempe per solemne votum paupertatis religiosum esse inhabilem ad dominium 3

minium sola Ecclesiæ, constitutione. Quam opinionem vt probabiliorem, ac iuri ciuili authoritate canonis approbato magis conformem sequitur Azor. *part.* 1. *inst. mor. lib.* 12 .*cap.* 12. Fundamẽtum præcipuum huius opinionis est, quia *in cap. Quod votum, de voto, & voti redemptione in 6.* generatim dicitur, solemnitatem voti esse sola Ecclesiæ constitutione. Vnde, sicut Ecclesiæ decreto religiosus professus, est inhabilis ad matrimonium contrahendum, sic etiam eiusdem Ecclesiæ decreto est incapax dominij acquirendi.

QVÆSTIO XXV.

Vtrum summus Pontifex possit in voto solemni paupertatis dispensare, id est, vt religiosus habeat proprium, sicut cæteri seculares?

1 DOCTOR Angelicus 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. tenet non posse.

Ratio ipsius est, quia votum paupertatis statui religioso est essentialiter annexum, vel potius innexum, & intrinsecè inclusum.

2 Tum quia implicat contradictionem quod religiosus sit regularis, & tamen sit capax alicuius iuris ciuilis, nempe habeat proprietatem, eo quia votum paupertatis, quod consistit in expropriatione cuiuscumque dominij, requiritur necessariò, sicut & duo alia vota ad essentiam status regularis. Si igitur regularis est proprietarius, non est regularis, & si est regularis non est proprietarius.

3 Tum quia *extra de statu monast. in fine illius decretalis, cum ad monasterium*, dicitur. Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeò est annexa Regulæ monachali, vt super ipsam, neque summus Pontifex licentiam valeat indulgere. Eandem sententiam sequuntur Syluest. *verb. votum* 4. *quæst.* 5. Arag. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 11. Armil. *verb. dispens. num.* 11. & multi alij ex Thomistis.

Ex quo inferunt, quod dispensante summo Pontifice cum aliquo religioso, vt fiat clericus sæcularis, tenetur habere propositum custodiendi tria vota essentialia, quæ promisit, qui si non habet hoc popositum, existit in peccato mortali, cùm Papa non possit dispensare in dictis votis. 4

Sed his non obstantibus, concors est Theologorum, & Canonistarum sententia posse summum Pontificem votum solemne paupertatis relaxare. Probatur; Pontifex potest dispensare in voto solemni castitatis vt ferè omnes fatentur, ergo etiam poterit dispensare in voto solemni paupertatis. Probo consequentiam, quia cum vtrumque sit solemne, non erit maior ratio, cur Pontifex possit in voto castitatis dispensare potius, quam in voto paupertatis. 5

Deinde summus Pontifex potest relaxare votum solemne castitatis clericorum, vt fatetur S. Tho. & communis sententia Doctorum, ergo & in voto paupertatis religiosorum. Probo consequentiam, quia votum paupertatis religiosorum non est magis solẽne quam votũ castitatis clericorum. 6

Præterea summus Pontifex potest relaxare votum simplex paupertatis perpetuæ, vt omnes Doctores fatentur, ergo & solemne. Probo consequentiam, quia solemnitas voti sola Ecclesiæ constitutione est introducta, vt expressè habetur *in cap. Quod votum, de voto, & voti redemptione in 6.* Si solemnitas est ex sola Ecclesiæ constitutione, ergo potest ipse in ea dispensare, quia potest relaxare suam constitutionem.

Tandem

7 Tandem Caietan. 2.2. *quaest.*88.*art.* 11. Less. *lib.*2. *de iust. cap.*41. *dub.* 19. Arag.2.2.*quaest.*88.*art.*11. & multi alij nobiles authores referunt Romanum Pontificem de facto dispensasse cum multis,vt matrimonium contraherét. Atqui absurdum est dicere Pontificem in re tanti momenti errasse. Et ideò ita tenent D. Thom. sibi contrarius *in* 4. *d.*38. *quaest.*1. *art.*4. *quaest.*1. *ad* 3.Scot. *ibidem quaest.*3. Caietan.2.2. *quaest.*88.*art.*11.Couar.*de testam.cap.*1. *num.*10.Less.*lib.*2.*cap.*4.*dub.*5. *& cap.* 40. *dub.*19. Sot. *lib.*10. *quaest.*5. *art.*7. Azor.*lib.*12.*cap.*7.*quaest.*4.*art.*1.Cord. *lib.*1.*quaest.q.*24. Vasq. 1.2.*q.*96. *art.*4. *disp.*165.*cap.*9.*num.*109.

8 Et ad primum argumentum contrariç opinionis respondeo quod quãuis verum sit,quod votum paupertatis sit essentiale religioni, nec ab ea possit separari,potest tamen efficere summus Pontifex ex rationabili causa, vt qui antea erat religiosus,non sit,& sic proprium habeat, & vxorem ducat, & ex matrimonio filios procreet.

Ad secundum respondeo, ex eo solum concludi, religiosum quandiu talis est, voto paupertatis teneri, nec fieri posse,vt existente statu religioso, non sit votiua paupertate astrictus, quia implicat contradictionem, quod quis sit religiosus,id est,teneatur voto solemni integro, quod quem incapacem dominij rei pecuniariæ facit, & quod fiat dominus talis rei.

9 Ad tertium,& vltimum respondeo primò illa verba cap. Cum ad monasterium, intelligendi esse ex modestia summi Pontificis ad conuincendum illum Abbatem qui existimabat ipsum habere facultatem concedendi religioso vt haberet proprium.

Secundò respondeo Innocentium Papam eo in loco hanc facultaté cum religioso dispensandi Romano Pontifici denegasse, religioso manente in statu religioso; id enim Romanus Pótifex non potest efficere, id est, proprietatem rei cum paupertatis voto,& matrimoniũ cum voto castitatis vna, & simul coniungere. Non tamen ibi Romano Pótifici potestas denegatur, quominus possit id facere successiuè aliqua vrgentissima causa propter bonum commune, faciendo de religioso, non religiosum, & sic exemptum à religione, vxorem ducere, & proprium patrimonium habere.

QVÆSTIO XXVI.

Sed dubiæ quaestionis est, an in indiuiduo possit dari causa aliqua legitima,ob quam oporteat authoritate Pontificia votum solemne paupertatis dissolui?

NAVAR. *comm.*2.*de regular. n.*17. existimat non posse causam subesse,vt quis dispensetur à voto solemni paupertatis, quia dari potest causa, & necessitas,vt religiosus fiat Rex,vel Princeps,& matrimonium contrahat, & proinde liber omnino à voto castitatis sit, non auté subesse potest causa, vt sit regni dominus,quia sufficit,vt ei concedatur plena administratio, quæ tamen sit aliquo modo dependens ab arbitrio Pontificis:hæc enim sufficiens est, ad omnes actus necessarios, vt ad donandum,ad acquirendũ,ad contrahendũ,ad condendũ testamétum,&c. 1

Hoc idem dicit de voto solẽni obedientiæ,non enim necesse est,hoc vinculum dissolui, sed satis est materiam subtrahi,tollẽdo subiectionem, quam habet subditus ad suum Prælatum, & tunc manebit Pontifici subiectus sicut accidit quando religiosus fit superior Generalis, Episcopus,vel Cardinalis. Quare hoc fundamento ductus Nauarrus absolutè asserit non posse Romanum Pontificem super voto paupertatis dispẽsare,non quia Romanus 2

Ponti

Pontifex id præstare non possit, si aliqua iusta causa occurreret, sed quia talis nulla occurrere potest, ideo non potest in eo dispensare.

5 At ego veriùs existimo, omnique remoto dubio opinor, posse iustam causam subesse, vt religiosus dispensetur in voto paupertatis. Vt si v.g. religiosus dispensetur vt fiat Rex, & ducat vxorem, ista est iusta causa, vt votum paupertatis ei omnino relaxetur, ne affectu proprietatis, largitionibus, sumptibus superfluis, aliisque modis, qui facile in statu regio possunt occurrere, peccet contra votum.

Tum quia quando Papa dispensat cum religioso, vt ducat vxorem, non dispensat cum eo, vt manens religiosus, simul habeat vxorem, sed ex iusta causa per dispensationem facit vt de religioso, fiat non religiosus, & sic factus non religiosus vxorem ducat, propriúmque habeat. Vnde di-
4 spensante Papa cum religioso vt succedat in Regno, & vxorem ducat, causa quæ sufficit ad dispensandum cum eo, vt possit matrimonium contrahere, sufficit vt possit habere proprium; non enim potest habere vxorem, & liberos absque eo quod ipsi concedatur proprium.

Et confirmatur, nam Nauarr. admittit Romanum Pontificem dispensantem in voto solemni castitatis facere de religioso non religiosum: ergo tunc dispensat etiam in voto paupertatis. Probo consequentiam, quia est omnino absurdum velle non religiosum ad paupertatem obligare, vel religiosum cum solo paupertatis voto manere. Et ideò ita tenet Less. *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 5. Azor. *lib.* 12. *cap.* 7. *quæst.* 2. & Vasq. 1. 2. *quæst.* 69. *art.* 4. *d.* 165.

Idem videtur dicendum de voto solemni obedientiæ, immo videtur hoc votum sponte cessare, hoc ipso quod desinit esse religiosus.

QVÆSTIO XXVII.

An si Romanus Pontifex absque iusta causa in tali voto dispenset, talis dispensatio valeat?

RESPONDEO valere, validumque esse factum quoad voti solemnitatem reddentem religiosum incapacem dominij. Quare verum bonorum dominium acquiret, & in alium id verè transferre poterit. Quia sola Ecclesiæ constitutione votum solemne paupertatis ad hoc inhabilem religiosum reddit. At non valebit dispensatio quoad substantiam eius voti paupertatis obligantis iure diuino naturali. Ac proinde peccabit mortaliter is religiosus acquirendo, vel transferendo rei alicuius dominium contra id votum paupertatis. 1

QVÆSTIO XXVIII.

An religiosus professus saltem de licentia Prælati possit habere proprium?

RATIO dubij est, quia *in dicto cap. Non dicatis* 12. *quæst.* 1. absolutè præcipitur religiosis, vt non habeant, aut dicant aliquid se habere proprium. Et *in c. Monachi de statu monachor.* dicitur, quod monachis non permittatur habere peculium. Hoc idem definitur *in cap. Cum ad monasterium.* Et in Concil. Trident. *sess.* 25. *de regul. cap.* 2. 1

His tamen non obstantibus, primò dico quod religiosus professus etiam de licentia sui superioris non potest habere proprium stricto modo sumptum, quoad veram proprietatem, quale est illud, quod habent seculares. 2

Ratio

Ratio est, quia hoc est expressè contra votum solemne paupertatis, quod omnes religiosi emittunt, atque obseruare tenentur; nec Romanus Pontifex potest dispensare, vt religiosus existens verè, & propriè religiosus proprium habeat, eo modo quo illud habent seculares.

3 Secundò dico quod religiosus professus de licentia superioris potest habere proprium largo modo acceptum, prout continet solam detentionem, vsum, administrationem, & possessionem facti, cum facultate disponendi de eo in suos vsus honestos, & pios tantum, amouibile tamen ad nutum superioris, vt habetur *ex cap. Monachi in fine.* vbi dicitur posse peculium concedi alicui monacho. Vnde supradicta capita sunt intelligenda de proprio primo modo sumpto, vel etiam secundo modo, quoad ius administrandi nomine suo, & sine expressa, aut tacita licentia Prælati, aut sine iusta, & rationabili causa, aut de proprio expendendo in quoscumque vsus, etiam prophanos, vt posset quilibet alius secularis de re sibi propria. Et quamuis Concil. addat, neque etiam nomine conuentus, intelligendum est sine dependentia Prælati. Atque ita tenet Ioann. Andr. *in cap. Non est obligatorium de reg. iuris* vbi ait, validum esse statutum, vt monasterium det monialibus solummodo victum, & pro vestitu habeant ea quæ labore manuum suarum lucrantur, quod in multis monasteriis positum est in more, & certum est, inquit, hoc fieri non posse, absque eo quod aliqua ratione habeant proprium. Et Panorm. *in dicto cap. Cum ad monasterium, de statu monachorum*, inquit, satis esse licitam constitutionem, siue consuetudinem, qua religiosis traditur certum quid annuum, pro annuo vestitu. Immo in nulla religione ita rigorosè seruatur votum paupertatis, quin de licentia Prælati tacita, vel expressa religiosi habeant aliquod proprium largo modo acceptum suis peculiaribus vsibus deputatum, vtputa vestes, lectum, libros, imagines, & id genus alia, quæ omnia cum habeant de licentia, & dependentia Prælatorum, non censentur esse contra paupertatis votum.

QVÆSTIO XXIX.

An regulares possint licitè habere peculium?

ET quidem certum est posse Regulares de licentia suorum Prælatorum, libros, vestes, pecuniam, & alia mobilia habere in suos vsus licitos, & honestos. Immo licita est consuetudo in multis monasteriis introducta, vt regulares victum tantum à monasterio accipiant, vestitum autem & alia ex suis laboribus sibi quærant; & quod magis est, vt quilibet religiosus accipiat quotannis ab officiali certam pecuniæ summam pro vsibus sibi necessariis. Quia Concil. Trident. *sess. 25. cap. 2. de reform. regular.* quoad bonorum mobilium vsum, nihil noui statuit, cum expressè ibi agat de bonis stabilibus: & ex alia parte id olim de iure licebat, ergo id modo etiam licitum erit vt sacra Congregatio declarauit. 1

Sed tota controuersia consistit de peculio consistente in bonis stabilibus, vt sunt annui redditus alicuius agri, vel vineæ, vel alterius possessionis.

Et quidem, attento iure communi antiquo etiam certum est, non esse contra votum paupertatis habere huiusmodi 2

iusmodi peculium de licentia Prælati ex legitima causa concessum ad honestos, & licitos vsus ad nutum superioris reuocabile. Quia in hoc casu religiosus non vtitur huiusmodi rebus tamquam suis, sed vt alienis, cùm alieno superioris arbitrio ducatur. Et colligitur expressè *ex cap. Insinuante qui clerici, vel vouentes. Et ex cap. De viduis 27. quæstione 1.* vbi conceditur moniali, vt remaneat in domo quondam sua cum omni propria substantia quoad vsum illius, plenariamque in vsus licitos administrationem. Et *in cap. Monachi de statu monachor.* permittitur monachis pro administratione iniuncta peculiū habere. Et ideo ita tenent Nauar. *comment. 2. de regular. numero 15. & 27.* Azor. *lib. 12. cap. 9. quæstione 2.* Cord. *summ. quæstione 54.* Petr. Nauarr. *lib. 3. de restit. cap. 1. part. 3. numero 163.* Roder. *2. part. summ. cap. 31. num. 3.* & communis.

QVÆSTIO XXX.

Quæstio igitur est, an post decretum Concilij Tridentini adductum, id liceat?

1 SVNT multi qui existimant id non licere. Et probant, quia eiusmodi redditus annui à iure inter bona immobilia enumerantur *iuxta Clem. 1. §. cum pro annuus redditus de verb. signif.* At habere huiusmodi bona immobilia, & stabilia est ipsis regularibus à Concil. Trident. *vbi supra* interdictum: ibi enim sic habetur: *Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad vsumfructum, vel vsum administrationem, aut commendam* ergo. Sic tenent Cord. *summ. quæstione 54.* Molina *tom. 2. d. 276.* Roder. *part. 2. cap. 31. num. 3.* Less. *lib. 2. cap. 4. dub. 5.* Nauarr. *lib. 3. de restit cap. 1. part. 3. num. 163.* Valentia *2. 2. d. 1. quæst. 4. part. 3,* & Thom. Zerula *in praxi Episcopali p. 1. verb. moniales,* asseritque ita declarasse Cardinalium Congregationem.

Alij vero rectè fieri posse affirmant. Ita Syluest. *verb. Abbas quæst. 3.* Nauarr. *comment. 2. de regul. num. 15. & 18. & de redd. quæst. 1. num. 84.* Roder. *tom. 3. de regul. quæst. 29. artic. 10.* Vega *2. tom. cap. 86. casu 5* Graff. *1. part. decis. lib 3. cap. 5. num. 51.* & multi alij. Nonnullas tamen conditiones statuunt, vt licitè absque proprietatis nota religiosi possint habere redditus vitalitios. 2

Prima est, vt non illos habeant quoad dominium tamquam suos proprios, sed solum quoad simplicem vsum facti congruentis pro suis particularibus necessitatibus.

Secunda, vt eos habeant ex expressa, aut saltem tacita suorum superiorum licentia.

Tertia, vt huiusmodi redditus sint moderati. 3

Quarta, vt prædicti redditus, vel aliæ quæuis res illis concessæ, sint incorporatæ communibus bonis monasterij.

Quinta, vt sint reuocabiles ad nutum superioris.

Sexta, vt non malè vtantur, expendendo illos in vsus illicitos, & prophanos.

Septima, vt non vagè, & ad vsus indeterminatos illis relinquatur dispositio prædictorum bonorum, sed solum ad certos vsus determinatos, pios licitos, necessarios, & à superiore cognitos.

Octaua, vt id fiat ex aliqua iusta, & rationabili causa.

Nona, vt prædictos redditus illis concessos, non habeant penes se, sed 4

in manu

in manu publici officialis per superiorem assignati, qui in monasterio Monialium dici solet, Depositoria, vel Borsera.

5 Decima, & vltima conditio est, vt subditus quando ab officiali necessaria petit, exponat in particulari suas necessitates, nam alias tantum esset officialis materialiter, & subditus esset dispensator, cum illa bona ipse pro libito acciperet, & distribueret, quod est contra mentem Concilij. His ergo decem conditionibus, licita est hæc redditaum concessio. Sicque saluandam esse consuetudinem censent, non obstante dispositione dicti Concilij Tridentini. Ratio huius est, quia cùm sint in potestate publici officialis, vel Procuratoris, in superioris potestate esse dicuntur, cum officialis locum habeat superioris: adeo vt si quando monasterium egeat in communi, ex illis pecuniis, ac bonis, prouideantur necessaria monasterij. Quod certè non rarò superiores tentare deberent, vt discerent subditi, non proprietatem, sed vsum & eum ad nutum superioris, se habere, & hoc esset iuxta Concilij Tridentini dispensationem, ait enim, *statim administratio bonorum monasterij ad soles officiales eiusdem ad nutum superioris amouibiles pertineat.*

6 Ex dictis sequitur primò, Prælatum, qui sine iusta, & rationabili causa huiusmodi bona subditis concedit esse proprietarium. Et ratio est, quia cum administret, vel distribuat bona monasterij in eos vsus, in quos à iure ipsi est prohibitum dispensare, peccat proculdubio contra votum paupertatis.

Secūdò sequitur, subditum qui huiusmodi peculij beneficio vtitur, esse proprietarium. Ratio est, quia cum Prælatus sine iusta causa tale peculium concedat, subditus eo vtens sine iusta licentia, iniustè vtitur, ac proinde peccat mortaliter contra votum paupertatis.

Tertiò sequitur, eum qui tenet peculium apud Depositarium tanquam rem propriam, & computat minutatim quidquid per ipsum Depositarium expenditur, nec patitur, vt Prælatus possit de eo ad libitum disponere, mortale peccatum committere contra votum paupertatis. 7

Nec valet dicere mentem Romani Pontificis esse, vt prædictum peculium remaneat depositatum, ac designatum pro eius indigentiis, ac proinde Prælatum non posse de eo absque ipsius consensu disponere. Quia depositum, vt rectè annotauit Petr. Nauarr. ad hoc inuentum est, vt auferatur à religiosis vsusfructus, & administratio peculij, & incorporetur, saltem quoad proprietatem, & vsumfructum cum bonis monasterij, licet quoad vsum simplicem facti remaneat designatum ad subleuandas eorum indigentias, administratio verò eius resideat penes prædictum Depositarium, & hoc de licentia Prælati, & amouibiliter, & non vt præfati regulares habeant eius proprietatem, vel vsum irreuocabiliter, ita vt Prælatus non possit de eo ad libitum disponere, quoniam hoc esset in proprio dispensare. 8

QVÆSTIO XXXI.

Sed maius dubium insurgit: An de superioris licentia, iusta aliqua de causa magnæ vtilitatis, vel necessitatis monasterij, vel ordinis, liceat ipsi priuato bona stabilia possidere?

SVNT, qui putent id esse licitum. 1

2 Mihi tamen videtur rectè fieri non posse, vt teste Quaranta in summa Bullarij *verb. casus reseruati fol.* 157. sacra Congregatio declarauit, & tenet Petr. Nauarr. *lib.* 3. *de restitut. cap.* 1. *num.* 180. qui id probat ex verbis Concil. Tridentini *sess.* 25. *cap.* 2. *de regular.* ibi enim sic dicitur. *Nec liceat superiori stabilia bona alicui regulari concedere etiam ad vsumfructum, vel vsum, vel commendam. Administratio autem horum bonorum ad solos officiales pertineat.* Eandem sententiam sequuntur Roder. *tom.* 3. *de regular. quaestion.* 29. *artic.* 12. Corduba *in summa quaest.* 54. & Azor. *p.* 1. *instit. mor. lib.* 12. *cap.* 9.

QVÆSTIO XXXII.

Quae & quotnam sint causae rationabiles ob quas iustè aliquibus religiosis peculium concedi possit?

1 RESPONDEO quinque, quarum prima est, quando superior necessaria illis suppeditare negligit; tunc enim religiosus iustè potest à superiore petere peculium, vt ex eo sibi necessaria prouideat. Nauarr. *comment.* 2. *de regul. num.* 24.

Secunda, quando administratio bonorum monasterij alicui religioso iniungitur, tunc enim iusta causa videtur, vt ei peculium concedatur, vt habetur *ex cap. Monachi ibi:* Qui verò peculium habuerit, nisi ei ab Abbate pro iniuncta administratione fuerit permissum. Vbi Innocentius explicat, vt quia est vestiarius, vel eleemosynarius.

2 Tertia, quando aliquibus officialibus monasterij aliqua salaria pro iniuncto officio loco peculij assignantur, vt vel sic diligentius munere suo fungantur. Sanch. *lib.* 7. *cap.* 22.

Quarta, quando religiosi cibum, & vestes communes prodigè, & superfluè consumunt, tunc ne monasterij bona dissipentur, potest iustè superior eis certum quid assignare, quod sit veluti peculium, vt hac ratione ipsi suo damno, vel commodo bonis monasterij magis consulant.

Quinta, & vltima iusta causa videtur esse, studium vitandae discordiae, quae tepescente charitatis feruore ex communi, & aequali victu, & vestitu oriri solet. 3

Dixi notanter *(aliquibus)* quia nulla apparet iusta causa, vt Praelatus omnibus religiosis monasterij hoc peculium concedat, stante decreto Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 1. *de reformat. regul.* Quo expressè praecipitur, vt in religionibus vita communis quoad victum, & vestitum integrè, seueréque seruetur, & collapsa restituatur. 4

Hinc, Praelatus qui non curat subditis prouidere necessaria secundum decentiam, & honestatem sui status, cum commodè prouidere possit, peccat mortaliter, & peccatum est contra paupertatis votum. Et ratio est, quia occasionem praebet subditis procurandi peculium D. Anton. 3. *p. t.* 16. *cap.* 1. §. 11. & Syluest. *verb. religio* 6. *quaest* 7. 5

Hinc, peccat mortaliter contra votum paupertatis Praelatus, qui recipit plures religiosos, quam redditibus, vel eleemosynis commodè sustentari possint. Quia facit contra praeceptum Concil. Tridentin. *sess.* 25. *capit.* 3. & hoc in re graui, & valdè necessaria ad conseruandum status religiosi bonum progressum. Ibi enim sic dicitur. *In monasteriis is tantum numerus constituatur, ac in posterum conseruetur, qui vel ex redditibus propriis monaste* 6

monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari.

7 Hinc, religiosi qui dissipando, aut prodige consumendo bona Monasterij, aut de communi, & consueto victu, & vestitu murmurando, & magnas querelas fundendo aut suis opinionibus, & suffragiis, sunt causa, vt in religione peculia introducantur, peccant mortaliter contra paupertatis votum. Ratio est, quia faciunt contra prædictum decretum Concil. Tridentini. Et ideo ita tenent D. Anton. 3. *p. t.* 16. *cap.* 1. *§.* 11. & Syluest. *verb. religio* 6. *qu.* 7. Similem occasionem præbent, qui officia religionis exercere nolunt, nisi peculium loco stipendij (vbi hoc non est in vsu) eis à Prælato concedatur.

QVÆSTIO XXXIII.

An possit superior aliquid concedere religioso, ad vsum irreuocabilem?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia hoc est efficere religiosum proprietarium. Ita Nauar. *lib.* 3. *cons. in* 1. *edit. tit. de regular. cons.* 47. *in* 2. *t. de statu monach. cons.* 15. *nu.* 2 Lop. 1. *p. instr. conf. c.* 154. & Cordub. *sum. q.* 54.

QVÆSTIO XXXIV.

An Pontifex possit aliquid concedere religioso, ad vsum irreuocabilem?

1 RESPONDEO non posse, manente statu religioso, nisi eum à voto paupertatis absolueret, faciendo de religioso non religiosum. Quia sic efficeret eum proprietarium. Sic Corduba *in sum. q.* 54. & Lop. 1. *p. instruct. confess. c.* 154.

QVÆSTIO XXXV.

An Romanus Pontifex possit licentiam concedere religioso, vt aliquid habeat ad vsum irreuocabilem à superiore inferiore ipso?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia hoc non est efficere religiosum proprietarium, cum rem illam habeat ex legitima ipsius Pontificis licentia, & possit ab ipso reuocari, & solum ex ea licentia, eximitur ab aliorum superiorum obedientia, quoad eam rem retinendam. 1

Hinc, Superior Generalis potest hanc licentiam concedere. ita vt nullus alius eo inferior possit illam reuocare, vt probat ratio adducta.

QVÆSTIO XXXVI.

An Superior concedens aliquid religioso, & promittens cum iuramento se non reuocaturum, possit postea illud reuocare?

ET quidem si superior licētiam reuocet, certum est, tenere talem reuocationē. Et ratio est, quia cum religiosus non habeat velle, aut nolle, nullum ius habet ad illud, sed obedire tenetur. 1

Sed dubium est, an reuocando sit periurus?

Respondeo esse periurum, vt rectè docet Nauar. *lib.* 3. *cons.* 2. *edit. tit. de statu monach. cons.* 14. *nu.* 12. & Syluest. *verb. Abbas q.* 4. 2

QVÆST. XXXVII.

Sed maius dubium est: An quando non est iuramentum, peccet superior reuocando contra promissionem?

1 SYLVEST. *verbo Abbas quæstio.* 4. negat, quia putat Superiorem non posse subdito suo obligari, sicut nec dominum seruo.

2 At quia plerique viri docti probabilius censent superiorem religioso naturaliter obligari ex sua promissione, dicendum est, eum peccare non seruando suam promissionem. Ita Nauar. *lib. 3. conf. in 12. edit. tit. de statu monach. conf.* 14. *nu.* 13. *&* 14.

QVÆSTIO XXXVIII.

An religiosi possint hæredes institui?

1 RESPONDEO exceptis fratribus Minoribus de obseruantia, & capucinis posse non solum monasteria, sed etiam ipsos religiosos hæredes institui, non quidem vt religiosi sibi acquirant, sed monasterio, vt expressè constat *ex l. fin. §. hoc etiam C. de episcopis, & clericis, & l regio 2. t. 3. p. 6.* & ex Conc. Trid. *sess. 25. c. 3. de reformat. regular.*

2. Ex quo colligitur, Nouitios cuiuscumque ordinis Minorum posse hæredes institui, ac succedere in hæreditatem paternam ex testamento, & ab intestato. Quia hi per solam professionem redduntur incapaces hæreditatis, quam nondum emiserunt. Ita Cord. *in Reg. S. Franc. c. 6. q. 11. p. 1.*

QVÆSTIO XXXIX.

An fratres Minores possint institui hæredes cum clausula apposita, vt hæreditas vendatur, & in necessaria illis pretium cedat.

RESPONDEO non posse, & si fiat, institutionem prorsus esse irritam, vtpote quæ est personarum incapacium. Si verò non expressè instituantur hæredes, sed alius qui debeat hæreditatem vendere, eiusque pretium in eorum necessitates conuertere, nullo iure videtur fratribus Minoribus prohibitum, vnde licitè hoc poterunt acceptare, modo summa non sit egregia. Quia tunc fratres hi non succedunt in aliquod defuncti ius, nec sunt veri hæredes. Sic Cord. *in Reg. S. Franc. cap. 6. q. 11. p. 1.* & Roder. *to. 2. quæst. 78. ar. 4.* 1

QVÆST. XL.

Vtrum bona religiosi ipso iure post emissam professionem transeant in monasterium, si aliter de illis antea non disposuerit?

RESPONDEO si Monasterium habet ius successionis, omnia bona religiosi, de quibus ipse antea non disposuit per professionem, iure communi transeunt ad illud monasterium. Ratio est, quia in consequentiam personæ, bona debent venire. Vnde sicut persona transit in ius, & potestatem Monasterij, ita simul cum illa possessio bonorum. 1

Tum quia in iure monasterium habetur loco filij, qui iure ipso succedit in paternis bonis.

Tum quia cum religiosus à monasterio 2

nasterio alimenta percipere debeat, consentaneum est rationi, vt illi potius bona eius cedant, quam aliis, quibus nihil debet, & à quibus nihil expectat.

Tum quia non est rationi consonum, vt dum quis se totum Deo tradit, res suas faciat seruire mundo.

Tandem, cum sit consilium Christi, vt dentur pauperibus, nullis pauperibus conuenientius dari possunt, quam iis qui sunt pauperes spiritu, quorum est regnum cœlorum, & qui possint recipere in æterna tabernacula, quales sunt religiosi.

3 Dixi notanter (*de quibus antea non disposuit*) quia tunc bona eius, qui profitetur religionem, debentur hæredi legitime per ipsum instituto, vt recte docent Nau. *com. 2. de regul. nu.* 48. & Couar. *de testam. c. 2. nu. 6*.

4 Si vero monasterium non habet ius successionis, omnia bona religiosi (nisi ipse ante professionem aliter de illis disposuerit) statim post professionem deuoluuntur ad hæredes ab intestato, perinde, ac si ipse morte naturali defunctus esset. Ratio est, quia cum ipse per professionem se spoliet omni dominio, & possessione, nec trāseant hæc in Monasterium, sequitur ea iure deuolui ad alios hæredes, non enim debent ea bona manere suspensa.

5 Ius autem succedendi habent omnia Monasteria regularium etiam mendicantium, exceptis monasteriis Minorum de obseruantia, & capucinorum, necnon Domibus professis ac collegiis deuotæ Societatis Iesu. Cæterum omnibus ordinibus virorum, & mulierum etiam mendicantibus concessit Conc. Trid *sess. 25. de reg. cap.* 3. vt bona immobilia possidere possint. Vnde etiam vt in eis succedant. Nau. *com. 2. de regul. nu.* 50. *&* 54. & Roder. *to. 2. de reg. q. 78. ar. 1. 2. &* 4.

QVÆSTIO XLI.

Quo iure monasterium successionis capax succedat in omnia professi bona, de quibus ante professionem non disposuerat?

RESPONDEO solo iure humano hoc esse inductum vt constat *ex §. Si qua mulier, auth. de sanctissimis Episcopis, & ex §. illud quoque, de monach.* Quod est insertum in decreto à Gratiano *in cap. Si qua mulier*, & approbatum à D. Greg. Papa *lib. 7. registri*, & refertur *in cap. Ingredientibus* 19. *quæstion.* 3. & tradit Azor. *tom.* 1. *instiut. moral. libr.* 12. *capit.* 8. *quæst.* 1. 1

QVÆSTIO XLII.

Cui acquirat religiosus post professionem?

RESPONDEO monasterio in quo emisit professionem siue id ei ex industria, arte, labore, vel opera sua, successione, aut donatione aliorum proueniat. Et ratio est, quia iure communi, & iuxta regulam sancti Benedicti quodlibet monasterium est in cura, & potestate Abbatis, vnde iure communi quilibet Monachus acquirit illi monasterio, cuius est filius, eius vero est filius, in quod ingressus est, & professus monasticam regulam. Et hoc est verissimum in omnibus ordinibus, in quibus sunt in vsu huiusmodi filiationes. Atque ita Syluest. *ver b. hæreditas* 1. *qu.* 7. Armil. *verb. hæreditas nu.* 8. *& ibi* Tab. *q.* 13. dicunt consuetudinem fratrum Prædicatorum habere, vt illud monasterium succedat, vbi quispiā professus est, 1

est, quia illius dicitur esse filius. Addunt Tab. & Armil. nisi per Superiorem Generalem cum consensu eorum, ad quos pertinet, transferatur filiatio in aliud monasterium.

QVÆST. XLIII.

Sed dubium est de ordinibus Mendicantibus, & in similibus aliis, in quibus multa monasteria in vna Prouincia subiiciuntur Prouinciali, & omnia religionis Generali.

1 ET in hoc casu existimo religiosũ potius acquirere vniuerso ordini, quam illi monasterio, in quo emisit professionem, licet bona eidem monasterio regulariter applicentur. Ratio est, quia in his ordinibus non sunt similes filiationes, ac in ordinibus monachalibus, ac proinde cum emittit professionem, non profitetur se esse filium illius monasterij; sed totius ordinis.

2 Et confirmatur, quia cum post emissam professionem huiusmodi religiosi indiscriminatim mittantur à Superioribus ad diuersa monasteria ordinis, consentaneum rationi videtur, vt illorum bona priori monasterio applicata possint etiam indiscriminatim à Generali totius ordinis, distribui, attenta indigentia aliorum monasteriorum.

Dices, religiosus est incapax dominij, ergo nihil potest acquirere.

3 Respondeo religiosum non habere ius, vt in suum commodum succedat, aut sibi aliquid acquirat, hoc enim totum in monasterium translatum est: retinere tamen ius succedendi in commodum, & vtilitatem monasterij, vel ordinis, vt illi acquirat. Ex quo fit, vt monasterium possit adire, vel repudiare talem hæreditatem, vel donationem etiam ignorante, vel inuito religioso.

QVÆSTIO XLIV.

Sed totum controuersiæ dissidium consistit de Religiosis Franciscanæ familiæ, qui vulgo Obseruantes, vel Capucini vocantur, qui nec priuatim, nec in communi tanquam proprium quicquam possidere possunt: Cuinam acquirant ea quæ donatione, aut eleemosynis acquirunt?

NAVAR. *comment. 1. de Regul. nu. 3.* putat eos quantum ad proprietatem, & dominium bonorum, quæ possident primò, & principaliter acquirere Deo, & Domino nostro Iesu Christo: Secundariò vero quantum ad ius administrandi supremum, & generale Papæ, & ecclesiæ Romanę, atque etiam quantum ad speciale, quia præfati fratres per suam Regulam sunt incapaces non solum proprij, verùm etiam cuiuscunque iuris administrandi: quantum verò ad solam detentionem, & vsum non iuris, sed facti acquirere suis Monasteriis. 1

Ioan. Azor. *libr. 12 c. 24. q. 5.* censet omnium rerum, quæ in numero, pondere, & mensura consistunt, & vsu ipso consumuntur, dominium esse penes eos, qui eas donant, donec eas ipsi Frãciscani consumpserint, donando, vendendo, vel permutando: aliarum vero rerum dominium eos acquirere Romano Pontifici. 2

Alij vero dicunt dominium pecuniarum, quæ Franciscanis in eleemosynas dantur, remanere apud dantem, aliarum vero omnium siue vnico, siue pluribus actibus cõsumptibilium, 3

&

& aliorum omnium, vt domorum, & ecclesiarum quas Franciscani habent, dominium acquirere Romano Pontifici.

4 Sed quidquid sit de istis opinionibus, quæ locum habebant attento iure communi. At nunc iure nouo Martini V. & Pauli III. eos quantum ad vsum, & commodum pecuniæ, & omnium aliarum rerum, quæ ipsis conceduntur, acquirere Monasterio, vel Ordini quantum verò ad proprietatem, & dominium sedi Apostolicæ. Et ideo ita tenet Roder. *to. 2. de regul. qu. 125. art. 6.*

Nec obstat Ioannem XXII. *in suo motu proprio qui incipit Ad conditorem,* abdicasse à se, & à sede Apostolica dominium bonorum, quæ fratribus Minoribus conceduntur. Quia postea Alexander sextus, & alij Pontifices idem dominium susceperunt, *vt habetur in compendio priuilegiorum fratrum Minorum verbo paupertas.*

QVÆSTIO XLV.

An in rebus vsu consumptibilibus possit vsus à dominio distingui, ita vt vsus sit penes vnum, & dominium penes alterum?

1 VT autem ea omnia, quæ Authores in hac quæstione maximè scitu necessaria tradunt, manifesta fiant, animaduertendum est primò, quod res quarum potest haberi dominiũ, sunt in triplici differentia. Quædam enim sunt, quæ vsu non consumuntur, vt domus, ager, prædium, & id genus alia, quorum fructibus vtimur ipsis rebus manentibus. Aliæ in altero extremo positæ, quæ vnico actu consumuntur, vt pecunia, panis, vinum, & similia. Aliæ verò sunt, tanquam mediæ inter has, quæ etsi vsu paulatim atterantur, non tamen vnico actu attritæ pereũt, vt vestis, liber &c.

Secundò est aduertendum, quod in his rebus, quæ vsu consumuntur, potest duplex reperiri vsus, proprius, & aduentitius, siue extraneus, vt in vino proprius vsus ipsius est illud bibere: aduentitius vero, & quasi extraneus est illud odorari. Similiter in pecunia, proprius ipsius vsus est, vt sit pretium rerum, quod vero quis illa vtatur ad ostentationẽ, aduentitius, & quasi extraneus, vel accidentarius est. 2

Tertiò est aduertendum, quod vsus rerum vsu consumptibilium duplex est, scilicet vsus facti, & vsus iuris. vsus facti est vsus in actu, qui est ipsa actualis rei consumptio. Vsus verò Iuris est vsus in habitu, seu Ius vtendi huiusmodi rebus. Et hoc rursus potest esse duplex, scilicet absolutum, & limitatum, seu dependens ab alio. Vsus Iuris absolutus, idest independens, est libera, & plena facultas habitualis vtẽdi re sine dependentia ab alio, etiam consumendo illam, atque adeò quocunque modo ei placuerit. Vsus vero Iuris limitatus, seu dependens est facultas, seu concessio veniæ vtendi his rebus cum dependentia ab alio apud quem propriè residet dominium.

Quartò est etiam aduertendum quod quando quærimus, an in rebus vsu consumptibilibus vsus, & dominium distinguantur, non est sermo, an ista distinguantur in genere entis, cum certum sit secundum regulas logicales hoc modo distingui, & constet dominium panis, & vini esse relationem, vsum autem esse actionem, qua istis vescimur. Sed quæstio est de distinctione in genere moris. An videlicet in his rebus quæ vnico actu consumuntur, quando vsus eorum est primarius, & ad quem suapte natura destinatæ sunt qui est earum consumptio, possit vsus, idest illarum rerum 4

consumptio,& dominium separari,ita vt reperiantur in diuersis subiectis?

In qua quæstione,quæ videtur fuisse controuersa non solum inter DD. Theologos, & Iurisprudentes, sed etiam inter Romanos Pontifices,citra definitionem tamen fidei, variæ sunt Doctorum opiniones.

4 Sotus *lib.4.de iust.qu.1. art.1.* Nauarr.*comm.1.de Regul.n.13.& comm.2. nu.2.*Less.*lib.2.cap.3.dub.*8. Roder.*to.3.de Regul qu.29. art.4.* Salon.*de iust. tractat.de dominio qu.1.art.1.*Bañ.*2.2. qu.62.art.1.* Molina *tom.1.de iust. d.6.* Bellarm. *tom.1.controuer.lib.4.de summis Pontif.cap.14.* Azor.*lib.12.cap.vlt. q.12.*Valent.*2.2.d.5.q.10 p.1.*Rebell. *de iust.1.p.lib.1.qu.7.sect.4. num.35.*& plerique alij tenent in rebus vsu consumptibilibus distingui vsum à dominio,& sic concludunt,posse vsum esse penes vnum, dominium autem penes alterum. Et hanc sententiam amplectuntur fratres Minores,qui absolutè dicunt se nec in communi,nec in particulari alicuius rei dominium habere, sed solum dicunt se meros esse vsuarios earum rerum, quæ in eleemosynam ipsis traduntur:Dominium verò panis,& vini, & aliorum vtensilium,manere astruunt apud summum Pontificem, ipsosque illis vti, vt bonis Papæ, perinde est, ac si quotidie Papa illos inuitaret.Pecuniarum vero, & quarundam similium rerum dominium esse dicunt apud illos, qui eas dederunt, interim dum res illæ non cosumuntur,aut alienantur,ipsis duntaxat relicto libero vsu earum rerum, etiam ad consumptionem, & alienationem, dependente tamen à libera voluntate eorum apud quos remanet propriè dominium, ita videlicet vt nulla eis iniuria fieret, si domini eas de eorum manibus eriperent. In cuius probationem adducunt duo Decreta,vnum Nicolai III. *in cap. Exiit, qui seminat.* Alterum verò Clementis V. in Clement. *Exiuit de paradiso,* in quibus hoc idem definitur.

Huic etiam sententiæ fauet mirabiliter §.*minus Instit. de vsu, & habitatione,*vbi dicitur,quod potest quis habere vsum olerum horti,& florum pomarij, non tamen dominium, vt possit ea vendere, aut alienare, ergo in his rebus vsus,& dominium distinguuntur. 5

At verò Ioannes XXII. post Nicolaum III. *in extrauag. ad conditorem,* oppositum determinauit. Vbi primò probat multis argumentis in rebus vsu consumptibilibus non distingui vsum à dominio, sed cui confertur vnum,conceditur vtrumque. 6

Secundò dicit fratres S. Francisci habere vsum simul,& dominium panis,vini,& aliorum comestibilium.

Tertiò dicit esse figmentum chimericum,& verbale, affirmare dominium eorum, quæ vsu consumuntur residere apud Romanum Pontificem, & Papam singulis diebus parare illis mensam. 7

Quartò dicit, nihil perfectionis accrescere Minoritis, ex eo quod dicantur habere nudum vsum ciborum, & potabilium, & licet in communi sint pauperiores aliis Religiosis, quia alij possunt habere bona stabilia, vel quasi stabilia, vt redditus perpetuos, ipsi verò minimè, quoad ea verò,quæ vsu consumuntur,non esse pauperiores aliis Mendicantibus, cum reuera eodem modo vtantur huiusmodi rebus,sicut,& alij Religiosi, qui dicuntur habere dominium.

Quintò, & vltimò dicit, hoc figmentum esse iniuriosum ipsi Romanæ Ecclesiæ, & simplicitati religionis christianæ,astruere eleemosynas,quas fideles Minoritis elargiuntur,conferri ipsis tantum quoad vsum dominium autem summo Pontifici. Vnde

subium

subiungit : Si tale dominium penes nos est, quod falsum esse existimo, illi omnino renunciamus. Vnde *in extrauag. Quia quorundam ibi de eadem re loquitur* ait: *Quod si quis contra id definire ausus fuerit, tanquam contumax Romanæ Ecclesiæ habeatur.*

8 Hanc opinionem sequuti sunt D. Thom. 2. 2. q. 78. *art.* 1. & Caiet. *ibid.* D. Anton. *p.* 4. *tit.* 12. *cap.* 4. §. 10. Turrecremata *lib.* 2. *summæ de Eccles. cap.* 112. Syluest. *verbo dominium quæst.* 2. Arag. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 1. & multi alij. Fundamentum præcipuum huius sententiæ est, quia in his rebus, quæ vsu consumuntur, non videtur posse distingui vsus à dominio. Qui enim facultatem concedit alicui eas res consumendi, nullius vsus ius, vel potestatem aut sibi aut alteri relinquit, ratione cuius intelligi possit retinere aliquod dominium eiusmodi rerum.

9 Deinde vsus, qui distinguitur à dominio, est ius vtendi re aliena, salua eius substantia: sed impossibile est, quod aliquis vtatur rebus vsu consumptibilibus, aut aliquam inde vtilitatem capiat ex eis, saluâ earum substantia, ergo in huiusmodi, vsus non distinguitur à dominio.

10 Tandem probatur, nam quando vsus distinguitur à dominio, potest alteri vendi, retento apud se dominio: quemadmodum qui locat domum, equum, & ea quæ vsu non consumuntur, quia in istis distinguuntur vsus, & dominium, potest retinere sibi dominium, & vendere alteri vsum: at hoc in his rebus, quæ vsu consumuntur, vt in pecunia, frumento, pane, vino, & similibus est manifesta vsura, vt rectè docet D. Tho. *communiter receptus* 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. ergo in istis vsus, & dominium non distinguuntur.

11 Quibus ita cõstitutis, vt in hac controuersia de veritate harum opinionum proferam, quod sentio: Dico primo, quod in rebus, quæ vsu non consumuntur, vt domus, ager, prædium, & similia, quorum vsus non est eorum consumptio, vsus, & dominium distinguuntur. Probatur: Nam vsus domus locatæ potest esse apud Titium, dominium verò apud Caium. Et idem dicendum est de his rebus, quæ etsi vsu paulatim consumantur, non tamen vnico actu attritæ pereunt, vt de veste, libro & his similibus, in quibus potest vtcunque distingui vsus à dominio, sicut in aliis rebus stabilibus.

Secundò dico, quod vsus rerum, 12 quæ vsu proprio consumptibiles sunt, at vero vsu extraneo non consumuntur, constat etiam, quod distinguitur à dominio Probatur: Nam ostentatio est vsus extraneus panis, & vini, quæ vsu proprio sunt consumptibilia, & tamen ostentatione non consumuntur, ergo huiusmodi vsus à dominio distinguitur.

Tertio dico, quod vsus iuris, qui 13 dicitur vsus in habitu, seu ius vtendi re aliqua consumptibili, ita vt illud ius sit absolutum, idest independens ab alterius voluntate, & de se ad omnem vsum talis rei se extendens non distinguitur nec distingui potest à dominio. Et ratio est quia qui habet talem rei vsum independentem, habet reuera rei dominium, ergo.

Quartò dico quod vsus proprius 14 in habitu, qui dicitur vsus iuris, limitatus tamen, & dependens à voluntate alterius, apud quem est libera facultas reuocandi rem antequàm actu res consumatur, distinguitur à dominio. Et ratio huius est, quia talis dependentia repugnat rationi dominij consistentis nimirum in vtendi facultate independente à voluntate alterius.

Quintò, & vltimò dico quod vsus 15

 facti,

facti, seu vsus in actu qui est ipsa actualis rei consumptio, distinguitur à dominio. Probatur: Nam dominium est quasi in habitu, vel actu primo, hic verò vsus facti est ipsa actualis actio, & vsus: ergo.

16 Ex quo sequitur primò Minoritas nec in communi, nec in particulari habere dominium eorum quibus vtuntur, sed habere vsum iuris dependenter, & vsum facti, dominium autem istarum rerum manere apud Romanum Pontificem.

17 Nec obstat verbum Ioannis XXII. dicentis se abdicasse tali dominio.

Primò, quia id non fecit legitimè, & vt notat Sotus nec iustè, sed certè in odium forsan Occham, & aliorum sui ordinis, qui fuerunt ei infestissimi.

Deinde, quia suam renunciationem successores eius minimè approbarunt, sed exemplo suorum antecessorum idem retinuerunt, & retinent dominium.

18 Secundò sequitur nullum religiosum cuiusuis ordinis posse ex his, quę sibi ad suos vsus honestos conceduntur aliquid vendere, aut alienare absque explicita, vel implicita licentia sui Prælati.

19 Ad fundamentum vero contrariæ opinionis Respondeo concedendo Nicolaum III. & Clemen. V. fuisse contrariæ sententiæ. Ex hoc tamen non sequitur nostram opinionem esse falsam quia illam tenet Ioan. XXII. Et ex his quæ non pertinent ad fidem & ad bonos mores nullum est incommodum quod dicamus summum Pontificem errare, sicut illud affirmat idem Ioan. XXII. de Nicolao & Clemente, maximè quia in hoc summi Pontifices, vt priuati Doctores se habuerunt.

* * *

QVÆSTIO XLVI.

An quidquid Religiosus acquirit, Monasterio vel ordini acquirat, quoad ius proprium, & verum dominium, si aliàs sit capax dominij?

NAVAR. *in cap. Cui portio n.31. & com. 2. de Regul. n.3.* tenet generale omnium rerum dominium non acquiri Monasterio, vel ordini, sed soli Deo, & Domino nostro Iesu Christo, ius autem supremum, & generale eadem administrandi Romano Pontifici, & Ecclesiæ vniuersali: particulare verò illi ordini, & Monasterio, cuius ipse est filius, si sit capax iuris administrandi, alioquin etiam speciale acquirit summo Pontifici, & solus vsus facti remanet penes illum ordinem & Monasterium, cui acquireret ius particulare administrandi, si illius esset capax. Idemque censet de aliis Ecclesiasticis bonis. 1

Ex quo infert nullum Monasteriorum habere supra bonis suis quæ possident Religiosi Ius proprium, & verum dominium sed solummodo Ius administrandi in vtilitatem suam, & aliorum Religiosorum, & hi quidem solummodo habent simplicem vsum facti in vestibus, & aliis ad vitam necessariis. 2

Ar omnino dicendum est bonorum Ecclesiasticorum dominium verè esse apud Ecclesias, vel Monasteria, si illa sint dominij capacia. Et ratio est, quia quamuis hæc bona intuitu Christi à fidelibus Ecclesiis, vel Monasteriis sint collata, nihil obstat, quominus ea quæ prædictis Ecclesiis, veluti in dotem sponsæ Christi donata sunt, apud ipsas quoad verum dominium 3

nium resideant. Si vero Monasterium non sit dominij capax, tunc dominium esse apud Romanum Pontificem, detentionem vero, & vsum facti apud Monasterium, præsertim si sit ordinis Minorum, vt definitur *in cap. Exiit §. ad hæc.* Nam in aliis ordinibus etiam incapacibus non est inconueniens concedere remanere apud Monasterium verum, plenumque ius politicum, & ciuile administrandi. Molina *tom.* 1. *de iust. disputat.* 29. & 142.

QVÆSTIO XLVII.

Sed maius dubium est de illicitè acquisitis: An ea religiosus Monasterio vel ordini acquirat?

1 NAVARR. *com.* 2. *de Relig. n.* 4. negat. Alij vero vt Molin. *tom.* 1. *d.* 49 & Sot. *lib.* 4. *q.* 7. *ar.* 1. rectiùs affirmant. Ex quo inferunt Monialem ea quæ per fornicationem sacrilegam acquisiuit non minus teneri reddere Monasterio quam si labore manuum ea comparasset.

QVÆSTIO XLVIII.

An Religiosi habentes bona in communi sint capaces legati?

1 RESPONDEO eos esse capaces. Ratio est, quia qui possunt hæredes institui, sunt capaces legati. At hi Religiosi possunt hæredes institui, vt diximus: ergo sunt capaces legati. Et in hoc omnes conueniunt.

QVÆSTIO XLIX.

Sed dubium est, de fratribus Minoribus regularis obseruantiæ: An videlicet sint capaces legati?

ET quidem, si legatum sit rei mobilis, vt pecuniæ, vini olei, &c. certum est, eos esse talis legati capaces, modo illud sit moderatū, & non in fraudem paupertatis, vt Clemens V. *in Clem. exiuit de paradiso de verb. significat.* declarauit: quæ moderata quantitas ab ipsa præsenti, vel imminenti necessitate metietur, & à Ministris, & custodibus simul, & seorsum in suis administrationibus iudicabitur, ita vt semper eis sancta elucescat paupertas, vt etiam Nicolaus III. *cap. Exiit §. insuper*, ordinauit. 1

QVÆSTIO L.

Sed tota controuersia consistit, quando legatum est rei immobilis, vt prædij, vel annui census, an videlicet tale legatum fratribus Minoribus relictum sit validum?

AZOR. *lib.* 12. *cap.* 23. *q.* 11. affirmat id legatum esse irritum. 1

At omnino tenendum est absolutè id legatum valere. Et ratio est, quia verba simpliciter prolata intelliguntur in dubio iuxta conditionem personæ, ad quam referuntur. Cum ergo verba huius legati dirigantur ad fratres Minores, qui illius acquirendi sunt incapaces, nisi vt pretium eius venditæ recipiant, sic intelligenda 2

Iiii 3 erunt

erunt verba illius legati. Et ita tenet Roder. *to. 2. de reg. q.* 126. *ar.* 1. & colligitur *ex cap. Exiit §. ad hac, quia fratribus vers. si vero modum de verb. signif. in 6.* Non debent tamen fratres in alienatione horum bonorum interuenire, sed id per hæredes faciendum est, cum apud eos sit rei illius dominium. Nec in eorum alienatione requiritur ea solemnitas quæ est necessaria in alienatione aliorum bonorum monasterij, cum illa alienatio fiat ipsa lege iubente, & necessario ratione eorum status fieri debeat, vt rectè docent Nauar. *com. 2. de regul. n.* 50. & Roder. *tom. 2. de regul. q.* 78. *ar.* 3. Nec tenentur fratres Minores statim prædicta bona acquisita vendere, sed vt vtiliùs vendantur, possunt commodam opportunitatem expectare, vt optimè tradit Azor. *lib.* 12. *c.* 23. *q.* 11. & si emptor nullatenus inueniatur, tenentur ea ab se abiicere, cùm illa retinendi nullatenus sint capaces.

QVÆSTIO LI.

An si fratres Minores id legatum immoderatum accipiant, sint proprietarij?

1 IN qua re conuenit inter omnes, eos peccare mortaliter, contra iuris prohibitionem.

Sed dubium est: An sint proprietarij?

2 Corduba *in Reg. S. Franc. cap. 6. q.* 11. *p.* 1. negat.

3 At tenendum est eos esse proprietarios. Et ratio est, quia cum dominium omnium bonorum ad Minores pertinentium sit apud Pontificem, solo facti vsu ipsis relicto ex eius licentia, quam in hoc casu denegat, ipsi acceptando tale legatum vsurpant illius vsum contra voluntatem veri domini, & legitimi superioris: ergo sunt proprietarij.

QVÆSTIO LII.

Cuinam acquirat religiosus Episcopus creatus?

RESPONDEO eum acquirere suæ Ecclesiæ, cui præest, non autem Monasterio. Et ratio est, quia est à religione, & ab obedientia Prælatorum solutus, & liber. Ita enim definitur *in cap. Vnico statutum* 18. *q.* 1. & docet D. Tho. 2. 2. *q.* 188. *ar.* 8. *ad* 3. & Sot. *lib.* 10. *q. vlt. ar. vltimo.* Quod est verissimum etsi iure hæreditario ea bona post Episcopatum acquisita sint, quod satis apertis verbis indicat textus *dicti cap. Vnici.* & ita Molina *tom.* 1. *de iust. disp.* 140. & Roder. *to.* 2. *de regul. q.* 58. *ar.* 7. Atque idem dicendum est de acquisitis donatione, propria industria, aut labore, vt rectè Less. *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 11. Azor. *lib.* 12. *c.* 10. *q.* 6. & Conar. *cap.* 1. *n.* 19. *de testamentis.* Quod quidem procedit licet religiosus ille ad Episcopatum promotus sit ex familia fratrum Minorum; quia is creatus Episcopus ius succedendi parentibus, & agnatis, administrandique bona vndecunque acquisita dum vixerit, recuperat. Quare ipsi mortuo succedit sua Ecclesia, sicut de aliis Episcopis religiosis diximus. Azor. *lib.* 12. *cap.* 10. *q.* 6. *& cap.* 15. *q.* 3. & Molina *tom.* 1. *disp.* 140. 1

Idem quod diximus de religioso facto Episcopo, dicendum est de religioso facto Cardinali, is enim suæ Ecclesiæ acquirit, quia Cardinalis dicitur administrationem Ecclesiæ habere, & est omnino à monasterij obedientia solutus. 2

QVÆ

QVÆSTIO LIII.

Cuinam acquirat religiosus factus Episcopus titularis, qui sedem, & Ecclesiam non habet?

1 MAGISTER Sotus *lib. 10. de iust. q. vlt ar. vlt.* & Roder. *tom. 3. q. 69. ar. 4.* testantur eum acquirere suo Monasterio, vel ordini: ducuntur, quòd nullam sedem habeat. Eandem sententiam sequitur Emman. Sà *verb. religio n. 52.*

2 Mihi vero probabilius videtur, hunc acquirere Romano Pontifici: moueor autem ex eo, quòd à religione est solutus, & liber. Et ideo ita tenet Azor. *lib. 12. cap. 10. q. 7.*

QVÆSTIO LIV.

A quo tempore religiosus creatus Episcopus desinat acquirere monasterio, incipiatque Ecclesiæ acquirere?

1 RESPONDEO à tempore confirmationis Pontificiæ, quia ex tunc est verus Episcopus, à iurisdictione monasterij penitus exemptus, solique Romano Pontifici subest. Ita Roder. *p. 2. cap. 72. n. 6.*

QVÆSTIO LV.

Vtrum omnia quæ religiosus beneficiarius extra monasterium, vel ordinem quouis modo acquirit, beneficio, an vero monasterio acquirat?

1 RESPONDEO eum non ordini, aut monasterio, sed beneficio acquirere. Et ratio est, quia est ab ordine suo exemptus. Quod arbitror esse verum, non solum quod religiosus beneficiatus ex redditibus Ecclesiasticis, sed etiam ex industria, arte, labore, vel opera sua, vel hæreditate, successione, vel donatione acquirit. Quia vt diximus non est sub obedientia ordinis, vt habetur ex dicto *cap. Statutum* 18. *q. 1.* & tradit rectè Nauar. *lib. 3. cons. in 1. edit. tit. de donation. cons. 6. n. 1. in 2. lib. 2. tit. de præsump. cons. 2. n. 1.* Roder. *tom. 2. de reg. q. 47. ar. 7.* Azor. *lib. 12. cap. 10. q. 6.* & Emman. Sà *verb. religio n. 64.*

Ex quo optimè infert idem Nauar. *loco citato n. 10. & 11.* posse religiosum beneficiarium de fructibus beneficij ad honestam sui sustentationem, & ad pias causas, non aliter ac sæcularis potest de fructibus beneficij sui, vt colligitur apertè *ex Clem. 2. §. sed & talis, de vita, & honestate clericorum.* 2

QVÆSTIO LVI.

Cui acquirat religiosus, qui Romani Pontificis priuilegio, extra monasterium viuit ex certa pensione in singulos annos sibi assignata?

AD hoc dico primò, quod religiosus qui Romani Pontificis priuilegio per totam vitam extra monasterium viuit, censetur eo ipso habere facultatem administrandi bona, quæ sua industria acquisierit, & de illis disponendi non solum ad se honestè, & commodè sustentandum, verum etiam ad vsus alios honestos, & bonos, quos ipse voluerit. Ita Nauarr. *cap. Non dicatis n. 72. & 73.* & Molin. *tom. 1. d. 140.* 1

Secun

2 Secundò dico, quod religiosus, qui summi Pontificis licentia in perpetuum extra claustrum viuit ex certa pensione in singulos annos sibi collata, potest eo ipso disponere de eius fructibus in suum commodum, & sustentationem, aliosue vsus honestos, quos ipse voluerit: post eius vero mortem, bona eius spectant ad Romanum Pontificem. Nec tantum ea bona quæ ex pensione sibi assignata acquirit, ad Romani Pontificis dominium spectant, sed etiam cætera omnia, quæ hæreditate, successione, donatione, arte, industria, labore, siue alio modo acquisierit ad summi Pontificis dominium deoluuntur, vsus vero & administratio ad ipsum religiosum, non autem ad monasterium spectat. Et ratio est, quia cùm hic nullam habeat communicationem cum monasterio, nihil ei acquirit. Ita Nauar. *com. 4. de regular. nu.* 68. Azor. *lib.* 12. *cap.* 10. *qu.* 7. & Less. *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 11. Immò hodie indistinctè succedit in huiusmodi bona post obitum illius religiosi camera Apostolica, siue ex testamento, siue ab intestato, siue occasione beneficij, aut alia quacunque via acquisierit, nisi habuerit facultatem testandi, & de illis sit testatus, vt statuit Greg. 13. *in quodam motu proprio incipiente, Officij nostri.* Sed loquitur quando extra monasterium decedit, & ita explicat Azor. *to.* 2. *lib.* 8. *cap.* 5. *qu.* 15.

3 Tertiò, & vltimò dico, quod religiosus qui ex legitima Pontificis, aut superioris licentia, non in perpetuum sed ad tempus non habens beneficium, aut pensionem vllam extra claustrum viuit, quidquid acquirit, suo monasterio, vel ordini acquirit. Et ratio est, quia hic non est adhuc ab obedientia sui ordinis exemptus. Ita Molina *tom.* 1. *de iust. disp.* 140. qui addit, hoc esse verum, etiamsi religiosus ille simul habeat facultatē conuertendi in suos vsus, aut in alios pios, ea quæ sua industria acquisierit, *Nam* (inquit) *quæ post mortem remanserint, cedunt monasterio, nisi facultatem habuerit à Papa de eis testandi, aut aliter disponendi, & reipsa iuxta eam disposuerit.*

QVÆSTIO LVII.

An si religiosus ad monasterium eiusdem, aut alterius religionis transeat, bona primo monasterio acquisita, ad secundum monasterium transferantur?

ET quidem, si religiosus temerè, & sine legitima licentia Prælati ad aliud monasterium transeat, certum est bona primo monasterio acquisita non transire ad secundum. Et ratio est, quia huiusmodi transitus debet fieri media professione, hæc autem cum sit ipso iure nulla, secundum monasterium nihil potest acquirere. 1

QVÆSTIO LVIII.

Sed dubium est, quando religiosus iusta de causa, & cum licentia Prælati ad aliud monasterium transit?

COMMVNIS opinio Canonistarum tenet, huiusmodi bona debere ad secundum monasterium pertinere, eo quod bona videntur acquisita primo monasterio in consequentiam personæ, & sub quadam conditione, donec in eo erit religiosus, 2

ergo

ergo transeunte persona, transire debent bona.

Tum quia cum posterioris monasterij sit, religiosum hunc alere, consonum rationi est, vt sicut onera sentit, sentiat quoque commodum acquisitionis illorum bonorum.

2 At vero Syluest. *verb. religio 4.qu. 10.*& Molina *tom.1. de iust. disp.*140. rectiùs docent acquisita ante professionem quantum ad proprietatem remancre penes primum monasterium; quæ verò post professionem acquiruntur, pertinere ad secundum, vt apertè colligitur *ex cap. Statutum 18. quæst.1.*

QVÆSTIO LIX.

Sed maius dubium est de vsufructu huiusmodi bonorum.

1 SED respondeo, si translatio facta fuit temerè, & absque authoritate Prælati, tunc vsusfructus remanebit apud primum monasterium: si vero fuit iuridica, erit monasterij, in quo emisit secundam professionem.

2 Hinc, si Monialis àd aliud monasterium transeat, non potest petere dotem, sed solum alimenta, quibus eget, cum iam hæc bona sint acquisita primo monasterio. Ita Roder. *par.2. cap.31.n.17.* Less. *lib.2 cap.41.dub.11.*& Couat. *cap.1.de test.iuxta finem.*

3 Hinc, si religiosus ad aliud monasterium transeat, vt ibi reclusus dignam pœnitentiam agat, tantum fructus transeunt ad secundum monasterium pro alimentis, transacto vero tempore pœnitentiæ, consolidantur cum proprietate, & pertinent ad primum monasterium.

QVÆSTIO LX.

Quot modis votum paupertatis à religiosis tum superioribus, tum inferioribus violetur?

VT in hac quæstione adeo graui, & quæ quotidie habetur præ manibus explicanda recto ordine procedamus, dicam prius, quæ certa sunt apud omnes, dicturus postea ea, in quibus est controuersia apud Doctores. Hunc enim modum procedendi semper existimaui conuenientissimum, & explicandis difficultatibus maximè moralibus, tot doctissimorum virorum sententiis inuolutis aptissimum, & clarissimum. 1

Dico igitur primò, quod religiosus, qui quærit, vel habet, vel quærere, vel habere vult aliquod bonum pecuniarium tanquam proprium, peccat mortaliter contra votum paupertatis. Ratio est, quia religiosus per solemnem professionem non solum spoliauit se omni dominio, sed etiam se fecit incapacem ad quærendum, & habendum tale dominium, & ius rerum temporalium, vt habetur *in cap. Cum ad monasterium de statu monach.* & in Conc. Trid. *sess.25.cap.2.& 3.* & tradit eleganter Nauar. *comm.1. de regularib.nu.19.* 2

Hinc, religiosi tam simplices, quam beneficiati, & habentes officia, ratione quorum habent facultatem emendi oues, & boues, libros, aut vestes, magnoperè cauere debent, ne emant illa intendentes quærere illa sibi, quia hoc est peccatum mortale contra votum paupertatis: debent ergo eiusmodi religiosi, cum emunt illa, non sibi, sed beneficio, vel monasterio, ad vsum eius, vel suum, de 3

est, quia illius dicitur esse filius. Addunt Tab.& Armil. nisi per Superiorem Generalem eum consensu eorum, ad quos pertinet, transferatur filiario in aliud monasterium.

QVÆST. XLIII.

Sed dubium est de ordinibus Mendicantibus, & in similibus aliis, in quibus multa monasteria in vna Prouincia subiiciuntur Prouinciali, & omnia, religionis Generali.

1 ET in hoc casu existimo religiosũ potius acquirere vniuerso ordini, quam illi monasterio, in quo emisit professionem, licet bona eidem monasterio regulariter applicentur. Ratio est, quia in his ordinibus non sunt similes filiationes, ac in ordinibus monachalibus, ac proinde cum emittit professionem, non profitetur se esse filium illius monasterij; sed totius ordinis.

2 Et confirmatur, quia eum post emissam professionem huiusmodi religiosi indiscriminatim mittantur à Superioribus ad diuersa monasteria ordinis, consentaneum rationi videtur, vt illorum bona priori monasterio applicata possint etiam indiscriminatim à Generali totius ordinis, distribui, attenta indigentia aliorum monasteriorum.

Dices, religiosus est incapax dominij, ergo nihil potest acquirere.

3 Respondeo religiosum non habere ius, vt in suum commodum succedat, aut sibi aliquid acquirat, hoc enim totum in monasterium translatum est: retinere tamen ius succedendi in commodum, & vtilitatem monasterij, vel ordinis, vt illi acquirat. Ex quo fit, vt monasterium possit adire, vel repudiare talem hæreditatem, vel donationem etiam ignorante, vel inuito religioso.

QVÆSTIO XLIV.

Sed totum controuersiæ dissidium consistit de Religiosis Franciscanæ familiæ, qui vulgo Obseruantes, vel Capucini vocantur, qui nec priuatim, nec in communi tanquam proprium quicquam possidere possunt: Cuinam acquirant ea quæ donatione, aut eleemosynis acquirunt?

NAVAR. *comment. 2. de Regul. nu. 3.* putat eos quantum ad proprietatem, & dominium bonorum, quæ possident primò, & principaliter acquirere Deo, & Domino nostro Iesu Christo: Secundariò vero quantum ad ius administrandi supremum, & generale Papæ, & ecclesiæ Romanę, atque etiam quantum ad speciale, quia præfati fratres per suam Regulam sunt incapaces non solum proprij, verùm etiam cuiuscunque iuris administrandi: quantum verò ad solam detentionem, & vsum non iuris, sed facti acquirere suis Monasteriis. 1

2 Ioan. Azor. *libr. 12. c. 24. q. 5.* censet omnium rerum, quæ in numero, pondere, & mensura consistunt, & vsu ipso consumuntur, dominium esse penes eos, qui eas donant, donec eas ipsi Franciscani consumpserint, donando, vendendo, vel permutando: aliarum vero rerum dominium eos acquirere Romano Pontifici.

Alij vero dicunt dominium pecuniarum, quæ Franciscanis in eleemosynas dantur, remanere apud dantem, aliarum vero omnium siue vnico, siue pluribus actibus cõsumptibilium, 3

&

& aliorum omnium, vt domorum, & ecclesiarum quas Franciscani habent, dominium acquirere Romano Pontifici.

4 Sed quidquid sit de istis opinionibus, quæ locum habebant attento iure communi. At nunc iure nouo Martini V. & Pauli III. eos quantum ad vsum, & commodum pecuniæ, & omnium aliarum rerum, quæ ipsis conceduntur, acquirere Monasterio, vel Ordini quantum verò ad proprietatem, & dominium sedi Apostolicæ. Et ideo ita tenet Roder. *to. 2. de regul. qu. 125. art. 6.*

Nec obstat Ioannem XXII. *in suo motu proprio qui incipit Ad conditorem*, abdicasse à se, & à sede Apostolica dominium bonorum, quæ fratribus Minoribus conceduntur. Quia postea Alexander sextus, & alij Pontifices idem dominium susceperunt, *vt habetur in compendio priuilegiorum fratrum Minorum verbo paupertas.*

QVÆSTIO XLV.

An in rebus vsu consumptibilibus possit vsus à dominio distingui, ita vt vsus sit penes vnum, & dominium penes alterum?

1 VT autem ea omnia, quæ Authores in hac quæstione maximè scitu necessaria tradunt, manifesta fiant, animaduertendum est primò, quod res quarum potest haberi dominiũ, sunt in triplici differentia. Quædam enim sunt, quæ vsu non consumuntur, vt domus, ager, prædium, & id genus alia, quorum fructibus vtimur ipsis rebus manentibus. Aliæ in altero extremo positæ, quæ vnico actu consumuntur, vt pecunia, panis, vinum, & similia. Aliæ verò sunt, tanquam mediæ inter has, quæ etsi vsu paulatim atterantur, non tamen vnico actu attritæ pereũt, vt vestis, liber &c.

Secundò est aduertendum, quod in his rebus, quæ vsu consumuntur, potest duplex reperiri vsus, proprius, & aduentitius, siue extraneus, vt in vino proprius vsus ipsius est illud bibere: aduentitius vero, & quasi extraneus est illud odorari. Similiter in pecunia, proprius ipsius vsus est, vt sit pretium rerum, quod vero quis illa vtatur ad ostentationẽ, aduentitius, & quasi extraneus, vel accidentarius est. 2

Tertiò est aduertendum, quod vsus rerum vsu consumptibilium duplex est, scilicet vsus facti, & vsus iuris. vsus facti est vsus in actu, qui est ipsa actualis rei consumptio. Vsus verò Iuris est vsus in habitu, seu Ius vtendi huiusmodi rebus. Et hoc rursus potest esse duplex, scilicet absolutum, & limitatum, seu dependens ab alio. Vsus Iuris absolutus, idest independens, est libera, & plena facultas habitualis vtẽdi re sine dependentia ab alio, etiam consumendo illam, atque adeò quocunque modo ei placuerit. Vsus vero Iuris limitatus, seu dependens est facultas, seu concessio veniæ vtendi his rebus cum dependentia ab alio apud quem propriè residet dominium.

Quartò est etiam aduertendum quod quando quærimus, an in rebus vsu consumptibilibus vsus, & dominium distinguantur, non est sermo, an ista distinguantur in genere entis, cum certum sit secundum regulas logicales hoc modo distingui, & constet dominium panis, & vini esse relationem, vsum autem esse actionem, qua istis vescimur. Sed quæstio est de distinctione in genere moris. An videlicet in his rebus quæ vnico actu consumuntur, quando vsus eorum est primarius, & ad quem suapte natura destinatæ sunt qui est earum consumptio, possit vsus, idest illarum rerum 4

consumptio,& dominium separari,ita vt reperiantur in diuersis subiectis?

In qua quæstione,quæ videtur fuisse controuersa non solum inter DD. Theologos, & Iurisprudentes, sed etiam inter Romanos Pontifices,citra definitionem tamen fidei, variæ sunt Doctorum opiniones.

4 Sotus *lib.4.de iust.qu.1. art.1.* Nauarr.*comm.1.de Regul.n.13.& comm.2. nu.2.*Less.*lib.2.cap.3.dub.8.* Roder.*to.3.de Regul qu.29. art.4.* Salon.*de iust. tractat.de dominio qu.1.art.1.*Bañ.*2.2. qu.62.art.1.* Molina *tom.1.de iust. d.6.* Bellarm. *tom.1.controuer.lib.4.de summis Pontif.cap.14.* Azor.*lib.12.cap.vlt. q.12.*Valent.*2.2.d.5.q.10 p.1.*Rebell. *de iust.1.p.lib.1.qu.7.sect. 4. num.3*;.& plerique alij tenent in rebus vsu consumptibilibus distingui vsum à dominio,& sic concludunt,posse vsum esse penes vnum, dominium autem penes alterum. Et hanc sententiam amplectuntur fratres Minores,qui absolutè dicunt se nec in communi,nec in particulari alicuius rei dominium habere, sed solum dicunt se meros esse vsuarios earum rerum, quæ in eleemosynam ipsis traduntur:Dominium verò panis,& vini, & aliorum vtensilium,manere astruunt apud summum Pontificem, ipsosque illis vti, vt bonis Papæ, perinde est, ac si quotidie Papa illos inuitaret.Pecuniarum vero, & quarundam similium rerum dominium esse dicunt apud illos, qui eas dederunt, interim dum res illæ non cosumuntur,aut alienantur,ipsis duntaxat relicto libero vsu earum rerum, etiam ad consumptionem, & alienationem, dependente tamen à libera voluntate eorum apud quos remanet propriè dominium, ita videlicet vt nulla eis iniuria fieret, si domini eas de eorum manibus eriperent. In cuius probationem adducunt duo Decreta,vnum Nicolai III. *in cap.Exijt, qui seminat.* Alterum verò Clementis V. in Clement. *Exiuit de paradiso*, in quibus hoc idem definitur.

5 Huic etiam sententiæ fauet mirabiliter §.*minus Instit. de vsu,& habitatione*,vbi dicitur,quod potest quis habere vsum olerum horti,& florum pomarij, non tamen dominium, vt possit ea vendere, aut alienare, ergo in his rebus vsus,& dominium distinguuntur.

6 At verò Ioannes XXII. post Nicolaum III. *in extrauag. ad conditorem*, oppositum determinauit. Vbi primò probat multis argumentis in rebus vsu consumptibilibus non distingui vsum à dominio, sed cui confertur vnum,conceditur vtrumque.

Secundò dicit fratres S. Francisci habere vsum simul,& dominium panis,vini,& aliorum comestibilium.

7 Tertiò dicit esse figmentum chimericum,& verbale, affirmare dominium eorum, quæ vsu consumuntur residere apud Romanum Pontificem, & Papam singulis diebus parare illis mensam.

Quartò dicit, nihil perfectionis accrescere Minoritis, ex eo quod dicantur habere nudum vsum ciborum, & potabilium, & licet in communi sint pauperiores aliis Religiosis, quia alij possunt habere bona stabilia, vel quasi stabilia, vt redditus perpetuos, ipsi verò minimè, quoad ea verò,quæ vsu consumuntur,non esse pauperiores aliis Mendicantibus, cum reuera eodem modo vtantur huiusmodi rebus,sicut,& alij Religiosi, qui dicuntur habere dominium.

Quintò, & vltimò dicit, hoc figmentum esse iniuriosum ipsi Romanæ Ecclesiæ, & simplicitati religionis christianæ,astruere eleemosynas,quas fideles Minoritis elargiuntur,conferri ipsis tantum quoad vsum dominium autem summo Pontifici. Vnde

subiun-

ſubiungit : Si tale dominium penes nos eſt, quod falſum eſſe exiſtimo, illi omnino renunciamus. Vnde *in extrauag. Quia quorundam ibi de eadem re loquitur* ait: *Quod ſi quis contra id definire auſus fuerit, tanquam contumax Romanæ Eccleſiæ habeatur.*

8 Hanc opinionem ſequuti ſunt D. Thom. 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. & Caiet. *ibid.* D. Anton. *p.* 4. *tit.* 12. *cap.* 4. §. 10. Turrecremata *lib.* 2. *ſummæ de Eccleſ. cap.* 112. Syluestr. *verbo dominium queſt.* 2. Arag. 2. 2. *queſt.* 62. *art.* 1. & multi alij. Fundamentum præcipuum huius ſententiæ eſt, quia in his rebus, quæ vſu conſumuntur, non videtur poſſe diſtingui vſus à dominio. Qui enim facultatem concedit alicui eas res conſumendi, nullius vſus ius, vel poteſtatem aut ſibi aut alteri relinquit, ratione cuius intelligi poſſit retinere aliquod dominium eiuſmodi rerum.

9 Deinde vſus, qui diſtinguitur à dominio, eſt ius vtendi re aliena, ſalua eius ſubſtantia: ſed impoſſibile eſt, quod aliquis vtatur rebus vſu conſumptibilibus, aut aliquam inde vtilitatem capiat ex eis, ſaluā earum ſubſtantia, ergo in huiuſmodi, vſus non diſtinguitur à dominio.

10 Tandem probatur, nam quando vſus diſtinguitur à dominio, poteſt alteri vendi, retento apud ſe dominio: quemadmodum qui loeat domum, equum, & ea quæ vſu non conſumuntur, quia in iſtis diſtinguuntur vſus, & dominium, poteſt retinere ſibi dominium, & vendere alteri vſum: at hoc in his rebus, quæ vſu conſumuntur, vt in pecunia, frumento, pane, vino, & ſimilibus eſt manifeſta vſura, vt rectè docet D. Tho. *communiter receptus* 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. ergo in iſtis vſus, & dominium non diſtinguuntur.

11 Quibus ita cōſtitutis, vt in hac controuerſia de veritate harum opinionum proferam, quod ſentio: Dico primo, quod in rebus, quæ vſu non conſumuntur, vt domus, ager, prædium, & ſimilia, quorum vſus non eſt eorum conſumptio, vſus, & dominium diſtinguuntur. Probatur: Nam vſus domus locatæ poteſt eſſe apud Titium, dominium verò apud Caium. Et idem dicendum eſt de his rebus, quæ etſi vſu paulatim conſumantur, non tamen vnico actu attritæ pereunt, vt de veſte, libro & his ſimilibus, in quibus poteſt vtcunque diſtingui vſus à dominio, ſicut in aliis rebus ſtabilibus.

Secundò dico, quod vſus rerum, 12 quæ vſu proprio conſumptibiles ſunt, at vero vſu extraneo non conſumuntur, conſtat etiam, quod diſtinguitur à dominio. Probatur: Nam oſtentatio eſt vſus extraneus panis, & vini, quæ vſu proprio ſunt conſumptibilia, & tamen oſtentatione non conſumuntur, ergo huiuſmodi vſus à dominio diſtinguitur.

Tertio dico, quod vſus iuris, qui 13 dicitur vſus in habitu, ſeu ius vtendi re aliqua conſumptibili, ita vt illud ius ſit abſolutum, ideſt independens ab alterius voluntate, & de ſe ad omnem vſum talis rei ſe extendens non diſtinguitur nec diſtingui poteſt à dominio. Et ratio eſt quia qui habet talem rei vſum independentem, habet reuera rei dominium, ergo.

Quartò dico quod vſus proprius 14 in habitu, qui dicitur vſus iuris, limitatus tamen, & dependens à voluntate alterius, apud quem eſt libera facultas reuocandi rem antequàm actu res conſumatur, diſtinguitur à dominio. Et ratio huius eſt, quia talis dependentia repugnat rationi dominij conſiſtentis nimirum in vtendi facultate independente à voluntate alterius.

Quintò, & vltimò dico quod vſus 15

 facti,

facti, seu vsus in actu qui est ipsa actualis rei consumptio, distinguitur à dominio. Probatur: Nam dominium est quasi in habitu, vel actu primo, hic verò vsus facti est ipsa actualis actio, & vsus: ergo.

16 Ex quo sequitur primò Minoritas nec in communi, nec in particulari habere dominium eorum quibus vtuntur, sed habere vsum iuris dependenter, & vsum facti, dominium autem istarum rerum manere apud Romanum Pontificem.

17 Nec obstat verbum Ioannis XXII. dicentis se abdicasse tali dominio.

Primò, quia id non fecit legitimè, & vt notat Sotus nec iustè, sed certè in odium forsan Occham, & aliorum sui ordinis, qui fuerunt ei infestissimi.

Deinde, quia suam renunciationem successores eius minimè approbarunt, sed exemplo suorum antecessorum idem retinuerunt, & retinent dominium.

18 Secundò sequitur nullum religiosum cuiusuis ordinis posse ex his, quę sibi ad suos vsus honestos conceduntur aliquid vendere, aut alienare absque explicita, vel implicita licentia sui Prælati.

19 Ad fundamentum vero contrariæ opinionis Respondeo concedendo Nicolaum III. & Clemen. V. fuisse contrariæ sententiæ. Ex hoc tamen non sequitur nostram opinionem esse falsam quia illam tenet Ioan. XXII. Et ex his quæ non pertinent ad fidem & ad bonos mores nullum est incommodum quod dicamus summum Pontificem errare, sicut illud affirmat idem Ioan. XXII. de Nicolao & Clemente, maximè quia in hoc summi Pontifices, vt priuati Doctores se habuerunt.

* * *

QVÆSTIO XLVI.

An quidquid Religiosus acquirit, Monasterio vel ordini acquirat, quoad ius proprium, & verum dominium, si aliàs sit capax dominij?

NAVAR. *in cap. Cui portio n. 31. & com. 2. de Regul. n. 3.* tenet generale omnium rerum dominium non acquiri Monasterio, vel ordini, sed soli Deo, & Domino nostro Iesu Christo, ius autem supremum, & generale eadem administrandi Romano Pontifici, & Ecclesiæ vniuersali: particulare verò illi ordini, & Monasterio, cuius ipse est filius, si sit capax iuris administrandi, alioquin etiam speciale acquirit summo Pontifici, & solus vsus facti remanet penes illum ordinem & Monasterium, cui acquireret ius particulare administrandi, si illius esset capax. Idemque censet de aliis Ecclesiasticis bonis. 1

Ex quo inferr nullum Monasteriorum habere supra bonis suis quæ possident Religiosi Ius proprium, & verum dominium sed solummodo Ius administrandi in vtilitatem suam, & aliorum Religiosorum, & hi quidem solummodo habent simplicem vsum facti in vestibus, & aliis ad vitam necessariis. 2

At omnino dicendum est bonorum Ecclesiasticorum dominium verè esse apud Ecclesias, vel Monasteria, si illa sint dominij capacia. Et ratio est, quia quamuis hæc bona intuitu Christi à fidelibus Ecclesiis, vel Monasteriis sint collata, nihil obstat, quominus ea quæ prædictis Ecclesiis, veluti in dotem sponsæ Christi donata sunt, apud ipsas quoad verum dominium 3

nium resideant. Si vero Monasterium non sit dominij capax, tunc dominium esse apud Romanum Pontificem, detentionem vero, & vsum facti apud Monasterium, præsertim si sit ordinis Minorum, vt definitur *in cap. Exiit §. ad hac.* Nam in aliis ordinibus etiam incapacibus non est inconueniens concedere remanere apud Monasterium verum, plenumque ius politicum, & ciuile administrandi. Molina *tom. 1. de iust. disputat. 29. &* 142.

QVÆSTIO XLVII.

Sed maius dubium est de illicitè acquisitis: An ea religiosus Monasterio vel ordini acquirat?

1 NAVARR. *com. 2. de Relig. n.* 4. negat. Alij vero vt Molin. *tom. 1. d.* 49 & Sot. *lib. 4. q. 7. ar. 1.* rectiùs affirmant. Ex quo inferunt Monialem ea quæ per fornicarionem sacrilegam acquisiuit non minus teneri reddere Monasterio quam si labore manuum ea comparasset.

QVÆSTIO XLVIII.

An Religiosi habentes bona in communi sint capaces legati?

1 RESPONDEO eos esse capaces. Ratio est, quia qui possunt hæredes institui, sunt capaces legati. At hi Religiosi possunt hæredes institui, vt diximus: ergo sunt capaces legati. Et in hoc omnes conueniunt.

QVÆSTIO XLIX.

Sed dubium est, de fratribus Minoribus regularis obseruantiæ: An videlicet sint capaces legati?

ET quidem, si legatum sit rei mobilis, vt pecuniæ, vini olei, &c. certum est, eos esse talis legati capaces, modo illud sit moderatū, & non in fraudem paupertatis, vt Clemens V. *in Clem. exiui de paradiso de verb. significat.* declarauit: quæ moderata quantitas ab ipsa præsenti, vel imminenti necessitate metietur, & à Ministris, & custodibus simul, & seorsum in suis administrationibus iudicabitur, ita vt semper eis sancta elucescat paupertas, vt etiam Nicolaus III. *cap. Exiit §. insuper*, ordinauit. 1

QVÆSTIO L.

Sed tota controuersia consistit, quando legatum est rei immobilis, vt prædij, vel annui census, an videlicet tale legatum fratribus Minoribus relictum sit validum?

AZOR. *lib. 12. cap. 23. q. 11.* affirmat id legatum esse irritum. 1

At omnino tenendum est absolutè id legatum valere. Et ratio est, quia verba simpliciter prolata intelliguntur in dubio iuxta conditionem personæ, ad quam referuntur. Cum ergo verba huius legati diriguntur ad fratres Minores, qui illius acquirendi sunt incapaces, nisi vt pretium eius venditæ recipiant, sic intelligenda 2

erunt verba illius legati. Et ita tenet Roder. *to. 2. de reg. q. 126. ar. 1.* & colligitur *ex cap. Exiit §. ad hac, quia fratribus vers. si vero modum de verb. signif. in 6.* Non debent tamen fratres in alienatione horum bonorum interuenire, sed id per hæredes faciendum est, cum apud eos sit rei illius dominium. Nec in eorum alienatione requiritur ea solemnitas quæ est necessaria in alienatione aliorum bonorum monasterij, cum illa alienatio fiat ipsa lege iubente, & necessario ratione eorum status fieri debeat, vt rectè docent Nauar. *com. 2. de regul. n. 50.* & Roder. *tom. 2. de regul. q. 78. ar. 3.* Nec tenentur fratres Minores statim prædicta bona acquisita vendere, sed vt vtiliùs vendantur, possunt commodam opportunitatem expectare, vt optimè tradit Azor. *lib. 12. c. 23. q. 11.* & si emptor nullatenus inueniatur, tenentur ea ab se abiicere, cùm illa retinendi nullatenus sint capaces.

QVÆSTIO LI.

An si fratres Minores id legatum immoderatum accipiant, sint proprietarij?

1 IN qua re conuenit inter omnes, eos peccare mortaliter, contra iuris prohibitionem.

Sed dubium est: An sint proprietarij?

2 Corduba *in Reg. S. Franc. cap. 6. q. 11. p. 1.* negat.

3 At tenendum est eos esse proprietarios. Et ratio est, quia cum dominium omnium bonorum ad Minores pertinentium sit apud Pontificem, solo facti vsu ipsis relicto ex eius licentia, quam in hoc casu denegat, ipsi acceptando tale legatum vsurpant illius vsum contra voluntatem veri domini, & legitimi superioris: ergo sunt proprietarij.

QVÆSTIO LII.

Cuinam acquirat religiosus Episcopus creatus?

RESPONDEO eum acquirere suæ Ecclesiæ, cui præest, non autem Monasterio. Et ratio est, quia est à religione, & ab obedientia Prælatorum solutus, & liber. Ita enim definitur *in cap. Vnico statutum 18. q. 1.* & docet D. Tho. *2. 2. q. 188. ar. 8. ad 3.* & Sot. *lib. 10. q. vlt. ar. vltimo.* Quod est verissimum etsi iure hæreditario ea bona post Episcopatum acquisita sint, quod satis aperris verbis indicat textus *dicti cap. Vnici.* & ita Molina *tom. 1. de iust. disp. 140.* & Roder. *to. 2. de regul. q. 58. ar. 7.* Atque idem dicendum est de acquisitis donatione, propria industria, aut labore, vt rectè Less. *lib. 2. cap. 41. dub. 11.* Azor. *lib. 12. c. 10. q. 6.* & Conar. *cap. 1. n. 19. de testamentis.* Quod quidem procedit licet religiosus ille ad Episcopatum promotus sit ex familia fratrum Minorum; quia is creatus Episcopus ius succedendi parentibus, & agnatis, administrandique bona vndecunque acquisita dum vixerit, recuperat. Quare ipsi mortuo succedit sua Ecclesia, sicut de aliis Episcopis religiosis diximus. Azor. *lib. 12. cap. 10. q. 6. & cap. 15. q. 3.* & Molina *tom. 1. disp. 140.* 1

Idem quod diximus de religioso facto Episcopo, dicendum est de religioso facto Cardinali, is enim suæ Ecclesiæ acquirit, quia Cardinalis dicitur administrationem Ecclesiæ habere, & est omnino à monasterij obedientia solutus. 2

QVÆ

QVÆSTIO LIII.

Cuinam acquirat religiosus factus Episcopus titularis, qui sedem, & Ecclesiam non habet?

1 MAGISTER Sotus *lib.* 10. *de iust. q. vlt. ar. vlt.* & Roder. *tom.* 3. *q.* 69 *ar.* 4. testantur eum acquirere suo Monasterio, vel ordini: ducuntur, quòd nullam sedem habeat. Eandem sententiam sequitur Emman. Sà *verb. religio n.* 52.

2 Mihi vero probabilius videtur, hunc acquirere Romano Pontifici: moueor autem ex eo, quòd à religione est solutus, & liber. Et ideo ita tenet Azor. *lib.* 12. *cap.* 10. *q.* 7.

QVÆSTIO LIV.

A quo tempore religiosus creatus Episcopus desinat acquirere monasterio, incipiatque Ecclesiæ acquirere?

1 RESPONDEO à tempore confirmationis Pontificiæ, quia ex tunc est verus Episcopus, à iurisdictione monasterij penitus exemptus, solique Romano Pontifici subest. Ita Roder. *p.* 2. *cap.* 72. *n.* 6.

QVÆSTIO LV.

Vtrum omnia quæ religiosus beneficiarius extra monasterium, vel ordinem quouis modo acquirit, beneficio, an vero monasterio acquirat?

1 RESPONDEO eum non ordini, aut monasterio, sed beneficio acquirere. Et ratio est, quia est ab ordine suo exemptus. Quod arbitror esse verum, non solum quod religiosus beneficiatus ex redditibus Ecclesiasticis, sed etiam ex industria, arte, labore, vel opera sua, vel hæreditate, successione, vel donatione acquirit. Quia vt diximus non est sub obedientia ordinis, vt habetur ex dicto *cap. Statutum* 18. *q.* 1. & tradit rectè Nauar. *lib.* 3. *consi. in* 1. *edit. tit. de donation. cons.* 6. *n.* 1. *in* 2. *lib.* 2. *tit. de præsump. conf.* 1. *n.* 1. Roder. *tom.* 2. *de reg. q.* 47. *ar.* 7. Azor. *lib.* 12. *cap.* 10. *q.* 6. & Emman. Sà *verb. religio n.* 64.

Ex quo optimè infert idem Nauar. *loco citato n.* 10. & 11. posse religiosum beneficiarium de fructibus beneficij ad honestam sui sustentationem, & ad pias causas, non aliter ac sæcularis potest de fructibus beneficij sui, vt colligitur apertè *ex Clem.* 2. §. *sed & talis, de vita, & honestate clericorum.* 2

QVÆSTIO LVI.

Cui acquirat religiosus, qui Romani Pontificis priuilegio, extra monasterium viuit ex certa pensione in singulos annos sibi assignata?

AD hoc dico primò, quod religiosus qui Romani Pontificis priuilegio per totam vitam extra monasterium viuit, censetur eo ipso habere facultatem administrandi bona, quæ sua industria acquisierit, & de illis disponendi non solum ad se honestè, & commodè sustentandum, verum etiam ad vsus alios honestos, & bonos, quos ipse voluerit. Ita Nauarr. *cap. Non dicatis n.* 72. & 73. & Molin. *tom.* 1. *d.* 140. 1

Secun

2 Secundò dico, quod religiosus, qui summi Pontificis licentia in perpetuum extra claustrum viuit ex certa pensione in singulos annos sibi collata, potest eo ipso disponere de eius fructibus in suum commodum, & sustentationem, aliosue vsus honestos, quos ipse voluerit: post eius vero mortem, bona eius spectant ad Romanum Pontificem. Nec tantum ea bona quæ ex pensione sibi assignata acquirit, ad Romani Pontificis dominium spectant, sed etiam cætera omnia, quæ hæreditate, successione, donatione, arte, industria, labore, siue alio modo acquisierit ad summi Pontificis dominium deuoluuntur, vsus vero & administratio ad ipsum religiosum, non autem ad monasterium spectat. Et ratio est, quia cùm hic nullam habeat communicationem cum monasterio, nihil ei acquirit. Ita Nauar. *com. 4. de regular. nu.* 68. Azor. *lib.* 12. *cap.* 10. *qu.* 7. & Less. *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 11. Immò hodie indistinctè succedit in huiusmodi bona post obitum illius religiosi camera Apostolica, siue ex testamento, siue ab intestato, siue occasione beneficij, aut alia quacunque via acquisierit, nisi habuerit facultatem testandi, & de illis sit testatus, vt statuit Greg. 13. *in quodam motu proprio incipiente, Officij nostri.* Sed loquitur quando extra monasterium decedit, & ita explicat Azor. *to.* 2. *lib.* 8. *cap.* 5. *qu.* 15.

3 Tertiò, & vltimò dico, quod religiosus qui ex legitima Pontificis, aut superioris licentia, non in perpetuum sed ad tempus non habens beneficium, aut pensionem vllam extra claustrum viuit, quidquid acquirit, suo monasterio, vel ordini acquirit. Et ratio est, quia hic non est adhuc ab obedientia sui ordinis exemptus. Ita Molina *tom.* 1. *de iust. disp.* 140. qui addit, hoc esse verum, etiamsi religiosus ille simul habeat facultatē conuertendi in suos vsus, aut in alios pios, ea quæ sua industria acquisierit, *Nam* (inquit) *quæ post mortem remanserint, cedunt monasterio, nisi facultatem habuerit à Papa de eis testandi, aut aliter disponendi, & reipsa iuxta eam disposuerit.*

QVÆSTIO LVII.

An si religiosus ad monasterium eiusdem, aut alterius religionis transeat, bona primo monasterio acquisita, ad secundum monasterium transferantur?

ET quidem, si religiosus temerè, & sine legitima licentia Prælati ad aliud monasterium transeat, certum est bona primo monasterio acquisita non transire ad secundum. Et ratio est, quia huiusmodi transitus debet fieri media professione, hæc autem cum sit ipso iure nulla, secundum monasterium nihil potest acquirere. 1

QVÆSTIO LVIII.

Sed dubium est, quando religiosus iusta de causa, & cum licentia Prælati ad aliud monasterium transit?

COMMVNIS opinio Canonistarum tenet, huiusmodi bona debere ad secundum monasterium pertinere, eo quod bona videntur acquisita primo monasterio in consequentiam personæ, & sub quadam conditione, donec in eo erit religiosus, 2

ergo

ergo transeunte persona, transire debent bona.

Tum quia cum posterioris monasterij sit, religiosum hunc alere, consonum rationi est, vt sicut onera sentit, sentiat quoque commodum acquisitionis illorum bonorum.

2 At vero Syluest. *verb. religio 4. qu.* 10. & Molina *tom. 1. de iust. disp.* 140. rectiùs docent acquisita ante professionem quantum ad proprietatem remanere penes primum monasterium; quæ verò post professionem acquiruntur, pertinere ad secundum, vt apertè colligitur *ex cap. Statutum* 18. *quæst.* 1.

QVÆSTIO LIX.

Sed maius dubium est de vsufructu huiusmodi bonorum.

1 Sed respondeo, si translatio facta fuit temerè, & absque authoritate Prælati, tunc vsusfructus remanebit apud primum monasterium: si vero fuit iuridica, erit monasterij, in quo emisit secundam professionem.

2 Hinc, si Monialis ad aliud monasterium transeat, non potest petere dotem, sed solum alimenta, quibus eget, cum iam hæc bona sint acquisita primo monasterio. Ita Roder. *par. 2. cap. 31. n. 17.* Less. *lib. 2. cap. 41. dub. 11.* & Couar. *cap. 1. de test. iuxta finem.*

3 Hinc, si religiosus ad aliud monasterium transeat, vt ibi reclusus dignam pœnitentiam agat, tantum fructus transeunt ad secundum monasterium pro alimentis, transacto vero tempore pœnitentiæ, consolidantur cum proprietate, & pertinent ad primum monasterium.

QVÆSTIO LX.

Quot modis votum paupertatis à religiosis tum superioribus, tum inferioribus violetur?

VT in hac quæstione adeo graui, & quæ quotidie habetur præ manibus explicanda recto ordine procedamus, dicam prius, quæ certa sunt apud omnes, dicturus postea ea, in quibus est controuersia apud Doctores. Hunc enim modum procedendi semper existimaui conuenientissimum, & explicandis difficultatibus maximè moralibus, tot doctissimorum virorum sententiis inuolutis aptissimum, & clarissimum. 1

Dico igitur primò, quod religiosus, qui quærit, vel habet, vel quærere, vel habere vult aliquod bonum pecuniarium tanquam proprium, peccat mortaliter contra votum paupertatis. Ratio est, quia religiosus per solemnem professionem non solum spoliauit se omni dominio, sed etiam se fecit incapacem ad quærendum, & habendum tale dominium, & ius rerum temporalium, vt habetur *in cap. Cum ad monasterium de statu monach.* & in Conc. Trid. *sess. 25. cap. 2. & 3.* & tradit eleganter Nauar. *comm. 1. de regularib. nu.* 19. 2

Hinc, religiosi tam simplices, quam beneficiati, & habentes officia, ratione quorum habent facultatem emendi oues, & boues, libros, aut vestes, magnoperè cauere debent, ne emant illa intendentes quærere illa sibi, quia hoc est peccatum mortale contra votum paupertatis: debent ergo eiusmodi religiosi, cum emunt illa, non sibi, sed beneficio, vel monasterio, ad vsum eius, vel suum, de 3

2 Secundò dico, quod religiosus, qui summi Pontificis licentia in perpetuum extra claustrum viuit ex certa pensione in singulos annos sibi collata, potest eo ipso disponere de eius fructibus in suum commodum, & sustentationem, aliosue vsus honestos, quos ipse voluerit: post eius vero mortem, bona eius spectant ad Romanum Pontificem. Nec tantum ea bona quæ ex pensione sibi assignata acquirit, ad Romani Pontificis dominium spectant, sed etiam cætera omnia, quæ hæreditate, successione, donatione, arte, industria, labore, siue alio modo acquisierit ad summi Pontificis dominium deuoluuntur, vsus vero & administratio ad ipsum religiosum, non autem ad monasterium spectat. Et ratio est, quia cùm hic nullam habeat communicationem cum monasterio, nihil ei acquirit. Ita Nauar. *com. 4. de regular. nu.* 68. Azor. *lib.* 12. *cap.* 10. *qu.* 7. & Less. *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 11. Immò hodie indistinctè succedit in huiusmodi bona post obitum illius religiosi camera Apostolica, siue ex testamento, siue ab intestato, siue occasione beneficij, aut alia quacunque via acquisierit, nisi habuerit facultatem testandi, & de illis sit testatus, vt statuit Greg. 13. *in quodam motu proprio incipiente, Officij nostri.* Sed loquitur quando extra monasterium decedit, & ita explicat Azor. *to.* 2. *lib.* 8. *cap.* 3. *qu.* 15.

3 Tertiò, & vltimò dico, quod religiosus qui ex legitima Pontificis, aut superioris licentia, non in perpetuum sed ad tempus non habens beneficium, aut pensionem vllam extra claustrum viuit, quidquid acquirit, suo monasterio, vel ordini acquirit. Et ratio est, quia hic non est adhuc ab obedientia sui ordinis exemptus. Ita Mo[...] *tom.* 1. *de iust. disp.* 140. qui addit, [...] esse verum, etiamsi religiosus ille simul habeat facultatē conuertendi in suos vsus, aut in alios pios, ea quæ sua industria acquisierit, *Nam* (inquit) *quæ post mortem remanserint, cedunt monasterio, nisi facultatem habuerit à Papa de eis testandi, aut aliter disponendi, & reipsâ iuxta eam disposuerit.*

QVÆSTIO LVII.

An si religiosus ad monasterium eiusdem, aut alterius religionis transeat, bona primo monasterio acquisita, ad secundum monasterium transferantur?

Et quidem, si religiosus temerè, & sine legitima licentia Prælati ad aliud monasterium transeat, certum est bona primo monasterio acquisita non transire ad secundum. Et ratio est, quia huiusmodi transitus debet fieri media professione, hæc autem cum sit ipso iure nulla, secundum monasterium nihil potest acquirere. 1

QVÆSTIO LVIII.

Sed dubium est, quando religiosus iusta de causa, & cum licentia Prælati ad aliud monasterium transit?

Commvnis opinio Canonistarum tenet, huiusmodi bona debere ad secundum monasterium pertinere, eo quod bona videntur acquisita primo monasterio in consequentiam personæ, & sub quadam conditione, donec in eo erit religiosus, ergo 2

ergo transeunte persona, transire debent bona.

Tum quia cum posterioris monasterij sit, religiosum hunc alere, consonum rationi est, vt sicut onera sentit, sentiat quoque commodum acquisitionis illorum bonorum.

2 At vero Syluest. *verb. religio 4. qu.* 10. & Molina *tom. 1. de iust. disp.* 140. rectiùs docent acquisita ante professionem quantum ad proprietatem remanere penes primum monasterium; quæ verò post professionem acquiruntur, pertinere ad secundum, vt apertè colligitur *ex cap. Statuum* 18. *quæst.* 1.

QVÆSTIO LIX.

Sed maius dubium est de vsufructu huiusmodi bonorum.

1 SED respondeo, si translatio facta fuit temerè, & absque authoritate Prælati, tunc vsusfructus remanebit apud primum monasterium: si vero fuit iuridica, erit monasterij, in quo emisit secundam professionem.

2 Hinc, si Monialis ad aliud monasterium transeat, non potest petere dotem, sed solum alimenta, quibus eget, cum iam hæc bona sint acquisita primo monasterio. Ita Roder. *par.* 2. *cap.* 31. *n.* 17. Less. *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 11. & Couar. *cap.* 1. *de test. iuxta finem.*

3 Hinc, si religiosus ad aliud monasterium transeat, vt ibi reclusus dignam pœnitentiam agat, tantum fructus transeunt ad secundum monasterium pro alimentis, transacto vero tempore pœnitentiæ, consolidantur cum proprietate, & pertinent ad primum monasterium.

QVÆSTIO LX.

Quot modis votum paupertatis à religiosis tum superioribus, tum inferioribus violetur?

VT in hac quæstione adeo graui, & quæ quotidie habetur præ manibus explicanda recto ordine procedamus, dicam prius, quæ certa sunt apud omnes, dicturus postea ea, in quibus est controuersia apud Doctores. Hunc enim modum procedendi semper existimaui conuenientissimum, & explicandis difficultatibus maximè moralibus, tot doctissimorum virorum sententiis inuolutis aptissimum, & clarissimum. 1

Dico igitur primò, quod religiosus, qui quærit, vel habet, vel quærere, vel habere vult aliquod bonum pecuniarium tanquam proprium, peccat mortaliter contra votum paupertatis. Ratio est, quia religiosus per solemnem professionem non solum spoliauit se omni dominio, sed etiam se fecit incapacem ad quærendum, & habendum tale dominium, & ius rerum temporalium, vt habetur *in cap. Cum ad monasterium de statu monach.* & in Conc. Trid. *sess.* 25. *cap.* 2. & 3. & tradit eleganter Nauar. *comm.* 1. *de regularib. nu.* 19. 2

Hinc, religiosi tam simplices, quam beneficiati, & habentes officia, ratione quorum habent facultatem emendi oues, & boues, libros, aut vestes, magnoperè cauere debent, ne emant illa intendentes quærere illa sibi, quia hoc est peccatum mortale contra votum paupertatis: debent ergo eiusmodi religiosi, cum emunt illa, non sibi, sed beneficio, vel monasterio, ad vsum eius, vel suum, de 3

est, quia illius dicitur esse filius. Addunt Tab.& Armil. nisi per Superiorem Generalem cum consensu eorum, ad quos pertinet, transferatur filiatio in aliud monasterium.

QVÆST. XLIII.

Sed dubium est de ordinibus Mendicantibus, & in similibus aliis, in quibus multa monasteria in vna Prouincia subiiciuntur Prouinciali, & omnia, religionis Generali.

1 ET in hoc casu existimo religiosũ potius acquirere vniuerso ordini, quam illi monasterio, in quo emisit professionem, licet bona eidem monasterio regulariter applicentur. Ratio est, quia in his ordinibus non sunt similes filiationes, ac in ordinibus monachalibus, ac proinde cum emittit professionem, non profitetur se esse filium illius monasterij, sed totius ordinis.

2 Et confirmatur, quia cum post emissam professionem huiusmodi religiosi indiscriminatim mittantur à Superioribus ad diuersa monasteria ordinis, consentaneum rationi videtur, vt illorum bona priori monasterio applicata possint etiam indiscriminatim à Generali totius ordinis, distribui, attenta indigentia aliorum monasteriorum.

Dices, religiosus est incapax dominij, ergo nihil potest acquirere.

3 Respondeo religiosum non habere ius, vt in suum commodum succedat, aut sibi aliquid acquirat, hoc enim totum in monasterium translatum est: retinere tamen ius succedendi in commodum, & vtilitatem monasterij, vel ordinis, vt illi acquirat. Ex quo fit, vt monasterium possit adire, vel repudiare talem hæreditatem, vel donationem etiam ignorante, vel inuito religioso.

QVÆSTIO XLIV.

Sed totum controuersiæ dissidium consistit de Religiosis Franciscanæ familiæ, qui vulgo Obseruantes, vel Capucini vocantur, qui nec priuatim, nec in communi tanquam proprium quicquam possidere possunt: Cuinam acquirant ea quæ donatione, aut eleemosynis acquirunt?

NAVAR. *comment. 2. de Regul. nu. 3.* putat eos quantum ad proprietatem, & dominium bonorum, quæ possident primò, & principaliter acquirere Deo, & Domino nostro Iesu Christo: Secundariò vero quantum ad ius administrandi supremum, & generale Papæ, & ecclesiæ Romanę, atque etiam quantum ad speciale, quia præfati fratres per suam Regulam sunt incapaces non solum proprij, verùm etiam cuiuscunque iuris administrandi: quantum verò ad solam detentionem, & vsum non iuris, sed facti acquirere suis Monasteriis. 1

Ioan. Azor. *libr. 12 c. 24. q. 5.* censet omnium rerum, quæ in numero, pondere, & mensura consistunt, & vsu ipso consumuntur, dominium esse penes eos, qui eas donant, donec eas ipsi Franciscani consumpserint, donando, vendendo, vel permutando: aliarum vero rerum dominium eos acquirere Romano Pontifici. 2

Alij vero dicunt dominium pecuniarum, quæ Franciscanis in eleemosynas dantur, remanere apud dantem, aliarum vero omnium siue vnico, siue pluribus actibus cõsumptibilium, & 3

& aliorum omnium, vt domorum, & ecclesiarum quas Franciscani habent, dominium acquirere Romano Pontifici.

4 Sed quidquid sit de istis opinionibus, quæ locum habebant attento iure communi. At nunc iure nouo Martini V. & Pauli III. eos quantum ad vsum, & commodum pecuniæ, & omnium aliarum rerum, quæ ipsis conceduntur, acquirere Monasterio, vel Ordini quantum verò ad proprietatem, & dominium sedi Apostolicæ. Et ideo ita tenet Roder. *to.2. de regul. qu.125. art.6.*

Nec obstat Ioannem XXII. *in suo motu proprio qui incipit Ad conditorem*, abdicasse à se, & à sede Apostolica dominium bonorum, quæ fratribus Minoribus conceduntur. Quia postea Alexander sextus, & alij Pontifices idem dominium susceperunt, *vt habetur in compendio priuilegiorum fratrum Minorum verbo paupertas.*

QVÆSTIO XLV.

An in rebus vsu consumptibilibus possit vsus à dominio distingui, ita vt vsus sit penes vnum, & dominium penes alterum?

1 VT autem ea omnia, quæ Authores in hac quæstione maximè scitu necessaria tradunt, manifesta fiant, animaduertendum est primò, quod res quarum potest haberi dominiũ, sunt in triplici differentia. Quædam enim sunt, quæ vsu non consumuntur, vt domus, ager, prædium, & id genus alia, quorum fructibus vtimur ipsis rebus manentibus. Aliæ in altero extremo positæ, quæ vnico actu consumuntur, vt pecunia, panis, vinum, & similia. Aliæ verò sunt, tanquam mediæ inter has, quæ etsi vsu paulatim atterantur, non tamen vnico actu attritæ pereũt, vt vestis, liber &c.

Secundò est aduertendum, quod in his rebus, quæ vsu consumuntur, potest duplex reperiri vsus, proprius, & aduentitius, siue extraneus, vt in vino proprius vsus ipsius est illud bibere: aduentitius vero, & quasi extraneus est illud odorari. Similiter in pecunia, proprius ipsius vsus est, vt sit pretium rerum, quod vero quis illa vtatur ad ostentationẽ, aduentitius, & quasi extraneus, vel accidentarius est. 2

Tertiò est aduertendum, quod vsus rerum vsu consumptibilium duplex est, scilicet vsus facti, & vsus iuris. vsus facti est vsus in actu, qui est ipsa actualis rei consumptio. Vsus verò Iuris est vsus in habitu, seu Ius vtendi huiusmodi rebus. Et hoc rursus potest esse duplex, scilicet absolutum, & limitatum, seu dependens ab alio. Vsus Iuris absolutus, idest independens, est libera, & plena facultas habitualis vtẽdi re sine dependentia ab alio, etiam consumendo illam, atque adeò quocunque modo ei placuerit. Vsus vero Iuris limitatus, seu dependens est facultas, seu concessio veniæ vtendi his rebus cum dependentia ab alio apud quem propriè residet dominium.

Quartò est etiam aduertendum quod quando quærimus, an in rebus vsu consumptibilibus vsus, & dominium distinguantur, non est sermo, an ista distinguantur in genere entis, cum certum sit secundum regulas logicales hoc modo distingui, & constet dominium panis, & vini esse relationem, vsum autem esse actionem, qua istis vescimur. Sed quæstio est de distinctione in genere moris. An videlicet in his rebus quæ vnico actu consumuntur, quando vsus eorum est primarius, & ad quem suapte natura destinatæ sunt qui est earum consumptio, possit vsus, idest illarum rerum 4

consumptio,& dominium separari,ita vt reperiantur in diuersis subiectis?

In qua quæstione,quæ videtur fuisse controuersa non solum inter DD. Theologos, & Iurisprudentes, sed etiam inter Romanos Pontifices,citra definitionem tamen fidei, variæ sunt Doctorum opiniones.

4 Sotus *lib.4.de iust.qu.1.art.1.* Nauarr.*comm.1.de Regul.n.13.& comm.2. nu.2.* Less.*lib.2.cap.3.dub.8.* Roder.*to.3.de Regul qu.29. art.4.* Salon.*de iust. tractat.de dominio qu.1.art.1.* Bañ.*2.2. qu.62.art.1.* Molina *tom.1.de iust. d.6.* Bellarm. *tom.1.controuer.lib.4.de summis Pontif.cap.14.* Azor.*lib.12.cap.vlt. q.12.* Valent.*2.2.d.5.q.10 p.1.* Rebell. *de iust.1.p.lib.1.qu.7.sect.4. num.33.*& plerique alij tenent in rebus vsu consumptibilibus distingui vsum à dominio,& sic concludunt,posse vsum esse penes vnum, dominium autem penes alterum. Et hanc sententiam amplectuntur fratres Minores,qui absolutè dicunt se nec in communi,nec in particulari alicuius rei dominium habere, sed solum dicunt se meros esse vsuarios earum rerum, quæ in eleemosynam ipsis traduntur:Dominium verò panis,& vini, & aliorum vtensilium,manere astruunt apud summum Pontificem, ipsosque illis vti, vt bonis Papæ, perinde est, ac si quotidie Papa illos inuitaret.Pecuniarum vero, & quarundam similium rerum dominium esse dicunt apud illos, qui eas dederunt, interim dum res illæ non cōsumuntur,aut alienantur,ipsis duntaxat relicto libero vsu earum rerum, etiam ad consumptionem, & alienationem, dependente tamen à libera voluntate eorum apud quos remanet propriè dominium, ita videlicet vt nulla eis iniuria fieret, si domini eas de eorum manibus eriperent. In cuius probationem adducunt duo Decreta,vnum Nicolai III. *in cap.Exut, qui seminat.* Alterum verò Clementis V. in Clement. *Exiuit de paradiso,* in quibus hoc idem definitur.

Huic etiam sententiæ fauet mirabiliter §.*minus Instit. de vsu,& habitatione,*vbi dicitur,quod potest quis habere vsum olerum horti,& florum pomarij, non tamen dominium, vt possit ea vendere, aut alienare, ergo in his rebus vsus,& dominium distinguuntur. 5

At verò Ioannes XXII. post Nicolaum III. *in extrauag. ad conditorem,* oppositum determinauit. Vbi primò probat multis argumentis in rebus vsu consumptibilibus non distingui vsum à dominio, sed cui confertur vnum,conceditur vtrumque. 6

Secundò dicit fratres S. Francisci habere vsum simul,& dominium panis,vini,& aliorum comestibilium.

Tertiò dicit esse figmentum chimericum,& verbale, affirmare dominium eorum, quæ vsu consumuntur residere apud Romanum Pontificem, & Papam singulis diebus parare illis mensam. 7

Quartò dicit, nihil perfectionis accrescere Minoritis, ex eo quod dicantur habere nudum vsum ciborum, & potabilium, & licet in communi sint pauperiores aliis Religiosis, quia alij possunt habere bona stabilia, vel quasi stabilia, vt redditus perpetuos, ipsi verò minimè, quoad ea verò,quæ vsu consumuntur,non esse pauperiores aliis Mendicantibus, cum reuera eodem modo vtantur huiusmodi rebus,sicut,& alij Religiosi, qui dicuntur habere dominium.

Quintò, & vltimò dicit, hoc figmentum esse iniuriosum ipsi Romanæ Ecclesiæ, & simplicitati religionis christianæ,astruere eleemosynas,quas fideles Minoritis elargiuntur,conferri ipsis tantum quoad vsum dominium autem summo Pontifici. Vnde subiun-

subiungit: Si tale dominium penes nos est, quòd falsum esse existimo, illi omnino renunciamus. Vnde *in extrauag. Quia quorundam ibi de eadem re loquitur* ait: *Quod si quis contra id definire ausus fuerit, tanquam contumax Romanæ Ecclesiæ habeatur.*

8 Hanc opinionem sequuti sunt D. Thom. 2. 2. *q*. 78. *art*. 1. & Caiet. *ibid*. D. Anton. *p*. 4. *tit*. 12. *cap*. 4. §. 10. Turrecremata *lib*. 1. *summa de Eccles. cap*. 112. Syluest. *verbo dominium quæst*. 2. Arag. 2. 2. *quæst*. 62. *art*. 1. & multi alij. Fundamentum præcipuum huius sententiæ est, quia in his rebus, quæ vsu consumuntur, non videtur posse distingui vsus à dominio. Qui enim facultatem concedit alicui eas res consumendi, nullius vsus ius, vel potestatem aut sibi aut alteri relinquit, ratione cuius intelligi possit retinere aliquod dominium eiusmodi rerum.

9 Deinde vsus, qui distinguitur à dominio, est ius vtendi re aliena, salua eius substantia: sed impossibile est, quod aliquis vtatur rebus vsu consumptibilibus, aut aliquam inde vtilitatem capiat ex eis, salua earum substantia, ergo in huiusmodi, vsus non distinguitur à dominio.

10 Tandem probatur, nam quando vsus distinguitur à dominio, potest alteri vendi, retento apud se dominio: quemadmodum qui locat domum, equum, & ea quæ vsu non consumuntur, quia in istis distinguuntur vsus, & dominium, potest retinere sibi dominium, & vendere alteri vsum: at hoc in his rebus, quæ vsu consumuntur, vt in pecunia, frumento, pane, vino, & similibus est manifesta vsura, vt rectè docet D. Tho. *communiter receptus* 2. 2. *q*. 78. *art*. 1. ergo in istis vsus, & dominium non distinguuntur.

11 Quibus ita cõstitutis, vt in hac controuersia de veritate harum opinionum proferam, quod sentio: Dico primo, quod in rebus, quæ vsu non consumuntur, vt domus, ager, prædium, & similia, quorum vsus non est eorum consumptio, vsus, & dominium distinguuntur. Probatur: Nam vsus domus locatæ potest esse apud Titium, dominium verò apud Caium. Et idem dicendum est de his rebus, quæ etsi vsu paulatim consumantur, non tamen vnico actu attritæ pereunt, vt de veste, libro & his similibus, in quibus potest vtcunque distingui vsus à dominio, sicut in aliis rebus stabilibus.

Secundò dico, quod vsus rerum, quæ vsu proprio consumptibiles sunt, at vero vsu extraneo non consumuntur, constat etiam, quod distinguitur à dominio. Probatur: Nam ostentatio est vsus extraneus panis, & vini, quæ vsu proprio sunt consumptibilia, & tamen ostentatione non consumuntur, ergo huiusmodi vsus à dominio distinguitur. 12

Tertio dico, quod vsus iuris, qui dicitur vsus in habitu, seu ius vtendi re aliqua consumptibili, ita vt illud ius sit absolutum, idest independens ab alterius voluntate, & de se ad omnem vsum talis rei se extendens non distinguitur nec distingui potest à dominio. Et ratio est quia qui habet talem rei vsum independentem, habet reuera rei dominium, ergo. 13

Quartò dico quod vsus proprius in habitu, qui dicitur vsus iuris, limitatus tamen, & dependens à voluntate alterius, apud quem est libera facultas reuocandi rem antequám actu res consumatur, distinguitur à dominio. Et ratio huius est, quia talis dependentia repugnat rationi dominij consistentis nimirum in vtendi facultate independente à voluntate alterius. 14

Quintò, & vltimò dico quod vsus 15

facti, seu vsus in actu qui est ipsa actualis rei consumptio, distinguitur à dominio. Probatur: Nam dominium est quasi in habitu, vel actu primo, hic verò vsus facti est ipsa actualis actio, & vsus: ergo.

16 Ex quo sequitur primò Minoritas nec in communi, nec in particulari habere dominium eorum quibus vtuntur, sed habere vsum iuris dependenter, & vsum facti, dominium autem istarum rerum manere apud Romanum Pontificem.

17 Nec obstat verbum Ioannis XXII. dicentis se abdicasse tali dominio.

Primò, quia id non fecit legitimè, & vt notat Sotus nec iustè, sed certè in odium forsan Occham, & aliorum sui ordinis, qui fuerunt ei infestissimi.

Deinde, quia suam renunciationem successores eius minimè approbarunt, sed exemplo suorum antecessorum idem retinuerunt, & retinent dominium.

18 Secundò sequitur nullum religiosum cuiusuis ordinis posse ex his, quę sibi ad suos vsus honestos conceduntur aliquid vendere, aut alienare absque explicita, vel implicita licentia sui Prælati.

19 Ad fundamentum vero contrariæ opinionis Respondeo concedendo Nicolaum III. & Clemen. V. fuisse contrariæ sententiæ. Ex hoc tamen non sequitur nostram opinionem esse falsam quia illam tenet Ioan. XXII. Et ex his quæ non pertinent ad fidem & ad bonos mores nullum est incommodum quod dicamus summum Pontificem errare, sicut illud affirmat idem Ioan. XXII de Nicolao & Clemente, maximè quia in hoc summi Pontifices, vt priuati Doctores se habuerunt.

* * *

QVÆSTIO XLVI.

An quidquid Religiosus acquirit, Monasterio vel ordini acquirat, quoad ius proprium, & verum dominium, si aliàs sit capax dominij?

NAVAR. *in cap. Cui portio n. 31. & com. 2. de Regul. n. 3.* tenet generale omnium rerum dominium non acquiri Monasterio, vel ordini, sed soli Deo, & Domino nostro Iesu Christo, ius autem supremum, & generale eadem administrandi Romano Pontifici, & Ecclesiæ vniuersali: particulare verò illi ordini, & Monasterio, cuius ipse est filius, si sit capax iuris administrandi, alioquin etiam speciale acquirit summo Pontifici, & solus vsus facti remanet penes illum ordinem & Monasterium, cui acquireret ius particulare administrandi, si illius esset capax. Idemque censet de aliis Ecclesiasticis bonis. 1

Ex quo infert nullum Monasteriorum habere supra bonis suis quæ possident Religiosi Ius proprium, & verum dominium sed solummodo Ius administrandi in vtilitatem suam, & aliorum Religiosorum, & hi quidem solummodo habent simplicem vsum facti in vestibus, & aliis ad vitam necessariis. 2

Ar omnino dicendum est bonorum Ecclesiasticorum dominium verè esse apud Ecclesias, vel Monasteria, si illa sint dominij capacia. Et ratio est, quia quamuis hæc bona intuitu Christi à fidelibus Ecclesiis, vel Monasteriis sint collata, nihil obstat, quominus ea quæ prædictis Ecclesiis, veluti in dotem sponsæ Christi donata sunt, apud ipsas quoad verum dominium 3

nium resideant. Si vero Monasterium non sit dominij capax, tunc dominium esse apud Romanum Pontificem, detentionem vero, & vsum facti apud Monasterium, præsertim si sit ordinis Minorum, vt definitur *in cap. Exiit* §. *ad hac.* Nam in aliis ordinibus etiam incapacibus non est inconueniens concedere remanere apud Monasterium verum, plenumque ius politicum, & ciuile administrandi. Molina *tom.* 1. *de iust. disputat.* 29. & 141.

QVÆSTIO XLVII.

Sed maius dubium est de illicitè acquisitis: An ea religiosus Monasterio vel ordini acquirat?

1 NAVARR. *com.* 2. *de Relig. n.* 4. negat. Alij vero vt Molin. *tom.* 1. *d.* 49 & Sot. *lib.* 4. *q.* 7. *ar.* 1. rectiùs affirmant. Ex quo inferunt Monialem ea quæ per fornicationem sacrilegam acquisiuit non minus teneri reddere Monasterio quam si labore manuum ea comparasset.

QVÆSTIO XLVIII.

An Religiosi habentes bona in communi sint capaces legati?

1 RESPONDEO eos esse capaces. Ratio est, quia qui possunt hæredes institui, sunt capaces legati. At hi Religiosi possunt hæredes institui, vt diximus: ergo sunt capaces legati. Et in hoc omnes conueniunt.

QVÆSTIO XLIX.

Sed dubium est, de fratribus Minoribus regularis obseruantiæ: An videlicet sint capaces legati?

ET quidem, si legatum sit rei mobilis, vt pecuniæ, vini olei, &c. 1
certum est, eos esse talis legati capaces, modo illud sit moderatũ, & non in fraudem paupertatis, vt Clemens V. *in Clem. exiuit de paradiso de verb. significat.* declarauit: quæ moderata quantitas ab ipsa præsenti, vel imminenti necessitate metietur, & à Ministris, & custodibus simul, & seorsum in suis administrationibus iudicabitur, ita vt semper eis sancta elucescat paupertas, vt etiam Nicolaus III. *cap. Exiit* §. *insuper*, ordinauit.

QVÆSTIO L.

Sed tota controuersia consistit, quando legatum est rei immobilis, vt prædij, vel annui census, an videlicet tale legatum fratribus Minoribus relictum sit validum?

AZOR. *lib.* 12. *cap.* 23. *q.* 11. affirmat id legatum esse irritum. 1
At omnino tenendum est absolutè id legatum valere. Et ratio est, quia 2
verba simpliciter prolata intelliguntur in dubio iuxta conditionem personæ, ad quam referuntur. Cum ergo verba huius legati diriguntur ad fratres Minores, qui illius acquirendi sunt incapaces, nisi vt pretium eius venditæ recipiant, sic intelligenda

erunt verba illius legati. Et ita tenet Roder. *to. 2. de reg. q. 126. ar. 1.* & colligitur *ex cap. Exiit §. ad hac, quia fratribus vers. si vero modum de verb. signif. in 6.* Non debent tamen fratres in alienatione horum bonorum interuenire, sed id per hæredes faciendum est, cum apud eos sit rei illius dominium. Nec in eorum alienatione requiritur ea solemnitas quæ est necessaria in alienatione aliorum bonorum monasterij, cum illa alienatio fiat ipsa lege iubente, & necessario ratione eorum status fieri debeat, vt rectè docent Nauar. *com. 2. de regul. n. 50.* & Roder. *tom. 2. de regul. q. 78. ar. 3.* Nec tenentur fratres Minores statim prædicta bona acquisita vendere, sed vt vtiliùs vendantur, possunt commodam opportunitatem expectare, vt optimè tradit Azor. *lib. 12. c. 23. q. 11.* & si emptor nullatenus inueniatur, tenentur ea ab se abiicere, cùm illa retinendi nullatenus sint capaces.

QVÆSTIO LI.

An si fratres Minores id legatum immoderatum accipiant, sint proprietarij?

1 IN qua re conuenit inter omnes, eos peccare mortaliter, contra iuris prohibitionem.

Sed dubium est: An sint proprietarij?

2 Corduba *in Reg. S. Franc. cap. 6. q. 11. p. 1.* negat.

3 At tenendum est eos esse proprietarios. Et ratio est, quia cum dominium omnium bonorum ad Minores pertinentium sit apud Pontificem, solo facti vsu ipsis relicto ex eius licentia, quam in hoc casu denegat, ipsi acceptando tale legatum vsurpant illius vsum contra voluntatem veri domini, & legitimi superioris: ergo sunt proprietarij.

QVÆSTIO LII.

Cuinam acquirat religiosus Episcopus creatus?

RESPONDEO eum acquirere suæ Ecclesiæ, cui præest, non autem Monasterio. Et ratio est, quia est à religione, & ab obedientia Prælatorum solutus, & liber. Ita enim definitur *in cap. Vnico statutum 18. q. 1.* & docet D. Tho. *2. 2. q. 188. ar. 8. ad 3.* & Sot. *lib. 10. q. vlt. ar. vltimo.* Quod est verissimum etsi iure hæreditario ea bona post Episcopatum acquisita sint, quod satis apertis verbis indicat textus *dicti cap. Vnici.* & ita Molina *tom. 1. de iust. disp. 140.* & Roder. *to. 2. de regul. q. 58. ar. 7.* Atque idem dicendum est de acquisitis donatione, propria industria, aut labore, vt rectè Less. *lib. 2. cap. 41. dub. 11.* Azor. *lib. 12. c. 10. q. 6.* & Conar. *cap. 1. n. 19. de testamentis.* Quod quidem procedit licet religiosus ille ad Episcopatum promotus sit ex familia fratrum Minorum; quia is creatus Episcopus ius succedendi parentibus, & agnatis, administrandique bona vndecunque acquisita dum vixerit, recuperat. Quare ipsi mortuo succedit sua Ecclesia, sicut de aliis Episcopis religiosis diximus. Azor. *lib. 12. cap. 10. q. 6. & cap. 15. q. 3.* & Molina *tom. 1. disp. 140.* 1

Idem quod diximus de religioso facto Episcopo, dicendum est de religioso facto Cardinali, is enim suæ Ecclesiæ acquirit, quia Cardinalis dicitur administrationem Ecclesiæ habere, & est omnino à monasterij obedientia solutus. 2

QVÆ

QVÆSTIO LIII.

Cuinam acquirat religiosus factus Episcopus titularis, qui sedem, & Ecclesiam non habet?

1 MAGISTER Sotus *lib.* 10. *de iust. q. vit. ar. vlt.* & Roder. *tom.* 3. *q.* 69 *ar.* 4. testantur eum acquirere suo Monasterio, vel ordini: ducuntur, quòd nullam sedem habeat. Eandem sententiam sequitur Emman. Sà *verb. religio n.* 52.

2 Mihi vero probabilius videtur, hunc acquirere Romano Pontifici: moueor autem ex eo, quòd à religione est solutus, & liber. Et ideo ita tenet Azor. *lib.* 12. *cap.* 10. *q.* 7.

QVÆSTIO LIV.

A quo tempore religiosus creatus Episcopus desinat acquirere monasterio, incipiatque Ecclesiæ acquirere?

1 RESPONDEO à tempore confirmationis Pontificiæ, quia ex tunc est verus Episcopus, à iurisdictione monasterij penitus exemptus, solique Romano Pontifici subest. Ita Roder. *p.* 2. *cap.* 72. *n.* 6.

QVÆSTIO LV.

Vtrum omnia quæ religiosus beneficiarius extra monasterium, vel ordinem quouis modo acquirit, beneficio, an vero monasterio acquirat?

1 RESPONDEO eum non ordini, aut monasterio, sed beneficio acquirere. Et ratio est, quia est ab ordine suo exemptus. Quod arbitror esse verum, non solum quod religiosus beneficiatus ex redditibus Ecclesiasticis, sed etiam ex industria, arte, labore, vel opera sua, vel hæreditate, successione, vel donatione acquirit. Quia vt diximus non est sub obedientia ordinis, vt habetur ex dicto *cap. Statutum* 18. *q.* 1. & tradit rectè Nauar. *lib.* 3. *consil. in* 1. *edit. tit. de donation. consil.* 6. *n.* 1. *in* 2. *lib.* 2. *tit. de præsump. consil.* 1. *n.* 1. Roder. *tom.* 2. *de reg. q.* 47. *ar.* 7. Azor. *lib.* 12. *cap.* 10. *q.* 6. & Emman. Sà *verb. religio n.* 64.

Ex quo optimè infert idem Nauar. *loco citato n.* 10. & 11. posse religiosum beneficiarium de fructibus beneficij ad honestam sui sustentationem, & ad pias causas, non aliter ac sæcularis potest de fructibus beneficij sui, vt colligitur apertè *ex Clem.* 2. §. *sed & talis, de vita, & honestate clericorum.* 2

QVÆSTIO LVI.

Cui acquirat religiosus, qui Romani Pontificis priuilegio, extra monasterium viuit ex certa pensione in singulos annos sibi assignata?

AD hoc dico primò, quod religiosus qui Romani Pontificis priuilegio per totam vitam extra monasterium viuit, censetur eo ipso habere facultatem administrandi bona, quæ sua industria acquisierit, & de illis disponendi non solum ad se honestè, & commodè sustentandum, verum etiam ad vsus alios honestos, & bonos, quos ipse voluerit. Ita Nauarr. *cap. Non dicatis n.* 72. & 73. & Molin. *tom.* 1. *d.* 140. 1

Secun

ergo transeunte persona, transire debent bona.

Tum quia cum posterioris monasterij sit, religiosum hunc alere, consonum rationi est, vt sicut onera sentit, sentiat quoque commodum acquisitionis illorum bonorum.

2 At vero Syluest. *verb. religio 4. qu.* 10. & Molina *tom. 1. de iust. disp.* 140. rectiùs docent acquisita ante professionem quantum ad proprietatem remanere penes primum monasterium; quæ verò post professionem acquiruntur, pertinere ad secundum, vt apertè colligitur *ex cap. Statutum* 18. *quæst. 1.*

QVÆSTIO LIX.

Sed maius dubium est de vsufructu huiusmodi bonorum.

1 SED respondeo, si translatio facta fuit temerè, & absque authoritate Prælati, tunc vsusfructus remanebit apud primum monasterium: si vero fuit iuridica, erit monasterij, in quo emisit secundam professionem.

2 Hinc, si Monialis ad aliud monasterium transeat, non potest petere dotem, sed solum alimenta, quibus eget, cum iam hæc bona sint acquisita primo monasterio. Ita Roder. *par. 2. cap. 31. n. 17.* Less. *lib. 2. cap. 41. dub. 11.* & Couar. *cap. 1. de test. iuxta finem.*

3 Hinc, si religiosus ad aliud monasterium transeat, vt ibi reclusus dignam pœnitentiam agat, tantum fructus transeunt ad secundum monasterium pro alimentis, transacto vero tempore pœnitentiæ, consolidantur cum proprietate, & pertinent ad primum monasterium.

QVÆSTIO LX.

Quot modis votum paupertatis à religiosis tum superioribus, tum inferioribus violetur?

VT in hac quæstione adeo graui, & quæ quotidie habetur præ manibus explicanda recto ordine procedamus, dicam prius, quæ certa sunt apud omnes, dicturus postea ea, in quibus est controuersia apud Doctores. Hunc enim modum procedendi semper existimaui conuenientissimum, & explicandis difficultatibus maximè moralibus, tot doctissimorum virorum sententiis inuolutis aptissimum, & clarissimum. 1

Dico igitur primò, quod religiosus, qui quærit, vel habet, vel quærere, vel habere vult aliquod bonum pecuniarium tanquam proprium, peccat mortaliter contra votum paupertatis. Ratio est, quia religiosus per solemnem professionem non solum spoliauit se omni dominio, sed etiam se fecit incapacem ad quærendum, & habendum tale dominium, & ius rerum temporalium, vt habetur *in cap. Cum ad monasterium de statu monach.* & in Conc. Trid. *sess. 25. cap. 2. & 3.* & tradit eleganter Nauar. *comm. 1. de regularib. nu. 19.* 2

Hinc, religiosi tam simplices, quam beneficiati, & habentes officia, ratione quorum habent facultatem emendi oues, & boues, libros, aut vestes, magnoperè cauere debent, ne emant illa intendentes quærere illa sibi, quia hoc est peccatum mortale contra votum paupertatis: debent ergo eiusmodi religiosi, cum emunt illa, non sibi, sed beneficio, vel monasterio, ad vsum eius, vel suum, de 3

Kkkk con

consensu superioris, sibi licitum emere, vt post alios tradit optimè Nauar. *com. 1. de regular. nu. 13.*

4 Secundò dico, quod religiosus qui ex rebus monasterij sine consensu expresso, vel tacito superioris, aliquam rem notabilem sibi vsurpat, furtum mortale committit. Et ratio est, quia vsurpat alienum s. communitatis, inuito domino, cuius loco superior est administrator, & per consequens peccat contra votum paupertatis: omne enim furtum in religioso est contra votum, quia vsurpat rem tamquam dominus, absque dependentia à superiore. Ita Molina *tom. 3. d. 687.*

5 Tertiò dico, quod religiosus, qui ex eo, quod alteri ad vsum eius concessum est, clam aliquid sibi assumit, vt si alterius cuculam, tunicam, caligas, vel calceos, breuiarium, libros, vel imagines, est proprietarius. Ratio est, quia sine consensu superioris assumit sibi vsum alteri destinatum: quod si res est parui momenti veniale, si grauis, mortale peccatum admittit, & tanto grauius, quanto miserabilior est, & pauperior persona à qua aufertur: nemo autem religioso, qui solum nudum vsum rerum sibi concessarum habet, pauperior est. Azor. *lib. 12. cap. 12.*

6 Quartò dico, quod religiosus, qui absque nutu superioris, ab alio eiusdem monasterij religioso aliquid accipit, quod est ipsius, qui dat, vsui concessum, est proprietarius, quia vsum, quem alius habebat, sibi vsurpat, animo, & voluntate vtendi re illa sine consensu expresso, vel tacito superioris. Et religiosus qui talem vsum sibi concessum, sine voluntate superioris alteri concedit, etiam in vitium proprietaris incurrit. Ratio est, quia religioso res à superiore conceditur, vt ea ipse vti possit, non vt ipse in alium huiusmodi vsum transferat pro suo arbitratu, absque nutu superioris, vt cum aliis resoluit Azor. *lib. 12. cap. 12.*

Quintò dico, quod religiosus, qui renitente superiore, aliquid accipit ex rebus monasterij, & illud edendo, & bibendo consumit, est proprietarius. Et ratio est, quia vtitur re vt propria, & consumit, quod ad esum, vel potum communem pertinet absque superioris consensu. Ita Maior *in 4. dist. 38. quæst. 9.* Azor. *lib. 12. c. 12.* & alij. 7

Sextò dico, quod possunt superiores concedere religiosis bona mobilia ad vsus suos, necessarios, & pios v. g. vestes, libros, & similem supellectilem: hæc tamen debent esse statui paupertatis accommodata, omni carentia superfluo, vt Concilium Tridentin. inquit. Et etiam aliquam pecuniam ad vsus suos, vel pios etiam indeterminatos, vt cum communi resoluit Less. *lib. 2. cap. 4. dub. 5.* Aduerte tamē, quod per supradictum quantum ad vsum pecuniæ, non intelliguntur fratres Minores de obseruantia, qui iuxta suam Regulam non possunt contrectare, nec retinere pecuniam, vt Roder. *p. 2. sua summa cap. 31. nu. 15.* annotauit. 8

Hinc, non est contra votum paupertatis id, quod passim fieri videmus, nimirum monasterium præbere solummodo victum religiosis, vel monialibus, ea lege, vt pro vestitu sibi sumant, quæ proprio labore, vel artificio, aut donatione sibi acquirunt. Et ratio est, quia in hoc casu nihil proprium habent, nec bona aliqua stabilia, vel annuos redditus accipiunt, sed sui laboris, & industriæ fructus de licentia superioris, cuius nutu ea facultas potest reuocari. Ita Valent. 2. 2. *d. 10. q. 4. p. 3.* 9

Septimò dico, quod religiosus factus Abbas, beneficiatus, Episcop. &c. etsi 10

etsi nullum habeat dominium bonorum temporalium, habet tamen ius administrandi, & dispensandi fructus beneficij in vsus proprios, & decentes, & ad pias, causas. Id enim iure, & consuetudine est ei concessum, quamdiu ille beneficium obtinuerit. Vnde non potest eos expendere in res vanas, & inutiles, aut ditare suos amicos,& parentes,& si fecerit, vltra notam proprietatis, quam incurrit, tenetur ad restitutionem, similiter, & ij, qui illos acceperunt. Ratio est, quia omnium istorum bonorum non est dominus, sed solum administrator, & dispensator, habens tantum ius ad expendendum illa bona iuxta præscriptum canonum, & religionis, & intentionem eorum,qui ea religioni,vel Ecclesiæ reliquerunt.Ita Nauar. *tom.2.de regul.nu.*10.& Less.*lib.2.c.4. dub.5.*

11 Octauò dico,quod non potest religiosus bona à superiore deputata ad suos vsus, expendere in vsus non necessarios, nec pios. Ratio est, quia canones non concedunt administrationem regularibus, nisi ad res necessarias, vtiles, aut honestas. Vnde peccat mortaliter religiosus contra votum paupertatis, si in huiusmodi, expendat bona monasterij v. g. si in turpia, si in vestes sericas, in sumptuosa conuiuia, in canes venaticos,falcones, simias &c. Ita Roder.*tom.3.de regular.quæst.*19.*artic.*10. Less. *lib. 2. de instit. cap.*41. *dubit.*9.& Petr. Nauarr. *lib. 3. de restitut. cap.*1. *num.*183.

12 Nonò dico, quod religiosus, qui dicta bona sibi ad vsum concessa, ita possidet, vt non sit animo paratus, ea ad arbitrium superioris relinquere, peccat peccato proprietatis, & quidem si est materia grauis peccat mortaliter, & tenetur ea restituere, & se iis omnibus abdicare iuxta canones.Ita Petr Nauar.*lib.3.de rest.c.*1. *nu.*179.& Roder. *tom.3.de regul.q.*19. *art.*12.

Decimò dico, quod religiosus qui habet aliquid de licentia superioris, si aliquid ei supersit, non potest de eo ad libitum disponere, sed debet restituere monasterio, alias peccaret cōtra votum paupertatis. Quod est valde notandum, quia facit contra illos, qui existimant posse tuta conscientia impendere id, quod eis superest in itinere parciùs viuendo. Quod tamen limita, nisi id ea lege detur à superiore, quod nihil amplius à monasterio exigant, & nec rationem reddant, sed id suo damno, vel commodo impendant; quia tunc id quod parcius viuendo remaneret, possent absque peccato pro suis veris necessitatibus expendere.

Hinc, non potest religiosus ex superfluo pecuniæ, quam accepit pro libris emendis à suo superiore, disponere secundum arbitrij libertatem, sed tenetur, vel restituere, vel cum eiusdem superioris licentia in alios vsus necessarios tantum,vel pios illud expendere. 13

Vndecimò dico, quod religiosus qui contra sanctiones sacrorum canonum, & extrauagantem Pij II. alienat bona stabilia, vel mobilia pretiosa monasterij, non solum peccat contra votum paupertatis, verum etiam in pœnas prædictæ extrauagantis incurrit, quæ sunt nullitas contractus, & excommunicatio papalis ipso facto contra vtrosque contrahentes. 14

In huius extrauagantis explicationem, aduerte primo quod nomine alienationis intellitur omnis contractus in quo dominium transfertur, vt est contractus venditionis,

donationis, permutationis, emphyteusis, vel lucelli perpetui, affictus vltra triennium, &c.

15 Secundò aduerte, quod nomine bonorum stabilium veniunt domus, agri, census & similia: nomine verò mobilium pretiosorum, quæ alienari prohibentur, intelliguntur vasa aurea, argentea, vestes pretiosæ, gemmæ, grex ouium, vel caprarum, de cuius fructibus emolumenta, & redditus percipere consueuit monasterium.

16 Tertiò aduerte, quod seruatis his tribus conditionibus, omnia, & quæcunque bona Ecclesiastica, tam stabilia, quam mobilia alienari possunt legitimè, & præfata alienatio est valida, & canonica. Prima conditio est, vt alienatio fiat ex causa rationabili, id est ex vrgenti necessitate, vel vtilitate monasterij.

Secunda, quod interueniat assensus Apostolicus, vel saltem Generalis, vel Prouincialis, quem assensum præstare possunt præfati Generalis, & Prouincialis ex concessione, & priuilegio summorum Pontificum.

17 Tertia, quod authoritate superioris monasterij fiat examinatio, & tractatio diligens in capitulo an s. expediat, necne, talis alienatio, & an hoc vel illud debeat alienari, & quod maior pars, seu ex tribus duæ in vnam conueniant sententiam, secundum quod priuilegia innuere videbuntur.

Duodecimò, & vltimò dico, quod religiosus qui in rebus temporalibus aliud quærit, quam simplicem vsum facti dependentem à voluntate Prælati peccat peccato voto paupertatis contrario, vt constat *ex cap. Cum ad monasterium, & ex Concil. Trident.*

18 Ex quibus omnibus colligitur, quam arcta sit via paupertatis, per quam ex vi suæ conditionis tenentur incedere religiosi, & in quo salutis dispendio versentur, qui non contenti huiusmodi rerum vsu simplici, instar sæcularium qui sunt sui iuris, ac dominiorum capaces, quærunt continuò proprietatem, vsum iuris, ac vsumfructum in omni eo quod habent, acquirunt, vel quauis via eis obuenit, non permittentes vllo modo, vt de iis omnibus superiores disponere valeant pro libito suæ voluntatis, quinimo volunt tanquam diuites huius sæculi abundare in omnibus cum annexu omnium deliciarum, vanitatum, ac superfluitatum, non curantes tot sacrorum canonum prohibitiones, præsertim sacrosancti Conc. Trident.

QVÆSTIO LXI.

An Religiosus professus possit valide testamentum condere?

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia religiosus nihil habet proprium, de quo possit testari: cum quidquid acquirit, monasterio acquirat. Et est conclusio definita *in authen. ingressi. C. de sacrosanctis Ecclesiis. & in cap. Quia ingredientibus 19. q. 3.* & tradit Nauar. *com. 2. de regular. nu.* 43. Molin. *tom. 1. de iust. disp.* 141. & Roder. *to. 3. q. 69. ar. 2.* 1

QVÆSTIO LXII.

An superior religionis possit testari?

RESPON.

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia prohibitio generalis est omnibus religiosis. Ita Nauar. *comm. 2. de regular. n.* 44. Roder. *to. 3. de regular. q.* 69. *ar.* 2. & Less. *lib. 2. c. 19. num.* 40. *& cap. 41. dub. 8. n.* 73.

QVÆSTIO LXIII.

An Religiosus ad Episcopalem dignitatem, vel Cardinalatum promotus, possit testari?

1 MICHAEL à Medina *lib. 5. de sacrorum hominum continentia c.* 26. Emman. Sà *verb. Episcopus nu.* 11. & Roder. 2. *p. sum. cap.* 70. *nu.* 5. affirmant eum posse testari de bonis patrimonialibus, aut propria industria acquisitis, eo modo quo id fas est Episcopis sæcularibus.

2 Contrarium tamen arbitror esse dicendum. Et ratio est, quia cum adstrictus sit voto paupertatis, testari non potest de bonis, quæ per ipsum Ecclesiæ acquiruntur.

Tum quia quidquid religiosus Episcopus acquirit, acquirit suæ Ecclesiæ cum sola libera administratione, vt colligitur *ex cap. Vnico* 18. *q.* 1. administratio autem morte finitur, ex qua testamentum incipit valere ad Hebr. 9. ergo non potest de iis bonis disponere post mortem virtute testamenti. Et ideo ita tenent D. Tho. 2. 2. *q.* 85. *ar. vltimo ad* 3. Sot. *lib.* 10. *q.* 5. *ar.* 7 Nauar. *de reddit. q.* 1. *monit.* 9. *n.* 2. *& q.* 3. *mo.* 11. *n.* 1. Henriq. *lib.* 10. *cap.* 33. *n.* 3. Azor. *lib.* 12. *cap.* 7. *q.* 2. & Roder. *to.* 3. *de regul. q.* 69. *ar.* 4.

3 Hinc, religiosus Episcopus electus petens à Pontifice licentiam testandi de bonis acquisitis intuitu Ecclesiæ, tenetur explicare duplex impedimentum, vt dispensatio sit valida, vnum se esse religiosum regularem, alterum se esse Episcopum. Quia hoc duplici impedimento ad testandum affectus est. Ita Henriquez *lib.* 10. *cap.* 33. *n.* 3.

Dixi notanter (*de bonis acquisitis intuitu Ecclesiæ*) quia si velit de bonis patrimonialibus, vel propria industria disponere, sat est, dicere se esse professum, quia cum hac testandi facultate solum paupertatis votum pugnat. 4

Hinc, si talis religiosus Episcopus, bona prodige in res vanas consumit, est proprietarius, & tenetur ea restituere Ecclesiæ, cui acquirit. Et similiter accipiens tenebitur restituere ipsi Episcopo tanquam legitimo administratori, quia solam plenam administrationem habet ad pias causas. Ita Molina *to.* 2. *de iust. disp.* 2-6. Valent. 2. 2. *disp.* 10. *q.* 5. *p.* 8. & Less. *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 5. 5

QVÆSTIO LXIV.

An Religiosus ad Papatum assumptus testari queat?

PHILIPPVS Franc. *in rubr. de testam.* *lib.* 6. *cap.* 79. *q.* 16. negat eum posse testari. 1

At contrarium est omnino tenendum. Et ratio est, quia tota hæc prohibitio est de iure humano, cui Pontifex non subditur.

QVÆSTIO LXV.

An religiosus possit de superioris Pontifice inferioris licentia testari, etiam ad pias causas?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia nec ipse superior, si est verè religiosus testari potest: nam eodem modo quo voto paupertatis ligatur religiosus subditus, ligatur & superior, & vtrique id est prohibitum iure communi *in cap. Quia ingredientibus de testam.* Ita Molina *to. 1. d. 141.*

Obiicies, religiosus in vita, & in morte de licentia superioris potest aliquid dare: ergo & testari.

2 Respondeo diuersam esse rationem, quia testamentum est ius, & facultas qua testator explicat suam voluntatem post mortem suam exequendam, quod Ius canonicum tanquam sapiens naturam dominij interdixit. At non interdixit donationes moderatas in vita ex superioris licentia, quia huiusmodi donationes sunt valde conuictui humano necessariæ. Vnde quia Ecclesiæ bona hoc gaudent priuilegio, vt post mortem alienari non possint nisi de licentia Papæ, qui per testamentum ea sine facultate Pontificis disponeret, peccaret peccato proprietatis erogans sine licentia iusta bona monasterij.

3 Hinc, non est audiendus Nauarr. *lib. de reddit. q. 3. n. 28.* vbi ait, posse superiorem religionis concedere hanc licentiam religioso qui multa bona dedit religioni. Quia vt diximus, prohibitio hæc à iure Pontificio emanat, à quo etiam superiores ligantur.

QVÆSTIO LXVI.

An religiosus Romani Pontificis priuilegio testamentum condere possit?

1 QVIDAM absolutè negant, ducti ea ratione, quia Romanus Pontifex non potest religiosum super voto paupertatis dispensare.

Contrariam tamen sententiam merito Doctores omnes affirmant, nempe posse Romanum Pontificem hanc facultatem testandi de aliquibus rebus, quarum administrationem, vel vsum habebat, ei concedere. Ratio est, quia certum est, posse religiosum ex superioris licentia aliquid donare inter viuos. Quod autem ex ipsius licentia non possit illud donare causa mortis, & per testamentum, est ex solo iure canonico, hoc autem non ligat Romanum Pontificem; ergo de eius licentia potest testari. Ita Nauar. *comm. 2. de regular. num. 57.* Molina *tom. 1. de iust. disp. 141* Less. *lib. 2. cap. 41. dub. 8.* Roder. *tom. 3. de regular. q. 69. ar. 2.* & Azor. *lib. 12. cap. 9. q. vlt.* Quæ tamen licentia intelligi debet, ita vt alioqui cum iure communi conueniat, vt rectè docet Nauar. *de redd. q. 1. n. 16. & in cap. Non dicatis num. 88.* 2

Hinc, de licentia Papæ non poterit religiosus testari ad suos parentes, fratres, consanguineos, aliosve propinquos ditandos, nec ad dandum iis, qui alioqui bonis abundant, nec ad vanos alios vsus, ac superfluos, sed ad pios, vel bonos dumtaxat, qui quidem ipsi magis placuerit. Et ratio est, quia Pontifex quamuis non sit regularis eam facultatem testandi de redditibus Ecclesiasticis ad vsus prophanos, & superfluos non habet, vt optime docet Nauar. *in dicto cap. Non dicatis num. 57. & de redd. quæst. 3. monit. 11.* ergo non potest eam aliis concedere. 3

Nomine autem causæ piæ hoc loco intelligitur quidquid pro pauperibus, vel indigentibus, vel pro nuptiis cognatorum, vel pro gratificatione, vel remuneratione obsequiorum receptorum, vel beneficiorum, vel pro missis dicendis, vel cultu diuino, vel similibus expenditur. 4

Argu

Argumentum contrariæ opinionis adductum petit vt inquiramus:

QVÆSTIO LXVII.

An concedere religioso licentiam testandi sit dispensare in voto paupertatis?

1 AZORIVS *lib. 12. cap. 9. quæst. vltima*, & plerique alij affirmant.

Contrarium tamen est proculdubio affirmandum. Quia quemadmodum concedi potest religioso administratio, & vsus aliquarum rerum, illas consumendo, & donando inter viuos, quin dominus illarum fiat, ac proinde absque dispensatione voti paupertatis, ita potest concedi licentia donandi causa mortis, & per testamentum, cum id nihil aliud sit, quam ampliatio facultatis ad alienandum, ita vt ea donatio valere possit post mortem. Et ideo ita tenet Nauarr. *comment. 2. de regular. num. 57.* Molina *tom. 1. de iust. disputat. 141.* Less. *lib. 2. cap. 41. disputat. 8.* & Roder. *tom. 3. de regul. q. 69. ar. 2.*

QVÆSTIO LXVIII.

An desideretur iusta causa, vt à Papa concedatur prædicta testandi licentia religiosis?

1 IN qua re certum est apud omnes, iustam causam requiri, vt prædicta licentia sit licita.

QVÆSTIO LXIX.

Sed totum controuersiæ dissidium consistit: An talis licentia absque iusta causa concessa, sit valida?

IOANNES Azor. *lib. 12. cap. 9. q. vltima* tenet non valere. 1

Sed verius, ac probabilius multo est contrarium. Et ratio est, quia dispensatio in iure humano absque iusta causa concessa, illicita est, sed valida, vt late Sanch. *lib. 8. de matrim. disp. 17. n. 24.* & Couar. *cap. Cum in officiis n. 7. de testam.* vbi ait illicitam esse, validam tamen dispensationem Pontificiam absque iusta causa concessam Episcopis ad testandum de redditibus, quos ex Episcopatu percipiunt. Et in propriis terminis tenet Redoanus *de spoliis Ecclesiasticis q. 7. §. his præsuppositis n. 15.* & nos diximus *supra in tertio libro de dispensatione.* Quam sententiam censeo esse verissimam, quando donatio illorum bonorum est aliàs honesta, & talis, vt facta inter viuos ex licentia superioris esset licita, & tantum est illicita ratione modi alienandi, quia nimirum non extat causa iusta ad alienandum per testamentum aduersus iuris dispositionem. Secus si donatio non solum esset illicita ratione modi, sed etiam esset talis per se, quia etiam inter viuos facta, esset iniqua, quia tunc ea donatio etiam ex superioris licentia, esset contra votum paupertatis, ac proinde inualida. Et ratio est, quia cum Romanus Pontifex non sit illorum bonorum dominus, sed administrator, non potest valide licentiam indulgere, vt religiosus ea bona in vsus vanos, & prophanos distribuat. 2

QVÆ

QVÆSTIO LXX.

An hæc licentia testandi debeat esse expressa?

1 RESPONDEO quod sic. Et ratio est, quia cum hæc dispositio per testamentum valdè odiosa sit,& à religioso statu aliena,exigit expressam testandi mentionem, vt ea licentia concessa censeatur. Ita Nauar. *lib.3. consil.in 1.edit.tit. de regul.consf.71.fine, in 2. tit.de donat.consf.7.fine.*

2 Hinc, si Pontifex alicui religioso concedat viuendi licentiam extra claustra monasterij, & disponendi de bonis quæsitis extra monasterium in suos vsus, & alios pios, tunc poterit virtute huius licentiæ facere donationes inter viuos, non autem per vltimam voluntatem.

QVÆST. LXXI.

An Religiosus possit ex superioris licentia codicillos facere?

1 RESPONDEO non posse.Ratio est,quia qui de iure testari nequit non potest etiam codicillos facere. *lege diui.6.§.penult.& l.Si quis 3.paulo post principium.*Et tradit eleganter Nauar.*comm.2.de reg.nu.43.& 44.* & in Man.*cap.27.nu.270.*

QVÆST. LXXII.

An cui concessa est licentia testandi,intelligatur concessa licentia faciendi codicillum?

1 GRAFF.1.*p.decis.lib.2.cap.31.nu.128.* negat.

2 At tanquam certum tenendum est oppositum.Et ratio est, quia de testamento ad codicillum non est propriè extensio, sed comprehensio. Et est conclusio definita *in l. conficiuntur ff. de iure codicillorum,& in l.2.ff. de leg.1.* vbi dicitur quod qui potest testari, potest codicillos facere.

QVÆSTIO LXXIII.

An religiosus possit de superioris religionis licentia aliquid donare causa mortis?

SVNT nonnulli qui tuentur patem affirmatiuam. 1

Mihi vero longe probabilius videtur contrarium. Ducor, quia huiusmodi donatio est quædam testamenti species. 2

Tum quia qui non potest de iure testari, non potest donare causa mortis. Atqui religiosus de licentia superioris non potest testari, vt diximus, ergo non potest donare causa mortis.Et ideo ita tenet Nau.*com.2.de regul.nu.43. & 44.*& in Man. *cap.27. nu.270.*& Roder.*tom.2. de reg.qu.47. articulo 7.*

QVÆSTIO LXXIV.

An censeatur religiosus testari, si facit memoriale significans suam voluntatem de suis bonis,sibi ad vsum concessis, sic, vel sic distribuendis?

RESPONDET optimè Nau.*in man. c.27.n.270.*quod sic,nisi expressè vel tacitè protestetur nolle illam voluntatē suā esse testamentū aut donationem 1

tionē causa mortis, sed solum roget suum Prælatū, vt pro sua libera voluntate illud, aut illud pietatis opus, aut misericordiæ, illi, aut illi faciat. Cū hoc non sit disponere, neque donare, sed tantum ad pie disponendum verbo pie rogare, & exhortari. Quare id licitum est etiam fratribus minoribus, vt recte docet Roder. *to.* 3. *de regul. q.* 69. *ar.* 2.

QVÆSTIO LXXV.

Quo iure religiosus professus testamentum condere nequeat? Perinde est, ac si quæreretur: An iure diuino, & naturali, hoc est, an ratione voti præcisè, an ratione traditionis, qua religiosus seipsum religioni tradidit, an vero sola ecclesiæ constitutione, hoc sit ei interdictum.

1 RESPONDEO ex his, quæ hactenus diximus colligitur religiosum professum esse inhabilem ad condendum testamentum sola ecclesiæ constitutione, non autem naturali, & diuina, id est non ratione voti, nec religionis, aut publicæ promissionis, aut traditionis. Ratio est, quia iuxta probabiliorem sententiam solo iure ecclesiastico redditur inhabilis religiosus ad dominium habendum.

2 Tum quia esto, esset dominij incapax ex iure naturali diuino vt Almay. *tract. de pot. eccl.* tenet: at cum de re aliqua disponere cum superioris licentia non sit actus dominij, néc ad sic disponendum sit inhabilis ratione voti paupertatis religiosus, posset quidem aliquid testari attento iure naturali diuino de superioris licentia non obstante voto: sicut ex eiusdem licentia potest inter viuos rem aliquam mediocrem donare, ergo tota hæc prohibitio est ex solo iure ecclesiastico. Et ideo ita tenet Azor. *lib.* 12. *c.* 6. *q.* 5.

QVÆSTIO LXXVI.

An consuetudine introduci possit, vt religiosus testetur?

GRAFF. 1. *p. decis. lib.* 3. *c.* 5. *nu.* 59. & 1. *p.* 2. *lib.* 2. *c.* 19. *nu.* 86. *negat.* 1

Contrarium tamen asserit Nauar. *com.* 2. *de regul. nu.* 44. & merito quidem, quia quod per priuilegium fieri potest, valet quoque per præscriptionem, & consuetudinem introduci vt optimè tradit Panorm. *in cap. Accedentes de præscriptione.* Sed per priuilegium Pontificis hæc facultas testandi potest religiosis competere, vt diximus; ergo & per consuetudinem legitime præscriptam. 2

QVÆSTIO LXXVII.

An Religiosus possit testamentum ante professionem factum irritare, vel alterare?

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia ille solus potest testamentum irritare, vel alterare, qui potest illud condere, *l. si vt proponis* 7. *fine C. de nuptiis.* Sed religiosus nequit testamentum condere *cap. Quia ingredientibus de testam.* ergo neque antea factum irritare, vel alterare. Poterit tamen dictus religiosus post professionem cueniente aliquo dubio in eius testamento declarare voluntatem suam, quam habuit, quando fecit testamentum vt secundum illam adimpleatur. Quia hoc non est nouum testamentū facere, sed testamentum iam perfectum, & apud se clarum, licet aliis obscurū aperire, & si non aperiret, arbitrio iudicis, vel viri prudentis id fieri deberet, ergo hoc idem potest facere religiosus. 1

QVÆSTIO LXXVIII.

An authoritate Pontificis religiosus possit testamentum ante professionem confectum reuocare?

1 RESPONDEO non posse. Et ratio est, quia per professionem est plenè ius acquisitum illis, in quorum fauorem est conditum.

QVÆSTIO LXXIX.

An licentia testandi concessa à Papa religioso intelligatur de primo testamento, ita vt si illud reuocet, nequeat postea secundum conficere?

1 COVAR. *cap. Cum in officiis nu.* 8. *de testam.* affirmat eam licentiam tantum intelligendam esse pro primo testamento. Et probat, quia in materia odiosa semper dispositio restringitur ad primam vicem, & primum actum, vt dicitur *in cap. Non potest* §. 1. *de preb. lib.* 6. Vnde cum datur facultas alicui vt duo simul beneficia obtinere possit, pro prima vice, intelligitur, vel vt veniat in vrbem, is qui est publice bannitus, semel tantum venire potest. Vel cum datur facultas ingrediendi monasterium monialium, in primo ingressu extinguitur.

2 Sed verius est, eam facultatem non extingui primo testamento, sed virtute illius integrum ei esse toties, quoties voluerit testamentum condere vsque ad mortem, atque adeo primum reuocare. Ratio est, quia non est ea dispositio ita strictè interpretanda, vt reddatur illusoria, ac contra testamenti naturam, quæ est, vt sit vsque ad mortem reuocabilis, adeo vt nullam legem contra hoc sibi testans imponere valeat, quin ab ea tanquam testamenti naturæ contraria recedere liceat. Nec licentia hæc expirat morte concedentis, sed semel concessa est perpetua, dum ab alio Pontifice non reuocatur.

Nec obstat argumentum in contrarium adductum, quia lex illa intelligitur in materiis nimis odiosis, & pœnalibus, atque ob id strictissime interpretanda, facultas autem testandi ad pias causas, non debet censeri nimis odiosa. Et ideo ita tenent. Nauarr. *de redd. quæst.* 3. *num.* 22. Mol. *tom.* 1. *d.* 141. & Rod. *tom.* 3. *de regul. qu.* 68. *ar.* 5. 3

Hinc, cum datur facultas eligendi confessorem, legendi libros, quorum lectio est interdicta, edendi cibos prohibitos in diebus ieiunij, sacrificium offerendi in domo priuata, primo actu non desinit. Quia cum hæc odium, pœnam, vel onus, aut detrimentum non contineat, large est interpretanda. 4

QVÆST. LXXX.

An equites ordinum militarium possint testamentum condere.

IN qua re connenit inter omnes, Equites D. Ioannis, qui solemniter tria substantialia religionis vota emittunt, non posse, nisi de licentia magni Magistri testari. Et ratio est, quia hi sunt vere religiosi voto paupertatis astricti, nihilque proprium habent. 1

Dixi notanter *(nisi de licentia magni Magistri)* quia isti non eam religiosorum claustralium rigidam paupertatem vouent, sed bona sua retinent, & de illis disponunt, licet suis consti 2

constitutionibus, illis potestas testandi interdicatur absque superioris licẽtia.

QVÆSTIO LXXXI.

Sed tota difficultas versatur de Equitibus D. Iacobi Calatraua, Alcantara, &c.

1 NAVAR. *comment. 2. de regular. num. 56.* negat eos testari posse. Quia sunt veri religiosi voto paupertatis astricti, nihilque proprium habent, vnde testentur.

Tum quia Pius V. *in suo motu proprio edito anno Domini 1568. Idus Septembris, qui incipit Romani.* Equitibus omnibus abstulit priuilegia testandi ab aliis Pontificibus concessa.

2 Alij vero rectius affirmant posse. Et ratio est, quia isti sunt veri domini bonorum tam patrimonialium, quam redditruum, commendatum quæ titulo sæculari, id est, militari possident, ergo possunt instar sæcularium de omnibus his bonis testari.

Tum quia habent multa priuilegia Apostolica, quæ id eis concedunt, & consuetudo, ac statuta eorum admiserunt hoc, quæ licet fuerint reuocata à Pio V. fuerunt tamen postea confirmata à Gregorio XIII. vt constat *ex Bulla quæ habetur in constitutionibus dictorum ordinum.* Atque ita tenent. Victoria *relect. de simonia nu. 45.* Sot. *l. b. 10. q. 4. ar. 2.* Cord. *in quæst. lib. 1. q. 18. ad 2.* Molina *to. 1. de iust. disput. 141.* Roder. *tom. 2. de regul. q. 29. ar. 7. & q. 69. ar. 7.* Sarmiento *lib. de redd. 4. p. c. 2. nu. 4.* & Alcozer *lib. de ludo c. 39.*

3 Ex quo sequitur primò istos satisfacere suo paupertatis voto, si quotannis præsentent superiori inuentarium fidele omnium bonorum, quæ possident, nihil occultando, vt ex illius licentia possideant illa. Quia sicut hi non simpliciter, & absolute promittunt castitatem, sed castitatem coniugalem, ita nec perfectam paupertatem, sed illam solum, quæ hodie est consueta ab eis seruari.

Ac proinde peccarent mortaliter contra votum paupertatis, si id inuentarium tempore præfixo non præsentarent, aut in eo conficiendo infideliter se haberent, aliquid notabile occultantes, aut contra superioris præceptum illa bona expenderent.

Secundò sequitur, ludentes cum his Equitibus non teneri lucrata in ludo restituere. Et ratio est, quia cum isti sint veri domini omnium illorum bonorum, possunt libere de illis disponere, ac si essent sæculares, veréque transferunt illorum dominium in lucrantes. Ita Alcozer *lib. de ludo c. 39.* 4

QVÆSTIO LXXXII.

An Donati, & Eremitæ possint testari?

RESPONDEO posse. Ratio est, quia hi verè religiosi non sunt, nec tribus substantialibus religionis votis ligati. Nauar. *comm. 2. de regul. nu. 44.* & Molina *to. 1. disp. 141.* 1

QVÆSTIO LXXXIII.

An religiosus possit esse executor testamenti?

RESPONDEO, absque obtenta superioris licentia nõ posse, & si cõtra facit, vltra peccatum proprietatis quod cõmittit, totũ est irritum, & nullum. Et ratio est, quia administratio est 1

ius quoddam ciuile pretio æstimabile, quo iure tanquam sapiente naturam dominij, religiosus est per professionem priuatus. Et colligitur aperte *ex cap. Religiosus de testam. libr. 6. & ex Concil. Trident. sess. 25. capit. 2. de reformat. regular.* Prælati tamen religionum possunt præbere hanc facultatem suis religiosis sibi subditis exequendi testamentum, vt colligitur *ex dicto cap. Religiosus de testamentis libr. 6.* ac proinde ipsi sine alicuius sui Superioris licentia poterunt hoc munus obire. At vero fratribus Minoribus omnino tale munus subire, prohibitum est, vt habetur *ex Clement. exiui §. verum.* Et ideo ita sentiunt Molina *tom. 1. disput.* 247. Roder. *tom. 2. de regular. quæst.* 72. *artic.* 1. & Couarr. *in cap. Tua nobis de testam. nu.* 2.

2 Ex quo colligitur falsum esse, quod tradit Petr. Nauar. *lib. 3. de rest. c. 1. p. 3. in noua edit. dub. 1. nu.* 167. vbi ait, regulares posse esse testamenti exequutores, nisi eis specialiter suæ religionis statuto interdictum sit. Constat enim *ex dicto cap. de testam.* iure communi omnibus religiosis id munus interdictum esse.

QVÆST. LXXXIV.

An religiosus possit esse fideiussor?

1 RESPONDEO non posse absque superioris, & maioris partis capituli consensu. Ratio est, quia vt habetur *instiut. de fideiuss. in principio*, is solum potest fideiubere, qui liberam suorum bonorum administrationem habet. At religiosus nihil habet, quod possit alteri obligare, ergo non potest esse fideiussor; superiore autem annuente poterit religiosus fideiubere, vt habetur *in cap. penult de fideiuss.* Mol. *to.* 2. *d.* 540.

QVÆSTIO LXXXV.

An religiosus possit esse Tutor?

RESPONDEO non posse citra Superioris, & monasterij consensum, & si absque tali licentia fideiubeat, totum est irritum, & nullum. Et ratio est, quia ex tutelæ administratione oritur obligatio ciuilis, cuius religiosus non est capax, cum nihil proprium habeat, quod alteri obliget: superiore tamen consentiente poterit religiosus tutelam suscipere. 1

2 Ex quo colligitur, religiosum absque superioris consensu, ciuiliter nulli se obligare, sed tantum naturaliter; & tunc quidem se alteri obstringere nequit, nisi in his, quæ facile, & commode per seipsum præstare potest. Ea tamen promissio eatenus est valida, quatenus à superiore minime improbatur.

QVÆSTIO LXXXVI.

An si testator aliquid relinquat religioso ea lege, vt illud ad ipsum, non autem ad monasterium pertineat, tale testamentum valeat?

RESPONDEO valere. Ratio est, quia huiusmodi legatum est benignè interpretandum, ita vt intelligatur, vt quantum ad vsum, & commoditatem ad religiosum pertineat ex consensu Superioris: at dominium pertineat ad monasterium. Quod si superior non consentiat, nullũ erit huiusmodi legatũ, pertinebitque ad hæredẽ deficiente conditione, sub qua est relictum. 1

Et

Et ratio huius est, quia verba in dispositionibus intelligi debent secundum conditionem personæ, ad quam diriguntur. Cum igitur religiosus, ad quem hæc verba diriguntur, sit dominij incapax, & solum vsum habere possit de licentia superioris verba intelligi debent, vt religiosus id legatum obtineat eo modo quo potest habere, nempe quoad vsum dependenter à superiore. Poterit tamen in hoc euentu religiosus consentire, vt vsus illius legati remaneat penes monasterium. Quia cum ea reseruatio fuerit in ipsius fauorem inducta, potest ipse huic fauori cedere.

QVÆSTIO LXXXVII.

Sed quid, si testator dicat, vt id legatum quoad dominium ad religiosum, & nullo modo ad monasterium pertineat?

1 NONNVLLI affirmant id legatum valere, & acquiri monasterio, reiecta ea conditione tanquam turpi.

At verò Molina *tom.* 1. *de iust. disp.* 140. Azor. *lib.* 12. *cap.* 10. *quæst.* 3. & Roder. *tom.* 2. *de regul. quæst.* 125. *art.* 2. rectius docent id legatum esse omnino irritum, & nullum. Quia talis conditio cum voto paupertatis religiosæ pugnat.

QVÆSTIO LXXXVIII.

Sed maior difficultas est, quando testator aliquid relinquit religioso ea lege, vt Prælatus non possit illud à religioso auferre, & in casu quod illum molestet, à tali legato cadat?

SYLVEST. *verb. religio* 6. *quæst.* 7. & Roder. *tom.* 2. *regul. quæst.* 125. *art.* 3. & Corduba *summ. quæst.* 154. tenent id legatum valere, & pertinere ad monasterium, illa conditione reiecta. 1

Sed multo verius existimo id legatum esse irritum, & nullum. Et ratio est, quia talis conditio est licita, quia intelligitur vt s. Prælatus consentiat, religiosum illum habere vsum illius legati, manente dominio penes monasterium, ergo Prælato non consentiente legatum corruet. Et ideò ita tenet Graff. 1. *p. decis. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 41.

QVÆSTIO LXXXIX.

An si testator aliquid relinquat religioso ea conditione, vt illud expendat in vsus, quos voluerit, tale legatum sit validum?

RESPONDEO valere. Quia huiusmodi legatum benignè intelligendum est de vsibus religiosis permissis, vt verba accommodentur personæ, ad quam diriguntur. 1

QVÆSTIO XC.

Sed quid, si expressè diceret, relinquo rem hanc cum conditione, vt illam expendat in vsus vanos, & prophanos?

SVNT quidam qui censent id legatum valere, reiecta illa conditione turpi. 1

At verius est, non valere. Et ratio est, quia talis conditio cum voto paupertatis pugnat. 2

ius quoddam ciuile pretio æstimabile, quo iure tanquam sapiente naturam dominij, religiosus est per professionem priuatus. Et colligitur aperte *ex cap. Religiosus de testam. libr. 6. & ex Concil. Trident. sess. 25. capit. 2. de reformat. regular.* Prælati tamen religionum possunt præbere hanc facultatem suis religiosis sibi subditis exequendi testamentum, vt colligitur *ex dicto cap. Religiosus de testamentis libr. 6.* ac proinde ipsi sine alicuius sui Superioris licentia poterunt hoc munus obire. At vero fratribus Minoribus omnino tale munus subire, prohibitum est, vt habetur *ex Clement. exiui §. verum.* Et ideo ita sentiunt Molina *tom. 1. disput. 247.* Roder. *tom. 3. de regular. quæst. 72. artic. 1.* & Couarr. *in cap. Tua nobis de testam. nu. 2.*

2 Ex quo colligitur falsum esse, quod tradit Petr. Nauar. *lib. 3. de rest c. 1. p. 3. in noua edit dub. 1. nu. 167.* vbi ait, regulares posse esse testamenti exequutores, nisi eis specialiter suæ religionis statuto interdictum sit. Constat enim *ex dicto cap. de testam.* iure communi omnibus religiosis id munus interdictum esse.

QVÆST. LXXXIV.

An religiosus possit esse fideiussor?

1 RESPONDEO non posse absque superioris, & maioris partis capituli consensu. Ratio est, quia vt habetur *instiut. de fideiuss. in principio*, is solum potest fideiubere, qui liberam suorum bonorum administrationem habet. At religiosus nihil habet, quod possit alteri obligare, ergo non potest esse fideiussor; superiore autem annuente poterit religiosus fideiubere, vt habetur *in cap. penult de fideiuss.* Mol. *to. 2. d. 540.*

QVÆSTIO LXXXV.

An religiosus possit esse Tutor?

RESPONDEO non posse citra Superioris, & monasterij consensum, & si absque tali licentia fideiubeat, totum est irritum, & nullum. Et ratio est, quia ex tutelæ administratione oritur obligatio ciuilis, cuius religiosus non est capax, cum nihil proprium habeat, quod alteri obliget: superiore tamen consentiente poterit religiosus tutelam suscipere. 1

Ex quo colligitur, religiosum absque superioris consensu, ciuiliter nulli se obligare, sed tantum naturaliter; & tunc quidem se alteri obstringere nequit, nisi in his, quæ facile, & commode per seipsum præstare potest. Ea tamen promissio eatenus est valida, quatenus à superiore minime improbatur. 2

QVÆSTIO LXXXVI.

An si testator aliquid relinquat religioso ea lege, vt illud ad ipsum, non autem ad monasterium pertineat, tale testamentum valeat?

RESPONDEO valere. Ratio est, quia huiusmodi legatum est benignè interpretandum, ita vt intelligatur, vt quantum ad vsum, & commoditatem ad religiosum pertineat ex consensu Superioris: at dominium pertineat ad monasterium. Quod si superior non consentiat, nullũ erit huiusmodi legatũ, pertinebitque ad hæredẽ deficiente conditione, sub qua est relictum. 1

Et

Et ratio huius est, quia verba in dispositionibus intelligi debent secundum conditionem personæ, ad quam diriguntur. Cum igitur religiosus, ad quem hæc verba diriguntur, sit dominij incapax, & solum vsum habere possit de licentia superioris verba intelligi debent, vt religiosus id legatum obtineat eo modo quo potest habere, nempe quoad vsum dependenter à superiore. Poterit tamen in hoc euentu religiosus consentire, vt vsus illius legati remaneat penes monasterium. Quia cum ea reseruatio fuerit in ipsius fauorem inducta, potest ipse huic fauori cedere.

QVÆSTIO LXXXVII.

Sed quid, si testator dicat, vt id legatum quoad dominium ad religiosum, & nullo modo ad monasterium pertineat?

1 NONNVLLI affirmant id legatum valere, & acquiri monasterio, reiecta ea conditione tanquam turpi.

At verò Molina *tom.* 1. *de iust. disp.* 140. Azor. *lib.* 12. *cap.* 10. *quæst.* 3. & Roder. *tom.* 2. *de regul. quæst.* 125. *art.* 2. rectius docent id legatum esse omnino irritum, & nullum. Quia talis conditio cum voto paupertatis religiosæ pugnat.

QVÆSTIO LXXXVIII.

Sed maior difficultas est, quando testator aliquid relinquit religioso ea lege, vt Prælatus non possit illud à religioso auferre, & in casu quod illum molestet, à tali legato cadat?

SYLVEST. *verb. religio* 6. *quæst.* 7. 1 Roder. *tom.* 2. *regul. quæst.* 125. *art.* 3. & Corduba *summ. quæst.* 154. tenent id legatum valere, & pertinere ad monasterium, illa conditione reiecta.

Sed multo verius existimo id legatum esse irritum, & nullum. Et ratio est, quia talis conditio est licita, quia intelligitur vt s. Prælatus consentiat, religiosum illum habere vsum illius legati, manente dominio penes monasterium, ergo Prælato non consentiente legatum corruet. Et ideò ita tenet Graff. 1. *p. decis. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 41.

QVÆSTIO LXXXIX.

An si testator aliquid relinquat religioso ea conditione, vt illud expendat in vsus, quos voluerit, tale legatum sit validum?

RESPONDEO valere. Quia huiusmodi legatum benignè intelligendum est de vsibus religiosis permissis, vt verba accommodentur personæ, ad quam diriguntur. 1

QVÆSTIO XC.

Sed quid, si expressè diceret, relinquo rem hanc cum conditione, vt illam expendat in vsus vanos, & prophanos?

SVNT quidam qui censent id legatum valere, reiecta illa conditione turpi. 1

At verius est, non valere. Et ratio est, quia talis conditio cum voto paupertatis pugnat. 2

QVÆSTIO XCI.

An Religiosus peccet, qui dicit: hic liber est meus, hæc vestis est mea, &c.

1 ARCHID. Card. & Alexand. *in commentario cap. Non dicatis*, & alij expositores Regulæ sancti Augustini arbitrantur hunc peccare saltem venialiter, quia mentitur, nam scit, vel scire debet, nihil esse suum, & omne mendacium etiam leue, vt docet S. Thom. communiter receptus 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. est peccatum saltem veniale.

Tum quia facit contra *cap. Non dicatis* vbi sic habetur. *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.*

2 D. Basilius *in Regul. breuior. interrogat.* 85. putat hunc peccare mortaliter, ibi enim sic ait. *Qui dicit suum aliquid esse, seipsum alienum reddit ab Ecclesia Dei, & charitate Domini.* Hoc idem videtur sentire Cassianus *in lib.* 4. *de instit. renunciant.* vbi sic ait. *Nec verbo audet quis etiam dicere aliquid suum, magnumque sic crimen ex ore Monachi processisse, meum, tabulas meas, & similia, proque hoc digna pœnitentia satisfacturus sit, si casu aliquo huiusmodi verbum de ore eius effluxerit.*

Mihi autem videtur aliquanto distinctius, & explicatius ad hanc quæstionem esse respondendum, vnde,

3 Primò dico, quod religiosus, qui dicit hoc est meum, & intendit dicere se esse dominum eius, vel possessorem nomine proprio, peccat quia mentitur, sed nón mortaliter, nisi dicat id volendo, illud esse suum, quoad verum dominium, & complacendo, eo quod sit suum, quia tunc contra paupertatem peccat. Et in hoc sensu intelligendi sunt Basilius, & Cassianus *vbi supra.* Et ideò ita tenet Turrecrem. *in cap. Non dicatis num.* 13. Nauar. *com.* 2. *de regular. num.* 1. & Graff. *lib.* 3. *casuum reseruat. cap.* 4. *num.* 10.

Secundò dico, quod religiosus, qui non ex animo, vel affectu proprietario, sed ex incogitantia dominij, proprietatis, vel possessionis, dicit aliquid esse suum, peccat venialiter. Ratio est, quia est mendacium subreptitium.

Tertiò, & vltimò dico, quod religiosus, qui dicit hoc est meum, & per ly *meum*, intendit formaliter, vel virtualiter esse suum quoad vsum, administrationem, vel simplicem detentionem facti, & non quoad dominium, nec quoad veram possessionem, non peccat; immo exercet actum virtutis, quia se pauperem omni dominio carentem profitetur. Quáuis melius diceret, hæc est nostra vestis, &c. sed aliud esse melius altero, non arguit illud esse malum. 4

QVÆSTIO XCII.

An superiores religionum possint pro libito suæ voluntatis bona Monasterij expendere, in quos voluerint vsus?

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia superiores non sunt domini, sed administratores vt habetur *in iure, cap. Fraternitatis de donat.* ergo non possunt monasterij bona in quosuis vsus expendere, sed tenentur illa distribuere in illos vsus, in quos destinata sunt, prout latè probat Nauar. *in cap. Nullam* 18. *q.* 3. *num.* 6 Quod si in prophanos, vel inutiles vsus, vel superfluos, ac contra Regulam, vel instituta suæ religionis, & tandem contra voluntatem suorum superiorum ea dispensent, peccant mortaliter, vt optimè tradit S. Bonau. *in Reg. B. Fran. cap.* 6. D. Anton. 3. *part.* 6. *cap.* 1. §. 11. 1

Nauarr.

Nauarr. *Comm.2. de regul. num.21. & com.3. num.27.* Roder. *tom.3. de regul. quæst.26. artic.* 10. & communis. Vnde Hieronym. *in regul. Monachor. cap.3.* inquit, *Præter victum, & vestitum, & manifestas necessitates, nihil cuiquam tribuas ne filiorum panes, canes comedãt. Tu ergo considera ne Christi substantiam imprudenter effundas.* Et D. Greg. *in pastorali p.3. admonit.21.* de Prælatis loquens sic ait: *Necesse est, vt solicitè perpendant, ne commissa indignè distribuãt.* Et infra. Ne cum pauca oporteat, plurima præbeant. D. Benedictus etiam *cap.55 suæ Regulæ*, postquam Abbati vt monachis necessaria distribuat, præcipit, ac subiungit: *Iam quod superfluum est, amputari debet, & pedules, & quodcumque est vetustum reddant, cum accipiunt nouum.*

QVÆSTIO XCIII.

An Prælatus qui in vsus vanos, & superfluos aut illicitos, ac proinde absque iusta causa bona Monasterij expendit, peccet peccato proprietatis?

1 D. Anton. *3.p. tit.6. cap.1. §.11.* sequutus Vmbertum, Syluester *verb. religio 6. quæst.7.* Roder. *tom.3. de de regul. quæst.19. artic.11.* Aluar. *lib.2. de planctu Ecclesiæ cap.64.* Valent. *2.2. d.10. quæst.4. p.3.* Graff. *lib.3. casuum reseruat. cap.4. num. 36.* & plerique alij citati à Nauar. *comm. 2. de regul. nu.21.* quamuis fateantur eum peccare peccato iniustitiæ, vel infidelitatis, negant tamen eum peccare peccato proprietatis.

2 At ego libentius adhæreo aliorum sententiæ, qui astruunt, huiusmodi Prælatum contra votiuam paupertatem peccare. Et ratio est, quia cùm Prælatus non habeat facultatem dispensandi in superfluos vsus, peccat contra paupertatis votum, dispensando bona monasterij sine licentia, quemadmodum peccaret cellerarius, vel quiuis alius officialis, si excedens sibi commissam potestatem bona monasterij expenderet.

Et confirmatur, si Prælatus in vsus etiam licitos, & honestos sine iusta licentia bona monasterij expenderet, proculdubio peccaret peccato proprietatis, ea sola ratione, quia vti debet administratione sibi iniuncta in vsus rationabiles à lege. Regula, vel constitutionibus permissos: ergo si hanc facultatem excedat, contra paupertatis votum, peccat. Et ideò ita tenent Maior *in 4. dist.38. quæst.9.* Nau. *comment.2. de regular. num.21. & lib.3. cons. in 2. edit. t. de statu monach. cons.3. num.42.* & Azor. *lib.12. cap.12. q.2.*

QVÆSTIO XCIV.

An Prælatus possit concedere licentiam religioso vt bona quorum vsum habet, in quoscumque vsus etiam prophanos expendat?

RESPONDEO non posse. Et ratio est, quia Iura non concedunt administrationem religiosis, nisi ad necessaria, & vsus licitos, & honestos. At Prælatus nihil potest contra Iura, ergo. Vnde non solum peccat mortaliter Prælatus talem licentiam concedendo, sed etiam religiosus subditus ea vtendo. Ita Syluest. *verb religio 6. quæst.7.* Nauarr. *cap. Non dicatis num.53.* & Petr. Toletanus *lib.3. de restit. cap.1. num.183.* 1

Hinc, Prælatus non potest facere facultatem huiusmodi religioso v. g. vt expendat pecuniam in ludos, luxus, & similia: & quamuis Prælatus prædictam licentiam concedat, non ideò 2

ideò subditus excusatur à mortali, & à nota proprietatis, si in materia graui ea vtatur. Et ratio est, quia hoc non est dispensare, vel rectam licentiam dare, sed dissipare, quia dispensatio est discreta pensatio necessitate, vel vtilitate suadente: At in pecunia ad libitum religiosi expendenda, nunquam est salutifera dispensatio.

3 Hinc, religiosus, qui ex consensu superioris aliquid expendit in rem turpem, peccat mortaliter, & est proprietarius, tam ipse, quam superior, qui talem facultatem concedit. Et ratio est, quia superior secundum canones huiusmodi consensum dare non potest. Ita Less. *lib. 2. cap. 41. dub. 8.*

Hinc, quamuis dicere possit Prælatus subdito suo, de peculio tibi concesso, vel ex eo quod tibi do, vade, & eme tibi habitum, vel calceamenta, & alia necessaria, quibus in præsenti indiges, non tamen dicere poterit, concedo tibi tot scutos, vt illos pro arbitratu tuæ voluntatis, vel vt eos dones cuiuis, quia hoc est dispensare in proprio.

4 Hinc, pessima est illa consuetudo quorundam religiosorum, & proprietatis nutritiua, qua pro indumentis sibi assignatis Cellerarius eis dat pecuniam, quam postea expendunt, & dant, atque reponunt prout eis placet, & efficiuntur proprietarij. Vnde superiores deberent eis dare necessaria secundum indigentiam vniuscuiusque, & non pecuniam.

QVÆSTIO XCV.

An religiosus sit proprietarius, qui de licentia superioris multa superflua respectu sui status possidet?

1 IN qua re conuenit primo inter Doctores, hunc religiosum mortaliter peccare, qui de licentia superioris quantitatem notabilem expendit in vsus superfluos, aut vanos, aut tenet multa superflua, & superiorem etiam mortiferè delinquere, cum facultatem concedit Religioso, vt plus habeat ad vsus quotidianos, quam par sit, vt teste Quaranta *in summa Bullarij verbo casus reseruati fol. 157.* statuit sacra Congregatio. Cuius ratio potissima ea esse potest, quia secundum iura ex bonis communibus apud religiosos, nec dari, nec accipi plus debet quam necessarius cuiusque vsus, ac indigentia postulet. Vnde in Concil. Trident. *sess. 25. cap. 2. de regul.* decernitur, ne superfluum religiosis concedatur, sed quæ statum religiosorum deceant.

Tum quia vt communis Theologorum sententia testatur, & tenet D. 2
Thom. *2. 2. quæst. 66. art. 7. & quæst. 87. art. 1. ad* 4. & in 4. *sent. dist. 15. quæst. 2. art. 1. quæst.* 4. superuacaneæ diuitiæ sine peccato retineri etiam à sæcularibus non possunt, vt patet ex illo loco Matth. *6. Non potestis Deo seruire, & mammonæ.* Seruire autem mammonæ nihil est aliud secundum D. Hieronymum in eum locum, quam superfluas diuitias, otiosas pecunias, aut vestes, aut id genus alia congregare. Et Lucæ 3. dicitur: *Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat.* Quo loco per duas tunicas, aut escas, apertè quod superfluum est, significatur vt Hieronym. *in Epist. ad Eddibium q. 1.* explicat. Neque hoc est consilium, sed præceptum. Nam cum dixisset ibi Dominus, omnis arbor quæ non facit fructum bonum exciderur, &c. Quærentibus turbis, quid ergo faciemus. Respondit. *Qui habet duas tunicas, &c.*

Et confirmatur ex illo Luc. 12. vbi 3
Christus Dominus diuiti illi de suis bonis recondendis cogitanti dixit:

Stulte

Stulte hac nocte repetent à te animam tuam, &c. Quem locum explicans D. Pater Augustin. *in lib. 50. homiliar. homil. 7.* affirmat diuitem illum non ob aliud peccatum fuisse damnatum, nisi quia superflua retinebat, & idem asserit de diuite epulone, qui induebatur purpura, & epulabatur quotidie splendide. Vnde Basilius super illa verba, *Destruam horrea mea*, &c. ait; *Est panis famelici, quem tu tenes, nudi tunica, quam in conclaui conseruas, discalceati calceus, qui apud te marcescit, indigentis argentum, quod possides inhumatum. Quocirca tot pauperibus iniuriam facis, quot dare valeres* D. Hieronym. *loco supra citato. Si plus* (inquit) *habes, quam tibi ad victum, vestitumque necessarium est, illud eroga, & in illo debitorem te esse noueris.* Et alibi. *Aliena rapere conuincitur, qui vltra sibi necessaria retinere probatur* D. quoque Augustin. *in Psalm 147. Superflua* (inquit) *diuiti, necessaria sunt pauperi, aliena retinet, qui ista tenet.* Quod si hæc sancti Patres contra diuites seculares scripserunt, quid in religiosos nostri temporis plusquam sæculi diuites abundantes proclamarent?

4 Deinde probatur *ex Clement. 1. de statu Monach.* vbi strictè prohibetur monachis sancti Benedicti quælibet pretiositas, aut superfluitas in suis vsibus. Quam prohibitionem ad omnes religiosos pertinere affirmat Doctor Nauarr. *Comment. 4. de regul. numero 27.* Vnde Hieronym. *in regular. Monach. capit. 2. Certè* (inquit) *non tunicam, nisi qua ex necessitate portatur, non caligam, neque aliud minimum quodque.* Et *capit. 3. non retineatur aliquid quantumcumque minimum vltra ea, quæ ex necessitate portantur.* Et infra. *Si quæ vero supersunt, vno claudantur in loco.* Et D. Basil. *in quæst. fusius explicat. quæstione 22. de religiosorum vestibus tractans*, duplicatas eis habere non permittit. Et *in Regul. breuior. interrog. 70. agens de supellectili religiosorum* ait: *Vsus enim mensura est ineuitabilis necessitas vtendi.* Et ideo huius opinionis sunt Nauarr. *comment. 2. de regular. numero 21. & comment. 2. numero 27.* vbi ex Calder. & aliis docet religiosos sine necessitate non esse capaces vllarum rerum, sæpéque affirmat licentiam à Prælato concessam sine causa esse irritam, immo nec Papam eam posse concedere. Syluest. *verb. religio 6. quæstione 7.* Roder. *tom. 3. de regular. quæstione 29. artic. 11.* Valent. *2. 2. d. 10. quæstione 4. part. 3.* Aluar. *lib. 2. de planctu Eccles. capit. 64.* Petr. Nauarr. *lib. 3. de rest. cap. 1. cap. 3. dub. 1. num. 168.* Graff. *lib. 3. casuum reseruat. cap. 4. num. 36.* & Mendoza *in suis quodlib. q. 8. c. 6.*

Secundò etiam conuenit, hunc non incidere in pœnas proprietarij 5 positas *in cap. Monach. de statu Monach.* Et *in cap. Cum ad monasterium eod. tit. & in Concil. Trident. sess. 25. capit. 2. de regular.* Et ratio est, quia huiusmodi pœnæ non imponuntur contra omnem proprietarium, sed solum contra eum, qui clam, & sine scientia, & licentia Prælati saltem iniusta, bona Monasterij vsurpat, aut rebus ad suum proprium vsum destinatis abutitur, vt rectè annotauit Nauarr. *comment. 2. de regular. num. 21.* Et consequenter etiam dicendum est, nec ipsum superiorem prodigè expendentem incurrere prædictas pœnas; quia si licentia ab ipso cōcessa subdito est valida ad eum effectum, vt liberetur à proprietariorum pœnis, liberabitur quoque ipse sic expendens.

QVÆSTIO XCVI.

Sed dubiæ quæstionis est; An huiusmodi religiosus peccet peccato proprietatis?

1 D. Anton. 3.*p.t.*16.*cap.*1.§.11. Tab. *verb. religio quæst.* 44. Syluest. *verb. religio* 6.*quæst.*7. Turrecrem.*cap. Non dicatis* 12. *quæst.*1. *art.*2. *num.*4. Less.*lib.*2.*cap.*41. *dub.*9.Graff. 1.*part. decis.lib.*3.*cap.*5. *num.*48. *&* 61. *& lib.* 3.*cap.*19 *num.* 30. & Azor. *lib.*12. *cap.* 12.*quæst.*5.& Nauarr. *cap. Non dicatis num.*21. existimant hunc non peccare peccato proprietatis, sed auaritiæ. Quia nihil vsurpat absque superioris licentia, & est paratus ad nutum superioris omnia relinquere.

2 Cæterùm multo probabilius est huiusmodi religiosum contra votiuam paupertatem peccare. Et ratio est, quia hic ex communi omnium sententia peccat mortaliter, sed non apparet quale illud peccatum sit, nisi proprietatis, ergo illud committit.

Tum quia Prælatus non est dominus bonorum monasterij, sed administrator; Ius autem non concedit illi administrare ad vsus vanos,& inutiles,sed tantum ad necessarios,& honestos, ergo in ea licentia excedit limites suæ potestatis.

Tum quia hic religiosus vtitur rebus superfluis contra voluntatem summi Pontificis, qui est supremus omnium religiosorum Prælatus, nam in Concil.Trident. *sess.*25. *cap.*2. *de regular.* decernitur, vt eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conueniat, nihilque superflui in ea sit, nihil etiam quod sit necessarium, eis denegetur. Et ideò ita sentiunt Maior *in* 4. *d.*38.*q.*9. Petr. Nau. *lib.*3.*de restitut. cap.*1. *dub.*1.*num.*168. & Graff. *sibi contrarius in* 2. *p. decis.lib.* 3.*cap.*19.*num.*15.26.*&* 34.

Hinc, religiosus, qui de licentia superioris vtitur rebus ita abundanter, vt reliqui religiosi patiantur necessitatem, peccat, quia ita faciendo, facit iniuriam aliis, cum bona monasterij pro indigentibus communia sint, & tantum potest esse excessus, vt peccet mortaliter contra votum paupertatis, tam dispensatus, quam superior dispensans, quia ex officio tenetur Prælatus fideliter, & rationabiliter dispensare bona monasterij, vt post Victoriam, Lop. 2.*p. sui instruct. conf. cap* 6. & Roder.*p.*2.*summ.cap.*31. *num.*10. resoluunt. 3

Hinc, contra votum paupertatis peccant, qui in cellis amplissima supellectili,paramentis, picturis, imaginibus aureis,aut argenteis,alioque rerum vario, & multiplici ornatu, diuitum seculi more abundare non verentur. Similiter qui infinita librorum multitudine armaria replent, quos ferè nunquam ipsi nec vident, nec intelligunt, illosque secum per varia monasteria magnis sumptibus, strepitu magno, & pusillorum scandalo deferunt. 4

Hinc, religiosus, qui recipit, vel in suo cubiculo retinet arma,vt sclopetū, lanceam,thoracem,& his similia, quæ neque necessaria,sunt nec statui religioso decentia, est proprietarius: nec superior permittere potest, vt religiosus apud se teneat nociua, & quæ statum suum non concernunt,vt determinat sacrum Concil. Trident.*sess.*25. *cap.*2.*de regul.* 5

Hinc, qui habet aliquid de licentia Prælati, si de eo aliquid ei supersit, non potest de illo pro suo arbitratu disponere, sed tenetur illud Prælato restituere alias est proprietarius. 6

Hinc, religiosus, qui de licentia superioris 7

perioris rem aliquam possidet, si postea illa non indiget, tenetur eam tradere superiori, vel in vestiario reponere, vt superior liberè de ea disponat. Ratio est, quia quando superior religioso subdito aliquam rem concedit, solum concedit illam pro tempore, quo ea indiguerit: ergo ea necessitate cessante, tenetur eam restituere. Vnde S. Benedictus *in sua Regula cap. 55. prohibens superfluitatem* dicit: Accipientes noua vestimenta, vetera semper reddant in præsenti, reponenda in vestiario: sufficit enim monacho duas tunicas, duas cucullas habere propter noctes, & ad lauandas ipsas, iam quod supra fuerit, & superfluum, & amputari debet, & quodcumque est vetustum reddant, cum accipiunt nouum. Et D. Basil. *in Regul breuior. interrogat. 69.* præcipit vt cellerarius siue œconomus quoties vestimentum nouum Monachis præbet, vetus ab ipsis accipiat. Et D. Bonauent. *in Reg. de reformat. mentis; Attende* (ait) *semper, vt nihil habeas in cella nisi necessaria, & hoc dico de minimis rebus, ne fortè negligendo modica, paulatim cadas ad maiora.* Ait enim Augustin *Vitasti grandia, vide ne obruaris arena.* Vnde D. Anton. *in 4. part. summ. t. 14. cap. 10. §. 5.* refert quendam religiosum post mortem cuidam suo confratri apparuisse cum cruribus igne concrematis, rationemque illius pœnæ reddidisse, quia veteres caligas sibi obseruauerat, & in communi vestiario non posuerat.

8 Hinc, superiores qui superflua ædificia, aut nimis curiosa construunt, dummodo illa excedant statum paupertatis, aut decentiam sui status peccant mortaliter, & sunt proprietarij, vt colligitur apertè *ex Concil. Viennensi relato in Clement. exiuit §. rursus.* De quo abusu loquens Pater noster Bernard. *in apolog. ad Guilelmum Abbatem. Et in Epistola ad fratres de Monte Dei*, sic ait: *Iam enim subintrauit de are alieno sumptuosum, & (quantum sinit pudor) ambitiosa cellularum ædificatio, & abiecta sancta simplicitate, & rusticitate quasi religiosas quasdam nobis creamus habitationum honestates. Dimissam enim nobis à Patribus nostris iure hæreditario formam paupertatis, & sanctæ simplicitatis speciem, verum decorem domus Dei alienantes à nobis, & à cellis nostris, per manus artificum exquisitorum, cellas non tam eremiticas, quam aromaticas ædificamus nobis de eleemosynis pauperum.* Et post pauca. *Ergo obsecro in peregrinatione huius sæculi in malitia hac super terram ædificemus nobis non domos ad habitandum, sed tabernacula ad deferendum: vtpote cito inde vocandi, & emigraturi in patriam.*

D. quoque Bonauentura *in Epistola quam suo ordini scripsit*, enumerans damna, & incommoda, quæ ex ædificiorum sumptuositate, & superfluitate euenire solent, sic ait: 9
Occurrit ædificiorum constructio sumptuosa, & curiosa, quæ pacem fratrum inquietat, grauat amicos, & hominum peruersis iudiciis multipliciter nos exponit, & non sine præiudicio paupertatis occurrit sumptuositas expensarum. Nam cum fratres pauci nolint esse contenti, facti sumus omnibus onerosi, magisque fiemus in posterum, nisi remedium celeriter opponatur. Et infra *Luce clarius prædicta omnia in maximum, & nullo modo dissimulandum vergunt nostri ordinis detrimentum, quamuis tepidis, & indeuotis, & carnalia sapientibus, quasi iam facilia, inexcusabilia, & irremediabilia videantur, prauas ergo prædictorum vitiorum consuetudines viriliter vos, ô Prælati, resecetis, requirit hoc professio perfectionis nostra, requirit tribulationis*

incursus, requirit mundus. Clamat S. Pater noster Franciscus, sanguisque Christi aspersus, & dominus de excelsis, &c. Et idem quoque confirmat in alia Epistola, dicens. *Nam frequentia discursus, & importunitas quaestus viles nos, & graues efficiunt, pro eo s. quod dum paucis nolumus esse contenti, & adificia sumptuosa conamur erigere, vilia summo studio quaritantes, nobilia per incuriam perdimus.* Et infra. *Quoniam paupertas est nostri ordinis praerogatiua sublimis: Va si hac Margarita conculcanda porcis viliter exponatur. Discursum, curam, quaestum, sumptuositatem adificiorum, librorumque, vestium, ac ciborum sic studeas computare, quod à professionis excellentia, vita obseruantia non discordet. Fœdum est enim prophanumque mendacium summa paupertatis voluntarium se professorem asserere, & rerum nolle penuriam pati. Interius instar diuitum affluere velle, & exterius more pauperum mendicare.* Hæc ille.

QVÆSTIO XCVII.

Quidnam in hoc loco dici debeat necessarium, quid verò superfluum religiosis?

1 RESPONDEO & dico primò, quod necessarium dicitur non solum quod absolutè est necessarium, ita vt sine illo res nullo modo possit consistere, quod apud logicos dicitur *necessarium simpliciter*. Sed & illud dicitur necessarium, sine quo res non potest decenter, & congruenter conseruari, quod à logicis dicitur necessarium secundum quid.

2 Secundò dico, quod id in præsenti negotio superfluum dicitur, quod pensatis omnibus circumstantiis religionis, personæ, loci, temporis, officij, &c. neque ad vitam, neque ad decentiam status religiosorum est necessarium. Vnde quod in vna religione iudicatur moderatus vsus, in altera vt superfluus meritò reiicitur, & quod in eodem monasterio vni est necessarium, respectu alterius censetur superfluum, & quod alicui tempore infirmitatis est opportunum, id recuperata sanitate eidem est inconueniens. Et vt optimè Hugo de sancto Victore *in Regula S. August. cap.* 4. aduertit, regulam banc de distribuendis bonis communibus, inspectis necessitatibus, & ætatibus, non sic esse interpretandam, vt abundanter omnia distribuantur, quasi omnimoda indigentia sit è monasterio propulsanda. Quamuis enim Actuum 4. habetur: Nec quisquam egens erat inter illos: tamen etiam de ipsis Apostolis dicitur, quod Deo seruiebant in fame, & siti, in frigore, & nuditate. Vnde D. Bernardus, *Magna* (inquit) *abusio est, vt in loco paupertatis, vbi diuites penuriam incurrunt, pauperes superfluitatem quarant: in loco afflictionis*, vbi delicati mortificantur, homines rustican res delicatas affectent. Et *in serm. 4. de aduentu, Videmus autem* (inquit) *pauperes aliquos, qui si veram haberent paupertatem, non adeò pusillanimes inuenirentur, & tristes, vtpote Reges, & Reges cali, sed hi sunt, qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, vt nihil eis desit, & sic diligunt paupertatem, vt nullam inopiam patiantur.* Et S. Vincentius *in lib. de vita spirituali cap.* 4. *Scio* (ait) *quod laudabile non est pauperem esse, sed in paupertate, paupertatem amare, & paupertatis inopiam propter Christum gaudenter, & hilariter sustinere. Proh dol r, multi de paupertatis solum nomine gloriantur: sed quo pacto, vt nihil eis desit Quare quilibet religiosus corporis necessariis*

debet

debet esse contentus, sine thesaurizatione superfluorum, tam præsentium, quam futurorum, iuxta sententiam D. Pauli dicentis 1. ad Timoth. 6. *habentes alimenta, & quibus tegamur, iis contenti simus*. Et D. Hieron. *in cap. Clericus*, inquit, *habens victum, & vestitum iis contentus ero. & nudam crucem, nudus sequar. Vnde miror* (vt cum D. Bernardo *ad Guillelmum Abbatem* clamem) *vnde inter monachos tanta intemperantia in commessationibus, potationibus, in vestimentis, & lectisterniis & equitaturis, & construendis ædificiis inolescere potuit, & quod deterius est, vbi hæc studiosius, voluptuosius, atque effusius fiunt, ibi ordo melius teneri dicatur, ibi maior putetur religio. Ecce enim parcitas putatur auaritia, sobrietas austeritas creditur, silentium tristitia reputatur. Et contra remissio discretio dicitur, effusio liberalitas, loquacitas affabilitas, cachinnatio iucunditas, mollities vestimentorum, & equorum fastus honestas, lectorum superfluus cultus munditia. Cumque hæc alterutrum impendimus, charitas appellatur. Ista charitas destruit charitatem, hæc discretio, discretionem confundit, talis misericordia, crudelitate plena est, qua videlicet ita corpori seruitur, vt anima iuguletur. Quæ enim charitas est, carnem diligere, & spiritum negligere? Quæve discretio totum dare corpori, & animæ nihil? Qualis vero misericordia ancillam reficere, & dominam interficere? Nemo pro huiusmodi misericordia speret se consequi misericordiam, quæ misericordibus promittitur in euangelio, veritatis ore dicentis. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Sed certissimè potius pœnam expectet, quam tali (vt ita dicam) impio misericordi, S. Iob magis prophetizando, quam affectando imprecatur.* Et infra idem Bernard. 1. Timoth. 6. *Habentes victum, & vesti um, his contenti simus. Nobis autem pro victu satietas, nec vestitum appetimus, sed ornatum. Quæritur ad induendum, non quod vtilius, sed quod subtilius inuenitur, non quod repellat frigus, sed quod superbire compellat, non denique* (iuxta Regulam) *quod vilius comparari potest, sed quod venustius, immo vanius ostentari. Heu me miserum qualemcumque monachũ. Cur adhuc viuo videre ad id deuenisse ordinem nostrum, ordinẽ scilicet qui primus fuit in ecclesia, immo à quo cœpit ecclesia, quo nullus in terra similior angelicis ordinibus, nullus vicinior ei, quæ est in cœlis Hierusalem mater nostra, siue ob decorem castitatis, siue propter charitatis ardorem, cuius Apostoli institutores, cuius hi, quos Paulus, tam sæpe sanctos appellat inchoatores extiterunt? Et quidem inter illos cum nihil quod suum esset, quispiam retinuisset, diuidebatur, vt scriptum est, singulis prout cuique opus erat, non igitur quod quisque pueriliter gestire poterat. Sane vbi tantum, quod opus erat, accipiebatur, ibi nihil procul dubio otiosum admittebatur, quanto magis nihil curiosum? quanto magis nihil superbum? Quod inquit opus erat, hoc est, quantum ad indumenta, quod & nuditatem tegeret, & frigus repelleret. Putasne ibi cuiquam galabrunum, aut issembrunum quærebatur ad induendum cuiquam ducentorum solidorum mula parabatur ad equitandum? Putasne inquam cuiuspiam lectuli opertorium cattinum, aut discolor barricanus operiebat, vbi singulis diuidebatur tantum, prout cuique opus erat? Non illic arbitror valde curatum fuisse de pretio, de colore, de cultu vestimentorum, vbi tam indefessum inerat studium in concordia morum, animorum cohærentia, profectúque virtutum. Multitudinis,* inquit, *credẽtium erat cor vnum, & anima vna. Vbi nunc illud vnanimitatis exercitium? Fusi sumus exterius, & de regno Dei, quod intra nos est, relictis veris, ac perennibus bonis, foris quærimus vanam consolationem de vanitatibus, &*

insaniis falsis, ac iam religionis antiquæ non solum virtutem amisimus, sed nec speciem retinemus. Ecce enim ipse habitus noster (quod & dolens dico) qui humilitatis esse solebat in signe, à monachis temporis nostri, insignum gestatur superbiæ. Vix iam in nostris Prouinciis inuenimus, quo vestiri dignemur. Miles, & monachus ex eodem panno partiuntur sibi cucullam, & chlamydem. Quiuis de sæculo quantumlibet honoratus, etiam si Rex, etiam si Imperator fuerit, non tamen nostra horrebit indumenta, si suo sibi modo præparata fuerint, & aptata. Ceterum in habitu, inquis, non est religio, sed in corde. Benè. At tu quando empturus lustras vrbes, fora circuis, percurris nundinas, domos scrutaris negotiatorum, cunctam euertis singulorum supellectilem, ingentes explicas pannorum cumulos, attrectas digitis, admoues oculis, solis opponis radio, quidquid grossũ, quidquid pallidum occurrerit, respuis. Si quid autem sui puritate, ac nitore placuerit, illud mox quantolibet pretio satagis tibi retinere. Rogo te, ex corde facis hæc, an simpliciter? Cum denique contra Regulam non quod vilius occurrerit, sed studiosissime quæris quod quid rarius inuenitur pretiosius, emitur, ignorãs facis hæc, an ex industria? Ex cordis thesauro sine dubio procedit quidquid foris apparet vitiosum. Vanum cor vanitatis notam ingerit corpori, & exterior superfluitas, interioris vanitatis indicium est, mollia indumenta animi mollitiem indicant. Non tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus. Miror autem cum Regula dicat, ad magistrum respicere, quidquid à discipulis delinquitur, & dominus per prophetam, sanguinem in peccato morientium de manu Pastorum requirendum esse minetur, quomodo Abbates nostri patiuntur fieri talia, nisi forte (si audeam dicere) nemo fidenter reprehendit, in quo se esse irreprehensibilem non confidit. Si quidem humanitatis est omnium, in quo quisque sibi indulget, aliis non vehementer irasci. Dicam, dicam, præsumptuosus dicar, sed verum dicam. Quomodo lux mundi obtenebrata est? Quomodo Sal terræ infatuatum est? quorum nobis via vitæ debuit esse, dum exemplum in suis actibus ostendunt superbiæ, cæci facti sunt duces cæcorum. Quod enim (vt cætera taceam) specimen humilitatis est cum tanta pompa, & equitatu incedere, tantis hominum crinitorum stipari obsequiis, quatenus duobus Episcopis vnius Abbatis multitudo sufficiat? Mentior si non vidi Abbatem sexaginta equos, & eo amplius in suo ducere comitatu. Dicas, si videas eos transeuntes non patres esse monasteriorum, sed dominos castellorum; non Rectores animarum, sed Principes Prouinciarum. Tum deinde gestari iubentur mappulæ, scyphi, bacini, candelabra, & manticæ suffarcinatæ, non stramentis, sed ornamentis lectulorum. Vix denique quatuor leucis à sua quispiam domo recedit, nisi cum tota supellectili sua, tanquam sit, vel iturus ad exercitum, vel transiturus per desertum, vbi non valeant inueniri necessaria. An non posset eodem vasculo, & aqua manibus vergi, & vinũ bibi? An non posset ardens lucere lucerna, nisi in tuo quod portas candelabro, & hoc aureo, vel argenteo. An non posset dormiri, nisi super varium stratum, aut sub peregrino coopertorio? An non vnus aliquis minister posset, & iumentum ligare, & ad mensam seruire, & lectulum præparare? Nunc ergo tanta multitudini garsionum, ac iumentorum, cur vel ad solatium mali, nobiscum non ficimus necessaria quatenus hospites non grauaremus? Sed hæc parua sunt, veniam ad maiora, sed ideo visa minora, quia vsitatiora. Omitto oratoriorum immensas altitudines, immoderatas longitudines, superuacuas latitudines, sũptuosas depolitiones, curiosas depictiones, quæ dum orantium in se retorquent aspectum, impediunt & affectum. Hæc Bernardus. Sed

3 Sed contra hoc dicunt multi ex talibus religiosis tepefactis, quod talia omnia etiam superflua tenent de licentia Prælatorum.

Ad quos respondeo quod Prælati non possunt cum talibus quod habeant, & vtantur superfluis, dispensare, quia istud, non est dispensare, sed dissipare. Cum enim quilibet religiosus victu, & vestitu debeat esse cōtentus 1. Tim. 6. quomodo contra tot Iura, & eorum regulas potest cum talibus in tali superfluitate dispensari.

QVÆSTIO XCVIII.

An Religiosus possit, tuta conscientia, stare arbitrio superioris quoad mobilium superfluitatem vel conuenientiam?

1 RESPONDEO nisi de excessu arbitrij constiterit, habita nempe ratione personæ, officij, & Regulæ, statusque paupertatis quam professus est, & cæterarum itidem qualitatum, vtique stare debere, vt teste Anto. Haldo *verb. religionis nu.* 28. sacra Congregatio declarauit.

QVÆSTIO XCIX.

An superior vna cum consensu capituli possit licentiam concedere, vt religiosus aliquid in vsus vanos, & superfluos expendat?

1 RESPONDEO non posse. Et ratio est, quia licet monasterium sit dominus eorum bonorum, hoc tamen dominium est restrictum per votum paupertatis, & ecclesiæ constitutionem. Nau. *com. 2. de reg. n.* 23. Less. *lib. 2. c.* 18. *dub.* 11. Roder. *to. 3. de reg. q.* 29. *ar.* 21. & Mendo. *in suis quodlib. q.* 8. *ar.* 6.

QVÆSTIO C.

An si religiosus de superioris sui licentia aliquid in vsus turpes, vanos, & superfluos expendat, teneatur accipiens restituere?

BAñ. egregius Thomista 2. 2. *q.* 62. *ar.* 5. & Lop. *lib.* 2. *de contract. cap.* 40. tenent religiosum habentem licentiam sui Prælati aliquid expendendi in vsus, quos ipse voluerit, non peccare contra iustitiam, si illud in vsus turpes, vanos, & superfluos expendat, nec ab eo accipientem teneri restituere. 1

Rebell. *de iust. p.* 2. *lib.* 12. *q.* 4. *sect.* 2. *nu.* 6. affirmat Religiosum habentem sui Prælati licentiam, aliquam pecuniam expendendi in suam honestam recreationem peccare si ludis vetitis, aut aliis vsibus illicitis illam expendat: at lucrantem, vel recipientem non teneri restituere. Quia licet modus alienandi superiori displiceat, ipsa tamen alienatio placet.

Verùm opposita sententia est frequentissima, & tenenda, nēpe Religiosum sic expendentem peccare contra iustitiam, & accipientē teneri ad restitutionem. Ratio est, quia quādo superior eam licentiam Religioso concessit, non est censendus ad huiusmodi vsus illicitos dedisse facultatem, cum generali concessione non censetur id concessum, quod denegaretur, si in particulari fuisset petitum. *Regul. in generali* 81. *de regul. iuris in* 6. 2

Tum quia cum superior eam licentiam concedere nequeat, non est in dubio præsumendum, velle eam generalem licentiam concedendo comprehendere hos vsus turpes, vanos, & superfluos, sed eos solos, quos votum paupertatis patitur.

Tum

Tum quia in tali distributione non solum est superior inuitus quoad modum, sed etiam quoad rem alienatam, ergo tam distribuens, quam accipiens peccat contra iustitiam, cum onere restituendi acceptum. Immo si expressam superioris licentiam haberet Religiosus expendendi pecuniam in eos vsus turpes, & superfluos, adhuc teneretur accipiens restituere.

3 Quia vt dixi, Prælatus non potest eam licentiam concedere. Et idem dicendum est, si ipsemet superior in vsus hos turpes, & superfluos expenderet. Quia rationes adductæ militant etiam in eo, & ideo ita tenent D. Anton. *3. part. tom. 16. capit. 1. §. 11.* Syluest. *verb. Religio 6. quæstio. 7.* Molin. *tom. 1. d. 94. & 140. & tom. 2. d. 276.* Roder. *tom. 2. de Regul. quæstion. 125. artic. 2.* Petr. Nauarr. *lib. 3. de restit. cap. 2. part. 3. dub. 3. num. 183.* Less. *libr. 2. cap. 41. dub. 8.* Mart. Nauar. *lib. 3. conf. t. de statu Monach. conf. 3. nu. 33.* & Abulen. *in cap. 6. Matth. q. 36.*

QVÆSTIO CI.

An Religiosus sit proprietarius qui habens pecuniam sibi à superiore deputatam ad emendos, verbi gratia, libros, eam expendit in aliquid aliud, ad quod emendum probabiliter creditur superiorem non consentire?

1 RESPONDEO esse proprietarium. Ratio est, quia eo ipso iam vsurpat rem independenter à voluntate superioris, quasi dominus. Sic Nauar. *lib. 3. de rest. c. 1. nu. 183.* & Roder. *to. 3. de reg. q. 29. ar. 10.*

QVÆSTIO CII.

An Religiosus qui sciente, & annuente superiore penes se retinet, aut in cubiculo suo habet pretiosa, sit proprietarius?

RESPONDEO esse proprietarium. Ratio est, quia facit contra id quod præcipitur *in cap. Ne in agro in Clem. de statu Monach.* vbi interdicitur cunctis Regularibus notabilis excessus, & inordinatus omnis, seu exquisitus ornatus, aut cultus in vestibus, necnon in cibis, & potibus, equitaturis, & lectisterniis. Et in Concil. Trid. *sess. 25. c. 2. de regul.* habetur. *Mobilium verò vsum, ita superiores permittant, vt eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conueniat.* 1

Nec valet multorum excusatio, quod habeant, & vtantur superfluis, aut pretiosis cum licentia suorum superiorum, quia superiores non possunt cum talibus dispensare, vel rectam licentiam dare, quia canones non concedunt administrationem regularibus nisi ad res necessarias, vtiles, aut honestas. Quare tam dispensans, quam dispensatus retinendo pretiosa peccant contra votum paupertatis. 2

Hinc, religiosus qui de licentia Prælati penes se retinet pretiosa, vt vasa aurea, & argentea, gemmas, annulos, vestes sericas, culcitras plumeas, & intextas vario ornatu colore, pannos præfulgidos, ac coloratos, specula ex argento, auroque, vel ebore connexa, libros delicatos perlis, auro, & argento munitos, ac coopertos, coralia, cultellos manubriis de argento, & auro exculptos, coclearia & furcinulas eiusdem generis, coronas pretiosissimas, reliquiaria, vel 3

vel cruces aureas, vel argenteas, horologia paruula valoris excedentis, tapetia, cortinas, & alia ornamenta parietum, tabularum, lecti, & cellarum, ædificia adornata cum picturis magni pretij, & id genus alia, quæ neque necessaria sunt, neque statũ religiosorum decentia, peccat mortaliter contra votum paupertatis. Nec Prælatus potest alicui religioso talem facultatem concedere, quia per decretum Conc. Trident. *sess.* 25. *cap.* 2. *de regular.* id est prohibitum: ibi enim sic habetur: *Mobilium vero vsum ita superiores permittant, vt eorum supellex status paupertatis, quam professi sunt conueniat, nihilque superflui in ea sit.* Et ideo ita tenent Nauar. *comm.* 4. *de regul. nu.* 17. Roder. *to.* 3. *de regul. q.* 29. *art.* 11. & Azor. *lib.* 12. *cap.* 12.

Hinc colligitur, quam periculosè errent multi religiosi, credentes sibi sufficere dispensationem, seu licẽtiam suorum Prælatorum, ad habendum multa, quæ sibi non sunt necessaria.

QVÆSTIO CIII.

An Religiosus, qui habet aliquid de licentia iniusta Prælati, peccet peccato proprietatis?

1 TVRRECREMATA *tract.* 94. *cap.* 33. & Humbert. *super regulam S. Benedicti.* tenent hunc non peccare peccato proprietatis, sed auaritiæ, modo sit paratus illud resignare in manu Prælati, simul, ac fuerit requisitus.

2 Alij vero non minoris nominis Authores docent hunc peccare peccato proprietatis. Et probant primo, quia omnes fatentur hunc aliquod peccatum peccare, & non aliud, quam proprietatis, ergo peccat illud.

Secundò, hic religiosus non peccat in hoc casu contra castitatem, neque contra obedientiam, vt constat, ergo contra paupertatem, & per consequens peccat peccato proprietatis.

Tertiò, qui tenet aliquid sine licentia Prælati, peccat peccato proprietatis: at licentia iniusta non excusat, quia talis licentia videtur dissipatio contra votum paupertatis, quæ sine iusta causa facta etiam à Romano Pontifice non excusat.

Quartò, quia ex eo sequeretur, 3 quod non esset proprietarius religiosus, qui de consensu superioris in vsus prophanos expenderet bona monasterij, quod est falsum.

Quintò, & vltimò, quod Prælatus qui in vsus vanos, & prophanos redditus Monasterij prodigit, est proprietarius, ergo & religiosus, qui de iniusta superioris licentia vtitur rebus monasterij, peccat peccato proprietatis, & ita sentit Nauar. *com.* 2 *de regul. num.* 21.

Cæterum ego quidem dicendum 4 existimo in primis, quod huiusmodi religiosus peccat peccato proprietatis, si non est paratus reddere superiori, simul ac fuerit requisitus, vt etiam Authores primæ opinionis testantur, adeò quod si eo retento moreretur, esset sepeliendus in sterquilinio iuxta *cap. Super eo. & cap. Cum ad monasterium de statu monachorum.*

Secundò existimo, quod si est paratus relinquere ad nutum superioris, peccat quidem peccato proprietatis, sed non incurrit illam pœnam, quippe quæ non imponitur contra omnem proprietarium, sed contra illum solum, qui clam sine licentia saltẽ iniusta superioris retinet bona monasterij, quia longe grauius peccat hic, quam ille, & proinde pœna contra hunc posita non extenditur ad illum. 5

QVÆST. CIV.

An Prælatus qui cum subdito dispensat, vt aliquid teneat, vel distribuat sine iusta causa, sit proprietarius?

1 RESPONDEO esse proprietarium. Ratio est, quia abutitur potestate quæ data est ei non in destructionem, sed in ædificationem 2. Cor. 10. Nam cum dispensatio dicatur prouida iuris communis relaxatio, vtilitate seu necessitate pensata: & talis cum non sit prouida, nec vtilitate, seu necessitate promota non est dispensatio dicenda, sed potiùs iuris, & religionis dissipatio.

QVÆSTIO CV.

An religiosus possit absque superioris licentia aliquid sibi donatum recipere, vel retinere?

1 RESPONDEO non posse. Et ratio est, quia religiosus voto paupertatis adstringitur ad nihil habendum tanquam proprium idest, propria voluntate, aut propro nomine, sed voluntate & nomine superioris. At qui absque prædicta licentia aliquid accipit, vel retinet, recipit propria voluntate, & proprio nomine, ergo est proprietarius. Quod est verum, etiamsi religiosus solum rei vsum absque superioris licentia accipiat, manente dominio apud dantem, vt si librum accommodatum accipiat. Quia vsus ille est pecunia æstimabilis.

2 Et est conclusio definita *in cap. Non dicatis*, vbi sic dicitur. *Certum est, eos nihil habere, dare vel accipere sine superioris licentia debere*, & post pauca subiungit: *Quod si propinquus, vel amicus, vel quilibet fratrum cuipiam aliquid offerre voluerit, primo quidem Priori insinuetur, & sic suscipiatur, si ipse mandauerit, de quo tamen nihil fiat aliud, nisi quod Priori placuerit.* Ex quibus verbis colligitur non solum esse illicitum religioso accipere aliquid ab externis sine superioris licentia, sed etiam ab aliis religionis domesticis, nisi consulto superiore.

Idem definitur *in cap. Cum ad monasterium* in illis verbis: *Quod si fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati, vel Priori consignetur.*

Deinde *in Conc. Mediolanensi p. 3. const. cap. de Monialibus* idem præcipitur his verbis: *Bona* (inquit) *quæ singulis mittuntur, ad Præfectam offerantur, neque vlla possit illa accipere, aut ad vsum habere, nisi sciente, aut consentiente Præfecta.* Vnde D. Benedictus *in sua Regula capite 33. de eadem materia tractans* sic ait. *Ne quis præsumat aliquid dare, aut accipere sine iussione Abbatis.* Et *in cap. 55.* ait: *Qui tamen lecti frequenter ab Abbate scrutandi sunt propter opus peculiare, ne inueniatur, & si cui inuentum fuerit, quod ab Abbate non acceperit, grauissimæ disciplinæ subiaceat.* 3

Idem quoque docet D. Basilius *in quæst. breuior. quæstione 87.* dicens: *Dare, aut accipere non est cuiuslibet, sed eius, cui delatum est munus dispensandi.* Et D. August. *in prima Regula agens de itinerantibus* sic ait: *Si quis autem causa necessitatis detineat id quod à monasterio secum portauit: necesse habet vbi Præpositus suus est, illud proferre, quia non poterit sibi detinere quod per pactum ad omnes pertinet, & Deo vtique consecratum est.* Et *in Regula tertia*: *Si quis filiis aliquam contulerit vestem, vel quodlibet aliud, non occultè accipiat, sed sit in potestate* 4

testate Prepositi, ut in rem communem redactum, cui necessarium fuerit, prebeatur. Quod si aliquis rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur.

5 Idem habet D. Hieronym. *in regula monach. cap.* 3. dicens: *Hæc perpetuò in vestro monasterio obseruatio maneat, quod nulla omnino tangere, aut aliqualiter retinere audeat, sine licentia per horam censum, aut obolum, aut aliquid quantumcunque minimum quodque à matre, vel sorore mittatur.*

6 Eandem doctrinam docet D. Bernard. *in sermon.* 48. *de non habendo proprium*, dicens: *Quidquid habes, habeto cum licentia, habeto cum benedictione, sine licentia nihil habeas, sine benedictione nihil recipias.* Et D. Bonauent. *in spec. discplin.* 1. *parte cap.* 4. *tom.* 2. *opuscul.* sic ait: *Statutum religiose mane pationis euadit, qui in vsu proprio rem aliquam siue à parentibus, siue quibusdam aliis recipit, aut quod maioris est culpæ, accepta occultans, superiorum iudicio non exponit, nulla enim res, quam superior non dederit, aut permiserit est licita proprium abdicanti.*

Hoc idem habet Corduba *super Regulam S. Franc. cap.* 6. *quæst.* 7. vbi sic ait: *Accipientem aliquid in scio Prælato mortaliter peccare, nec sufficere eum id scire, nisi saltem tacitè assensum præbere præsumatur.* Et *in quæstione* 9. inter proprietatis actus numerat rem aliquam accipere sine licentia, & rem quamcunque Prælato celare. Syluest. *verb. relig.* 6. *qu* 7. *Quidquid, ait, celatur Abbati, proprium dicitur.* Hanc quoque sententiam sequuntur Nauar. *in dicto cap. Non dicatis num.* 13. & Petr. Tolet.

7 *lib.* 3. *de restit. cap.* 1. *nu* 170.

Dices, supradicta omnia intelligenda esse de occulta receptione facta animo nondandi, etiã si à Prælato requiratur: non autem de illa quæ fit cum animo resignandi rẽ acceptã, si petita fuerit.

8 Sed hæc responsio falsa esse conuincitur, quia ratio, ob quam religioso aliquid sine licentia accipere sit prohibitum, est, quia quidquid religiosus accipit debet statim monasterio incorporari, & Prælati administrationi subiacere, vt habetur ex Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 2. *de regul.* ibi. Sed statim ea superiori tradantur, conuentuique incorporentur. Sed si religiosus aliquid occultè recipit, ac retinet; etiam si habeat animum resignandi si petatur, hoc ipso res illa non est monasterio incorporata, nec superioris administrationi subiicitur, ergo.

Confirmatur primò, nam quidquid religiosus acquirit monasterio acquirit, vt communis sentit opinio, ergo quidquid à religioso acquiritur, Prælati dispositioni, & administrationi subiici debet, ac proinde nullo modo põtest illius rei fieri administrator sibi propria sponte applicando quod ad omnes pertinet, & superioris dispositioni commissum est.

Secundò confirmatur, nam si aliquis occultè rem alienam accipiat sine domini licentia, etiamsi habeat animum restituendi, si petita fuerit, à peccato furti non excusatur: ergo similiter religiosus qui occultè aliquid accipit inconsulto superiore à vitio proprietatis non liberatur. 9

Deinde, vt omnes Doctores fatentur, duo simul requiruntur, vt quis à proprietatis vitio sit liber, primò vt quidquid habet, de licentia Prælati habeat. Secundò vt habeat animum paratum illud resignandi ad nutum Prælati: ergo præter promptitudinem animi, necessaria est Prælati licentia tacita, vel expressa. 10

Tandẽ hæc responsio expressè cum verbis Concil. & sanctorum Patrum pugnat. In Conc enim Trident. *sess.* 25. *cap.* 2. *de regul.* dicitur, *Statim superiori tradantur.* Et *in capite Cum ad monasterium: In continenti resignentur*

superiori. In Conc. Mediolan. *Nihil accipiatur, nisi sciente, & consentiente Præfecto.* Sanctus Benedict. *in sua Regula cap.* 54. *Non præsumat aliquid accipere sine iussione Abbatis.* D.Hieron. *Neque tangere, neque retinere per horam audeat.* Et D.August. *in cap. Non dicatis: Non præsumat recipere, nisi Prælatus mandauerit.*

11 Hinc, religiosus qui aliquam rem notabilem accipit, animo eam occultè retinendi, etsi habeat voluntatem eam resignandi superiori, si ab eo petita fuerit, peccat mortaliter contra votum paupertatis. Ratio est, quia eo ipso quod rem illam à dispensatione Prælati occultè subtrahit, ius eius lædit, ac proinde peccatum proprietatis incurrit.

Tum quia facit contra decretum Conc. Trid. *sess.* 25. *c.* 2. & Innoc. III. *in cap. Cum ad monasterium.* In quibus locis sancitur, vt res statim Prælato tradantur, conuentuique incorporentur.

12 Hinc religiosus qui sine licentia Prælati ab eiusdem monasterij, vel religionis confratribus aliquid notabile recipit, peccat mortaliter contra votum paupertatis. Et ratio est, quia hoc ipso quod rem aliquam mihi applico, iure Prælati vtor, administrans rem illam, quod est contra votum paupertatis.

Tum quia quamuis omnia bona monasterij communia sint, administratio tamen eorum Prælato subiacet: ergo qui in proprium vsum rem aliquam recipit, ius Prælati vsurpat; ac proinde peccat contra votum paupertatis, nec iuxta Bullam Clem. VIII. potest absolui, donec integrè, & cum effectu restituerit non illi à quo accepit, sed suo Monasterio, vel ordini.

13 Et confirmatur, religiosus non potest aliquid confratri dare absque licentia Prælati: ergo neque ab eodem recipere. Probo consequentiam, quia dare, & recipere sunt correlatiua.

Hinc, religiosus qui per breue spatium temporis vult rem aliquam retinere inconsulto superiore, non peccat nisi venialiter. Et ratio est, quia in omni materia modicum excusat à mortali. 14

Tum quia moraliter statim resignare censetur, qui per breue tempus aliquid retinere vult.

QVÆSTIO CVI.

An religiosus qui ex communi loco aliquid ad vsum suum temporalem absque superioris licentia accipit, & deinde ad eundem locum reponit, sit proprietarius?

AZORIVS *lib.* 12. *cap.* 13. *q.* 3. negat eum esse proprietarium. Secus si ad vsum perpetuum. 1

Hæc tamen opinio non placet, quia quantum ad vitium proprietatis vbi nulla est tacita, aut expressa superioris licentia, nihil interest inter vsum temporalem, & perpetuum; cum in vtroque casu vsus rei pretio æstimabilis absque vlla superioris licentia vsurpetur, sed solum in hoc ea differentia deseruiet, quod faciliùs præsumatur licentia tacita ad vsum temporalem, vt sic excusetur à vitio proprietatis. 2

QVÆSTIO CVII.

An religiosus qui inscio superiore pecuniam ab extraneis recipit, non sibi, nec monasterio datam, sed vt alteri deferat, sit proprietarius?

tarius? vt si confessarius à pœnitente pecuniam alteri restituendam, vel pauperi distribuendam recipiat.

1 ET quidem si tradens pecuniam designet pauperes, in quorum vsum pecunia distribuenda est, & quantitatem pecuniæ cuilibet elargiendam, certum est, hunc religiosum non esse proprietarium. Quia tunc nullum actum dominij exercet, sed est merus minister.

QVÆSTIO CVIII.

Sed dubium est, quando dans pecuniam, nec quantitatem pecuniæ, nec pauperes designat.

1 QVIBVSDAM placet, hunc esse proprietarium.

2 Contrarium tamen est proculdubio affirmandum. Et ratio est, quia religiosus per votum paupertatis ad nihil aliud obligatur, quam ad non quærendum, acquirendum, atque tenendum aliquid quod sit sibi proprium, neque vtendum aliqua re totius mundi tanquam propria. At religiosus hic nec retinet, nec accepat eam pecuniam tanquam propriam nec tanquam dominus, sed vt nomine alieno, & iuxta tradentis præscriptum distribuat pauperibus: ergo non est proprietarius.

3 Tum quia non quæcunque possessio, & administratio pecuniæ est vi voti paupertatis religioso interdicta, sed solú quando possidet, vel administrat nomine proprio independenter à superioris voluntate. At in hoc casu religiosus non nomine proprio, sed solius dantis administrat: ergo non est proprietarius.

QVÆSTIO CIX.

An Religiosus, qui absque consensu Prælati, accipit aliquid, cum animo non acquirendi dominium, neque possessionem, neque aliud ius politicum, nec eo vtendi sine facultate Prælati, donec licentia alterius superioris accedat, sit proprietarius?

SAPIENTISSIMVS Victoria Thomista tam bene meritus, quem referr & sequitur Lop. 1. *p. instruct. conf. cap.* 156. censet eum esse proprietarium. 1

At ego sic distinguendum censeo. Si dominium illius rei, & administratio maneat apud dantem, & religiosus nomine illius eam apud se teneat, non ea vtens, sed expectat superioris licentiam, non est proprietarius. Quia in hoc casu religiosus nec dominium, nec vsum, nec administrationem illius rei habet. Si autem religiosus absolutè rem illam acceptet inscio superiore, & per tempus notabile retineat, expectans superioris maioris licentiam, arbitror hunc esse proprietarium. Quia rem quæ incorporanda esset Monasterio inconsulto superiore apud se retinet. Et est conclusio definita *in cap. Cum ad Monasterium de statu monach.* & in Concil. Trident. *sess. 25. cap. 2. de regular.* vbi decernitur, religiosum nihil inconsulto Prælato apud se retinere posse, sed statim, & incontinenti omnia superiori tradere debere. 2

* * *

QVÆSTIO CX.

An Religiosus sit proprietarius, si ea quæ recipit, sunt comestibilia, & ad eum solum vsum sunt concessa, vt ipse ea comedat, nec acquirantur monasterio?

1 QVIBVSDAM placet hunc non esse proprietarium. Quia hic solus facti vsus conceditur religioso, cuius illum esse capacem diximus suprà

2 At longè est à veritate aliena hæc sententia, & ideo dicendum est, hunc esse proprietarium. Ratio est, quia vsus facti, quo quis vtitur re ex superioris licentia, non est contra paupertatis votum, secus si absque superioris facultate.

Tum quia ille comestibilium vsus est pretio æstimabilis: ergo qui eum absque superioris licentia vsurpat, est proprietarius.

Tum quia quamuis religiosus velit, nunquam alicuius rei dominium acquirit, sed solum vsum facti; & in hoc consistit transgressio voti paupertatis, quod eum Religiosus inuito superiore vsurpet. Et ideo ita sentiunt Nauarr. *lib.* 3. *de restit. cap.* 1. *p.* 3. *d.* 3. *num.* 180. *&* 181. Sayr. *in clau.reg.lib.9.c.16.nu.2.* & Less. *lib.2.c. 41.dub.8.n.79.*

QVÆSTIO CXI.

An qui pecuniam ab externis acceptat inscio superiore ad emendum libros, quos postea palam in cubiculo cum aliis ex licentia habitis tenet, sit proprietarius?

AZOR. *lib* 12.*cap.*2.*quæst.*3. negat hunc esse proprietarium. 1

Contrarium tamen arbitror esse dicendum. Quia cum superior ignoret, an aliquis ex illis expositis sit absque ipsius licentia habitus, non censetur dare licentiam, vt illum teneat, ex eo quod palam expositus sit; cùm voluntas non feratur in incognitum. 2

QVÆSTIO CXII.

An Religiosus qui aliquid accipit, dubitans de Prælati voluntate, peccet mortaliter?

RESPONDEO eum mortaliter peccare. Ratio est, quia in æquali dubio melior est conditio possidentis, Prælatus autem ius possidet, vt nihil de rebus Monasterij, sine eius voluntate accipiat. 1

Tum quia qui contra conscientiam dubiam agit, peccat mortaliter.

QVÆSTIO CXIII.

An vt religiosus tuta conscientia aliquid sumat, vel donet, sufficiat Prælatum vidisse, vel sciuisse & tacuisse?

RESPONDEO si Prælati silentium solum fuit permissiuum, non excusatur religiosus à vitio proprietatis, quia sæpe ad maiora mala vitanda Prælati tacent inuiti. Si verò esset approbatiuum facti, quod licentiæ tacitæ locum habet, proculdubio religiosum immunem redderet à peccato. Quando verò silentium approba- 1
tioni

tioni æquiualeat, id ex circunstantiis rei acceptæ, vel datæ, & personarum Prælati tacentis, & subditi accipientis, vel dantis coniiciendum erit. Ita Nauar. *cap. Non dicatis num.* 22. & Corduba *super Regul. S. Francisci cap.* 6. *quæst.* 6. & 7.

QVÆSTIO CXIV.

An si secularis quispiam aliquid religioso daret, non sibi retinendum, nec pro suo libito distribuendum, sed vt cum muliere coiret, & solueret fornicationis pretium, teneretur mulier illud restituere monasterio?

1 RESPONDEO non teneri. Et ratio est, quia eam pecuniam non à religioso, sed à seculari illo censetur accepisse, & religiosus fuit solum mediator; ac proinde existimo religiosum hunc accipiendo pecuniam illam absque superioris licentia non fecisse contra paupertatis votum, cum nihil sibi acceperit, nec ad libitum distribuendum.

QVÆSTIO CXV.

An Religiosus sit proprietarius, qui absque superioris licentia rogat aliquem sibi amicum, vt pecuniam apud tertium deponat, vt ab eo illam exigere possit, cum ea indiguerit?

1 RESPONDEO non esse proprietarium, dummodo religiosus eo animo sit, vt nolit illius pecuniæ dominium, possessionem, aut administrationem, aut vsum absque superioris licentia, sed tantum intendit illam habere commoditatem, vt obtenta licentia Prælati, ex illo deposito quod sibi necessarium fuerit, accipiat. Ratio est, quia in hoc casu religiosus nullum actum dominij exercet. Quod arbitror verum, etiamsi deponens intendat transferre illius dominium in religiosum; quia quandiu ille non acceptat, semper eius dominium manet penes deponentem, potestque pro libito suæ voluntatis de illa disponere, sicut prius. Et ideo ita tenent D. Bonaū. *in reg. B. Francisc. cap.* 4. & Cord. *ibid. q.* 8. & 9.

Hoc idem dicendum est, si Religiosus eam pecuniam in depositum apud se seruet, eo prorsus modo, quo erat apud tertium. Quia reuera non aliter eam pecuniam habet, quam si apud externum depositarium esset: nec ipsummet religiosum esse rei alienæ depositarium, pugnat cum paupertatis voto. 2

Dices: ista commoditas est quid pecunia æstimabile: ergo qui absque superioris licentia eam admittit, est proprietarius.

Respondeo admittere illam commoditatem acquirendo aliquam potestatem in illam esse pretio æstimabile: secus quando tota commoditas pretio æstimabilis manet omnino apud dominum, ita vt nec dominium, nec administratio, nec vsus sint apud religiosum. 3

QVÆSTIO CXVI.

An in hoc casu religiosus sit proprietarius, qui absque superioris licentia depositario præcipit, vt in hos, vel in illos vsus pecuniam expendat?

RESPONDEO esse proprietarium. Et ratio est, quia hoc est exercere actum dominij. 1

QVÆ

QVÆST. CXVII.

An religiosus sit proprietarius, qui volentem sibi aliquid donare, rogat, vt suis parentibus, aut consanguineis donet, aut si ipse religiosus talem eleemosynam accipiat, vt eam parentibus deferat?

1 RESPONDEO non esse proprietarium, dummodo habeat animum non acquirendi dominium, neque ius aliquod, vt si dicat sic, ea re non indigeo, si tibi placuerit, gratum mihi facies, si dederis meis consanguineis. Ratio est, quia in hoc casu nullum actum dominij exercet, nam qui dat, non transfert dominium rei, sed solum eam per religiosum distribuit in aliquos vsus. Secus quando religiosus expresse, vel tacitè acceptaret, & peteret dari consanguineis, quia tunc cum religiosus acceptet, ipse reuera donat, licet per manum donantis, & cum absque licentia superioris donet, reus est voti paupertatis.

QVÆST. CXVIII.

An religiosus sit proprietarius, qui absque superioris licentia reliquias sanctorum recipit?

1 RESPONDEO non esse proprietarium. Ratio est, quia licet reliquiæ sanctorum sint magnæ æstimationis, non sunt tamen pretio æstimabiles. Secus si aliqua rescripta, seu aliud quod est æstimabile singulari pretio, & interesse affectionis surriperet, quia tunc peccaret mortaliter contra paupertatis votum, cum obligatione restituendi Quia res tanti valet, quanti ab eo æstimatur, qui habet rem. *l. vnic. C. de sent.*

QVÆSTIO CXIX.

An Religiosus sit proprietarius, qui sine licentia Prælati honores cupit, & habet?

RESPONDEO, non esse proprietarium. Ratio est, quia non sunt pecunia æstimabiles, nec per votum paupertatis illis renunciauit, vt rectè docet D. Thom. *2. 2. quæst. 186. art. 7. ad 4.* ex quo infert Caietanus posse religiosum absque nota proprietatis appetere, & obtinere honorem presbyteralem, & doctoralem qui in præmium virtutis, ac eruditionis conferri solet. 1

QVÆSTIO CXX.

An religiosus sit proprietarius, qui sine licentia superioris beneficia Ecclesiastica procurat, & habet?

RESPONDEO non esse proprietarium. Et ratio est, quia beneficia sunt bona spiritualia, quibus religiosus per votum paupertatis non renunciauit. Ita Nauar. *comm. 2. de regular. nu. 2. & de redd. qu. 1. mon. 9. nu. 3.* Quod arbitror verum quantum est ex 1

parte

parte iurisdictionis, aut tituli ecclesiastici, nam habere, aut velle habere dominium fructuum beneficij est proculdubio vitium proprietatis.

QVÆST. CXXI.

An religiosus sit proprietarius, qui manu propria pecuniam, aut quippiam aliud pecunia æstimabile tangit?

1 RESPONDEO non esse proprietarium, si religiosus eius sit intentionis, vt nolit illius pecuniæ, vel rei dominium, aut possessionem, aut vsum absque Prælati licentia acquirere, sed tantum intendat illam deferre ad suum superiorem, & cum eius consensu in suis necessitatibus ea vti.

QVÆSTIO CXXII.

An Franciscani de obseruantia qui manu propria denarios, vel pecuniam tangunt sint proprietarij?

1 RESPONDEO esse proprietarios. Quia id eis prohibetur *in cap. 4 suæ Regulæ ibi: Præcipio firmiter fratribus omnibus vniuersis, vt nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam personam.* Dictum est, *firmiter*, idest inuiolabiliter, ita quod totus ordo non potest in hoc dispensare: licet tamen in extrema necessitate, quando alio modo vita corporalis seruari non posset, nisi accipiendo, & contrectando pecuniam, immò in hoc casu tenerentur recipere, & contrectare pecuniam per se, vel per alium, quantum requiritur ad prouidendum tali extremæ necessitati. Quod intelligitur de contrectatione, & vsu politico, quo pecunia tenetur, vel capitur tanquam pretium rerum. Vnde tanquam rem aliam naturalem, naturaliter fratres Minores possunt eam contrectare, vt per modum deuotionis, vel medicinæ: immo eam deferre ad syndicum, qui debet eam secundum regulam distrahere pro necessitatibus ipsorum fratrum, nisi ex tali contrectatione probabiliter immineret scandalum, seu periculum alicuius.

QVÆSTIO CXXIII.

An consuetudo aliquid dandi, vel accipiendi sit tacita licentia excusans à vitio proprietatis?

GRAFFIVS 1. p. *decis. lib. 3. cap. 9. num. 4.* negat hanc consuetudinem esse licentiam tacitam. Et probat, quia iure diuino ratione voti paupertatis tenetur absque superioris licentia ab his abstinere. 1

2 Cæterum solidum huius sententiæ fundamentum non video, & ideo non placet. Quare dicendum est, quod quamuis verum sit, consuetudinem non valere, vt inuito superiore religiosus aliquid det, vel accipiat. Quia hoc esset contra paupertatis votum iure diuino, & naturali obligans. At si in religione aliqua consuetudo vigeat aliquid dandi, vel recipiendi inconsulto superiore, valebit vtique, & excusabit religiosos; quia tunc adest licētia, & voluntas superioris præsumpta, explicata per consuetudinem illam in ea religione legitime præscripta & sic nihil recipitur, vel datur inuito superiore, nec contra votum. Sed hæc consuetudo est iure optimo abrogata *in constitut.* Clem. VII. *de qua infra dicemus.*

QVÆSTIO CXXIV.

An Religiosus qui nulla iusta causa ductus non acceptat rem donatam, peccet contra votum paupertatis?

RESPONDEO quod non. Et ratio est, quia religiosus per votum paupertatis non adstringitur ad acquirendum Monasterio, sed ad non alienandum: at peccabit contra charitatem tanquam absque causa impediens bonum monasterij, cui illa res, ipso acceptante, acquirenda erat.

QVÆSTIO CXXV.

An Religiosus qui scribit, aut recipit literas sine superioris licentia sit proprietarius?

1 D. Bonauent. 1. *p. spec. discipl. ad nouitios cap.* 4. Nauar. *com.* 2. *de reg. num.* 13. & Graff. 1. *p. decis. lib.* 3. *cap.* 5. tenent esse proprietarium, & probant *ex cap. Non dicatis*, vbi dicitur, esse grande peccatum accipere, vel dare literas sine licentia Prælati. Cuius ratio ea esse potest, quia receptio, & scriptio sunt pecunia æstimabilia: papyrus enim, in qua inscio superiore scribitur, vel scripta recipitur, est pecunia æstimabilis. Vnde D. August. *in Regula cap.* 25. ait: *Quicunque autem in tantum progressus fuerit malum, vt occultè ab aliquo literas, vel quodlibet munus accipiat, si hoc vltrò confiteatur, parcatur illi, & oretur pro illo: si vero deprehenditur, & conuincitur secundum arbitrium presbyteri, vel Præpositi grauiùs puniatur.* Ex quibus verbis satis apertè colligitur D. Aug. non leue, sed magnum peccatum putare, si religiosus inscio Prælato ab aliquo recipit literas.

Cæterum mihi videtur dicendum, 2 quod si charta literarum data, vel recepta adeò est inutilis, vt nil penitus valeat communi æstimatione, eius datio, vel receptio non est peccatum proprietaris, cum non sit appropriatio, vel dispensatio rei pecunia æstimabilis: si autem valet notabili pretio æstimatis saltem characteribus auratis, aut aliis imaginibus affabrè depictis, & illustratis, eius datio, vel receptio erit peccatum mortale proprietaris: si autem charta cum scriptis, & depictis in ea, fuerit parui valoris, erit quidem peccatum proprietaris, sicut, & furtum pecuniæ similis valoris, sed non mortale.

3 Quæ doctrina locum habet secundum Nauarrum in literis, quarum datio, vel acceptio vergit in præiudicium religionis, vel Monasterij, & aliis literis, quæ continent impertinentia, & inutilia, non autem de literis necessariis, vel vtilibus, quas iustè secundum canones potest religiosus dare, vel accipere etiã renitente superiore, quales sunt illæ, quibus religiosus scribit ad superiores sui Prælati, vel denunciat eius delicta &c. Quod nobis videtur necessario affirmandũ. Quia cum nostra Regula ad maiorem paupertatis obseruantiam id clarè præcipiat *c.* 54. dum ait: *Nullatenus liceat Monacho nec à parentibus suis, nec à quoquam hominũ, nec sibi inuicem literas, aut eulogia, vel qualibet munuscula accipere, aut dare sine præcepto Abbatis sui.* Et hæc obliget ad peccatum veniale, vt diximus *in* 6. *lib.* 9. non video qua ratione hi qui hęc faciunt inscio superiore, possint à peccato saltẽ veniali grauissime excusari.

QVÆSTIO CXXVI.

An Religiosus qui aliquid Prælato occultat, ne sibi auferatur, sit proprietarius?

Respon

1 RESPONDEO esse proprietarium, etiamsi illud antea cum eius facultate obtinuerit. Ratio est, quia qui non habet animum promptum ad reddendũ id quod habet, est proprietarius: at qui Prælato abscondit quod ad suũ vsum deputatum habet, ne sibi auferatur à Prælato, non est paratus ad reddendũ, vt constat, ergo est proprietarius.

Tum quia in iure idem est nolle aliquid facere, & fraude vti, vt id non fiat. Sed qui non vult resignare omnia, quæ possidet omni momento, quo superior iusserit, est proprietarius: ergo qui fraude, & occultatione vtitur, ne reddatur Prælato, quod petitur, erit similiter proprietarius.

2 Tum quia vt ex Conc. Trid. *decreto sess. 25. cap. 2. de reform.* regularium, colligitur, omnia bona debent esse Monasterio incorporata, & Prælati administrationi subiecta: ille autem qui aliquid Prælato occultat, id ab eius administratione, & corpore communitatis seiungit: ergo est proprietarius. Vnde D. Bern. *serm. 48. ad sororem de modo viuendi.: Ergo si ancilla Dei* (inquit) *habet aliquid peculiare, vel absconditum, quod à cæteris ancillis Dei ignoratur, furtum est: peccatum furti est. Quare quia omnia habet in communi cum cæteris ancillis Dei, & quasi proprium sibi aliud abscondit, hoc furtum est. Hæc manifesta fraus est. Hoc grande peccatum est, hoc est iter inferni.* Et infra. *Ancilla Dei, quæ semetipsam separat, aliquid quasi proprium abscondendo, consequens est, vt separetur à consortio cælestis vitæ.* Et in fine sermonis concludit. *Tu soror venerabilis, nihil celes, nihil abscondas, nihil apud te absconsum reponas in abscondito, nihil retineas apud te, nihil remaneat absconditum.* Et ideò ita tenent omnes Canonistæ, Turrecremat. Ioann. Andr. Arch. Gerson, Syluest. Cord. quos refert, & sequitur Mendoza *in quodlib. quæst. 8.* Hoc idem sequuntur D. Anton. 3. *part. 16. cap. 1. §. 11.* Roder. *tom. 3. de regul. qu. 29. art. 10.* Petr. Nauarr. *lib. 3. de restit. cap. 1. num. 174.* & Valent. *2. 2. disp. 10. qu. 4. p. 3.* qui omnes vno animi consensu fatentur proprium dici, quidquid celes Prælatum, vel contra eius voluntatem tenes. Et Mart. Nauar. *cons. 71. de regul.* refert in Constitutionibus Carthusianorũ latam esse excommunicationem contra eum, qui animo occultandi vltra valorem trium solidorum tenuerit, vel donauerit.

3 Quam doctrinam censeo esse verissimam, quando religiosus celat, credens rem non occultatam fore sibi auferendam: secus quando probabiliter id non credit: aut celat, ne patiatur confusionem, vidente superiore ea quæ possidet. Vel celat, ne à superiore reprehendatur, quod ex sola licentia tacita, aut credens superiorem non esse quoad rem acceptam inuitũ, sed quoad solum modum, acceperit. vel tandem abscondit, ne peccatum proprietatis, quod accipiendo inconsulto superiore commisit, non detegatur, habens propositum rem illam dimittendi, vel obtinẽdi statim licentiam ad habendũ, non manifestato suo peccato, tunc enim in his casibus non peccat nisi venialiter, si alioqui est paratus eã superiori tradere, quoties intelligeret eum ipsi minimè concessurũ vt rectè docent Petr. Nauar. *lib. 2. de rest. cap. 1. nu. 171.* Roder. *tom. 3. de reg. q. 29. ar. 5.* & Mend. *in suis quodlib. q. 8.*

4 Quæ resolutio est valde notanda pro consolatione spirituali multorum religiosorũ, qui sæpe ignorãter, aut inconsideratẽr magis, quã animo deprauato, aut cupiditate recipiunt aliquas eleemosynas, & expendunt eas liberalius quam par est, putantes, quod non displiceret Prælatis, licet id scirent, quia tales non peccarent mortaliter.

5 Aduertant tamen religiosi tanquam serui Dei, ne illos decipiat amor proprius, aut aliqua extraordinaria cupiditas, vt putent non displicere Prælatis supradictum, cum tamen summoperè eis displiceat.

6 Hinc, si Prælatus alicui religioso facultatem concesserit retinendi rem aliquam, & ipse eam recludit, vel apud familiares, vel consanguineos deponit, ne sequens Prælatus videndo illam auferat, est proprietarius. Ratio est, quia eo ipso retinet rem independenter à voluntate superioris, ac proinde est proprietarius.

7 Nec obstat, quod hic à primo licentiam obtinuerit, vt occultè illam retineret. Quia ea non obstante potest idem superior, vel alius ad libitum reuocare, tenetúrque religiosus ex vi voti eam liberam reuocationem non impedire, impedit autem, quando rem celat, ne auferatur. Ita D. Ant. 3. p. t. 16. c. 11. 8. 2. D. Bonau. *in spec. discip. ad nouitios p. 1. c. 4.* Less. *lib. 2. c. 4. dub. 5.* Syluester *verb. religio 6. quæst. 7.* & Graff. 1. *part. lib. 3. cap. 5. numero* 48.

Hinc, si tempore visitationis, dum superiores scrutantur cellas religiosorum, ad inquirendum quid in cellis singuli habeant, aliquis fratrum occultet aliquos libros, imagines, vestes, & alia huiusmodi, quæ iuxta ipsius religionis conditionem, & dignitatem, superiores molestè laturi sunt, vt habeant, & ea ab illo sublaturi, peccat mortaliter, si tamen materia est notabilis: & per consequens proprietarius.

8 Hinc, religiosus qui dicit se animo esse paratum ad nutum superioris relinquere quod habet cum licentia, & tamen de Prælato conqueritur, vel murmurat, vel aliis modis nititur, ne sibi id quod habet per Prælatum auferatur, non est tutus in conscientia, quia peccat lethaliter non solum ob scandalum, verum etiam ob votum paupertatis violatum, cùm constet, licentiam illam esse coactam, magísque permissiuam, quam concessiuam, sicut multa mala fieri permittuntur, ne maiora committantur. Ita Petr. Nauarr. *lib. 3. de rest. cap. 1. num.* 179. Less. *lib. 2. cap. 4. dub. 5.* Cordub. *in Reg. B. Francis. cap. 6. quæst. 6. & 7.* & Roder. *tom. 3. de regul. quæst. 29. art. 12.*

Ex quo colligitur ratio, quare clauium vsus semper fuerit à Patribus condemnatus, quia s. ex illo sequitur sæpe Religiosos contra solemne votum paupertatis multa superioribus occultare. Vnde Hieron. *in Regul. Monachor. cap. 4.* ait: *Sic, sic Apostolicæ fœminæ proiicite peras, & sacculos, neque marsupia ex latere pendeant, neque opus sit clauibus, vt iam ex ipsis monstretur exteriorum indiciis, quod nihil habetur intrinsecum præter Iesum, quod nihil est clausum eius, quod est deditum vsibus omnium.* Et Cassianus *lib. 4. cap. 15.* sua tempora deplorat, eo quod inter religiosos hic fuerit abusus propter auaritiam introductus. 9

QVÆSTIO CXXVII.

An Religiosus, qui contra Regulam, aut constitutiones aliquid apud se retinet, etiamsi id faciat de superioris licentia, sit proprietarius?

MAIOR *in 4. distinct. 38. quæst. 9.* affirmat hunc esse proprietarium. Cui subdubius videtur accedere Azor. *lib. 12. cap. 12.* Et ratio, 1

tio est, quia quicunque rem aliquam habet, vel dispensat absque superioris licentia est proprietarius. At hic est huiusmodi, cum retineat, vel dispenset contra suam Regulam, aut constitutiones: ergo est proprietarius.

2 Cæterùm mihi videtur dicendum sic. Vel Prælatus possit in ea Regula, vel constitutionibus dispensare, adsitque iusta causa dispensandi, vel non. Si primum, nullum peccatum proprietatis committit. Si secundum, est contra paupertatis votum, quia tunc retinetur, vel dispensatur res absque legitima licentia.

QVÆSTIO CXXVIII.

An Religiosus sit proprietarius? qui contra suas constitutiones recipit iustum stipendium pro prædicationibus, confessionibus, aut missis? &c.

1 ET quidem nonnullis videri potest, quod non, (supposito quod in religione, constitutiones illæ non obligent ad culpam.

2 Sed probabilior mihi videtur sententia Molinæ *tom. 3. de iust. disput.* 687. Roder. *tom. 3. de regul. quæst.* 29. *art.* 13. *& in sum. part.* 2. *cap.* 31. *num.* 16. & aliorum qui existimant hunc religiosum esse proprietarium, facit enim contra votum paupertatis: ex quo enim in professione promisit viuere sine proprio, capiens dictum stipendium inuito superiore committit actum proprietatis, licet non detineat dictum stipendium in sua potestate. Quod est verum, etiamsi talis religiosus licentiam habeat aliquid accipiendi, & dispensandi ad vsus pios. Et ratio huius est, quia non solum ad votum paupertatis pertinet quod subditus non habeat pecuniam aut aliquid ea æstimabile, sed etiam quod hoc, vel illo modo in suis constitutionibus prohibito non acquirat. Vnde Religiosus dum vouet paupertatem iuxta suas constitutiones, eodem actu vouet, non modo à pecunia accipienda, sed etiam ab hoc genere accipiendi abstinere. Vnde non eo ipso, quod Prælatus dispensat, vt habeat pecuniam pro suis necessitatibus, censendum est dispensare in modo acquirendi, qui est contrarius non solum obedientiæ, sed etiam latitudini voti paupertatis eiusdem religionis.

QVÆSTIO CXXIX.

An in hoc casu talis religiosus teneatur sic acceptum restituere?

PETR. Nauar. *lib.* 3. *de restit. cap.* 1. *p.* 3. *num.* 179. *&* 180. Henriq. *lib.* 9. *de Euch. cap.* 22. *num.* 3. & Roder. 2. *p. sum. cap.* 31. *num.* 17. censent non teneri, sed posse illud retinere, & in vsus sibi necessarios, & ad pias causas expendere. Ratio est, quia cum talis religiosus licentiam superioris habeat aliquid accipiendi, & disponendi, non tenetur sic acceptum superiori tradere, neque ei, qui dedit, cum illi non faciat iniuriam, suus enim labor illud valet: licet enim peccauerit contra religionem, violando votiuam paupertatem, non tamen peccat illud retinendo: quod si ea licentia careat, tenetur id superiori tradere, sicut alia per ipsum acquisita. 1

At multo probabilius est, hunc teneri sic acceptum restituere, non qui- 2

dem propriè, & in rigore, cum talis acceptio non sit contra iustitiam, cuius transgressio sola ad restitutionem obligat, sed ex voti obligatione. Et ratio est, quia sicut qui vouit se seruiturum gratis hospitali, & pretium recipit, tenetur pretium reddere, non ex lege iustitiæ, sed ex vi voti, quod adhuc impleri potest, reddito enim pretio danti, seruitium fit gratis, sicut votum obligat. Sic religiosus ille, cum ex vi voti in professione emissi teneatur gratis celebrare, si pretium recipiat, vltra peccatum mortale sacrilegij, quod accipiendo committit, tenetur ex vi voti illud reddere danti, cum adhuc votum implere possit: reddito enim pretio, vere gratis illa sacra faciet.

QVÆSTIO CXXX.

An talis Religiosus possit pacisci, vt quis det eleemosynam pauperi, & ipse faciat sacra?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia reuera hic pecuniam illam suo sacro sibi acquirit, & dat pauperi, & ita non potest dici gratis facere sacra illa prout sua regula, vel constitutiones requirunt. Ita Roder. *to.3. de regul. q. 29. ar. 13. & p. 2. sum. cap. 31. n. 3.* & Petr. Nauar. *lib. 3. de rest. c. 1. p. 3. dub. 2. n. 170.*

2 Hinc, si alter libere triginta argenteos huic religioso tribuat, non est proprietarius, si hic mere gratis promittat triginta sacra. Quia reuera hęc omnia gratis dantur. Et eadem ratione si absque pacto religiosus hic promittat sacra, & ille alter in signum gratitudinis tribuat libere illi pecuniam, non est proprietarius, supposito quod habet licentiam aliquid accipiendi in eleemosynam.

QVÆSTIO CXXXI.

An Religiosi, qui ratione suæ Regulæ, vel constitutionum incapaces sunt hæreditariæ successionis, si eam contra regulam, vel constitutiones capiant, sint proprietarij, & teneantur in conscientia bona sic acquisita reddere?

RESPONDEO eos esse proprietarios. Ratio est, quia ipsi promiserunt seruare paupertatem secundum constitutiones, at vna earum est, vt hæreditatem non capiant: ergo si illam capiunt, votum paupertatis violant. 1

Deinde, qui aliquid sine iusta licentia recipit, est proprietarius, at in hoc casu Religiosi talem hæreditatem acceptantes, illam sine iusta licentia recipiunt: ergo sunt proprietarij, & peccant etiam contra iustitiam, lædentes ius tertij, ad quem hæreditas illa de iure spectat. Ita D. Anton. *3. p. t. 16. c. 1. §. 12.* & Petr Nauar. *lib. 3. de rest. cap. 1. n. 185.* 2

QVÆSTIO CXXXII.

An qui absque expressa, vel tacita superioris licentia ludit, sit proprietarius, & lucrans teneatur restituere?

ET quidem certum est, eum esse proprietarium, si absque vlla superioris licentia aliquid ludit, cum nihil habeat; ac proinde lucrantem teneri in hoc casu restituere vt recte docet 1

docet D. Thom. communiter receptus 2.2.*q.*3.*ar.*7.

QVÆSTIO CXXXIII.

Sed tota difficultas consistit quando Religiosus de licentia superioris ludit?

1 ALPHONSVS à Castro *lib.*2.*de leg. impe. cap.* 2. affirmat eum esse proprietarium, quamuis Prælatus sit, bonorumque administratione potiatur, & teneri lucrantem restituere. Quia cum ludere sit actus veri dominij, & superiores Religionis non sint veri domini, sed administratores, nequibunt ludere, nec licentiam ludendi concedere.

2 Contrarium tamen arbitror esse dicendum. Ducor, quia inter licitos, & honestos vsus, ad quos Religiosus potest res monasterij expendere, computatur quædam honesta ludi recreatio: ergo ex præsumpta, aut expressa superioris licentia integrum est Religioso gratia honestæ recreationis quantitatem aliquam moderatam ludo exponere. Et ideò ita tenent Maior *in* 4.*d.*18.*q.*13. Ledesm. 2.*p.*4.*q.*15. *ar.*5. & Alcozer *lib. de ludo cap.*11.

QVÆSTIO CXXXIV.

An Religiosus qui nequit ludo perdere, possit lucrari?

1 NAVAR. *cap.*20. *nu.* 12. & Tolet. *lib.*5.*cap.*27.*n.*8. affirmant, nisi Religiosus falsò dicendo se facultatem habere perdendi, alium ad ludum alliciat. Quia tunc totum lucri factum tenetur restituere.

At contrariū est asserendum. Quia inter ludentes æqua debet esse conditio. Et ideo ita sentiunt Sot. *lib.*4 *q.* 5 *ar.*2. Henriq. *lib.*7. *de indulg. c.*35.*n.*6. Valent. 2.2.*d.*5.*q.*6.*p.*5. Mol. *tom.*2.*d.* 519. & Roder. *p.*1. *sum. c.*189.*n.*3.

Hoc tamen limitant Henriquez, & Roder. nisi colludens cum Religioso norit eum esse ad perdendum impotentem, quia scienti, & volenti non fit iniuria.

Sed hæc limitatio displicet, quia cum colludens desiderio ludi attractus voluerit ludere, non est censendus velle iuri suo cedere, vt velit perdere, non autem lucrari. Sicut emens maiori pretio, quamuis sciens, & prudens, non videtur cedere iuri suo, vt vendens restituere liberetur, nisi ex coniecturis constet alterum voluisse donare, vt rectè Rebell. *de iust. p.* 2. *lib.*12.*q.*4 *sect.*1.*n.*4. annotauit. 2

Quod iure optimo coniicitur, quando colludens nouit alterius impotentiam, & non lucrandi, sed recreationis gratia ludit, nec res est magni momenti.

QVÆSTIO CXXXV.

An Religiosus sine licentia expressa superioris possit aliquid recipere?

AD hoc dico primò, quod Religiosus dum peregrinatur à monasterio, habet tacitam facultatem recipiendi quidquid sibi oblatum fuerit in eleemosynam. Ratio est, quia in hoc casu ius Prælati non lædit, sed potius vtilitati Monasterij consulit: tenebitur tamen postea cum peruenerit ad Monasterium, acceptum manifestare Prælato. 1

Secundò dico, quod Religiosus dum est in Monasterio potest citra mortale recipere à secularibus aliqua munera electuariorum, vel confectionum cordialium, bina vascula, vel par

per

perdicum, vel gallinarum, vel aliquid huiusmodi. Quia circa hæc superiores non sunt admodum inuiti. Ita Lopes *p.1.inst. confess.ca.6.*

2 Quæ resolutio non habet locum in nostra Congregatione, in qua Regula sanctissimi Patris nostri Benedicti strictissimè obseruatur. Ibi enim *cap. 54.* sic habetur: *Nullatenus liceat Monacho nec à parentibus suis, nec à quoquam hominum, nec sibi inuicem literas, aut eulegia, vel qualibet munuscula accipere, aut dare sine iussione Abbatis sui. Quod si etiam à parentibus suis ei quicquam directum fuerit: non præsumat suscipere illud, nisi prius indicatum fuerit Abbati.*

3 Tertiò dico quod in religionibus reformatis, vbi superiores ordinant sub obedientia, pro obseruantia regularitatis, quod subditi non possint recipere quicquam sine licentia expressa superioris, peccat contra paupertatis votum, qui recipit aliquid sine tali expressa licentia, licet videatur illi, quod factus certior superior dabit dictam licentiam. Ratio est, quia si licentia tacita admitteretur in hoc casu in his Religionibus tam reformatis aperiretur porta per quam facile intraret relaxatio. Si verò necessitas esset vrgens, & superior longè distaret, tunc (ni fallor) non esset saltem peccatum mortale recipere, aut expendere aliquid sine dicta expressa licentia Prælati, quia statuta Religionum debent esse rationabilia & plena potius charitatis, quam rigoris, & ita debet præsumi, quod huiusmodi statuta sint.

QVÆST. CXXXVI.

An religiosus qui ex his, quæ proprio labore, vel industria Monasterio acquirit, aliquid assumit sine Prælati licentia, sit proprietarius?

RESPONDEO esse proprietarium. 1
Et ratio est, quia omnis religiosorum labor in Monasterij cedit vtilitatem; & quidquid Religiosus acquirit, Monasterio acquirit: ergo ex labore suo nihil potest sibi applicare, hoc enim faciendo, furtum committit. Vnde D. August. *serm. 1. ad fratres in eremo: Nemo ex opere suo sibi aliquid appropriet, Apostolicam enim vitam optamus viuere. Si quis autem contra fecerit, furti iudicio condemnetur.* Et *in Regula prima cap.27. Ita sanè, vt nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera vestra in vnum fiant.*

Hinc, Religiosus ex his, quæ sua industria, vel arte acquirit, non potest sine Prælati licentia quicquam in alium transferre v.g. coronas, cruces &c. Quia cùm quidquid acquirit Religiosus, Monasterio acquirat, consequens, est nihil posse de illis, aliis donare sine consensu superioris. 2

QVÆST. CXXXVII.

An religiosus possit sibi retinere inuenta?

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia qui abdicauit se per votum paupertatis quocunque dominio, se etiam abdicauit titulis dominij, quorum vnus est ius inuentionis, & ita nec aliquo titulo potest quicquam possidere, aut præscribere; poterit tamen Monasterium, si possidet bona in communi inuenta retinere. 1

QVÆ

QVÆSTIO CXXXVIII.

An Religionum Prælati possint facere donationes?

1 NON disputamus modo, an iuxta constitutionem Clementis VIII. Religionum Prælati possint facere donationes, quoniam dicta constitutio, de qua inferius disputabimus, apertè declarat quid possint Superiores Regulares, quid item Religiosi priuati donare, & continet formulam, quam prædicti seruare tenētur in rebus donandis. Quod ergo quærimus est, an iure communi Religionum Prælati possint aliquid donare?

Et quidem certum est, eos posse donationes remuneratorias facere, dummodo eæ moderatæ sint.

QVÆST. CIXL.

Sed totum controuersiæ dissidium versatur de donationibus merè liberalibus?

1 NAVAR. *cap Non dicatis nu.*23.& *conf.*75.*de Regul.*negat.

2 Sed contrarium est longè verius, atque tenendum. Probatur, quilibet Religiosus vt testatur etiam Nau. *dicto cap.Non dicatis nu.*11.factus Abbas, vel Prior alicuius Monasterij, est beneficiarius; nam Abbatia, Prioratus, & Præfecturæ aliæ sunt propriè beneficia ecclesiastica, vnde iure communi generalem facultatem habet disponendi de bonis Monasterij, nisi aliūde prohibeatur. Ergo sicut alij beneficiarij possunt huiusmodi donationes ex mera liberalitate, & amicitia facere, idipsum poterunt Religionum Prælati, nisi suorum ordinum statutis prohibeantur.

3 Hinc, Religionum Prælati possunt donationes facere non solum ad remunerandum alicuius obsequium, aut ad retinendum in amicitia, de suis Monasteriis bene meritos, sed etiam ad aliorum animos conciliandos, vel ad alios fines honestos, & licitos iuxta facultates Monasterij, & spectatis cæteris circumstantiis concurrentibus, atque seruatis ordinum Decretis circa quantitatem, aut modum. Et idem dicendum de Suppriore, cui in absentia Prioris commissa est cura Monasterij, si aliunde eius potestas non limitetur. Et ideo ita tenent Molin. *tom.*2.*d.*206.& Lop. *cap.*55. & 56.

4 Verùm inter Prælatos non reperiri æqualem in dispensandis bonis Monasterij facultatem, nam penes Prouincialem maior residet potestas, quam penes Priorem, & penes Generalem plenior, & vberior, quam penes Prouincialem. Ratio huius est, quia sicut Episcopi ratione status, & vberiorum fructuum, maiora possunt donatiua facere, ita Generales, & Prouinciales qui in religione sunt veluti Episcopi proportionaliter maiorem habent authoritatem aliis inferioribus Prælatis, vt rectè Nauarr.*lib.*3.*de restit.cap.*1.*nu.*183. annotauit.

QVÆSTIO CXL.

An Monasterij Prælatus habens iuxta ordinis statuta facultatem donandi vnum aureum, possit absque vitio proprietatis plures donationes facere, quæ simul sumptæ quantitatem sibi præscriptam excedunt?

1 RESPONDEO posse, dummodo huiusmodi donationes in frau-

Pppp dem

dem legis non fiant, quod tunc contingit, quando Prælatus videns v. g. decem aureos vnica vice se non posse donare, decem donationes facit, donando singulis vicib. vnum aureum.

QVÆSTIO CXLI.

An Religiosus sine licentia Prælati, possit extraneis aliquid donare?

1 IN qua re certum est, religiosum cuiuscumque ordinis, non posse aliquid donare ad vsus illicitos, & inhonestos. Ratio est, quia cum nihil possit religiosus dispensare, nisi de licentia sui superioris, numquam potest præsumi eam extendi ad illicitas, & inhonestas donationes, cùm nec debeat, nec possit Prælatus præbere huiusmodi facultatem subditis, cum potestas ipsius non in destructionem ei fuerit concessa. Ita Molin. *to. 2. de iust. disp.* 276.

QVÆST. CXLII.

Sed quod in dubium vertitur est: An Religiosus sine licentia Prælati possit aliquid extraneis donare in vsus licitos & honestos?

1 RESPONDEO non posse. Et ratio est, quia cum religiosus nullius rei dominium habeat, nihil donare potest extraneis sine licentia superioris. Et est conclusio definita *in cap. Non dicatis*, vbi sic habetur: *Certum est religiosos nihil habere, possidere, dare, vel accipere sine superioris licentia debere.* Quod est verum etiam si donet aliquid ex iis quæ ad proprios vsus sibi à superiore concessa sunt. Quia cum religiosus solum facti vsum habeat, non potest vsum rei alteri concedere, quia hoc non est vsuarij, sed vsufructuarij. Vnde Basil. *in quæst. breuior. q.* 87. *Dare*, inquit, *non cuiusuis est, sed eius, qui dispositionem sibi commissam habet.* & D. Benedictus *c. 33. sua Regulæ: Præcipuè*, ait, *hoc vitium radicitus amputandum est, ne quis præsumat aliquid dare sine iussione Abbatis.* Et ideo ita sentiunt Mol. *tom. 2. d.* 276. Valent. *2. 2. d. 10. quæstion. 4. part. 3.* & Roder. *tom. 3. regul. quæstion. 29. art.* 10.

QVÆSTIO CXLIII.

An Religiosus qui sine consensu superioris aliquam rem donat extraneis peccet mortaliter, & sit proprietarius?

RESPONDEO eum peccare mortaliter, & esse proprietarium. Et ratio est, quia cum religiosus nihil proprij habeat, dando aliquid sine licentia Prælati contra iustitiam peccat, cum rem alienam inuito domino distribuat, & deinde committit peccatum proprietatis, rem illam sine superioris facultate dispensando. 1

Hinc, qui absque superioris licentia aliqua sibi bona post professionem legata parentibus, vel amicis cedit, peccat mortaliter contra votum paupertatis. Quia quidquid post emissam professionem obuenit religioso, totum acquiritur Monasterio; vnde tenetur admonere eos quibus prædicta bona cessit, vt quamprimum restituant monasterio quæ ipsi malè acceperunt, & ille malè cessit. 2

QVÆST.

QVÆSTIO CXLIV.

An Religiosus possit sine licentia Prælati aliquid dare alteri religioso eiusdem Monasterij?

1 RESPONDEO non posse. Et ratio est, quia qui rem aliquam donat sine consensu superioris furtum committit, & actum dominij exercet, quorum vtrumque illi vetitum est, vt constat. Et est conclusio definita *in cap. Non dicatis*, vbi sic habetur: *Quod si quilibet fratrum cuiquam aliquid offerre voluerit, primò quidem Priori insinuetur, & sic suscipiatur.* Vnde sanctus Benedictus *in sua Reg. capit. 33. Præcipuè hoc vitium radicitus amputetur de Monasterio, ne quis præsumat aliquid dare, aut accipere sine iussione Abbatis.* Et Diuus Bonauent. *in spec. discip. tom. 2. cap.* 4. ait. *Proinde fratres nullatenus sine licentia superioris neque à se inuicem, neque à fratre rem aliquam accipere, aut dare attentent.* Et ideo ita tenent Cordub. *in sum. quæst.* 109. & Roder. *to.* 3. *de reg. q* 29. *ar.* 10.

2 Hinc, non est audiendus Roder. *part.* 1. *sum. capit.* 90. *num.* 11. qui ait non peccare religiosum qui absque licentia dat religioso eiusdem Monasterij librum valentem quinque aureos, nisi credatur religiosum cui dat, malè expensurum, quia cum maneat liber ille in illo Monasterio, præsumitur fore, vt superior non sit inuitus. Non est inquam audiendus, quia saltem ea donatio displicebit quoad modum, & sic non liberabitur donans culpa venialit at non erit mortale propter paruitatem materiæ, cùm res illa in eodem Monasterio maneat, nisi prudenter credatur, superiorem fore notabiliter inuitum tam quoad rem datam, quam quoad modum.

Hinc, qui de rebus ad vsum sibi concessis, absque superioris licentia legant suo Monasterio, vel alteri ecclesiæ extra ordinem aliquam pecuniæ summam, hoc pacto, vt pro eorum animabus fiant tot anniuersaria, vel emunt calices, vel paramenta pro ornamento altarium, vel alias dispositiones faciunt, pro libito suæ voluntatis, peccant mortaliter contra votum paupertatis. Ratio est, quia si verum est, vt verissimum, quod religiosus non habet velle, nec nolle, & quod non est dominus vestis, qua induitur, nec panis, quo vescitur, fit, quod absque licentia eius, qui possidet super eum, non possit de peculio sibi concesso hoc modo disponere. 3

QVÆSTIO CXLV.

An Procuratores, seu cellerarij, & quotquot alij qui bona Monasterij administrant, possint absque licentia Prælati aliquid donare?

IN qua re conuenit inter omnes, eos non posse aliquid donare in prophanos, & illicitos vsus; quod si id facere tentauerint, factum erit nullum, & accipiens tenebitur acceptum restituere Monasterio. Molina *tom.* 2. *d.* 170. 1

QVÆSTIO CXLVI.

Sed dubium est de donationibus ad pias causas?

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia qui inconsulto superiore aliquid donat etiam ad pias causas, est pro 1

proprietarius, cum exerceat actum dominij, & disponat de rebus Monasterij, ac si esset dominus. Quare cum Procurator, seu cellerarius talem licentiam non habeat, vt suppono, peccabit non aliter, ac quicumque alius particularis Religiosus, etiam si in bonum Monasterij cedat talis donatio, vt si sibi, vel alij religioso librum emat, tunicam, vel femoralia. Vnde D. Basil. *in quæst. comp. explicat. quæst.* 144. vbi de Monasterij officialibus & de cura ab illis in bonorū administratione exhibenda loquens: *Qui abutitur*, inquit, *velut sacrilegus iudicetur.* Et Diuus Benedict. *cap.* 31. *suæ regulæ* de cellerario loquens, ait: *Sine iussione Abbatis nihil faciat.* Et infra: *Neque auaritiæ studeat, neque prodigus sit, & extirpator substantiæ Monasterij, sed omnia mensurate faciat, & secundum iussionem Abbatis sui.* Diuus quoque Bonauent. *in spec. discipl.* 1. *part. capit.* 4. de eisdem verba faciens, docet omnia quæ ab illis dantur, danda esse veluti nomine Prælati: *Vt dent quidem*, ait, *non secundum propriam voluntatem, sed prout sibi à superiore fuerit constitutum.*

2 Hinc, Procuratores, seu cellerarij qui in alios vsus præter deputatos à superiore, quantumuis illi liciti sint, & Monasterio vtiles; rem expendunt absque expressa, vel tacita superioris licentia, peccant mortaliter, contra votum paupertatis. Et ratio est, quia exercent actum dominij, exceduntque administrationis sibi commissæ limites. Et ideo ita sentiunt D. Tho. 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 8. *ad.* 1. D. Anton. 3. *part. tom.* 16. *cap.* 1. §. 11. Syluest. *verb. religio* 6. *num.* 7. Less. *libr.* 2. *cap.* 41. *dub.* 9. & Roder. *tom.* 3. *de regul. quæstion.* 29. *artic.* 10.

QVÆSTIO CXLVII.

An Religiosi qui Monasterio quantum ad proprietatem acquirunt, sibi vero quantum ad commoditatem, & liberum bonorum vsum, quales sunt qui extra claustra Monasterij per totam vitam viuunt, possint donationes ad pias causas facere?

1 AD hoc dico primò quod Religiosi qui ex priuilegio Pontificis, vel superiorum extra Monasterium in perpetuum commorantur, cēsentur eo ipso habere facultatem administrandi bona, quæ sua industria, & labore acquisierint, & de illis disponendi etiam per donationes suo statui congruentes vt optime resoluit Molina *to.* 1. *de iustitia disp.* 140.

Dixi notanter, *quæ sua industria*, nam si ex annua pensione sibi à Monasterio concessa sustententur, non præsumitur huiusmodi licentia, nisi exprimatur.

2 Secundò dico, quod Religiosi beneficia ecclesiastica, aut pensiones habentes, qui non sibi, nec Monasterio, sed ecclesiæ dominium bonorum sibi obuenientium acquirunt, possunt procul dubio, de illis ad honestam sustentationem sui, & ad pias causas, & donationes honestas dispensare. Ratio est, quia omnis titulus canonicus beneficij præbet facultatem disponendi de eius fructibus in suum commodum, & honestam sui sustentationem, & ad pias causas, qui enim est administrator beneficij, est etiam administrator fructuum. Et ideo ita sentiūt Nau. *com.* 2. *de reg. n.* 10. *& com.* 4. *n.* 68 Mol. *to.* 2. *d.* 276. *& to.* 1. *d.* 140. & colligitur *ex Clem.* 2. §. *sed & talis de vita, & honest. cler.*

QVÆ

QVÆSTIO CXLVIII.

Sed dubitabit aliquis hoc loco: An idem censendum sit de religioso à religione expulso?

1 RESPONDEO idem prorsus dicendum est. Et ratio est, quia hic exemptus est ab obedientia Prælati.

QVÆSTIO CXLIX.

Quid nomine honestæ sustentationis hoc loco intelligatur?

1 RESPONDEO nomine honestæ sustentationis comprehendi non solum ea quæ ad se, suamque familiam alendam sunt necessaria, verum etiam illa quæ ad moderata conuiuia pro sui status qualitate consanguineis, & amicis aliquando exhibenda, & ad hospites excipiendos, non solum quando ad id lege, & iure cogitur, verum etiam quando sola humanitate, & vrbanitate ad id tenetur.

2 Deinde appellatione quoque honestæ sustentationis intelligũtur non solum donationes remuneratoriæ, sed etiam merè liberales, dummodo moderatæ sint iuxta conditionem, ac statum donantis, alioquin cederent in detrimentum piorum operum, in quæ tenetur expendere ea quæ vltra suam congruã sustentationem religiosus de fructibus beneficij percipit. Ita Nau. *in apolog. q. 1. monit.* 82. *num.* 9. & Molina *tom. 1. disp.* 145.

3 Hinc Religiosus beneficiarius qui fructus beneficij in vsus prophanos, vel ad ditandos consanguineos, aut amicos expendit, peccat mortaliter contra votum paupertatis. Et ratio est, quia facit contra Concilij Tridentini præceptum *sess.* 25. *cap.* 1. *de reformat.* & hoc in re graui.

QVÆSTIO CL.

An Religiosus habens peculium possit absque superioris consensu quicquam expendere in eleemosynam?

ET quidem certum est, superiores 1
Monasteriorum tam ex superfluis monasterij, quam de competentibus ad statum posse in vita, ac debere facere competentes, & moderatas donationes ad causas pias, & in eleemosynas, quas recta eorum bonorum administratio postulat, vt cum communi tenet D. Thom. *in 4 dist.* 15. *quæst.* 2. *artic.* 5. *quæst. vltim.* & Mol. *tom.* 2. *d.* 276.

Dixi (*in vita*) quia in morte non 2
possunt etiam ad pias causas quippiam legare sine licentia Papæ.

Et idem dicendum est de religiosis exemptis de quibus supra locuti sumus, nam si hi possunt expendere in vsus licitos, & honestos, à fortiori in eleemosynas.

QVÆSTIO CLI.

Sed dubium est de simplicibus religiosis in Monasterio degentibus: An videlicet possint donationes ad causas pias & in eleemosynas facere absque tacita aut expressa superioris licentia?

RESPONDEO non posse. Ratio est, quia religiosus respectu 1
bono

bonorum Monasterij est tantum vsuarius, ac proinde non potest de rebus sibi concessis aliter disponere, quam fuerit sibi permissum de licentia Prælati. Quod est adeò verum, quod rem quam tenet iussam dari pauperibus non potest dare sine consensu Prælati, vt colligitur expressè *ex Clement. 2. §. sed & tales*, Vbi habetur, quod simplex religiosus non potest erogare pauperibus suum epilrogium nimium breue, quod illa Clemen. iubet ei erogare. Nauarr. *comment. 2. de regul. n. 8.*

QVÆSTIO CLII.

An Procuratores, vel cellerarij possint absque superioris licentia eleemosynas elargiri?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia cum hi non sint superiores, sed solum ex superiorum commissione administrationem habeant, nil aliud possunt in eleemosynam, aut aliam iustam donationem, aut alienationem expendere, quam id quod à superioribus illis commissum est. Et ideò ita tenet D. Thom. 2. 2. *quæstion.* 32. *artic.* 8. *ad* 1. vbi sic ait: *Monachus si habet dispensationem à Prælato commissam, potest eleemosynas facere de rebus Monasterij, secundum quod sibi est commissum.* Et D. Anton. 3. *part. tit.* 16. *capit.* 1. §. 11. ait: *Religiosus de concessis bonis ad vsum, nihil potest donare etiam eleemosynaliter: nec de eo quod acquirit per industriam aliquam, nec de bonis paternis, quando sibi committuntur ad vsum, etiam si fieret procurator, quia omnia sunt Monasterij*, vt dicitur 12. q. 1. *cap. Non dicatis*, nisi super hoc *habeat licentiam dandi, & tunc bene vtitur, alias dissipatio erit*. Hoc idem docet Nau. *com. 2. de regular. n. 8. & 9.*

Ex licentia tamen Prælati probabiliter præsumpta tuta conscientia possunt religiosi omnes secundum statum paupertatis, & consuetudinem illius Monasterij eleemosynas elargiri, nec opus est licentiam absque dubio præsumi, vt rectè notauit Molina *tom. 1. d. 276.* sed satis est, ac sufficit, si probabiliter præsumatur, vt in propriis terminis docet D. Thom. 2. 2. *quæstion.* 32. *artic.* 8. *ad* 1. & 2. Sine tamen tali licentia rationabiliter præsumpta nullas possunt facere eleemosynas. 2

Hinc cellerarij possunt eas eleemosynas, aut donationes facere, quas eiusdem religionis cellerarij consueuerunt. Et ratio est, quia superior committens officium, censetur eo ipso committere consueta exerceri per cellerarios in illa religione. Ita Azor. *lib.* 12. *cap.* 10. *quæst.* 3. 3

Hinc simplices Religiosi qui faciunt eleemosynam de rebus Monasterij sine licentia expressa, vel præsumpta superioris peccant mortaliter contra votum paupertatis, & recipiens eleemosynam, eam tenetur restituere, cum sit facta de re aliena inuito domino. Præsumpta autem licentia inuenitur, quando alij religiosi simplices faciunt aliquas eleemosynas panis, & vini scientibus suis Prælatis, & non contradicentibus: Et si superiores interdicant his eleemosynas elargiri, non videntur interdicere moderatas, & consuetas, sed tantum videntur velle, ne modum excedant, sicut de vxore, cui eleemosynas vir interdicit, testatur communis Doctorum opinio. Ita Roder. 2. *tom. regular. quæstion.* 57. *artic.* 2. vbi bene ait, Prælatis has quoque eleemosynas expressè prohibentibus, teneri religiosos obedire. 4

***

QVÆ

QVÆSTIO CLIII.

An sint aliqui casus, in quibus liceat religioso, inconsulto superiore eleemosynam erogare?

1 RESPONDEO quod sic. Primus est, cum pauper eget extremè, nec aditus patet ad superiorem. Quia hic adest tacitus præcepto naturali diuino debitus superioris consensus.

2 Dixi notanter (*nec aditus patet ad superiorem*,) quia si superior absque moræ periculo possit adiri, eius ipsius licentia petenda est. Quia cum superioris sit bona administrare, possitque adiri, ad eum recurrendum est, vt subueniat; quod si nolit, potest, & tenetur eo inuito, illi subuenire, quia in hoc casu propriè non dat, sed reddit, quod est indigentis in extrema necessitate, in qua omnia sunt communia. Nauar. *cap.* 17. *num.* 105. & Roder. *tom.* 2. *de regul. quæst.* 57. *artic.* 2. Si autem in hoc casu licentia non peteretur, non esset religiosus ille reus fracti voti, quia adest debita superioris licentia, peccaret tamen venialiter, quia contra debitum superioris administrationis modum facit.

Secundus casus est, quando pauper graui necessitate laborat, nec facilè patet recursus ad superiorem, tunc enim adest præsumpta superioris licentia, vt illi subueniat. Ita D. Thom. *in* 4. *d.* 15. *quæstion.* 2. *artic.* 5. *quæst.* 4. Nauar. *cap.* 17. *num.* 105. Roderic. *tom.* 2. *de Regul. quæst.* 57. *art.* 2. & Tolet. *de* 7. *peccatis capitalibus cap.* 28. *num.* 1.

3 Tertius casus est, quando Religiosus cum debita superioris licentia moratur extra Monasterium, studiorum, aut alterius honesti negotij causa, tunc de suo viatico, & ex his, quæ sibi sunt in propriam sustentationem assignata, vel accepta in via, potest eas eleemosynas largiri, quas alij eiusdem ordinis, & conditionis erogare solent. Ratio est, quia pietas, & licentia se sustentandi ad id etiam videtur se extendere de licentia tacita, siue præsumpta Prælati. Ita Valent. 2. 2. *d.* 10. *quæst.* 4. *part.* 3. Molina *tom.* 2. *de iust. disp.* 276. Azor. *libr.* 12. *capit.* 10. *quæstion.* 3. & Less. *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 11. *num.* 85.

Quare non approbo quod Nauar. *comment.* 2. *de Regular. num.* 8. ait posse huiusmodi Religiosum tantam quantitatem dare, quantam alij scholares seculares, & peregrini solent. Sed melius dicendum est, quod alij eiusdem ordinis, & conditionis Religiosi erogare solent. Quia cum sæculares paupertatem minimè profitentur, possunt maiorem summam pauperibus erogare, quam Religiosi, qui voto paupertatis adstringuntur. 4

Quartus casus est, quando Religiosus aliquid sibi subtrahit de his, quæ ad suum victum, & vestitum illi traduntur, potest enim id in eleemosynas erogare. Sic Valent. 2. 2. *d.* 10. *quæst.* 4. *part.* 3. & Roder. *tom.* 2. *de Regul. q.* 29. *art.* 10. 5

Verùm hunc casum negat Azor. *lib.* 12. *cap.* 10. *quæst.* 3. & probat quia non est eadem ratio in hac parte, sicut de filio familias, aut seruo; nam Religiosus non solum acquirit Monasterio, sed etiam suam voluntatem superiori plenè subiectam habet.

Cæterùm prior sententia mihi verior videtur in casu quo certa summa pecuniæ assignatur Religioso ad sui sustentationem, eo pacto, vt nihil amplius teneatur Monasterium ei dare, nec ipse rationem reddere, sed vt suo damno, vel commodo eam expendat. Et ideò ita tenent Nauarr. *comment.* 2. *de Regul. numer.* 8. Molin. *tom.* 2. *de iust. disp.* 276. & Arag. 2. 2. *q.* 32. *art.* 8. 6

Quintus

7 Quintus casus est, quando Religiosus habet administrationem alicuius villæ, ea lege, vt quotannis certam quandam pensionem Monasterio soluat, & cætera vsui suo cedant: hic enim soluta pensione, de reliquo poterit exponere in eleemosynam, & alia opera pia eo modo, quo posset ipse prælatus, qui talem sibi administrationem concessit absque aliqua proprietatis nota. Quia id expressè, vel tacitè videtur contineri in tali administratione. Ita Nauarr. & Mol. *vbi supra*.

8 Hoc idem dicendum est à fortiori de religiosis, qui ex iusta licentia viuunt extra Monasterium, nec ab eo recipiunt aliquid, sed de suo labore, & industria, ac eleemosynis, victum comparant, vt rectè monent Valent. 2.2.*d*.10.*quæst*.4.*p*.3.& Roder. *tom*.2. *de Regul.q*.29.*art*.10.

QVÆSTIO CLIV.

An hoc idem possint Religiosi, qui commorantur in Monasteriis, quibus prædicto modo certa summa ad sustentationem tribuitur?

1 RODER. *tom*.3. *de regul. quæst*.29. *art*.10.negat.

Cæterùm multo verius est, posse. Et ratio est, quia ea videtur tacita mens superioris, vt quod sibi subtraxerint, possint in eleemosynas, & donationes suo statui congruentes erogare. Ita Molina *tom*.2.*de iust.disp*.276.

2 Illud tamen obseruandum est circa hos casus præter primum, quod in nullo illorum potest Religiosus eas eleemosynas largiri, renitente superiore. Ratio est, quia solus extremæ necessitatis casus dat ius Religioso faciendi eleemosynam inuito superiore, vt rectè monet D.Thom. 2.2. *qu*.32. *artic*.8. In cæteris autem requiritur licentia saltem probabiliter præsumpta, ergo quando hæc deest, non poterit Religiosus hanc eleemosynam largiri. Ita Arag.2.2. *quæst*.32. *artic*.8. Less. *lib*. 2. *de iust.cap*. 18. *dub*. 11. & Azor.*lib*.12.*cap*.11.*quæst.vltima*.

3 Quæ omnia procedunt attento iure communi, nam hodie stante constitutione Clementis VIII. in eleemosynis erogandis seruanda est forma, & modus in ea præscriptus, de quibus dicemus infra.

QVÆSTIO CLV.

An Religiosus qui de rebus Monasterij, aut ex his quæ ad vsum ipsi permissa sunt, aliquid mutuat absque superioris licentia, sit proprietarius?

1 RESPONDEO esse proprietarium. Ratio est, quia mutuare est actus dominij: mutuare enim est de meo facere tuum, cum ergo Religiosus nullum dominij ius in re aliqua habeat, non potest illud in alium transferre, cum nemo det, quod non habet.

Tum quia Religiosus est solum vsuarius habens solum vsum facti, idque precario, quandiu superiori videbitur; vsuarius autem non potest alteri vsum rei concedere, hoc enim non est vsuarij, sed vsufructuarij.

2 Tum quia bonorum administratio soli Prælato, vel eius officialibus commissa est, vt habetur ex Concil. Trident.*sess*.25.*cap*.2. *de reformat. Regul*. ergo nullus Religiosus poterit bona quibus vtitur, in alios vsus disponere absque superioris licentia, alias admini-

administratoris assumet officiũ. Vnde optimè Sotus *lib.4. quæst.1.art.1.* Religiosum conuiuæ comparauit. Nam sicut conuiua cibos, quibus vescitur, ad alios transmittere, vel secum asportare non potest sine inuitantis, propriique domini licentia, sic nec Religiosus ea bona sibi ad vsum concessa, potest, absque superioris licentia in alios transferre. Ita Valent.2.2. *d.10.quæst.4.p.3.* & Roder. *tom. 3. de Regular.q.29.art.10.*

QVÆSTIO CLVI.

An Religiosus qui absque licentia Prælati aliquid commodat, sit proprietarius?

1 RESPONDEO esse proprietarium. Et ratio est, quia commodare est actus dominij, cuius Religiosus est incapax.

Tum quia nemo commodare potest, quod suum non est.

Tum quia vsuarius vsum, quem habet, alteri applicare non potest, vt constat *ex §.1.institut. de vsu, & habitat.*

2 Tum quia Religiosus nullum potest absque Prælati licentia ciuilem contractum celebrare: atqui commodatum est contractus ciuilis, vt constat ex toto *tit.ff.de rebus creditis, & ff. commodati*, ergo. Quare talis contractus nullam, aut Religioso, aut Monasterio infert obligationem ciuilem, vt omnes Doctores testantur.

Quæ doctrina æquè militat in religiosis simplicibus, ac in Procuratoribus, seu cellerariis, si vltra concessam sibi facultatem contractum conficiant, vt rectè docet Nauarr. *comm.2. de Regul.num.30.*

Ex quo infert Molina *tom.1.de iust. d.140.* peccare mortaliter religiosum, qui absque facultate Prælati tacita, vel expressa contrahit cum secularibus ignorantibus se monasterio obligari, non autem Monasterium ipsis, nisi ignorantia excusetur.

Quæ omnia sunt intelligenda tam respectu secularium, quam Religiosorum. Ratio enim adducta æquè respectu vtrorumque militat. Verùm inter eiusdem Monasterij confratres tacita Prælatorum licentia præsumitur, vt sibi inuicem ea quæ necessaria sunt, mutuo dent; immo contra charitatem peccaret qui confratri indigenti librum, vel aliam rem non commodaret, vt rectè monet D.Bonau. *in spec.discip.1.p.cap.4.* & Cordub. *super Reg.B.Franc.cap.6.quæst.4.* & *9.* vbi ex mente D.Bernardini, inter proprietarios enumerat illum Religiosum, qui codicem, vel quid simile omnium vsui deputatum fratribus non vult commodare, dummodo ipse illo non indigeat. Et idem docet Aluarus Pelag. *apud serenam conscientiam q.81.* 3

QVÆSTIO CLVII.

An Religiosus qui aliquid pro alio commutat sine licentia Prælati, sit Proprietarius?

IN qua re conuenit inter omnes, fratribus Minoribus non licere ex iis, que ipsi ad vsum habent, aliquid cum alio permutare absque authoritate Prælati, & Syndici. Quia id est illis interdictum, vt rectè monet Roder. *2.p.summ.cap.31.num.4.* 1

QVÆSTIO CLVIII.

Sed dubium est de Religiosis alterius ordinis?

Qqqq Sed

1 SED respondeo communem esse sententiam, hunc esse proprietarium. Ratio est, quia permutare est actus dominij, nam qui permutat, dominium vnius rei in aliam personam transfert, & ideò est religioso prohibitum. Et est conclusio definita à Ioann. XXII. *in Extrauag. ad cond. de verb. sig.* vbi sic dicitur: *Quis enim simplicem vsuarium dicere poterit, cui rem vsuariam liceat permutare, vendere, aut donare?* Vnde D. Bonauent. *vbi supra*; *Non potest* (inquit) *in rebus suo vsui deputatis, vt sunt libri, vestes, lecti, & alia huiusmodi pro aliis commutare.* Et Abb. *Smaragd. super c.33. Reg. S. Bened.* sic ait: *Ex his colligitur quod neque ab exterioribus propinquis, neque ab interioribus fratribus licet aliquid accipere, vel cum alio aliquo commutare.* Ita etiam Cord. *cap. 6. quæst. 7.*

2 Quare non approbo quod asserunt Lop. *p.1. instruct. confess. cap. 155.* & Roder. *tom. 2. cap. 31. num. 4.* dicentes religiosum posse aliquid cum alio permutare, quia vel falsam doctrinam docent, vel ipsi de permutatione exiguæ quantitatis loquuntur, quæ cum licentia tacita Prælati fieri solet.

Arbitror tamen hanc commutationem non esse mortalem, quando probabiliter creditur superiorem non esse inuitum quoad rem, sed quoad solum modum.

QVÆSTIO CLIX.

Quænam superioris licentia sit necessaria, ac sufficiat ad hoc vt religiosus possit habere, vel facere, quod sine illa non liceret?

1 NOTANDVM primo licentiam Prælati, posse esse expressam, aut tacitam. Expressa est, quando Prælatus expressis verbis, vel in scriptis religioso facultatem habendi, vel faciendi aliquid concedit. Licentia verò tacita, quam præsumptam, virtualem, vel interpretatiuam Doctores appellant, tunc præsumitur, quando probabiliter creditur Prælatum approbaturum dispensationem bonorum Monasterij à subdito ipso ignorante factam, si eam sciret.

Secundò notandum, consensum 2 tacitum duobus modis contingere posse. Primò quando Prælatus certior factus de aliqua re à religioso facta, nec illam approbat, neque reprobat, & hic dicitur consensus permissiuus. Secundo verò modo quando expressè approbat, vel approbaturus creditur, si sciret, & hic dicitur consensus approbatiuus.

Tertiò notandum, consensum tacitum superioris posse bifariam considerari. Vno modo quando religiosus pro certo scit, si petat illam licentiam à superiore sibi non fore negandam, sed simul cum hoc eum non latet superiorem id sine sua licentia fieri nolle. Secundo verò modo, quando per signa euidentia, vel probabilia religiosus intelligit voluntatem superioris esse, quod ipse expendat aliquid, & quod de hoc est gauisurus. Quibus positis,

Primò dico quod vt religiosus ea 3 omnia possit, quæ cum licentia expressa præstare valet, sufficit tacita licentia, siue consensus approbatiuus superioris. Ratio est, quia in moralibus quantum ad forum conscientiæ, eadem est virtus taciti, & expressi *l. expressi ff. de regul.* Ita D. Thom. *2.2. quæst. 32. art. 8.* Nauarr. *cap. 17. nu. 105. & com. 2. de regul. num. 200.* Mol. *to. 2. d. 276.* Azor. *lib. 12. cap. 12. q. 2. 3. & 4.* Roder. *tom. 2. de regul. q. 57. art. 2.* & Tolet. *de 7. de peccatis mort. c. 28.*

Secundò dico quod si religiosus 4 præsumat probabiliter Prælatum sibi licentiam cōcessurum, si illam peteret

non

non ignorat tamen, Prælato displicere, quod occultè, & sine licentia expressâ aliquid retineat, vel dispenset, rem illam retinendo, vel dispensando peccat cōtra votū paupertatis. Et ratio est, quia tunc religiosus dispensat contra expressam voluntatem Prælati: ergo peccat contra votum paupertatis.

Tum quia si huiusmodi præsumptio sufficeret, sequeretur quod omnia, quæ in Religione à superioribus concedi solent Religiosis, essent licita absque expressa licētia, quod est plusquam falsum. Ratio est, quia non ob id cessat vinculum legis, quod superior dispensaret, si peteres; per hoc enim non dispēsat reipsa, nec iustè rem alienam vsurpas, quia si peteres, eam tibi dominus concederet, nam per hoc non donat reipsa. Itaque requiritur non solum, vt Prælatus concederet, si Religiosus peteret, sed etiam vt de præsenti censeatur cōcedere, quāuis non petat, aut Prælatus nolit subditum in illis casibus petere. Sicut vt lex cesset obligare per ἐπιείκειαν, requiritur, vt mēs legislatoris sit in hoc casu nō obligare, vt subditus agat secundū verba legis, aut vt petat dispensationem. Et ideò ita tenet Caiet. 2.2.*q.66.art.5.* & Nauarr.*comm.2.de Regular.n.2.*

5 Hinc, si Religiosus de voluntate superioris dubitet, non potest tuta conscientia aliquid de bonis Monasterij disponere. Ratio est, quia non potest licitè aliquid expendere, nisi de licentia expressa, vel tacita superioris. At hic dum est anceps de voluntate superioris, neutra licentia eum iuuat, ergo tunc aliquid alienando à peccato proprietatis non liberatur.

Tum quia in dubio præsumitur superior inuitus.

Tum quia in dubio nemini licet operari.

Tum quia si ego dubito de voluntate Titij, vtrum velit sine sua licentia, bona sua dispensari, non possum ego illa dispensare sine Titij voluntate, vt rectè monet Nauarr. *c. 17.n.5.* & est expressa sententia D.Thom. *2.2.q.32. art. 8. ad primum* vbi apertè docet, in Religioso requiri licentiam probabiliter præsumptam, vt possit eleemosynam elargiri. Et in hoc omnes authores conueniunt.

QVÆSTIO CLX.

Sed quod in dubium vertitur est, an hic dispensans peccet mortaliter?

NAVAR. *comm.2. de Regul.nu.20. & cap.17.nu.5.* Roder. *tom 3. de regul.q.29.art.10.& 11.* & Caiet.*2.2. q.66.ar.3.* censent eum solum peccare venialiter, sicut filius, & famulus accipientes sibi aliquid, quod petitum parens, vel dominus libenter cōcederet, peccant quidem venialiter, accipiendo modo ingrato patri, vel domino, sed nō mortaliter, quia placet eis, quod illud habeāt, licet modus habendi displiceat. 1

Alij verò vt Med. *C. de rest.q.12.* Nauar. *lib.3 de rest.cap.1. p. 3. nu.180.* Sayr. *lib.9.cap 16.num.20.* & Lop. *1.p. cap. 156.* docent eum peccare mortaliter contra votum paupertatis. 2

Hæ tamen opiniones facilè possunt inter se conciliari hoc modo, vt prima opinio locū habeat in casu quo probabiliter præsumitur Prælatum dispensationem à religioso factā approbaturum, quamuis alias modus occultè dispensandi ei displiceat. Ratio est, quia in eo euentu superior non est inuitus quoad rem acceptam, vel alienatam, sed quoad solum accipiendi vel alienandi modum, ac proinde reputatur leuis materia, & ratione leuitatis excusans à mortali.

Et confirmatur, nam *in l.inter omnes 47.§. rectè ff. de furtis* apertè dicitur, non esse furti reum, qui videns 3

dominum concessurum rem clam accipit. Ergo similiter Religiosus non erit reus voti paupertatis mort. si inconsulto superiore aliquid dispenset, quando credit superiorem concessurum, si licentiam peteret, etsi etiam non ignoret eum modum clandestinum superiori displicitutum.

4 Secunda verò opinio sit vera, in casu quo Prælato non tantum modus occultè dispensandi, sed etiam dispensatio ipsa displicet, eo ipso quod tali modo fit, ita vt displicentia non solum cadat supra modum occultè dispensandi, sed etiam, immo, & præcipuè super dispensationem ipsam tali modo factam Vnde qui hoc modo dispensat, peccat mortaliter contra votum paupertatis, quia absque voluntate Prælati de rebus Monasterij dispensat.

5 Quam doctrinam censeo esse verissimam, quando Prælatus licentiam concederet accipiendi, vel alienandi ad eum vsum, ad quem accipitur, vel alienatur: secus si ad eum vsum nullatenus eam licentiam concederet; tunc enim esset peccatum mortale proprietatis annexam habens restituendi obligationem. Et ratio est, quia in hoc euentu non solum quoad modum, sed etiam quoad substantiam esset inuitus.

6 Quare non approbo quod tradit Rebellus *de iust p.1 lib.3. quæst.15.sect.3.* dicens non esse furtum, quando dominus est solum inuitus quoad finem, vt quando famuli, aut filij accipiunt cibaria ad donandum, vel vendendum. Quia tunc etiam quoad rem acceptam est dominus inuitus, quia etsi velit rem accipi ad comedendum, non tamen ad alienandum.

7 Ex quo sequitur primò nullum peccatum committere religiosum, si per signa euidentia, vel probabilia credit superiorem non fore inuitum etiam quo ad modum. Quia in hoc casu vt diximus eadem est virtus taciti, & expressi. Nauarr. *comm.2. de regul. num.*20. & Roder. *to.1. cap.*147. *n.*3.

Secundò sequitur hunc ad nullam restitutionem teneri, quando probabiliter credit superiorem in tali acceptione, vel alienatione esse inuitum quoad solum modum, vt rectè Nauarr. supra & Rebellus *de iust. p.1. lib. 3. quæst.15. sect.3. num.*14.

Tertiò sequitur non esse regulam vndequaque certam, quam tradit Gerson *alph.*34. quod tunc dicitur subditus facere aliquid sine licentia superioris, quam probabiliter credit; quod si superior sciret se hoc facere; ægrè ferret. Hæc inquam non semper est vera, potest enim contingere, vt displicentia illa superioris non tam proueniat ex re accepta, aut expensa, aut retenta, quam ex modo clandestino eam retinendi, aut expendendi. 8

Hinc, excusatur religiosus à facultate petenda in casu, quo res vrget, nec facilè differri potest, & Prælatus longè distat, tunc potest agere, perinde ac si consensum Prælati expressum haberet, quia hic adest consensus præsumptus, non enim intentio Prælati est, vt eo casu non agat, quod recta ratio dictat faciendum, vt rectè Less. *lib.2. cap.41. dub 9.* annotauit. 9

Hinc, plures fortasse excusari possent hoc tempore religiosi, qui vel ignorantia, vel inconsideratione magis, quam prauo affectu, & cupiditate in recipiendo, & retinendo, & dispensando liberaliores sunt, quam oportet: hi autem secum cogitare debent, an ita sit, quod superior re cognita, contentus foret, ne mentiatur iniquitas sibi, vel sui amor inordinatus excæcet: sunt enim multi, qui id sibi facilè persuadent, cum tamen nihil sit, quod eorum superiores magis abhorreant. 10

Hinc

11 Hinc magnopere considerare debent religiosi, in quibus rebus, & quousque censeatur in singulis Monasteriis concessa facultas generalis: hæc enim sufficit ad hoc, vt accipiendo, vtendo, vel retinendo non peccent peccato proprietatis. In Monasteriis tamen, vbi viget regularitas, non conceditur hæc licentia, nisi officialibus, & in rebus minimis, & crebro occurrentibus.

QVÆSTIO CLXI.

An sufficiat ad præsumendum licentiam tacitam, quod Prælatus videat religiosum aliquid accipere, vel expendere sine licentia, & taceat?

1 GRAFF. 2. *part. decis. lib.* 3. *cap.* 19. *num.* 31. negat hanc taciturnitatem sufficere. Quia cum variis ex causis possit superior tacere, non est, cur in ea taciturnitate præsumatur licentia tacita.

Huic sententiæ fauet D. Anton. 3. *p. t.* 1. *capit.* 15. vbi ait non excusare à furto, si dominus videat, & taceat.

At Nauar *lib.* 3. *conf. tit. de statu monach. conf.* 3. *nu.* 64. censet hanc taciturnitatem sufficere ad præsumendam licentiam superioris.

2 Sed vtraque sententia potest sic conciliari. Si ea taciturnitas sit sola quædam permissio superioris, non excusat religiosum à vitio proprietatis, & in hoc sensu vera est opinio Graffij. Si autem ea licentia non sit pura permissio, sed sit approbatio quędam, est licentia tacita, & sufficiens ad excusandum religiosum à peccato, & in hoc sensu vera est opinio Nauarri.

Hinc, si Prælatus videat subditum 3
aliquid dantem, vel recipientem, & præ verecundia, aut timore taceat, non excusatur subditus à vitio proprietatis. Quia hæc pura permissio est, non approbatio. Secus, quando hæc cessarunt, & Prælatus potuit commodè prohibere, & non prohibuit, tunc enim visus est approbare, vt habetur *in cap. Consentire d.* 83. vbi sic dicitur: *Consentire peccato videtur, qui cum possit resistere, tacet.*

QVÆSTIO CLXII.

Ex quo, & quibus principiis, vel circumstantiis coniici possit consensus approbatiuus Prælati, quem diximus necessario, requiri, vt religiosus absque nota proprietatis dispenset aliquid cum licentia tacita?

RESPONDEO ex quinque. Primo 1
ex consuetudine, & vsu religionis, in qua religiosi timoratæ conscientiæ soliti sunt in casibus occurrentibus præsumere consensum approbatiuum.

Secundò, ex qualitate superioris, si verbi gratia sit dulcis, & valde procliuis ad condescendendum subditis, nec similes dispensationes soleat reprehendere, cum facile possit.

Tertiò, ex qualitate subditi, vt si 2
verbi gratia, superiori sit valde dilectus, vel vir grauis, & optimis moribus exornatus.

Quartò, ex rebus, si v. g. sint leuiores, & pene nullius momenti.

Quintò, & vltimo ex facto ipso, vt si v. g. talis dispensatio in commodum & vtilitatem Monasterij cedat.

QVÆSTIO CLXIII.

Ex quibus circunstantiis coniici possit consensus permissiuus Prælati?

1 RESPONDEO ex multis. Primò ex consuetudine, & vsu religionis.

Secundò, ex persona Prælati, si v.g. sit rigida, & ad condescendendum subditis nimis difficilis.

Tertiò, ex persona subditi, vt quia est superiori exosa, & nullius authoritatis.

Quartò, ex rebus gestis, vt si sint res grandiores, & notabilis quantitatis.

2 Quintò, si res gesta in damnum Monasterij redundet.

Sextò, & vltimo, si talis consensus, ex metu, vel precibus nimis importunis extorqueatur.

QVÆSTIO CLXIV.

An vbi consuetudo inoleuit dispensandi cum licentia tacita, possit religiosus cum illa etiam in præsentia Prælati aliquid dispensare?

1 RESPONDEO posse, vt citati authores tradunt, qui nulla ratione distinguūt de licentia tacita in absentia, vel in præsentia, nam alias in Monialibus numquam tacita licentia præsumeretur, cum semper earum Abbatissæ sint intra claustra Monasterij. Nauar. *lib. 3. de rest. cap. 1. num. 171.* Vnde secundum varias religionum consuetudines, & varios Prælatorum mores, maiora, vel minora esse in religiosis motiua, vt huiusmodi tacita licētia præsumatur. Ex quo fit, vt in vna religione sit proprietatis vitium, quod in alia est actus virtutis, immo inter Monasteria eiusdē religionis, quod in vno licet, in alio non licet, non alia de causa quā ob diuersas consuetudines, Prælatorumque conditiones, maiorem, vel minorem suis subditis licentiam concedentium, ob cuius rei ignorantiam multi hallucinati sunt, volentes ex consuetudinibus aliarum religionum, vel Monasteriorum regulam vniuersalem statuere, putantes id sibi in sua religione esse licitum, quod in aliis religionibus licentia tacita permittitur, non animaduertentes quod quamuis paupertatis votum apud omnes religiosos sit idem, ratione tamen tacitæ licentiæ hic, & non illic præsumptæ, extendi etiam in religiosis magis, aut minus hanc dispensandi facultatem.

2 Hinc, in nostra Congregatione Fuliensi, in qua Regula sanctissimi Patris nostri Benedicti ad vnguem obseruatur, si Religiosus in Monasterio sit, vbi facilè potest habere aditum ad superiorem, illiusque licentiam petere, regulariter loquendo nullam omnino rem etiam minimam sine illa dispensare potest, qùia apud nos cognitum est, talem esse Prælatorum voluntatem, quod patet primò ex Regula *in cap. 33. & 53.* in quibus locis etiam rerum minimarum dispensatio prohibetur.

Secundò patet ex laudabili Prælatorum, & subditorum consuetudine. Prælati enim huiusmodi dispēsationes factas acriter reprehendunt, & subditi in capitulo se accusant, si casu contigerit tales dispensationes sine licentia fecisse.

3 Dixi primò, *regulariter*, quia potest dari casus, in quo aliquis ex nostris posset de licentia tacita Prælati aliquid dispensare. vt verbi gratia, quando illi de Prælati consensu constaret.

Dixi

Dixi secundò, *si in Monasterio sit*, quia in itinere habet tacitam recipiendi omnia sibi oblata licentiam, & ex illis sumendi quidquid sibi pro itinere necessarium fuerit.

QVÆST. CLXV.

An licentia, quæ vt diximus est necessaria, vt Religiosus possit aliquid habere, vel dare, requiratur vt sit iusta?

1 RESPONDEO requiri. Et ratio est, quia licentia iniusta, non est licentia, nec apud Deum excusat, cum sit dissipatio quædam contra votum solemne paupertatis. Et in hoc omnes Authores conueniunt.

QVÆST. CLXVI.

Sed dubium est, quot, & quænam conditiones requirantur, vt talis licentia sit iusta?

1 RESPONDEO quatuor. Prima est, vt licentia sit legitima.

Secunda, vt concedatur à legitimo superiore potente eam concedere.

Tertia, vt sit voluntaria.

Quarta, & vltima vt sit ex causa legitima concessa.

2 Hinc, qui de licentia Prælati de bonis Monasterij, aut etiam de rebus in proprium sibi vsum destinatis, aliquid dispensat in vsus prophanos, & turpes peccat mortaliter contra votum paupertatis. Et ratio est, quia talis licentia non est legitima, cum sit contra sactos canones, & Decretum Conc. Trid. *sess. 25. c. 2. de reformat. regular.*

3 Hinc, Religiosus qui de licentia, vi, dolo, vel metu extorta Prælati aliquid facit, vel dispensat, est proprietarius. Et ratio est, quia talis licentia potius censetur permissio coacta, quam consensus approbatiuus, vt colligitur ex *cap. Abbas, iuncta Glossa de his quæ vi, metu, &c.* Et tradit Nauar. *comment. 2. de Regul. nu. 21.* Nec requiritur vt metus hic sit cadens in virum constantem, sed satis est, vt sit leuis, dummodo coram Deo ille sit causa principalis illius consensus.

Nomine autem doli intelligitur, quando subditus fingit rationes, vt sibi aliquid concedatur, vel tacet ea, ob quæ credit superiorem negaturum licentiam, quando ea falsi expressio, aut taciturnitas talis est, vt redderet dispensationem subreptitiam.

Hinc, religiosus qui querelis, minis, aut murmurationibus contra Prælatum factis licentiam aliquid faciendi à Prælatis extorquet, & hoc in re graui, peccat mortaliter. Et ratio est, quia talis licentia non est voluntaria, sed coacta. 4

Hinc, peccat mortaliter, & est proprietarius, qui licèt paratus sit relinquere ad iussum superioris peculium ad vsum concessum, ita tamen obmurmurat, ac querelas fundit, vt non audeat Prælatus illud auferre. Ratio est, quia talis licentia non est iusta, cùm non sit simpliciter libera, sed coacta, potéstque dici potius permissio, quàm concessio.

Hinc, religiosus qui precibus valdè importunis licentiam aliquid accipiendi, vel expendendi extorquet, non excusatur à vitio proprietatis, quando reuerà Prælatus inuoluntariè, & vt importunitatem repellat, consentit, aliter non consensurus. Ratio est, quia ea non est licentia, sed violentia, vt optimè tradit D. Bern. *in lib. de considerat. ad Eugen.* 5

QVÆST.

QVÆSTIO CLXVII.

An fieri possit, vt religiosus renitente, ac contradicente Prælato, quippiam de rebus Monasterij disponat, vel ab externis accipiat?

1 RESPONDEO posse, primò si ipse egeat extreme, in quo casu licitum est bona Monasterij propria authoritate vendicare etiam contradicente Prælato, vt sic extremæ suæ indigentiæ subueniat. Ratio est, quia præceptum de tuenda vita propria plus obligat, quam votum paupertatis.

Et idem dicendũ est, si pauper sit in extrema necessitate constitutus, & superior nollet ei subuenire, tunc licitum esset ei furari, vt eleemosynam daret.

2 Secundò, si sit in graui necessitate eorum, quæ ad congruam sustentationem vitæ, & ad decentiam sui status sunt necessaria, in quo etiam casu potest religiosus absque nota proprietatis res Monasterij sumere, vel ab extraneis sibi prouidere, etiam renitente Prælato. Et ratio est, quia ex contractu in professione inito, Prælati tenẽtur præstare subditis necessaria vitæ, & status secundum vsum, & consuetudinem suæ religionis vt constat ex Conc. Trid. *sess. 25. cap. 2.* vbi præcipitur, vt nihil eorum quæ necessaria sunt religiosis, eorum Prælati denegent, ergo eis denegantibus possunt subditi propria authoritate res sibi necessarias sumere. Vt sacra Congregatio teste Quaranta *in summa Bullarij verb. casus reseruati fol.* 157. declarauit. Et tradunt Petr. Nauar. *lib. 3. de restit. cap. 1. dub. 3. nu.* 181. & 202. Roder. *tom. 3. de regul. quest. 29. ar. 10. & p. 5. sum. cap. 33. num. 6.* Sayr. *in clau. Reg. lib. 9. c. 16. nu.* 20. & Valent. 2. 2. *d.* 10. *q.* 4. *p.* 3.

Verùm, vt hoc sit licitum tria necessario requiruntur. 3

Primò, vt subditus prius expressam licentiam petat à Prælato.

Secundò, vt iusta causa, & necessaria subsit, nempe ob res necessarias, necessitate extrema, vel graui.

Tertiò, vt non contentus sit subditus semel petiisse licentiam, si speret eam obtinere iterum, atque iterum petendo per se, vel per alios. Vnde sunt in periculoso statu illi religiosi qui rebus aliquibus, & pro sui status decentia leuibus carere nolunt, sed potius omnia more diuitum habere, eaque à Prælatis sine mora sibi donari volunt, cum status paupertatis, quam professi sunt, præ se ferat quandam indigentiam rerum etiam necessariarum.

Et hæc nota, quia tangunt multos 4 religiosos informantes conscienrias suas largas, ex proprio sensu credentes, tunc seruare votum paupertatis, quando illis nihil deest.

Hinc, peccat mortaliter contra pau- 5 pertatis votum, qui inuito superiore necessaria ad victum, & vestitum accipit ex conuentu, vel ab extraneis, vt suæ necessitati consulat, cui superior consuleret, si religiosus ille suam necessitatem præsentaret. Ita Petr. Nauar. *lib. 3. de rest. cap. 1. dub. 3. nu.* 181. & Sayr. *lib. 9. c. 16. nu.* 10. Quam doctrinam non arbitror esse vniuersaliter veram, quia superior in eo casu non est, nec esse potest rationabiliter inuitus quoad rem acceptam, cum ea destinata sit ad necessaria subditis ministranda, sed renetur contenrus esse, & quoad solum modum potest esse inuitus, quod regulariter non est nisi veniale peccatum, nisi superior esset norabiliter inuitus quoad illum modum.

QVÆ-

QVÆST. CLXVIII.

Quotnam sint quæ occasionem dant religiosis habendi proprium?

1 RESPONDEO tria Primum est indigentia. Magis enim diligunt aliquid habere cum peccato, quam indigere. Contra istam occasionem duplex est remedium Vnum est liberalitas Prælatorum, vt s. liberaliter administrent de communi, vt rollatur huiusmodi occasio.

2 Aliud remedium est patientia subditorum. Sunt enim quidam secundum D. Gregorium, qui pauperes esse volunt, sed sine defectu: non sicut Apostolus qui dicit Phil. 4. *Scio abundare, & penuriam pati.*

Secundum quod solet dare occasionem habendi proprium est diffidentia de prouisione diuina. Sunt enim multi, quibus quamuis nihil desit, tamen timent semper sibi deesse, contra quos ad Hebr. 13 dicitur: *Sint mores sine auaritia, contenti præsentibus, ipse enim dicit, non te deseram neque te derelinquam. Remedium contra huiusmodi diffidentiam, Regnum Dei est, & confortatio dominica, quam* fecit Matth. *6. Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis.*

3 Tertium est carnalitas. Sunt enim multi adeò circa curam carnis intenti in cibis, vestibus, medicinis & similibus, quod non sunt contenti necessariis, quæ eis competenter ministrantur. Et ideo inordinatè procurant alia ad satisfaciendum carnalitati suæ: contra quos dicitur Rom. 13 *Carnis curam ne feceritis in desideriis vestris.* Contra hoc remedium bonum est consideratio finis, ad quem deducit carnalitas ista iuxta illud Rom. 8. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.*

Hinc, addiscere possint superiores, 4 quomodo se gerere debeant circa religiosorum prouisiones, si enim in ipsorum necessitatibus miseros se exhibeant, ea miseria in Monasterij damnum redundabit Religiosi enim pauperes deficientibus necessariis, ad surripienda bona Monasterij prouocabuntur, & loco paruæ rei, quæ secundum Regulam eis debetur, rem magnam furabuntur, ad subueniendum suis necessitatibus.

Prospiciat tamen in hac casu religiosus pro salute animæ suæ, & in hoc non sit largus, quia vltra necessaria, furtum committet mortale cum onere restituendi acceptum. 5

QVÆST. CLXIX.

Vtrum is qui de tacita licentia Prælati aliquid accepit, vel expendit, teneatur ex vi voti postea id Prælato manifestare?

D. Bonauent. 1 *p. spec. disciplin. ad Nouitios capit.* 4. affirmat ad id teneri. 1

Sed multo verius existimo, hunc ad id non teneri. Et ratio est, quia tali licentia præuia licite dispensauit, & ideò ita tenet Sanch. *lib.* 7. *cap.* 19. *numero* 8. 2

QVÆSTIO CLXX.

An Religiosus qui non adhibet diligentiam in conseruandis rebus sibi à superiore cōcessis, quam homines communiter adhibere solent, sit proprietarius?

1 RESPONDEO esse proprietarium. Et ratio est, quia hoc est proprium domini, posse res illas consumere, ac deteriores pro libito suo facere.

Tum quia religiosus solum facti vsum habet in rebus ad vsum proprium concessis: ergo si res sibi concessæ ipsius lata culpa pereant, vel deteriores fiant, peccat peccato iniustitiæ, & per consequens contra votum paupertatis.

2 Et confirmatur, si religiosus dolo res illas destrueret, vel deteriores redderet, procul dubio peccaret contra votum paupertatis: ergo etiam si ex lata culpa. Probo consequentiam, quia secundum iura lata culpa æquipollet dolo. Quod si res concessæ sint etiam in ipsius propriũ commodum, videtur etiã teneri ex leui culpa, sicut in commodato, quod in vtilitaté commodantis, & commodatarij præbetur, iuxta *cap. vnic. de commodato.* Itaque si res ipsius leui culpa pereant, peccat contra iustitiam; ac proinde contra obligationem voti paupertatis, vt rectè docet Sanch. *lib. 7. c. 20. n.* 115. & Less. *lib. 2. cap.* 41. *dub.* 9.

3 Quæ quidem doctrina locum habet non solum in superioribus, Monasteriique officialibus quibus ex officio illorum custodia commissa est, sed etiam in particularibus religiosis, qui si vident aliquam rem destrui, vel perdi, quod damnum possunt facilè impedire, & ex negligentia non impediunt, peccant mortaliter, hi quidem contra charitatem; illi vero contra votum paupertatis.

Vbi nota quod non est proprietarius, qui in iure quærendo Monasterio nocet, quamuis si in iure iam quæsito noceat, sit proprietarius, vt si v.g. non acquirat ea bona quæ commodè potest ei acquirere, vel impediat aliquam aliam bonorum acquisitionẽ, vt rectè docet Nauar. *com.* 1. *de reg. n.* 31. & 33.

QVÆST. CLXXI.

An sit proprietarius qui Religiosis, vel sæcularibus dat ea, quæ ex licentia superioris habet, quando ex eorum qualitate colligitur licentiam priorem extendi ad donandum? Vt quando Prælatus concedit Religioso licentiam accipiendi grana benedicta, paruas imagines &c.

RESPONDEO non esse proprietarium. Ratio est, quia cum non lateat superiorem his omnibus nõ indigere Religiosum ad proprium vsum, sed hæc solere inter alios impertiri, censetur tacitè hanc donationem approbare, & ideò Religiosi eiusdem monasterij accipientes, non indigent alia noua licentia, quia prior ea licentia concessa ei Religioso accipiendi, est tacita aliis distribuendi. 1

Hoc tamen non habet locum post constitutionem S.D.N. Clemen. VIII. vbi quæuis largitio munerum Religiosis interdicitur, nisi fiat iuxta formulam in ea descriptam.

QVÆST. CLXXII.

An in aliis rebus licentia concessa Religioso dandi aliquid, extendatur ad donandum alteri Religioso, ita vt alter possit absque licentia acceptare?

RESPONDEO non extendi. Et ratio est, quia hic concurrit duplex impedimentum, alterum in dante, alterum verò in accipiente: ergo est necessaria noua licentia in accipiente, vt 1

abique

absque violatione voti paupertatis accipiat. Sicut quando Papa dispensat cum habente votum castitatis ad contrahendum matrimonium, non censetur dispensare cum fœmina simile votum habente, nisi id explicet. quamuis possit cum vtroque dispensare.

Hinc, qui habet licentiam dandi, non potest dare iis, qui licentia recipiendi carent: & si dat, contra paupertatis votum peccat, non quia dat, sed quia cooperatur peccato contra votum accipientis.

2 Hinc, qui licentiam habet accipiendi aliquid, non potest accipere ab eo qui licentiam donandi non habet, propter eandem rationem, nisi ex coniecturis constet voluisse vtrumque impedimentum tollere.

QVÆST. CLXXIII.

Quam quantitatem expendendi possit dare licentiam superior Religiosis?

1 CORD. *in sum. qu.* 54. tenet superiorem posse licentiam concedere expendendi decem ducata.

Alij singulis mensibus duorum, vel trium aureorum summam.

2 Alij autem singulis annis decem, aut duodecim, aut quindecim aureos.

At verò Molina *tom.* 2. *de iust. disp.* 276. & Azor. *lib.* 12. *cap.* 12. *qu.* 4. censent rem hanc totam arbitrio prudentis remittendam pro quantitate redituum, & necessitate pauperum.

3 Nomine autem superioris hic intelligimus eos omnes, qui habent iurisdictionem ordinariam, vt sunt Generales, Prouinciales, Abbates, Priores, Guardiani, Rectores, Præpositi Abbatissæ, & horum vicarij, qui plenè vicibus Prælatorum funguntur, habentes plenam Monasterij curam, vt Vicarius Generalis, viceprouincialis, supprior, vicerector &c.

QVÆST. CLXXIV.

An superior possit alicui subdito beneficium regulare, aut administrationem alicuius ecclesiæ in perpetuum, hoc est ad eius vitam conferre?

RESPONDEO non posse. Quia id prohibetur *in cap. cum ad Monasterium* §. *tales de statu monachorum,* vbi sic dicitur: *Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò possidenda tanquam sibi locetur ad vitam, sed cum oportuerit, sine contradictione qualibet reuocetur.* Et *in cap. Porrectum, & cap. ad nostram, de regular.* statuitur, regularia beneficia in quibus religiosi instituuntur, posse ad nutum superioris reuocari, nisi authoritate Romani Pótificis fuerint confirmata. Idem est dicendum circa administrationem rerum temporalium, quod superior eam minime concedere valet irreuocabiliter, & ad vitam ipsius subditi, quia talis concessio faceret religiosum proprietarium, sed tantum reuocabiliter, & ad voluntatem ipsius, iuxtà decretum Conc. Trident. 1

QVÆSTIO CLXXV.

An cum religiosus sine Prælati sui consensu contrahit, licet non ciuiliter, saltem naturaliter, seu in foro conscientiæ obligetur?

1 NOTANDVM primò, duplicem ex contractu posse oriri obligationem, altera est ciuilis, id est, ad quam implendam datur actio in foro externo. Altera autem est naturalis, id est, quæ non ex solo honestæ gratitudinis debito oritur, sed ex vinculo legis naturalis. Et quamuis ad hanc non detur actio in foro causarum, obligat tamen in foro conscientiæ. Quo posito duæ extant opiniones.

2 Prima est Host. *in sum. de fideiuss. §. pro quo posset, vers. & quis.* Panorm. & Felin. *in cap. ex rescripto de iureiur.* qui affirmant in eo casu, nec naturaliter obligari, quia cum religiosus non habeat velle, neque nolle, nullo modo potest sine consensu Prælati obligari.

Tum quia cum sic contrahendo peccet, & sit proprietarius, non videtur quomodo possit in conscientia obligari?

Secunda verò opinio est Panorm. sibi contrarij *in consil. 104 in 1. p.* qui docet eum naturaliter obligari.

3 At Nauar. *com. 2. de regular. nu. 42.* optimè has duas opiniones conciliat hoc modo videlicet, quod sicut vota religiosi facta Deo sine consensu Prælati, quæ non sunt contra Regulam, vel constitutiones, valét, & obligant, donec superior ea irritet, aut eis contradicat, & non postea. Ita promissa quoque facta homini valent, & obligant, donec ea Prælatus irritet, vel eis contradicat, & non postea Et sic prima opinio procedit in contractu post irritationem, & contradictionem. Secunda verò opinio ante irritationem, & contradictionem.

QVÆSTIO CLXXVI.

An si religiosus sine licentia Prælati contrahat cum seculari, vel alio, Monasterium ad aliquid teneatur?

IN qua te conuenit inter omnes, hunc religiosum ad nihil teneri. Quia non habet vnde soluat, cùm sit ad instar illius, qui cessit bonis. 1

Sed dubium est: An Monasterium ad aliquid teneatur?

Respondeo ad nihil teneri, nisi in duobus casibus. Primò quando res de qua contraxit, adhuc extat, vel commodum, aut lucrum versum est in vtilitatem eius. 2

Secundò, si à superiore sit ei commissa administratio, quia in quantum se extendit administratio, in tantum obligatur, & non plus.

QVÆSTIO CLXXVII.

An Monasterium teneatur ex delicto religiosi?

RESPONDEO non teneri. Ratio est, quia delictum personæ secundum canones non debet redundare in damnum Ecclesiæ. 1

QVÆSTIO CLXXVIII.

An Religiosus in hoc casu teneatur salua sua religionis decentia, ac superioris consensu conari, vt debita in religione contracta cum sæculari, vel alio soluat?

RESPONDEO teneri. Ratio est, quia eum reddere alienum sit de iure naturali, & diuino, non absoluitur religiosus à tali iure per votum solemne religionis. 1

QVÆ

QVÆSTIO CLXXIX.

Quænam sit iusta summa, quam potest religiosus expendere de licentia tacita superioris?

1 AD hoc dico primò, quod si religiosus ex negligentia, vel obliuione non obtinuit licentiam alienandi, deinde si vbi non suppetit ei copia eam habendi, aliquid expendat, non adeò notabile, non censetur facere contra votum paupertatis, quando id facit fundatus rationabiliter in ratihabitione superioris.

2 Secundò dico, quod Religiosus qui absque superioris expressa licentia dat librum alteri religioso eiusdem, vel alterius Monasterij, eiusdem tamen religionis, valentem duos, vel tres argenteos, non peccat mortaliter contra votum paupertatis. Ratio est, quia hic etiam præsumitur licentia tacita superioris.

Hoc tamen non habet locum post constitutionem S. D. N. Clementis VIII. vbi quæuis largitio munerum religiosis interdicitur, nisi fiat iuxta formulam in ea descriptam.

3 Tertiò dico, quod potest religiosus absque expressa licentia Prælati donare externis paruula quædam munuscula præsertim ad cibum, & potum pertinentia, vel alia quæ ad pietatis, & religionis studium pertinent, cuiusmodi sunt sacræ reliquiæ, imagines Sanctorum, aut grana benedicta, &c. Ratio huius est, quia in his rebus, si expressè non fuerint à regula, vel constitutionibus prohibitæ, præsumitur tacitus superiorum consensus, dummodo imagines istæ non sint pretiosæ, auro, argentóve ornatæ.

4 Quartò dico, quod religiosus, qui inuito Prælato accipit ex rebus Monasterij in minima quantitate, nimirum vnum Regalem non peccat nisi venialiter. Et ratio est, quia hæc non est quantitas, nisi modica, & quæ non cedit in detrimentum, vel dissipationem Monasterij. Ita Lopez *p. 1. inst. conf. cap. 6.*

Quintò, & vltimò dico, quod religiosus, qui de licentia superioris iter agit, potest ex his, quæ pro expensis itineris sibi dantur à superiore quidquid subtraxit parcius viuendo, ad libitum in eleemosynas, vel alios pios vsus disponere. Et ratio est, quia talium dispositio illi præsumitur concessa à superiore.

Hinc, religiosus, qui de superioris licentia in scholis studet, aut alibi versatur, licitè potest de suo commeatu quatuor aut quinque pro centenario, quæ quotannis dantur ei alimentorum causa, ludo impendere, modo id honesta recreationis causa faciat. Quod Prælatus tacitam eius rei facultatem facere videatur, nisi religiosus ille in eodem anno in alias honestas recreationes aliquid insumpserit, id enim de præsenti summa, quam ludo ex præsumpta superioris voluntate exponere potest, detrahere debebit, atque adeò si duos eo anno in sua honesta recreatione insumpsit, iam non poterit amplius quam duos, vel tres aureos ludendo alienare. Nauar. *cap. 20. n. 11.* Less. *lib. 2. cap. 26. dub. 5.* Molin. *to. 2 d. 510.* & Valent. *2. 2. d. 5. q. 6. p. 5.* 5

Quam doctrinam censeo esse verissimam, nisi expressè à suo superiore, vel suæ religionis statutis sibi ludus sit religioso interdictus. Quia tunc cum nulla licentia tacita Prælati præsumatur, erit voti paupertatis reus religiosus ludens, & lucrans tenebitur restituere lucri facta. Ita Salon *2. 2. q. 61. q. 5. ar. 6.* 6

Et idem dicendum est, si ludus ille sit prohibitus, aut indecens religioso, quia cùm talis ludus comparatione illius non censeatur honesta recreatio, non potest præsumi tacita superioris licentia, immo nec expressa prodesset, vt docet Molina *loco citato*.

7 Hinc, non est audiendus Less. *lib. 2. de iustit. cap. 26. dub. 5.* qui ait posse religiosum valide lucrari, & perdere notabilem summam ludendo ex expressa, vel tacita superioris licentia, quamuis sit culpa mortalis, res Monasterij sic ludo exponere. Quia ludus est contractus onerosus, qui potest Monasterio esse vtilis, & citat pro se Nauarr. *cap. 20. num. 9.* sed falso, quia Nauarrus, nihil de hoc dicit. Quare arbitror ludentem teneri eam pecuniam lucratam restituere, quatenus moderatam quantitatem excedit. Et ratio est, quia quamuis ludus sit contractus onerosus, quando hanc quantitatem excedit, est indecens religiosis, nec inter limites honestæ illorum recreationis continetur. At licentia superioris ad vsus turpes, vanos, & superfluos concessa non liberat, à peccato contra paupertatis votum, ac restituendi obligatione.

8 Nec etiam placet, quod tradit Medina *lib. 1. sum. cap. 14. §. 29.* dicens religiosum habentem generalem licentiam à suo superiore dandi, aut expendendi aliquam quantitatem, posse valide eam ludo exponere. Quia quamuis peccet faciendo contra intentionem Prælati, at transfert dominium. Non inquam placet, quia licentia illa generalis non extenditur ad ludum immoderatum, sed ad honestos, & licitos vsus: immò quamuis expressam licentiam haberet, expendendi eam quantitatem ludo illicito, non esset à transgressione voti paupertatis liber, nec lucrans ab onere restitutionis immunis.

QVÆSTIO CLXXX.

An qui inuito Prælato, vel eo consentiente extra piam, & licitam causam rem aliquam à religiosis accipit, furtum committat cum onere restituendi acceptum?

RESPONDEO communem esse sententiam, hunc furtum committere, tenerique acceptum restituere. Et ratio est quia cum hic religiosus careat potestate donandi, qui recipit, non potest iuste retinere, sed tenetur acceptum restituere. Quod intelligitur primò, si titulo gratuito accepit, nam si per venditionem, & huiusmodi, non tenetur; quia non damnificauit Monasterium, cùm tantum dederit, quantum accepit. Nauarr. *lib. 3. de rest. c. 1. n. 188.* 1

Secundò intelligitur, quando res extat, aut si res non extat, accepit mala fide, nam si bona fide accepit, solum tenebitur si res extet, vel in quantum ex ea factus est ditior. Ita D. Anton. *3. part. tit. 16. §. 11.* Syluester *verb. religio 6. quæst. 7.* Nauar. *comm. 2. de regular. num. 44.* Less. *lib. 2. cap. 41. dub. 8.* Lopez *2. part. cap. 6.* Petrus Nauarr. *lib. 3. de rest. cap. 1. part. 3. num. 181.* Corduba *sum. quæst. 109.* Sayr. *clau. reg. lib. 9. cap. 16. num. 21.* & Roder. *part. 2. sum. cap. 31. num. 7.* 2

QVÆ

QVÆSTIO CLXXXI.

Cui hæc restitutio facienda sit?

1 ABVLENS. *in cap. 6. Matth. quæst.* 37. censet eam restitutionem faciendam esse religioso qui dedit, si ille habet administrationem, & sit correctus, vel restituens sit certus id esse in Monasterij vtilitatem, si verò non sit correctus, aut non habeat administrationem, restituendam esse Monasterio.

Alij verò docent eam restitutionem faciendam esse Monasterio, quod illud habeat legitimum eorum bonorum dominium. Sic Syluester *verb. religio 6. quæst.* 7. Rodericus 2. *tom. de regular. quæst.* 125. *art.* 2. Nauarr. *lib.* 3. *de rest. c.* 1. *dub.* 169. & Molin. *to.* 1. *d.* 40. & 94.

2 Arbitror autem ego de iure communi posse restitui ea bona ipsimet religioso, nisi timeatur fore, vt male, & contra Prælati voluntatem iterum expendat. Molina *tom.* 2. *dist.* 520. Rebell. *de inst. p.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 11. *sect.* 2. *n.* 9. & alij.

Dixi notanter (*iure communi*) quia iure nouo Clementis octaui restitutio debet fieri Monasterio, sed de hoc, infra dicemus.

QVÆSTIO CLXXXII.

An religiosus qui absque consensu superioris aliquid donat, vel dispensat, ad restitutionem teneatur?

1 ROSELL. *verb. Monachus n.* 7. & ibi Armill. *n.* 12. Tab. *n.* 11. *q.* 10. & Syluest. *verb. religio* 8. *quæst.* 3. negant hunc teneri ad restitutionem. Quia restitutio debet fieri ex proprio, non ex alieno. At religiosus nihil habet proprium: ergo sicut verè impotens, liber est à restitutione.

Alij verò rectius docent primò teneri hunc ad inducendum eum, cui dedit, vt restituat Monasterio, docens se non habuisse potestatem alienandi. Quod intelligitur, quando est spes proficiendi, atque id potest religiosus absque suæ famæ nota. Quod si nulla sit spes, quod restituet, & religiosus ille habeat peculium aliquod ex legitima superioris licentia, tenebitur ex eo restituere monasterio. Quia quamuis horum proprietatem non habeat, vsum tamen à se abdicare potest, & tenetur. Vel tenebitur abstinere ab vsu aliquarum rerum, pro quibus habet licentiam à superiore expendendi aliquid, vel ad magis laborandum manibus suis, si fortè ex aliquo artificio hoc posset facere, non defraudando obseruantiam regularem, vt sic satisfaciat aliquo modo dicto Monasterio. Vel ad rogandum amicos, vt pro eo soluant, vel denique ad petendum humiliter per se, vel per alios remissionem debiti. Et ideò ita tenent Petr. Nauar. *lib.* 3. *de rest. cap.* 1. *num.* 204. Roder. *to.* 3. *de reg. q.* 29. *art.* 10. Sayr. *clau. reg. lib.* 9. *cap.* 16. *num.* 12. & plerique alij. 2

Et idem est de Prælato, si in vsus prophanos, vel inutiles aliquid de rebus Monasterij expendit. Quia cum non habeat ex officio facultatem ad hæc, restituere tenetur, vt Nau. & alij supra citati affirmant. Si autem ab extraneo religiosus aliquid surripuit, tenetur restituere ex eo quod habet ex licentia Prælati suæ liberæ dispositioni relictum, vt rectè docet Molina *tom.* 1. *de inst. d.* 140. 3

QVÆ

QVÆST. CLXXXIII.

An Religiosus qui aliquid furatur ab externis ad vtilitatem Monasterij sit proprietarius?

1 RESPONDEO non esse proprietarium. Et ratio est, quia per votum paupertatis tantum prohibetur sibi aliquid quærere, aut appropriare sine licentia superioris At hic nihil sibi quærit, aut appropriat, sed furatur vt tradat Monasterio: ergo non est proprietarius, sed solius furti reus. Et ideò ita tenet Nauar. *lib.* 3. *cons. tit. de statu Monach. cons.* 3. *nu.* 4.

2 Quare non est audiendus Valentia 2.2.*d.* 10.*qu.*4.*p.*3. qui absolutè dicit omne religiosi furtum esse peccatum proprietatis. Quia hoc est verum, quando religiosus aliquid ab externis furatur, vt sibi acquirat, vel appropriet inscio superiore.

QVÆSTIO CLXXXIV.

An quando plures religiosi cellam alterius expoliant, ita vt singuli modicum quid accipiant, omnes peccent mortaliter, teneanturque in solidum ad restitutionem?

1 AD hoc dico primò, quod quando plures religiosi perrexerunt ad expoliandam cellam alterius, ita quod mutuus comitatus fuerit causa damni cuiuscunque eorum, vel nullus aggrederetur, nisi nixus communi defensione, vel quia non præualerent ad damnum inferendum, nisi omnes ita coniuncti id aggrederentur, tunc singuli eorum peccarunt mortaliter cum onere restituendi in solidum totum damnum, quia singuli sunt causa totalis totius damni.

Secundò dico, quod si tales prædicti expoliatores cellæ ita concurrunt, vt vnus excitet, & moueat alios ad furtum, vnusquisque peccat mortaliter, & in solidum tenetur illud restituere. Ratio est, quia vnusquisque causa est efficax totius damni. 2

Tertiò dico, quod si tales religiosi non se inuitarunt ad inuicem, nec animo se inuicem defendendi iuerunt simul, & simul cellam ingressi nullo eorum cooperante ad furtum partiale alterius, licet forte ei præbuerit occasionem malo exemplo, dum pariter est ingressus, tunc nullus eorum tenetur restituere, nisi id quod accepit. Ratio est, quia nullo modo concurrit ad partes alterius. 3

Quartò dico, quod si tales furantes seorsum nescierunt, nec scire debuerunt damnum ab aliis illatum, tunc quandiu durat talis ignorantia, si est tamen inuincibilis, nullus peccauit mortaliter surripiendo rem minimam: si tamen postea in notitiam veritatis deuenerint s. damni notabilis ab aliis illati, tenebitur vnusquisque quantum accepit in se, vel in æquiualenti reddere, & non reddendo peccat mortaliter in ipsa solum retentione, non autem in ipsa vsurpatione. 4

Quintò dico quod si quilibet furando seorsum, sigillatimque videat alios confratres furantes rem minimam, & sic magnum damnum sequuturum, tunc licet Sotus *lib.* 4. *quæst.* 7. *art.* 3. & Sanch. putent non esse peccatum mortale; quia vnus non est causa efficax furti alterius, sed tantum sui, quod ob paruitatem materiæ solum peccatum veniale est, nihilominus tamen verius est, esse peccatum mortale, 5

tale, quia quilibet eorum in causa fuit, quod illatum fuit notabile damnum, atque ex consequenti, tenetur sub mortali ad restitutionem, non tamen singuli in solidum, sed vnusquisque tantum pro sua parte.

6 Hinc, si lata esset postea sententia excommunicationis contra tales expoliantes, tunc quilibet eorum sub mortali, & pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ teneretur, vel respondere, vel restituere id tantum, quod accepit. Ita Henriq. *lib.13. de excommun. cap.17. nu.4.* Salon. *2.2. qu.66. art.6. controu.3.* Suar. *5. tom. in 3. p. d. 20. sect.2. nu.3.* & multi alij.

QVÆSTIO CLXXXV.

An religiosus transgrediens votum paupertatis donãdo aliquid, duplex lethale peccatum committat, alterum furti, alterum verò sacrilegij?

1 RESPONDEO regulariter duplex peccatum admittere, nam si Religiosus sibi vsurpet aliquid de bonis Monasterij, & illud absque superioris licentia alteri tribuat, committit peccatum furti, quia contra domini voluntatem, qui est Monasterium, rem vsurpat; & etiam proprietatis, quia absque superioris licentia id facit.

2 Hoc idem contingit, quando Religiosus rem sibi vsurpatam non alteri tribuit, sed sibi retinet, quia id inuito domino, & absque superioris licentia efficit. Vel quando externus dat aliquid Religioso: nam eo ipso proprietas illius acquiritur Monasterio, & ideò inuito domino, & absque superioris licentia eam vsurpat Religiosus.

Dixi notanter (*regulariter*) quia potest esse solum proprietatis peccatum, vt quando externus dat aliquid Religioso ea lege, vt illud in ius Monasterij non veniat, tunc enim etsi peccet contra votum vsurpando sibi istius rei dominium, & vsum independenter à superiore, non tamen cõtra iustitiam, quia ex domini voluntate eam accipit.

Potest etiam contingere, vt sit peccatum solius furti, vt quando Religiosus aliquid à secularibus furatur ad vtilitatem Monasterij, nam per votum paupertatis tantum prohibetur sibi aliquid acquirere, aut appropriare sine licentia superioris. At hic nihil sibi acquirit, aut appropriat, sed furatur, vt tradat Monasterio: ergo non est proprietarius, sed solius furti reus. Et similiter si rem alienam non sibi vsurpet, sed destruat. 3

Tandem poterit dari casus, in quo duplex malitia furti, duplex etiam malitia proprietatis interueniat, vt quando religiosus ex rebus Monasterij inuito superiore aliquid sibi vsurpat, & rursus eodem inuito id alteri tradit. Cum in vtroque casu hæc absque superioris licentia, & inuito domino fiant. 4

QVÆSTIO CLXXXVI.

An Religiosus grauius peccet, qui ab alio confratre ex his, quibus vtitur aliqu id surripit, quam si ab extraneo, vel à communibus Monasterij bonis illud furaretur?

RESPONDEO hunc grauiùs peccare, quia maioris perturbationis occasionẽ præbet, & aliorum religiosorum propter hoc æstimatio diminuitur, & vt claues in religionem introducantur viam parat. Et est conclusio definita *in Conc. Mediolan. 1. p. constit. cap. de Monialibus*, vbi postquam dictum est proprietarias castigandas esse, statim subiungitur: *Et multo magis* 1

gis qua ex communi, aut ex eo quod alicuius vsui tributum sit, furtim sibi aliquid vendicauerit. Hæc Concilium. Verùm hæc maior grauitas non est intra limites voti paupertatis.

QVÆSTIO CLXXXVII.

An religiosus qui inuito Prælato sibi appropriat denarium vnum, vel plures non facientes materiam notabilem, quos ad iussionem ipsius superioris non est paratus resignare, peccet mortaliter?

1 IN hac quæstione D.Anton.3. *p.tit.* 16.*cap.*1.§.11.& Gerson 2.*p.in resp. ad quasdam quæstiones sibi propositas quest.penult.alphabeto* 34. censent cuiuscunque rei etiam minimæ vsurpationem sine Prælati consensu factam esse peccatum mortale. Hanc opinionem videntur tenuisse sancti Patres, qui seuerioribus verbis minimas etiã vsurpationes inhibent.D. Benedictus *in sua Regula cap.*33.sine licentia Abbatis neque codicem, neque tabulas, neque graphium, religiosum habere vult. D. Hieronym. *in Regul. Monach. cap.* 3. *Non retineatur* (inquit) *quantumcunque minimum temporale.* Et paulò infrà:*Nulla omnino tangere, aut aliqualiter retinere audeat per horam, censum, aut obolum, aut aliquid quantumcunque minimum.* D. Bonau. *in* 1.*p.spec.cap.*4.ait *sine licentia superioris, ne habeatur tabella, aut acus.* Cassian. etiam *lib.*4.*de instit.renunt.cap.*13. de religiosis sui temporis loquens, *Nulli* (inquit) *cistellam, nulli peculiarem sportellam liceat possidere, nec tale aliquid, quod vt proprium retinens, suo debeat communire signaculo.* Hos patres sequuti Cathus.*de reformat. claustra.*a.14. Hugo *super Regul. B. Franc.* Serena conscientia.4.81.Petr.Damian.*in apologia de contemptu mundi.* & Cord. *super Reg.B.Franc.quæst.*6. affirmant religiosum sine licentia habentem filum, acum, calamum, vel quid simile peccare mortaliter, & esse proprietarium. Hoc idem sentiunt Illustrissimus Caiet.2.2.*quæst.*89.*art.*7. Viuald.*cand. sacram.*3.*p.c.*14.*nu.*18.& plerique alij qui strictissimè de hac materia loquuti sunt.

At communis, ac verissima sententia negat esse peccatum mortale. Et ratio est, quia transgressio cuiuscunque præcepti etiam diuini ratione paruitatis materiæ, idest parui nocumenti, vel surreptionis, vel defectus iudicij ad id sufficientis, solum obligat transgressores ad peccatum veniale, minimo enim nocumento, charitas Dei, & proximi non destruitur, & fractio voti paupertatis, transgressio diuini præcepti est: ergo ratione paruitatis materiæ violatio voti paupertatis, seu alterius præcepti, erit tantum venialis. 2

Et confirmatur, nam lex religiosorum de nihil appropriando sibi, non est fortior, quam lex Dei de nihil furando. At transgressio legis de non furando excusatur à culpa mortali propter rei exiguitatem, vt rectè docet D. Tho.2.2.*qu.*59.*art.*4. & *qu.*66.*art.*9. Nauar.*c.*17.*nu.*2.Sot.*lib.*5.*qu.*3.*art.*3. & alij communiter: ergo.

Excipiuntur duo casus, in quibus paruitas materiæ non excusat à mortali. Primus est, in iuramento assertorio, vt si quis diceret falsè, iuro per Deum, quod non leuaui festucam de terra manu mea, peccaret mortaliter, nam licet res sit parui, vel nullius valoris s. leuasse, vel non leuasse festucam, tamen quia iurat falsum, non solum paruitas materiæ non excusat à mortali, sed etiam aggrauat; quia in rebus nullius pensi, nihilque referentibus adducit Deum in testem falsi. 3

Secun-

Secundus casus est, quando contingit fieri aliquid mali, licet in se sit modicum, tamen ex contemptu fit, vt si quis in contemptum diuinæ legis verba proferret otiosa, esset planè mortale, nec in hoc casu eum paruitas materiæ excusaret.

Sed casum hunc non esse adeò certum, ait Med. *in sua summa*, quia Caiet. *verbo contemptus* ait, verum esse, quod peccans ex contemptu simpliciter, mortaliter peccat, sed qui contemnit aliquid ex eo, quod est minimum, non contemnit simpliciter, sed secundum quid, ideò non peccat mortaliter, modificat enim contemptum cum illo minimo, sicut qui accipit minimum non dicitur furari simpliciter, sed secundum quid.

4 Nec obstant dicta sanctorum Patrum. Non enim sic intelligendi sunt, quasi is religiosus qui rem sibi vsurpat, vel dispensat absque licentia Prælati, statim peccatum mortale incurrat, sed solum quod committat peccatum, quod ex genere suo est proprietatis, etsi ratione modicitatis materiæ sit veniale peccatum.

QVÆSTIO CLXXXVIII.

An Religiosus, qui inuito superiore surripit modicum v.g. sex vncias panis, parum vini &c. Quasi singulis diebus, peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur?

1 IN hac graui, & perdifficili quæstione, vt certa ab incertis secernamus. Primo supponendum est, tanquam certum apud omnes, quod modus accipiendi aliquid occultè, dum aliàs acceptio placeret domino, si ei innotesceret, est venialis, quod sæpe religiosi ob verecundiam superiorum faciunt.

Secundo certum est, quod religiosus, qui in monasterio accipit panem, vinum, & id genus alia, quibus vescatur, sub ratihabitione, quod si adesset superior, ipsi petenti daret quamuis nollet, vt se inscio caperet, non peccat nisi venialiter.

Tertiò certum est, quod religiosus qui intra Monasterium surripit cibaria in magna quantitate, animo donandi, vel alienandi, peccat mortaliter, cum obligatione restituendi, tam dans, quam accipiens. Et ratio est, quia in hoc casu, non solum modus, sed etiam factum inuito domino fit. 2

Quarto certum est, quod religiosus, qui minutatim repetitis vicibus ex rebus Monasterij exigua surripit, siue cum animo, siue sine eo perueniendi ad summam notabilem, cum illam tamen attingit, ad restitutionem tenetur.

Quintò, & vltimò certum est, quod qui paulatim ex rebus Monasterij rem paruam surripit, si à principio habuit animum perueniendi ad materiam notabilem, à principio peccauit mortaliter, cum obligatione restituendi quod accepit, quamuis modicum pro qualibet vice accipiat. 3

Hinc, emptores nobilium, qui fraudant dominos suos, quasi singulis diebus surripientes aliquid exiguum, peccant mortaliter cum obligatione restituendi quod iniustè acceperunt, quamuis exiguum singulis diebus surripiant: non enim in talibus attenditur id exiguum, quod accipiunt, sed ad totam summam surreptam in fine temporis, ad quam fertur eorum praua intentio, pro qua in inferno æternaliter punientur. Hæc itaque certa sunt apud omnes.

QVÆST. CLXXXIX.

Sed totum controuersiæ dissidium consistit de eo religioso, qui paulatim repetitis vicibus, ex rebus Monasterij surripit vnum, vel duos denarios, sine intentione perueniendi ad magnam quantitatem: An cum illam attingit peccatum, mortale committat, cum obligatione restituendi?

1 IN qua re duæ extant Doctorum opiniones. Prima ait quod religiosus qui minutatim ex rebus Monasterij singulis diebus quid modicum surripit, peccat tantum venialiter, cum tamen valor pecuniæ surreptæ peruenit ad notabilem quantitatem, tunc vltimum furtum præcedentibus accedens, efficitur mortale. Ita Sot. *lib.5. de iust.quæst.3.artic.*1. Salon 2.2. *quæst.66.art.6.*Valent.2.2. *d.5.qu.*10. *p.5.*Arag.2.2.*qu.66.art.6.*Petr Nauar. *lib.3.de rest.cap.*1.*num.*51.Molina *to.3. de iust.disp.*688. Couar. *lib.*1. *variar. cap.*3. *num.*12. Cord. *in summ.qu.*70. Vasq. 1.2. *quæst.*88. *art.*4. *disp.*146. *cap.*2. *nume.* 5. Lop. *par.*1. *cap.*93. & Rebell. *de iust.par.*1. *lib.*3. *quæst.*15. *sect.*4.*num.*30.qui limitat *num.*33. nisi vltimum furtum committens,habeat animum saltem virtualiter restituendi priora minima furta. Quod tunc nullum sit notabile damnum.

2 Secunda opinio est aliorum, qui licet consentiant cum prima opinione, quod in hoc casu minimorum furtorum in diuersis vicibus commissorum, sub reatu mortali eorum facienda est restitutio cum peruentum iam fuit ad summam notabilem: tamen negat,quod illud vltimum furtum complens quantitatem notabilem, fiat mortiferum virtute priorum, sed omnia illa exigua, prima, & postrema, & intermedia furta non fuerunt plusquam venialia. Ratio est, quia ex peccatis venialibus quantumcunque multiplicatis non consurgit mortale, cum ergo ea omnia furta leuia sint, & venialia non consurget ex illorum multiplicatione culpa lethalis. Et ideo ita tenent Nauar. *c.* 17.*num.*139.& Vega *lib.*14. *in Conc.Trid.cap.*11.*fine.*

Cæterùm probabilior, ac securior mihi semper visa est prima opinio, nempe quod si Religiosus à principio carens animo furandi multum ex rebus Monasterij, semel atque iterum modicum quid surripuit, ex tunc, & non ante tale furtum incipiet esse mortale, quando coassumptum cum aliis præcedentibus paruis furtis, incipit esse materia grauis. Et ratio est, quia illud postremum furtum,licet exiguum, in virtute furtulorum præcedentium operatur notabile damnum;quicunque autem Religiosus sciens, & aduertens ex actu suo etiam leui, Monasterium passurum notabile damnum, illum facit, verè est causa efficax talis damni, & sic peccat mortaliter cum obligatione restituendi; *Parum enim refert* ait D. Hieron. *an vnico actu, vel pluribus proximum quis interimat,vel spoliet,siue dammificet, cum semper sit æquale damnum.* 3

Tum quia retinere, & actu vsurpare idem peccatum est:ergo si retinere est mortale, vt Authores primæ opinionis testantur,erit etiam mortale vsurpare. 4

Tum quia retinere est mortale, quia ea parua quantitas cum præcedentibus coniuncta efficit rei notabilis retentionem,sed similiter coniun- 5

cta

cta cum præcedentibus efficit rei notabilis vsurpationem: ergo similiter ea vsurpatio erit mortalis.

Dixi notanter (*sciens, & aduertens*) quia Religiosus qui minutatim multa exigua furta commisisset, quorum esset inuincibiliter oblitus, atque ita non aduertens ad furta præcedentia, aliquod aliud furtum committeret, non imputaretur ei hoc, ad peccatum mortale, quia ex defectu aduertentiæ, non continuatur moraliter: secus autem si aduertit se per vltimam acceptionem iniustam rei alienæ etiam vnius oboli peruenire ad materiam, quæ in ordine ad Monasterium spoliatum, est per se sufficiens constituere furtum mortale, tunc enim peccat mortaliter, quandoquidem scienter inferre damnum notabile proximo, peccatum mortale est.

6 Ex qua doctrina sequitur primò, quod religiosus qui paulatim repetitis vicibus accipit ex rebus Monasterij, aliquid exiguum, quam primum peruenit ad quantitatem, quæ respectu Monasterij, cuius est res accepta, est grauis, peccat mortaliter contra votum paupertatis, cum obligatione restituendi, quamuis à principio animum furandi notabilem quantitatem non habuerit. Quod arbitror verissimum, modo religiosus continuato tempore illam notabilem quantitatem conflaret, non autem si magnis interuallis interpositis eiusmodi furta faceret, quia tunc nec peccaret mortaliter, nec sub mortali restituere teneretur, vt si aliquot diebus vnius mensis aliquid surriperet, & post aliquot alios totidem, ita quod in fine duorum, vel triumannorum conflaret summam etiam duplo maiorem, quàm sit illa, quæ simul accepta induceret peccatum mortale, & obligationem sub mortali restituendi. Ratio est, quia superiores minus ægre ferunt sibi auferri longo interuallo, & casu quædam minima, quam eandem quantitatem simul, vel breui interuallo. Immo tanta posset esse interruptio, vt non videatur vnum furtum coniungi cum alio, sed quodlibet illorum sit per se considerandum, vt si spatium vnius anni inter quodlibet furtum interueniret.

QVÆSTIO CXC.

Sed quid, si religiosus fecit multa furtula, & peccauit mortaliter ob id, quia peruenit ad materiam notabilem, teneatur sub mortali totam summam restituere? v. g. ponamus, quod furari summam quatuor iuliorum sit peccatum mortale, & religiosus paulatim ex rebus Monasterij accipiat vsque ad tres, & tandem accipiat quartum: An teneatur sub mortali omnes quatuor iulios restituere, an verò satisfaciat soluendo quartum, ita vt excusetur à mortali, etiamsi reliquos tres antea paulatim acceptos non restituat?

IOANNES Medina *C. de restitut. q.* 10. & Corduba *in summa casuum* tenent obligari sub reatu mortali totam summam restituere. 1

Contrarium tamen est proculdubio affirmandum, nimirum excusari à peccato mortali, si vnum tantum iulium restituat. Ratio est, quia religiosus non tenetur sub mortali, nisi auferre damnum notabile Monasterij, sed soluto eo iulio remouetur damnum notabile, nam vt suppo 2

supponimus, tres non constituunt materiam grauem in peccato furti: ergo.

3 Et confirmatur, religiosus surripiendo illum quartum iulium, peccauit mortaliter, quia ille cum aliis tribus constituebat materiam notabilem: ergo restituendo illum, excusatur à peccato mortali, cum non damnificet notabiliter Monasterium suum. Et ideo ita sentiunt Rebell. *de iust. part.* 1. *lib.* 3. *quaest.* 15. *sect.* 4. *numero* 39. Nauarrus *lib.* 3. *de restitut. cap.* 1. *part.* 1. *dub.* 8. *numero* 67. & plerique alij.

QVÆSTIO CXCI.

An sufficiat ad constituendum peccatum mortale furti contra votum paupertatis, quod religiosus habeat animum furandi, nihil de notabili aut paruo cogitans?

1 CAIETANVS gloria Thomistarum 2.2. *quaest.* 66. *art.* 6. *ad* 3. videtur sentire, quod voluntas furandi absolutè, est peccatum mortale, nisi limitetur ad rem minimam.

2 At Petrus Nauarr. *lib.* 3. *de restitut. cap.* 1. *numero* 40. cuius opinioni tanquam probabiliori adhaereo vult nunquam in indiuiduo dari furtum aliquod, in quo fur non habeat voluntatem saltem tacitam accipiendi modicum, vel magnum. Et ratio est, quia cum religiosus se applicat ad furandum, vel solum intendit rem minimam accipere, & tunc solum erit veniale, vel ita furatur minimum, vt paratus sit, & optet furari multum, si detur occasio, & sic erit mortale: nec fingi potest alius casus in quo quis habeat animum furandi absolute, prout finxit Caietanus, sed sine firmo fundamento.

QVÆSTIO CXCII.

Sed grauis, & difficilis quaestionis est, quae summa requiratur, vt religiosus peccet mortaliter peccato proprietatis, accipiendo, aut expendendo sine licentia Praelati?

IN hac re D. Anton. 3. *p. tit.* 16. *cap.* 1. §. 11. Gerson *alphab.* 34. *lib.* 5. *dub.* 3. & plerique alij censent esse peccatum mortale, etiam quamcunque rem minimam Praelato occultare. 1

Sed haec opinio (pace tantorum virorum sit dictum) falsa est, & merito, vt talis ab omnibus reiicitur; nam materiae paruitas in quocunque genere excusat à mortali, vt cum communi docet D. Thō. 2.2. *q.* 88. *ar.* 5. & 6. & habetur *in l. scio, de restit. in integrum*, vbi dicitur quod de modicis non est *multum curandum*. Et *in l. si oleum* § *vlt. ff. de dolo*, & *l. senatus. ff. de legibus* habetur quod *parum*, & *nihil* in iure aequiparantur. 2

Alij verò rectius docent, requiri tantam quantitatem, quanta sufficeret, vt aliquod furtum factum à secularibus sit mortale; cùm appropriatio facta à religioso sit furtum, quia contrectat rem alienam inuito, & inscio superiore. Et ideo ita tenent Nauar. *lib.* 3. *conf. tit. de reg. conf.* 75. *n.* 18. Cordub. *sum. q.* 109. Azor. *lib.* 12. *cap.* 12. *q.* 6. Rebell. *de iust. p.* 1. *lib.* 3. *q.* 15 *sect.* 3. *n.* 22. & Molina *to.* 3. *de iust. d.* 687. refert quoddam decretum factum à Reuerendiss. Praeposito Generali suae Congregationis anno Domini 1594. huius tenoris. 3

Cura

4 *Curauimus ea de re inter nostros Doctores diligenter inquiri, ac disceptari: omnium verò sententia hæc fuit, eam quantitatem, quæ furto sublata, satis esset ad constituendum peccatum mortale contra septimum præceptum, eandem sufficere, vt peccasse iudicetur aduersus votum paupertatis: si quis è nostris eam vt propriam, vel vsurpet, vel alienet sine superioris facultate. Quam opinionem volumus, vt nostri sequantur, præscribimusque Patri Prouinciali, vt eam nostris omnibus patefaciat, quo huius voti exacta perfectio, quamstudiosissimè obseruetur.*

QVÆSTIO CXCIII.

Sed quæres, quæ quantitas requiratur ad constituendum peccatum mortale furti?

1 PRo intelligentia autem huius materiæ, quæ est digna scitu, præmittendum est, præsentem quæstionem duobus modis intelligi posse, vno modo absolute, considerando rem furto ablatam sine respectu alicuius personæ, à qua res aufertur. Alio modo respectiue, habita ratione paupertatis, vel facultatis domini rei acceptæ: & quidem loquendo de quantitate furti quantum ad vtrumque sensum, dicimus varias esse, & maximè discrepantes Doctorum opiniones.

2 Doctor Nauar. *in Man. cap. 17. n. 3. & in cap. fin. 14 q. 6.* credit ex natura rei materiam notabilem ad constituendum peccatum mortale esse summam duorum Regalium, vel Iuliorum, immo, & vnius, & etiam dimidij, non tamen minorem quarta parte Regalis, vel Iulij in hac regione, & aliis similibus pecuniosis; nec audet damnare eum, qui mediũ inter quartam partem argentei, & dimidium argenteum non esse notabile assereret.

Ex quo infert, peccatum mortale esse, vsurpare vnum hœdum, caponem, vel vnam gallinam mediocrem in regione vbi dimidium regale valeret, vt in aliquibus regionibus Indiarum ex abundantia earum valet: etiam duodecim ouorum ablationem: & idem, inquit, dicere de quarta tritici, & quarta vini. 3

Sed hæc opinio Nauarri (pace tanti viri sit dictum) non solum nimis arcta, & scrupulosa, sed etiam singularis videtur, quia apud omnes communiter dimidium Iulij non habetur pro materia graui. Nec est credendũ, quod Deus infinitæ misericordiæ pro re tam parui momenti velit homines æterna morte damnare, quos tam pretioso sanguine redemit.

Bañes 2. 2. *q. 66. ar. 6.* censet centum aureorum summam ex natura rei, & ex obiecto non facere materiam peccati mortalis; bene tamen quando ex tali furto spoliatus pateretur aliud graue damnum, quia potest contingere, vt nullum damnum patiatur quis ob furtum centum aureorum, vt est videre in Rege, vel magno Principe: ergo talis materia ex obiecto non infert notabile nocumentum; atque ex consequenti, non est peccatum mortale, nisi respectu talis personæ, quæ ex tali furto graue aliquod detrimentum pateretur. 4

Ex quo infert primò, quod si filius surriperet à patre prædiuite quinquaginta aureos, non peccaret mortaliter; & tamen si seruus ab eodem accipiat vnum ducatum, erit peccatum mortale; & rationem reddit, quia respectu filij non est valde rationabiliter inuitus pater, bene tamen respectu famuli: 5

nec

nec filius restitutioni erit obnoxius, nisi fortè fratribus suis cohæredibus notabiliter noceat.

6 Secundò infert, quod si aliquis priuatus Regis, cui committitur dispensatio multorum millium ducatorum, accipiat sibi centum ducatos, non est (inquit) peccatum mortale: & probat, quia Rex ipse non est notabiliter inuitus in ordine ad talem ministrum.

Sed nec hæc opinio valet, cùm sit contra communem Theologorum, & Canonistarum sententiam; immò contra rectam rationem: nec eius argumentum concludit; nam etiam respectu Regis, vel alterius quantumlibet diuitis, centum, immo decem aureorum summa, est materia grauis; quia licet talis quantitas vsibus personalibus Regis scilicet in victu, & vestitu non notabiliter noceat, tamen spectatis omnibus Regis oneribus, ad ea subleuanda notabiliter iuuat illi, & eius rei familiari fit notabilis læsio.

Tum quia, licet qui surripit à Rege centum aureos, non noceat ei notabiliter, aufert tamen ab eo quantitatem notabilem.

7 Corduba *in sum. casuum q.*109. & Michael Salon 2.2.*q.66.ar.* 6. dicunt absolute, & simpliciter vnum argenteum in his partibus Europæ, esse materiam sufficientem peccati mortalis, quamuis non apud Indos, vbi est magna copia pecuniæ, etiam duos, aut tres argenteos. Petr. Nau. *lib.* 3. *de rest. c.*1. *dub.*3. *n.* 32. citat pro hac sententia Couar. *lib.* 1. *var. resolut. cap.*3. *num.*12. Sed reuera Couarruuias ibi nihil tale affirmat.

8 Toletus *lib.* 5. *cap.*6. *num.*3. censet summam vnius, vel duorum Iuliorum secundum se, à quocunque etiam ditissimo surripiatur, esse materiam sufficientemque efficere, peccatum mortale furti.

Bartholomæus Med. t. 2. *q.*88. *ar.*8. asserit non esse furtum mortale, nisi ad summam duorum argenteorum ascendat.

Hanc opinionem Rebellus *lib.*3. *de obligat. cap* 15. censet esse veram regulariter in locis pecuniosis: at in aliis locis vbi pecunia non æque abundat, satis esse censet vnum argenteum.

Molina *to.*3. *de iust. disp.*685. docet 9 tantum pecuniæ valorem, quæ in vnoquoque loco satis est, ad conducendas operas vnius diei fossoris terræ, videri materiam sufficientem ad constituendum furtum mortiferum in ordine ad eos, qui non sunt valde diuites. Huius opinionis videtur esse Couar. *lib.* 1. *var. resol. cap.* 3. *nu.* 12. vbi ait gallinæ valorem esse notabilem: at gallinæ valor vbique terrarum esse solet tantus, aut fere, quantum in eodem loco tradi fossori consueuit pro operibus vnius diei.

Magister Sot. *lib.* 5. *de iust. q.*5. *ar.* 3. 10 *ad* 3. asserit duorum, vel trium aureorum quantitatem esse materiam grauem, quæ per se, & ex natura rei inducit furtum mortale, etiamsi à Rege accipiatur, licet eos ipse floccipendat, quia Rex etsi prædiues sit, pluribus quoque indiget ad sustentationem Regni.

Ex quo infert summam valoris duorum, vel trium regalium non esse quantitatem notabilem, immo nec vnius aurei, nisi à misero surripiatur. Cuius sententiam censet esse valde probabilem Arag. 2. 2. *q.*66. *ar.*6.

Syluest. egregius Thomista, pari- 11 terque in iure peritissimus *verb. furtum q.*2. *n.*4. affirmat materiam, quæ excedit duos, vel tres aureos respectu magni Domini, esse sufficientem ad constituendum furtum lethale.

Petr. Arag. 2. 2. *quæst.*66. *art.*6. Petr. Nauar. *lib.* 3. *de rest. cap.* 1. *num.*39. & Ioan. Medin. *C. de restit. quæst.* 10. dicunt

cunt in materia furti, nullam posse tradi certam, & infallibilem regulam sine ordine ad personam, à qua res aufertur, quia quod respectu vnius censetur notabile, respectu alterius non censetur tale, sed modicum, & parui momenti.

12 Ex quo colligunt, in diuitibus inuitis (etiamsi Reges sint) duorum, vel trium, & etiam vnius aurei summam esse materiam sufficientem ex natura rei ad efficiendum peccatum mortale furti. In communibus autem personis quatuor, vel quinque regalium. In pauperibus verò vnius, vel duorum, & hæc seclusis aliis damnis extrinsecis.

Gregor. de Valent. 2. 2. *d.* 5. *qu.* 10. *p.* 6. dicit absolutè peccatum mortale esse accipere tres, aut quatuor argenteos, etiam si à Regibus, vel diuitibus auferantur.

Ex quo colligit, duorum argenteorum numerum, non esse peccati mortalis materiam, siue à diuite, siue à communi persona auferantur: secus si à paupere.

13 Sed vt ego in tanta Doctorum varietate, quid mihi videatur, explicem, obseruandum est primò ex S. Thom. 2. 2. *quæst.* 66. *artic.* 6. quod furtum eatenus est peccatum, quatenus est contra charitatem proximi: tunc autem dicitur esse contra charitatem, quando per furtum infertur nocumentū proximo in suis bonis, igitur quando furatur tantum, quantum sufficit ad inferendum nocumentum simpliciter domino rei, tunc erit peccatum mortale.

14 Dixi notanter (*nocumentum simpliciter*) quia si quis pro re exigua sibi furto ablata, offenditur, & ad iracundiam concitatur ex eo, quod est auarus, & angusti cerebri, non propter hoc illius iactura debet iudicari pro nocumento simpliciter, quamuis appareat nocumentum ad hominem propter extremitatem: sed illud dicitur esse nocumentum simpliciter, vt rectè Caiet. docet, quod communi animi conceptione attentis circunstantiis rerum, pro nocumento iudicabitur.

Ex quo colligitur, quod ad iudicandum, quænam quantitas leuis, aut grauis sit, vt ex eius ablatione furtum veniale, aut mortale committatur, nulla potest dari certa regula, sed standum est iudicio prudentis viri, qui penset omnes circunstantias conditionum, personarum, regionum, locorum &c.

Secundò est etiam obseruandum, 15 quod quamuis quantitas rei furto ablatæ prima facie videatur notabilis secundum se, tamen non statim erit peccatum mortale, nisi dominus rei fuerit valdè rationabiliter inuitus, quia in definitione furti ponitur hæc particula, *inuito domino rationabiliter.*

Quibus sic positis, dico primò, 16 quod materia quæ sufficit ad constituendum furtum mortale, non debet attendi secundum quantitatem rei, quæ furto aufertur, sed secundum æstimationem illius. Ratio est, quia eadem pecuniæ summa plus vno, quam alio tempore valet: immo eadem mensura tritici non variata propter maiorem, vel minorem ipsius copiam plus vno tempore, vel loco, quam alio valet.

Hinc, auferre Neapoli caponem, vbi plurimum valet, est peccatum mortale, quod non est in Pedemontio, vbi parum æstimatur, est enim veniale.

Secundò dico, quod ex natura rei, 17 & ex obiecto, materia notabilis, quæ sufficit efficere furtum mortale, etiam si à ditissimis auferatur, est trium Iuliorum summa. Ratio huius est, quia communiter omnes homines, etiam diuites, & liberales, hanc quantitatem non contemnunt, nec ad arbitrium

Tttt timo

timoratæ conscientiæ est parui momenti etiam respectu Principum, cum ea plura bona notabiliter vtilia comparari possint.

Hinc, qui aufert à Magnate vnum, vel duos argenteos, non peccat mortaliter. Ratio est, quia ista quantitas ex natura rei non est grauis, & excessiua.

Tum quia talis persona ob huiusmodi furtum, parum, aut nullum nocumentum patitur, nec sciens de hoc tristaretur.

18 Tertiò dico, quod in ordine ad personas mediocres, quæ non sunt pauperes, nec valde diuites, quantitas duorum Iuliorum ex se est materia sufficiens ad constituẽdum peccatum mortale in materia furti. Ratio est, quia respectu talium personarum ista quantitas est grauis, & per se moraliter affert illis notabile detrimentum.

19 Quartò, & vltimo dico quod furari à paupere, qui viuit de opere manuũ suarum, vnum argenteum, vel Iulium, proculdubio est peccatum mortale. Probatur, ideo furtum est peccatum, quia per ipsum infertur nocumentum proximo in bonis suis, sed maius damnum infertur pauperi mercenario, qui non habet nisi suam mercedem, ex qua se, & suam familiam alit, si ab eo auferatur vnus argenteus, quam si à diuite accipiatur vnus aureus: ergo tale furtum est peccatum mortale, éstque talis quantitas in paupere materia grauis.

Obiicies §. *gallinarum inst. de rerum diuisione*, vbi datur actio, & pœna grauis imponitur pro furto vnius gallinæ: non est autem credendum quod pro minori furto, quam mortali actio detur, gallinæ autem pretium in ordine ad diuersa loca est vnus, vel duo argentei ad summum: ergo ista quantitas ex natura rei est per se sufficiens efficere furtum mortale.

20 Respondeo primò, *in §. gallinarum*, pro furto vnius gallinæ datur actio, & pœna grauis imponitur, quia præsumitur maiori voluntate furandi fieri. Responsio hæc est summæ Angelicæ, quæ non est contemnenda.

Secundò respondeo cum Soto *lib. 5. de iust. quæst. 3. artic. 3.* quod ibi ius ciuile non dicit quod pro furto vnius gallinæ datur actio, sed gallinarum, & anserum & ita si multæ essent, merito posset puniri, sicut de peccato mortali, & è contra tam parum esse potest, vt ridiculus haberetur, qui de illo ageret in iudicio.

Quare, vt præsentem quæstionem concludamus, dicimus in Monasteriis ditissimis trium argenteorum summam, quam religiosus inuito superiore accipit, aut expendit, esse materiam sufficientem ex obiecto ad efficiendum peccatum mortale contra votum paupertatis. In Monasteriis mediocri censu dotatis duorum argenteorum summam. In Monasteriis autem pauperculis vnius argentei. 21

Est autem hic aduertendum primo, quod quando dicimus eam pecuniæ summam requiri ad constituendum peccatum mortale contra votum paupertatis, quæ sufficit ad furtum mortale in sæcularibus, intelligendum est de materia sufficienti per se ad furtum mortale seclusis personæ, vel loci, aut temporis circunstantiis v.g. furari acum à sartore non habente aliam, est quandoque peccatum mortale ratione damni lucri cessantis. At id acus furtum, quod commissum à religioso esset in genere furti peccatum mortale, non esset tamen tale in genere proprietatis, & sic reseruato proprietatis vitio, non censeretur hoc reseruatum, & econtra si in genere furti furari vnum aureum 22

à Re

à Rege, esset veniale, vt Sotus testatur, at in genere peccati proprietatis esset mortale. Ratio huius est, quia furti malitia pendet ex damno, quod infertur proximo, at peccatum proprietatis solam voti violationem respicit, qua inuito superiore aliquid sibi religiosus appropriat.

Secundo est aduertendum, quod non semper summa per se notabilis absque superioris licentia accepta, satis est ad constituendum peccatum mortale proprietatis. Quia res magnæ æstimationis potest ad solum breuissimi temporis vsum modici valoris vsurpari, reponendo statim in eodem loco; & ideo erit solum peccatum veniale contra votum.

23 Tertio etiam aduerte, quod, quia non potest in hac vita non solum attingi certò punctum indiuisibile, ad quod si summa valoris perueniat, furtum erit mortale, & infra quod non erit mortale: sed neque certa, & infallibilis regula tradi possit, tutius est etiam in minoribus quantitatibus timere culpam mortalem, atque adeo illas dominio restituere, & ideo cautus debet esse confessarius.

24 Denique, & illud aduertendum est, quod in hac nostra congregatione Beatæ Mariæ Fuliensis per Decretum factum in capitulo generali, consentientibus omnibus Patribus ibi congregatis, stabilitum fuit summam vnius Iulij esse sufficientem materiam ad efficiendum peccatum mortale furti.

QVÆST. CXCIV.

An religiosi sint in peccato mortali, qui post publicationem Concilij Tridentini non agunt vitam communem?

IN qua re conuenit inter omnes, 1 eos religiosos, quorum institutores in sua primæua constitutione communem vitam eis non imposuerunt, ad eius obseruantiam non teneri. Ratio est, quia cum hæc vitæ communis obseruatio non sit de essentia voti paupertatis, nec religionum professores ab initio ad eius obseruantiam fuerint adstricti non video quomodo modo possint ad huius vitæ communis obseruantiam obligari.

QVÆSTIO CXCV.

Sed tota difficultas consistit de his religiosis, quibus per regulam, vel constitutiones hæc vita communis præcipitur?

ET quidem in his religionibus, in 1 quibus talis vitæ obseruantia viget, non potest absque culpa mortali à Religiosis, præsertim Prælatis eius relaxatio tolerari. Ratio est, quia Concil. Trident. *sess. 25. cap. 1. de reformat. regul.* mandat sub præcepto, vt in monasteriis communis vitæ ratio potissimum quoad ea, quæ ad eorum victum, & vestitum pertinent, vbi viget, seruetur, & vbi collapsa fuerit ad primam obseruantiam per superiores reducatur.

Hinc colligitur esse in malo statu 2 superiores qui non adhibent omnem diligentiam, vt communis vita in Monasteriis seruetur, vel vt iam relaxata quantum in se est, ad pristinam obseruantiam reducatur: & similiter eos qui superioribus vitam communem restaurare volentibus resistunt. Et ratio est, quia omnes isti faciunt primò contra suas Regulas, à quibus vitæ huius obseruantia strictè

præcipitur. Secundo quia faciunt contra prædictum Conc. Trid. decretum. Et ideò ita tenent Syluest. *verb. religio 6. q. 7.* vbi sic ait: *Si Prælatus non facit quantum potest, sine magno scandalo, vt viuatur in communi, non est in statu tuto: subditi vero dictæ communitati resistentes, non quia non possent sufficienter viuere, sed quia volunt abundare, & de suis suo modo facere, videntur in malo statu, cum sæculariter viuant, & velint perseuerare, quod prohibetur in cap. relatum de regul.* In eadem sententia est Valent. 2. 2. *dist.* 10. *q.* 4. *p.* 2. vbi sic dicit. Quarto sequitur, esse in malo statu religiosos, tam Prælatos, quam subditos, qui non agunt vitam communem. Hoc autem intelligitur, quando ex communibus redditibus possunt sufficienter viuere; alioqui iure naturali licebit vnicuique sibi prouidere, procurando proprium, si aliter non possint viuere. Hoc idem docet Less. *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 5. ibi enim sic ait: *Aduerte tamen, si alicubi talis administratio rerum mobilium, vel immobilium ad vsus necessarios concederetur, non teneri religiosos ea superioribus sponte tradere, nisi constaret alia ratione, ex communi penu (vt fit, vbi perfecta vita communio seruatur) ipsis prospectum fore. Vnde multis locis possunt excusari. Nisi enim hoc modo illis esset prouisum, plerumque necessariis rebus destituerentur, maximè vbi Abbatia dantur in commendam, vel male per Prælatos administrantur. Si tamen à superiore legitimo alia ratio certa institueretur, per quam iuxta formam vitæ communis ipsorum necessitatibus satis foret consultum, non possent huic reformationi resistere, etiam si illam priorem rationem in ingressu inuenissent.* Hæc Less. Eandem sententiam sequuntur Nauarr. *comment.* 3. *de regul. numero* 36. Roder. 2. *part. sum. cap.* 31. & plerique alij.

Nec valet eorum excusatio, dicendo huiusmodi viuendi modum fuisse ab eis inuentum in religione, & sic semper hactenus fuisse in ea practicatum, & etiam in præsenti communiter practicari; nec ipsi volunt in hoc apparere præ cæteris singulares, ac meliores, quam patres eorum. Quia quamuis talis modus viuendi irregularis fuerit ab eis inuentus, non tamen per hoc sequitur, quòd possint ambulare post abusum, ac corruptelam voti paupertatis, cùm constet nemini fas esse quærere æmulationem in malo iuxta illud Dauidicum Psal. 13. *Noli æmulari in malignantibus.* Et abusus debeat omnino de medio tolli, & non foueri, & qui vult ad vitam æternam peruenire, tenetur esse singularis iuxta illud Matth. *Arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui ambulant per eam.* 3

Nec valet dicere, quod prædictus viuendi modus toleratur communiter à religionum Prælatis. Quia si id aliquo modo videantur tolerare superiores, eorum tolerantia potius dicenda est permissiua, quam approbatiua. 4

Nec etiam valet adducere, quod prædictum eorum viuendi modum Romanus Pontifex sciens permittit, ac tolerat, & tolerantia cum scientia Principis excusat transgressorem à peccato. Quia si talis permissio, ac tolerantia fundaretur in lege humana supra quam Princeps habet facultatem dispensandi, hoc vtique verum esset; vt rectè docent communiter Doctores in materia de legibus. Sed quoniam in voto paupertatis fundatur, quod ad ius diuinum pertinet, Romanus Pontifex nullo modo potest in eo dispensare, vt expressè definitur *in cap. Cum ad monasterium, de statu monachorum.* Sed dato, & non concesso 5

ſo quod iſta tolerantia fundaretur in lege humana, adhuc tranſgreſſores illius non eſſent immunes à peccato, quia tolerantia Romani Pontificis circa hunc viuendi modum religioſorum eſt ſolum permiſſiua, vt conſtat ex ſacris Canonibus, & decretis Concil. ac ſummorum Pontificum præſertim Clement. VIII. & Pauli V. Sola autem tolerantia permiſſiua, & non approbatiua non ſufficit ad eximendum tranſgreſſorem à peccato.

6 Nec etiam valet excuſatio dicendo quod quando ipſi profeſſionem fecerunt, non intenderunt ad alium modum viuendi ſe obligare, quam qui tunc temporis vigebat in religione, & votum non obligat vltra intentionem vouentis. Quia quamuis verum ſit quod votum non obligat niſi ſecundum intentionem vouentis, hoc tamen intelligitur, quando in poteſtate vouentis eſt ſic, vel ſic vouere, ſed quando eſt eis præſcripta forma, & modus viuendi, ſicut fit in ſolemni profeſſione id minimè eſt verum. Vnde iſti non poſſunt in vouendo mutare formam profeſſionis per intentionem contrariam ei quod verba ſonare videntur.

Tum quia quando iſti fecerunt profeſſionem, ſe obligauerunt ad obſeruantiam regulæ, & non ad abuſum eius, ex negligentia, vel malitia inobſeruantium introductum.

7 Nec etiam prodeſt excuſatio adducendo antiquitatis conſuetudinem. Quia talis modus particulariter viuendi potius eſt abuſus, quam vſus, corruptela magis, quam conſuetudo, aggrauans magis, quam alleuians, & irrationabilis prorſus reſiſtens ſacris canonicis, & voto paupertatis.

Nec ſuæ conſcientiæ ſatisfaciunt dicendo, ſe habere animum paratum ad reſignandum ad iuſſum Prælati omnia quæ habent, & ad tradendum clauem ſuperiori. Quia huiuſmodi promptitudo, ac clauis traditio verbalis ſola eſt, & non realis, cum intus ſeruetur affectus poſſeſſionis & dominij.

Nec etiam valet dicere, præfatum Concilium non eſſe in hac parte receptum à maiori parte religioſorum, & lex non recepta non obligat in conſcientia. Quia falſum eſt, eſſe expectandum populi conſenſum ad hoc, vt lex conſcientiam liget, vt cum Felino tradit Roderic. *tom. 1. de regul. quæſt. 6. ar. 6.* quod à fortiori procedit in conſtitutione Pontificia, cum Papa non à populo, ſed ab ipſo Chriſto Domino habeat huiuſmodi poteſtatem. Vnde quotieſcunque lex Pontificia eſt iuſta, ac rationabilis (quod ſemper eſt præſumendum) ſiue recipiatur, ſiue non, ſemper tranſgreſſores ligat. 8

QVÆSTIO CXCVI.

Sed grauius dubium eſt de illis religioſis, inter quos iam antea multis retro annis vſu receptus eſt viuendi modus per portiones ſingulariter deſignatas?

IN qua re etiam conuenit, huiuſmodi ſtatum eſſe periculoſiſſimum, quia vbi communis vita non obſeruatur, religioſi variis animæ ſuæ periculis faciendi contra ſolemne votum paupertatis exponuntur. 1

QVÆSTIO CXCVII.

Sed totum controuersiæ dissidium est; An talis status post Concilium Tridentinum possit defendi?

1 RESPONDEO posse, modo nouem concurrant.

Primò, vt ea quæ ipsis traduntur, nullatenus, vt propria accipiant.

Secundò, vt ea quæ dantur, solum ad vsus necessarios, vel pios tradantur.

2 Tertiò, vt seruent statuta, vel mandata suorum superiorum, quæ disponunt qualiter debeat à subditis fieri dispensatio horum bonorum.

Quartò, vt non dispensent ea in vsus prophanos.

Quintò, vt Prælati saltem tacite huic modo particulariter viuendi consentiant.

Sextò, vt prædicta licentia tacita, vel expressa sit iusta de causa concessa.

3 Septimò, vt non contradicant reformationi legitimæ, authoritate legitima faciendæ, si quando ea fieri speratur.

Octauò, vt subditi sint parati ea quæ sibi conceduntur, requirentibus Prælatis, in manibus ipsorum resignare.

Nonò, & vltimò, dummodo huiusmodi consuetudo particulariter viuendi absque graui scandalo tolli non possit.

4 His igitur conditionibus concurrentibus hic modus viuendi etiam post Concilium Tridentinum potest vt licitus, & honestus tolerari. Et ratio est, quia tali modo viuere, non est habere ius, nec dominium, nec alicuius rei possessionem, sed tantum vsum, vel vsumfructum, & administrationem rei dependenter à voluntate superioris, quod non est contra rationem voti paupertatis.

Túm quia vbi longa consuetudine introductus est hic viuendi modus, non potest tolli sine magno scandalo, ac proinde tacite videtur approbatus non solum à superioribus, sed etiam à summis Pontificibus.

Tum demum, quia plurimæ sunt Ecclesiæ amplissimæ in Hispania, in quibus eiusmodi status seruatur; quales sunt Metropolis Cæsaraugustana, Cathedralis Pampolonensis, & aliæ, in quibus vt refert Nauarrus *comm. 3. de regul. num. 25.* à tempore immemorabili sic viuitur, & in quibus vixerunt nostra ætate, & ante illam viri tam iuris diuini, quam Pontificij callentissimi, & vita integerrimi.

Ea igitur est laudabilis vitæ religiosæ consuetudo, qua vestes in communi loco asseruantur; & inde in singulas hebdomadas, menses, & annos, in vsum cuiusque distribuuntur. Quibus quidam præficiuntur, vt eas custodiant, excutiant, purgent, resarciant, ac renouent. Vbi nullus apud se habet vestes, præter eas, quæ ad quotidianum vsum necessariæ sunt, nullus literas, aut eulogia, vel qualibet munuscula, ad se missa accipit sine licentia superioris sui: nullus apud se pecuniam tenet, præter cellerarium, cui bonorum Monasterij administratio, & cura committitur. Ac denique communis est omnium victus, communis mensa, communis vestitus in communi loco solitus asseruari. Contra vero eam improbandam esse consuetudinem, vbi Religiosorum quisque aliquid apud se habet, vnde viuat, quod in communem locum non affert, vbi singuli plus habent, quam quod sibi sit ne-

cessarium ad vitam tuendam. Vnde D. Basilius *in constitutionibus monasticis cap.9. Perfectissimam* (inquit) *ego illam vitæ communionem appello, à qua omnis propria, & priuata cuiuslibet rei possessio exclusa est, à qua omnis abest dissensio, omnis perturbatio, & rixa, sed omnia sunt communia, animi, mentes, corpora, eaque quibus necessario ad cultum, & victum vtitur.* Et paulo post addit: *Huic vitæ instituto quid est tandem, quod iure æquiparari possit, quid beatius dici: quid hac coniunctione, vnitate, & necessitudine aptius.* D. Chrysostom. *in homil.* 58. *ad populum Antiochen.* de monachis sui temporis agens, laudansque in illis hanc communem vitam, & æqualem, *Vna mensa* ait: *& ministrantibus, & suscipientibus, & exhibentibus eadem fercula, eadem indumenta, habitacula eadem, eadem vita, non est ibi* (meum) *ac* (tuum) *sed hoc verbum penitus eliminatum est, multorum causa malorum.* Et Beda super illud Act. 4. *Erant illis omnia communia.* Sic ait: *Qui ita viuunt, vt sint eis omnia communia, in domo cœnobitæ vocantur, quæ vita tanto fœlicior est, quanto futurum statum imitantur.*

QVÆSTIO CXCVIII.

Quot, & quænam sint religiosi proprietarij pœnæ?

1 RESPONDEO quinque. Prima est, vt religiosus proprium habens, præter peccatum mortale, quod committit violans solemne paupertatis votum, sit communione altaris priuatus. *cap. Monachi de statu monachorum*, vbi sic dicitur: *Qui monachus peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit sibi pro iniuncta administratione permissum, à communione remoueatur altaris.*

Secunda pœna est, vt religiosus proprium habens, à Monasterio expellatur, vt habetur *in cap. Cum ad monasterium, eo. tit.* vbi sic dicitur: *Prohibemus districte in virtute sanctæ obedientiæ, sub obtestatione diuini iudicij, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat, sed regulari monitione præmissa, de monasterio expellatur, nec recipiatur alterius nisi pœniteat secundum monasticam disciplinam.*

2 Tertia pœna est, vt si religiosus proprium habens, deprehensus fuerit, aut conuictus, priuatus sit biennio voce actiua, & passiua, & acrius iuxta suæ Regulæ, & religionis constitutiones puniatur, vt habetur ex Conc. Trid. *sess.* 25. *cap.* 2. *de regular.* vbi sic dicitur: *Quod si quis aliter quidquam tenere deprehensus, aut conuictus fuerit, is biennio actiua, & passiua voce priuatus sit, atque etiam iuxta suæ regulæ, & ordinis constitutiones puniatur.* Quæ pœna aperte sententiam Iudicis postulat, vt ea verba, *tenere deprehensus, aut conuictus fuerit*, denotant.

3 Quarta pœna est, vt religiosus proprium habens, nisi illud ante mortem abiiciat, nō debeat in loco sacro sepeliri. *cap. Monachi de statu monachorum*, vbi sic habetur. *Et qui in extremis cum peculio inuentus fuerit, & digne non pœnituerit, neque oblatio pro eo fuat, neque inter fratres accipiat sepulturam, quod etiam de vniuersis religiosis præcipimus obseruari.* Hoc idem habetur *in cap. Cum ad Monasterium, eod. tit.* vbi sic dicitur: *Quod si proprietas apud quemquam inuenta fuerit, in morte ipsa cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio subterretur secundum quod Beatus Gregor. narrat in dialogis effecisse.* Et *in cap. Super quodam, eodem titul.* dicitur: *quod huiusmodi religiosus*

proprie

proprietarius si de facto sepultus fuerit in sacro, extrahendus est. Quorum omnium rationem reddens Glossa dicit: *Hæc omnia pro eo esse, quia tales mortui sunt in peccato mortali, & pro talibus ecclesia sancta non orat. cap. Pro obeuntibus.* Et licet rigor canonis videatur velle vt proprietarius subterretur cum tota sua proprietate in sterquilinio, nihilominus Zabarella, Ioan. Andreas, Host. Archid. & Abbas affirmant sufficere partem, cum æquitati videatur inconsonum, ac repugnans, vt tam magna rei quantitas incassum proiici debeat. Ad quid enim perditio ista?

4 Quinta, & vltima pœna est, vt ille religiosus sit excommunicatus. Sic Turrecremata *in cap. Non dicatis, ar. 3. nume. 6.* Sed communis, ac verissima sententia est in contrarium. Quia talis excommunicatio in iure non reperitur. Et ideo ita sentit. Sanch. *lib. 7. cap. 20. nu. 14.*

Hinc, religiosus ex eo quia dedit, vel expendit aliquid absque superioris licentia, non potest dici quod moriatur proprietarius, ad effectum vt prædictas pœnas incurrat. Quia textus citati clarè de solis possidentibus proprium loquuntur.

5 Hinc, religiosus, qui moritur cum dimidio argenteo super se, aut alia parua quantitate, non potest dici quod moriatur proprietarius, vt denegetur ei sepultura ecclesiastica, quia vt colligitur ex iure illi solum debent priuari sepultura, qui cognoscuntur euidenter mori in peccato mortali, vt cum Nauar. Roder. *1. p. sum. cap. 150. num. 1.* resoluit.

Sequuntur declarationes sacræ Congregationis.

1 PRIMO quæritur: An ex dispensatione inferiorum summo Pontifice liceat Regularibus possidere, vel tenere agros, annuos redditus, aliaque bona immobilia videlicet, & mobilia superflua, non obstante decreto Conc. Trident. *sess. 25. de Regul. cap. 2.*

Secundo an propter talem dispensationem, seu scientiam superiorum possidentes, vel tenentes immobilia, vel mobilia superflua à culpa, vel à pœna excusentur.

Tertio an superioribus asseuerantibus huiusmodi se licentias posse concedere, fides adhibenda sit.

Quarto an superiorum arbitrio, & præfinitioni stare debeant Regulares quoad mobilium superfluitatem, & conuenientiam.

Quinto an superiore quantumuis requisita necessaria suis Regularibus negante, vel subtrahente, liceat ipsis clam vel inuito eo illa sibi comparare seu retinere.

Sexto & quatenus liceat: an itidem cum necessaria ideo negantur, vel subtrahuntur, quia Monasterij facultates non suppetunt.

Septimo an dicti superiores Regulares dictum caput 2. declarare, & interpretari possint.

Ad primum Congregatio Concilij respondet, non licere.

Ad secundum non excusari neque à culpa, neque à pœna ipso facto incurrenda.

Ad tertium minimè adhibendum.

Ad quartum nisi de excessu arbitrij constiterit, vtique stare debere, habita videlicet ratione personæ, officij, & Regulæ, statusque paupertatis, quam professi sunt, & cæterarum itidem qualitatum.

Ad quintum non licere.

Ad sextum licere, si præcisa necessitas sit ad indiuidui sustentationem, cæterum communem penuriam ab omni

omnibus percipiendam, vsque adeò, vt si quid priuatim alicui delatum, vel ab ipso patrum fuerit, id omne ad superiorem rectè deferri oporteat, qui ex eo primum succurrat eius necessitati, cuius intuitu illud obuenerit si peculiari aliqua necessitate vltra communem prematur, reliquum conuentui incorporetur, & in communem cedat vtilitatem.

Ad septimum, & vltimum non posse. Hieronym. Card. Matthæus.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI Clementis diuina prouidentia Papæ VIII. constitutio.

De largitione munerum, vtriusque sexus Regularibus interdicta.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

1 *Religiosæ Congregationes, ab insigni sanctitate viris, spiritus sancti afflatu institutæ, tantas Ecclesiæ Dei vtilitates omni tempore attulerunt, vt ad eas conseruandas, & instaurandas Romani Pontifices praecessores nostri magnam iure optimo diligentiam semper adhibuerint. Nam cum ea sit rerum humanarum conditio, & natura, vt etiam quæ optime fundata, & constituta sunt, partim hominum imbecillitate, & ad malum procliuitate, partim Dæmonis astutia, paulatim deficiant, ac nisi cura peruigili sustententur, in deterius prolabantur: Idcircò summorum Pontificum vigilantia magnoperè laborauit, vt Regularium ordinum disciplina, aut labefactata in pristinum restitueretur, aut salutaribus constitutionibus communita, integra, atque incolumis permaneret. Quorum nos vestigiis pro eodem officij munere insistere, & pastoralem illorum solicitudinem (quantum possumus) diuina adiutrice gratia cupimus imitari. Quare ne ex muneribus, quæ à pluribus religiosæ vitæ professoribus, ex Christi patrimonio, quibusuis hominibus, quauis ex causa sæpe tribuuntur, grauia incommoda, & mala etiam boni specie existant, præcauere studentes,*

2 *Hac nostra perpetuo valitura constitutione vniuersis, & singulis, cuiuscunque ordinis mendicantium, vel non mendicantium, bona immobilia, & redditus certos ex indulto Apostolico possidentium, vel non possidentium, seu cuiusuis Congregationis, societatis, & Instituti (non tamen Militiæ) regularibus personis vtriusque sexus omnem, & quamcunque largitionem, & missionem munerum penitus interdicimus. Sub qua prohibitione, compre-*

hendi volumus omnia, & singula capitula, Conuentus, & Congregationes, tam singulorum conuētualium, Monasteriorū, Prioratuum, Præposituarum, Præceptoriarum, domorum, & locorum, quam prouincialia, aut Generalia cuiuslibet Prouinciæ, siue vniuersi Ordinis, societatis, aut instituti, eorūque, vel earum Camerarios, Commissarios, & quoscūque officiales, & singulares personas: Ipsos etiā ordinum, Congregationum, & societatum huiusmodi superiores quascunque dignitates obtinentes, etiam Generales, & Prouinciales, Magistros, Ministros, & quocunque nomine Præfectos, necnon Conuentuum, Monasteriorū, Prioratuū, Præposituarum, præceptoriarū, domorū, & locorum quorūcunq; Abbates, Priores, Præpositos, Præceptores, etiā Maiores Guardianos, Ministros, Rectores, atq; Abbatissas, Priorissas & alio quouis titulo Præsidentes, tam ipsis regularibus, quam locorū Ordinariis, seu quibusuis superioribus subiectas vtriuslibet sexus ad vitam, vel ad tempus deputatos.

3 *Adeò, vt nemo vnquam eorum, vel earum directè, vel indirectè palam, vel occulte, tam communi, quam particulari, & proprio nomine, etiam sub quouis statuti, vel cōsuetudinis, seu verius corruptelæ, aut alio prætextu, vel quacunque causa nisi, in Generali capitulo, aut alia Generali Congregatione, re mature discussa vnanimi consensu omnium, superiorumque permissu causa approbata fuerit, quidquam tale attentare valeat.*

4 *Id autem ita absolutè, & generatim vetitum intelligatur, vt neque omnino fas sit quidquam donare, tam ex fructibus, redditibus, & prouentibus, collectis, vel cōtributionibus, aut oblationibus, siue eleemosynis, aut subsidiis certis, vel incertis, ordinariis, seu extraordinariis, mensæ, seu massæ cōmunis, vel cuiusuis fabricæ, & sacristiæ, quorū bona communiter, vt præfertur administrantur, seu quæ rationibus reddendis sunt obnoxia, quam ex pecuniis etiam, quæ à singulis quouis modo acquisitæ, in cōmune conferendæ omnino sunt. Nec si per viā voluntariæ contributionis in cōmune congeruntur. Nec si forsan priuatim, & nominatim cuilibet religioso à suis superioribus, vel à propriis affinibus, propinquis familiaribus, amicis, aut beneuolis, vel à piis Christi fidelib⁹, etiā eleemosynæ, aut charitatis, & illius propriæ personæ intuitu attributæ, seu quoquomodo per quēlibet religiosū suo Monast. Domui, aut loco acquisitæ, eiq; vt ad libitū de eis disponat per superiores cōcessæ fuerint.*

5 *Præterquam leuiora esculenta, aut pocul enta, seu ad deuotionem, vel Religionem pertinentia munuscula, communi tantum, nunquam verò particulari nomine (vbi superiori de consensu conuentus videbitur) tradenda.*

6 *Sed & huiusmodi missiones munerū ipsis religiosis vtriuslibet sexus, nō solū per se, verū etiā per alios, tā directè, quā indirectè prohibitas declaram⁹.*

7 *Neque verò quispiā ab hac generali prohibitione se excusare valeat etiāsi munera miserit, cuiuis persona laicæ, vel ecclesiasticæ, cuiuscūq; status, gradus, dignitatis, ordinis, vel cōditionis, & quauis nō solū mūdana, & Ducali, Regia,*

Regia, Imperiali, verũ etiã ecclesiastica, & Pontificali, aut alia maiori, etiam S.R.E. cardinalatus dignitate fulgẽti, etiã proprio loci ordinario, etiã ex causa, & occasione benedictionis, vel susceptionis habitus regularis, tonsuræ aut professionis Monialiũ, tã sibi subditarũ, quã nõ subditarũ, aut ipsi etiã proprio ordinis, vel Cõgregationis Protectori, viceprotectori, Generali, vel Prouinciali, aut cuiusuis Monasterij, Prioratus, domus, aut cuiuslibet alterius loci Regularis superiori, aut alio quocunque officio, munere, aut dignitate fulgenti, vel cuicumque etiam simplici, & particulari religioso.

8 *Ita vt inter ipsos quoque Religiosos (ne praua ambitione impulsi pro cõsequendis in sua religione gradib. & dignitatib. alter alterius gratiã, aut beneuolentiã aucupẽtur) quæcũq; largitio, aut donatio munerũ (nisi rerũ minimarũ de licentia expressa & in scriptis superiorum) sit penitus interdicta.*

9 *Insuper prohibemus, ne vnquã eis dẽ Regularib. liceat vllas pecunias quoquo modo erogare in alicuius etiã benefactoris, aut Protectoru, vel ordinarij honorẽ, etiã occasione transitus, vel primi ingressus, aut ad beneficiorũ acceptorũ memoriã, gratiq; animi testificationẽ, seu pro prædictis personis quauis authoritate, vel dignitate fũgẽtib. honorifice, laute, & opipare excipiẽdis seu pro quibusuis cõuiuijs eisdẽ, aut cuiuis alteri quacũq; occasione, vel causa exhibẽdis, vel pro comessationib. aut cõpotationib. quibusuis personis, tam eiusdẽ ordinis Cõgreg. Monasterij, domus, aut loci, quã extraneis largiẽdis.*

10 *Aut pro exhibendis spectaculis, etiã piis intra Ecclesiam, Monasteria, & Domos sacras, seu pias, vel extra eas, in quibusuis publicis, aut priuatis, sacris, aut prophanis locis, etiã vbi sanctorũ, & sanctarũ vita, aut res pie gestæ, etiã in memoriã passionis dominicæ populis spectandæ proponũtur, aut alias in prædictis, siue in quibusuis reb. superuacaneis ad põpã, & ostẽtationẽ, aut ad oblectationẽ, vel paucorũ lucrũ, & priuata commoda, quomodolibet pertinẽtib. nisi reipsa pro diuino cultu, & veris Christi pauperum indigentijs, seruato in hoc charitatis ordine, & habita necessitatis ratione, & consilio, & consensu superiorum subleuandis alias in rebus licitis, & per capitulum Generale, aut Prouinciale non prohibitis, vel taxam ibi forsan præscriptam non excedentibus, sumptus huiusmodi fiant.*

11 *Declarantes tamen, per hæc, laudabilem, & Apostolica doctrina, sacrisque canonibus commendatã hospitalitatem, præsertim erga pauperes, & peregrinos, nequaquã imminui, aut prohiberi. Quinimo, si quis redditus ad id, vel ex fũdatione, vel ex institutis, statutis, aut cõsuetudinibus aliquorũ Monasteriorũ, ordinũ, aut Regulariũ huiusmodi locorũ, aut ex testatorum, vel donantium voluntatibus siue aliàs applicati, aut donati sunt, eos omnino (vt decet) integrè in vsus pios, hospitalitatis huiusmodi erogandos esse, & præsertim in Monasteriis, seu locis desertis, & ab laicorum ædibus longius remotis, vbi tamen pauperum, & verè egenorum ratio in primis habeatur.*

 Si quos

12 *Si quos verò ditiores occasione transitus, siue aliàs ex deuotionis, aut necessitatis causa eo diuertere contigerit, eos sane decentt refectorio communi cum religiosis, mensaque, & ferculis communibus, nequaquam à cæteris distinctis, contentos esse. Verùm omnino ipsi Regulares in hospitibus huiusmodi potentioribus excipiendis ita se gerant, vt in eis frugalitas, & paupertas religiosa prorsus eluceat.*

13 *Pari etiam ratione districte inhibemus, ne quisquam ex prædictis laicis, aliàs quam, vt superius dictum est, vel clericus sæcularis, vel regularis quocumque honore, præeminentia, nobilitate, aut excellentia, etiam S.R.E. Cardinalatus dignitate præditus, etiam protector, Viceprotector, loci Ordinarius, Prælatus, Generalis, Prouincialis, aut Monasterij, Domus, vel loci cuiuslibet superior, eorúmve affines, propinqui, familiares, aut Ministri vtriuslibet sexus, quidquam contra hanc superius expressam prohibitionem recipiant.*

14 *Quod si vel ab aliquo particulari Religioso, vel à superiore quopiam, Generali, Prouinciali, aut alio quocunque officio fungente, aut à Conuentu, capitulo, vel Congregatione, siue ab vniuerso ordine, & religione, quidquam receperint, id quod acceperint suum non faciant. Verùm ipso facto absque aliqua monitione Iudicis, decreto, sententia, aut declaratione, ad illius restitutionem omnino, in vtroque foro, teneantur, adeò, vt restitutione ipsa realiter non facta, neque etiam in foro conscientiæ absolui possint.*

15. *Hanc autem restitutionem fieri volumus, non priuatim ei religioso, qui donauit, sed ei Monasterio, Domui, vel alteri loco, de cuius bonis facta est largitio, vel si non de eius bonis donatum est, in quo idem religiosus, donans professionem emisit, vel si nomine totius capituli, Conuentus, aut Congregationis, vel vniuersi ordinis, seu religionis donatio facta extiterit, pariter communi, mensæ, aut massæ, cuius nomine donatum fuerit, accepta munera restituantur: ita vt nec qui donauit, nec Conuentus, Capitulum, Congregatio, ordo, aut religio, cui restitutio facienda est, illam remittere, & iterum condonare, aut recipientem ab obligatione restituendi eximere, vel vt in pauperes eroget, concedere quoquo modo possit.*

16 *Quod si quis ex supradictis Regularibus vtriuslibet sexus, cuiuscunque gradus, ordinis, dignitatis, ac vbilibet locorum existentibus coniunctim cum cæteris, seu diuisim, nostrarum huiusmodi prohibitionum, statutorum, ordinationum, iussionum, decretorum, mandatorum, transgressor fuerit, statuimus, vt omnibus, & singulis per eum obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus, & officiis, eo ipso priuatus, ac ad illa, & alia similia, vel dissimilia in futurum obtinenda, inhabilis perpetuo, & incapax, ac perpetua infamia, & ignominia notatus existat. Et preterea priuationem vocis actiuæ, & passiua absque vllo superioris decreto, aut ministerio, ipso facto incur-*

rat:

rat: necnon vltra huiusmodi pœnas, etiam tanquam contra furti, & simoniæ criminum reum, tam per viã denunciationis, accusationis, aut querelæ, quam etiam ex officio procedi, & inquiri, condignisque suppliciis affici debeat.

17 *Pœnis aliis à Iure statutis, ac per alias constitutiones Apostolicas, aut propria cuiusuis Ordinis, Congregationis, Monasterij, Domus, aut loci, statuta, vel consuetudines contra personas aliquid promissorum committentes forsan decretis, & inflictis, nihilominus in suo robore permansuris.*

18 *Quocirca vniuersis, & singulis, &c.* Sequuntur clausulæ vniuersales circa huius constitutionis exequutionem, & non obstantiæ, &c. Dat. Romæ, anno Incarnat. Dominicæ 1594. 13. Kal. Iulij Pontif. nostri anno tertio.

Suprascriptæ constitutionis breuis explanatio.

1 QVAMVIS dicta constitutio sanctissima sit, atque vt talem Pontificem summum decet, plena diuinis præceptis, atque Catholicis consiliis, non tamen nostræ est intentionis ea omnia declarare, quæ pro illius explicatione à Doctoribus traduntur, sed tantum difficiliora. Quæritur igitur in primis.

QVÆSTIO CXCIX.

An constitutio hæc obliget ad culpam?

1 RESPONDEO quod sic. Et ratio est, quia cum omnis lex etiam ciuilis obliget ad culpam, vt rectè docet D. Tho. communiter receptus 1.2.*q.96. ar.*8. multo magis obligat ista, cùm sit lex iusta, & Pontificia continens obseruantiam voti paupertatis, ad quam omnes Regulares tenentur.

QVÆSTIO CC.

An constitutio hæc obilget ad mortale?

1 RESPONDEO quod sic. Ratio est, quia in ea sunt verba valde præceptoria, & grauissima, nempe, *districte, penitus, omnino, nullo modo*, quæ verba, vt communiter Doctores tradunt, per se sunt obligatoria ad peccatum mortale.

Tum quia quoties lex aliquid præcipit, vel vetat sub grauibus pœnis, clare patet mentem legislatoris obligare ad mortalem culpam, vt recte monet Sot. *lib.1. de iust. q.6. ar.5.* At in hac constitutione appositæ sunt grauissimæ pœnæ aduersus transgressores, vt patet *ex nu.16.* ibi. *Quod si quis*, &c. ergo clarum est ad mortale obligare.

QVÆSTIO CCI.

An in hac constitutione omnes Regulares tam mares, quàm fœmina comprehendantur?

RESPONDEO omnes comprehendi. 1
Ratio est, quia *in 2. numero* dicitur: *Hac nostra perpetuo valitura constitutione vniuersis, & singulis cuiuscunque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium*, &c. *Regularibus personis vtriuslibet sexus*, &c.

QVÆSTIO CCII.

An in hac constitutione omnes superiores ordinũ comprehendantur?

1 RESPONDEO omnes comprehendi. Ratio est, quia ibidem etiam dicitur sic: *Ipsos etiam ordinum, Congregationum, & societatum huiusmodi superiores, quascunque dignitates obtinentes, etiam Generales, & Prouinciales, Magistros, Ministros, & quocunque nom ne Prefectos, necnon Conuentuum, Monasteriorum, Prepositurarum, Preceptoriarum, domorum, & locorum quorumcunque Abbates, Priores, Prepositos, Preceptores, etiam Maiores, Guardianos, Ministros, Rectores, atque Abbatissas, Priorissas, & alio quouis nomine Prasidentes.*

Dices superiores Religionum ex officio habent administrationem bonorum Monasterij: ergo possunt munera largiri.

Respondeo superiores, licet habeant administrationem bonorum Monasterij, non esse eorum dominos, ac proinde teneri more Tutorum ea administrare, vt vtilia agant, & inutilia, ac prohibita prætermittant.

QVÆSTIO CCIII.

An equites Melitæ, & sancti Iacobi Calatraue, & Alcantaræ in hac Constitutione comprehendantur?

1 RESPONDEO non comprehendi. Quia *in dicta Constitutione n. 2.* excipiuntur, ibi. (*non tamen Melitæ*) ratio autem quare isti excipiantur, est, quia cum isti milites non viuant in clausura, non potuissent constitutionem hanc ita facile obseruare, ideo excipiuntur.

Ex quo colligitur hos milites esse vere, & proprie religiosos, quia exceptio firmat regulam in contrarium.

Tum quia tria solemnia vota emittunt in Religione approbata per sedem Apostolicam iuxta eorum statuta: ergo sunt verè, & propriè religiosi, & consequenter, si illa prætermittant, sacrilegi sunt, vt recte docet Nauarr. *de redd. Eccles. q. 1. mon. 55. n. 7.*

QVÆSTIO CCIV.

An Anachoretæ, Eremitæ, & soli vagi ligentur hac constitutione?

RESPONDEO non ligari. Ratio est, quia cum non emittant vota illa solemnia in religione approbata, sed in montibus, & speluncis viuant, non sunt vere Regulares; ac proinde ab hac constitutione excluduntur. 1

QVÆSTIO CCV.

An Bisochara, seu Mantellata, & Tertiarij, vel Tertiariæ tertij ordinis Beati Dominici, & Beati Francisci in hac constitutione comprehendantur?

RESPONDEO non comprehendi. Ratio est, quia istæ non sunt proprie Religiosæ, cum non emittant tria illa essentialia vota in religione approbata. Vnde earum Regula potius est quidam modus bene viuendi; licet sit per Papam approbatus, sunt tamen Ecclesiasticæ personæ, & Religiosæ impropriè, quia contrahere non possunt matrimonium, & promittunt obedientiam. 1

Hinc, Donati nostræ Congregationis, quia solum habitus benedictionem recipiunt, & emittunt tria vota non tamen solemnia, non sunt proprie Religiosi; ac proinde ab hac constitutione excluduntur. 2

QVÆSTIO CCVI.

An Religionum Nouitij, vel Nouitiæ hac constitutione ligentur?

RESPON

1 RESPONDEO non ligari. Ratio est, quia nondum sunt Religiosi.

QVÆSTIO CCVII.

An comprehendantur in hac constitutione illi Regulares, qui iusta aliqua de causa ex Pontificis priuilegio non viuūt in monasterio?

1 RESPONDEO comprehendi. Ratio est, quia sunt vere Regulares, locus enim in hoc casu non est in consideratione, cum teneantur vbicunque reperiuntur, eorum Regulam obseruare.

QVÆSTIO CCVIII.

Quotnam sint fines, seu causæ finales huius constitutionis?

1 RESPONDEO quatuor. Prima est, vt religiosa disciplina labefactata in pristinum restituatur, & quæ incolumis permanet, conseruetur.

Secunda, vt votum paupertatis integre seruetur.

Tertia, ne bona Monasteriorum, vel quorumcunque Regularium dilapidentur, & dissipentur.

Quarta, ne praua ambitione compulsi religiosi, pro consequendis officiis, alter alterius gratiam, vel Protectoris beneuolentiam aucupetur.

QVÆSTIO CCIX.

An Religiosus, qui non ex ambitione aliqua motus, sed ex mera liberalitate munus largitur, pœnas huius cōstitutionis incurrat?

1 VIDETVR quod non, quia in hoc casu cessat causa finalis huius constitutionis, quæ est, ne ambitione aliqua compulsus pro consequendis in sua religione gradibus, & dignitatibus per largitiones alter alterius gratiam aucupetur. At cessante causa, cessat effectus *l. cessante de appellat.* ergo.

Respondeo, quando vnica est causa finalis alicuius legis, tunc locum habet Regula, *cessante causa, cessat effectus*. Quando verò causæ finales sunt plures, & æque principales, tunc cessante vna, aliis remanentibus, remanet legis dispositio. At in hac constitutione quatuor sunt causæ finales: ergo vna cessante, remanent tres aliæ. 2

QVÆSTIO CCX.

An Monialis, quæ vltra dotem assignatam Monasterio, reseruauit sibi quędā bona paraphernalia, possit de eis quicquam donare?

RESPONDEO non posse, & contra facientem in pœnas huius constitutionis incidere. Quia illa bona paraphernalia acquisita sunt Monasterio, & consequenter iuxtà constitutionem nihil potest de eis donare. Et ratio est, quia Religiosa non habet neque velle, neque nolle; & quidquid acquirit, Monasterio acquirit, sicut seruus acquirit domino: & vt communis opinio sentit, religiosa nullum dominium habet, nec habere potest etiam minimæ rei, neque vllum vsumfructum, neque vsum iuris, sed solum vsum facti. Vnde religiosa non potest quicquam sibi acquirere quomodocunque fit, siue ex testamento, siue ab intestato, siue ex legato, siue titulo donationis, sed omnia acquirit Monasterio. 1

2 Hinc, Religiosus, vel Religiosa cui de nouo facta est aliqua donatio, non potest de re sibi donata, aliquid alicui donare. Ratio est, quia statim, quod facta fuit donatio, res illa acquisita est Monasterio.

QVÆ

QVÆSTIO CCXI.

An religiosus ex eo quod sua industria, & labore acquirit, possit quicquam donare?

1 RESPONDEO non posse, quia vt diximus, quidquid Religiosus acquirit, suo Monasterio acquirit. Vnde Religiosus quilibet eo modo possidet ea quæ ei ad vsum sunt à Prælato concessa, quo equus sellam, & asinus bardam, quæ ad libitum ponuntur, & auferuntur. Vnde de licentia sui Prælati potest expendere ad vsum suum necessarium, & sui status decentiam, & non ad vsum prophanum, & inutilem, & quæ supersunt vltra vsum necessarium, Monasterio acquirútur.

QVÆSTIO CCXII.

An religiosus ex eo quod ludo alearum acquisiuit, possit quicquam donare?

1 RESPONDEO non posse. Ratio est, quia quicquid Religiosus acquirit ludendo, restituere tenetur perdenti, quia sicut religiosus non potest perdere, cum nihil habeat, ita etiam non potest lucrari, in ludo enim æqua debet esse vtriusque partis conditio. Couar. *in regula peccatum 2. p. §. 4.*

QVÆSTIO CCXIII.

An Religiosus qui quod sibi debebatur remittit, donare censeatur? v. g. quidam religiosus singulis annis habet à parentibus 50 aureos, quam pecuniam ipse de licentia Prælati in vsus licitos expendebat: At nunc audiens per Bullam donare sibi esse prohibitum, non vult illam pecuniam exigere, sed vult eam parentibus remittere: Quæritur nunc, an liceat.

RESPONDEO non licere. Ratio est, quia remittere, est propriè donare. 1

QVÆSTIO CCXIV.

An donatio indirecta in Bulla prohibeatur?

RESPONDEO prohiberi, quia *in n. 3. dicitur. Adeò vt nemo vnquam eorum, vel earum directè, vel indirectè &c.* 1

Hinc, religiosus qui commodat, vel mutuat aliquid alicui, quod núquam amplius reposcit, cum commodè possit, pœnas huius constitutionis incurrit. Ratio est, quia licet sola donatio in Bulla prohibeatur, tamen qui hoc modo mutuat, indirectè donat.

Hinc, qui videns, se non posse donare, ponit ea quæ vult largiri in loco patenti, per quem scit transiturum suum amicum, qui illac transiens, & videns illa bona, accipit ea nemine vidente, in Bullam incidit. Ratio est, quia hic indirectè donat. 2

Hinc, religiosus, qui donat per alios, vt per Nouitios qui in Bulla non comprehenduntur, vel rogat parentes vt quod volunt sibi donare, donent tali suo nomine, in pœnas huius constitutionis incurrit. Ratio est, quia hic indirectè donat, qui enim per alium facit, per seipsum facere videtur. 3

QVÆSTIO CCXV.

An religiosus, qui volentem sibi donare, rogat vt donet alicui tertio, in pœnas huius constitutionis incidat?

RESPONDEO non incidere, si protestetur se nolle rem eiusmodi sibi 1

ſibi oblatam acceptare. Secùs ſi expreſſè, vel tacitè acceptaret, & rogaret eam dari tertiò. Et ratio eſt, quia Bulla tantum obligat Religioſum, ne ex ſibi, vel Monaſterio acquiſitis quicquam alicui donet, at in hoc caſu nihil ſibi, vel Monaſterio acquiſitum donat: ergo.

QVÆST. CCXVI.

Quotnam ſint caſus, in quibus iuxta Bullam Religioſi poſſunt licitè donare?

1 RESPONDEO decem. Primus caſus eſt, quandò fit diſpoſitio in capitulo generali, quid debeant dare. Et tunc in hoc primo caſu quinque copulatiuè ſunt ſeruanda.

Primò, vt fiat in capitulo, vel Congregatione generali tantum.

Secundò, vt fiat re maturè diſcuſſa.

2 Tertiò, vt fiat cauſa approbata.

Quartò, vt fiat vnanimi omnium conſenſu.

Quintò, & vltimò, de ſuperiorum permiſſu.

QVÆSTIO CCXVII.

An in hoc caſu maior pars capituli generalis ſufficiat?

1 RATIO dubij eſt, quia quod maior pars facit, omnes feciſſe videntur. *l. Quod maior ff. ad municip.* Sed nihilominus reſpondeo, dicendo, quod quoties lex dicit, vnanimi conſenſu, non ſufficit maior pars, ſed oportet vt omnes conſentiant. Vnde ſi vnus contradicat, non eſt diſpoſitioni legis ſatisfactum. Gloſſ. *in cap. vbi periculum §. idem verb. ſingulis de elect. in 6.*

Secundus caſus, in quo poſſunt Religioſi facere donatiua, eſt quando donant ſæcularibus quędam leuiora eſculenta, aut poculenta, & in hoc ſecundo caſu quinque debent concurrere.

Primò, vt ſint eſculenta tantum, aut poculenta tantum, vndè non poſſunt dari dona alterius generis, neque eſculenta, & poculenta ſimul.

Secundò, vt hæc eſculenta, & poculenta ſint leuiora, non grandia.

Tertio, vt dentur de conſenſu conuentus, vel Monaſterij.

Quartò, vt dentur cum approbatione, & licentia ſuperioris.

Quintò, & vltimò, vt dentur nomine communi, & non particulari.

QVÆST. CCXVIII.

Quænam ſint eſculenta, & poculenta leuiora, & ad quem valorem aſcendere poſſint?

DOCTORES ſunt varij, nam quidã ad decem, alij ad ſeptem, alij verò ad trium aureorum valorem aſcendere arbitrantur. Ducuntur *ex l. Plebiſcito ff. de off. procons. & ex l. ſolet § fin. ff. Procons.* vbi dicitur quod poſſunt dari eſculenta, & poculenta, quæ intra paucos dies conſumi poſſunt, & ſic videtur dici, quod ſit victus paucorum dierum totius domus, qui pro talis domus qualitate, & quantitate ad prædictam ſummam aſcendere poteſt. 1

At ego arbitror valorem eſculentorum, & poculentorum, quæ in hac conſtitutione conceduntur, non debere ſuperare quantitatem, quæ in furto inducit peccatum mortale, facit ad hoc primò, ex eo quod dicit textus, leuiora, & non leuia. 2

Secundò, quia dicit eſculenta, & poculenta, & non munera, ſeu dona.

Tertiò, quia vetat dari eſculenta, & poculenta ſimul. Quantitas ergo quæ poteſt dari, non debet excedere valorem trium Iuliorum, quia vt diximus, hæc eſt ſumma, quæ ſecundum veriorem ſententiam, per ſe, & ex obiecto conſtituit peccatum mortale in materia furti.

Nec obstant textus citati, quia loquuntur de muneribus quæ Iudicibus, & aliis officialibus dantur à secularibus, quæ pro libito possunt de suis bonis distribuere. At vero nos loquimur de personis religiosis, quæ cum sint paupertimæ, non habent quicquam.

QVÆSTIO CCXIX.

Quæres, quoties poterit Religiosus esculenta hæc, & poculenta, seu ad deuotionem pertinentia donare? An bis in anno, an quater, vel quoties?

1 RESPONDET optimè Iacobus de Graff. *lib. 3. casuum reseru. c. 4. n. 57.* quoties subsistit iusta causa, & rationabilis, quæ quidem debet perpendi. An ita sit, non in dicto ipsius religiosi, sed ipse superior hoc iudicare debet cum consensu conuentus. Quod constat ex præfata constitutione vbi dicitur: *Prout superiori de consensu conuentus videbitur.* Nam illud verbum *videbitur*) non importat arbitrium liberum, sed boni viri.

2 Tertius casus, in quo conceditur, vt Religiosi possint donare, est, quando donant munuscula ad deuotionem vel religionem pertinentia. Hoc autem vt fieri possit iuxta Bullam, quatuor concurrere debent.

Primò, vt sint munuscula pertinentia ad deuotionem religionem, & non alia, vt sunt calculi, & numismata benedicta, paruulæ imagines papyraceæ, libelli spirituales, reliquiæ sanctorũ &c. quæ non debent esse magni pretij, nec excedere possunt summam trium Iuliorum ad plus.

3 Secundò, vt hæc munuscula dentur de consensu capituli Monasterij.

Tertiò, cum licentia superioris.

Quartò, vt non dentur nomine particulari, sed nomine totius Monasterij.

4 Hinc, Religiosus qui aliquam insignem reliquiam, vel imaginem in ære depictam, vel Agnos Dei cum notabili ornamento, vel aliquam pretiosam coronam, vel libellos ornatos, & auratos, aut numisma ex auro puro confectum donat, peccat mortaliter, & incidit in pœnas huius constitutionis. Et ratio est, quia hæc non sunt verè munuscula, sed larga, & pretiosa dona.

Quartus casus, in quo Religiosi possunt donare inter ipsos, est rerum minimarum, vbi quinque sunt obseruanda iuxta Bullam.

5 Primò, vt hæc donatio sit rerum minimarum, nempè infra valorem trium Iuliorum.

Secundò, vt fiat tantum inter ipsos Religiosos siue eiusdem, siue diuersæ religionis.

Tertiò, vt hæc largitio fiat de licentia superioris.

Quartò, non tacita, neque interpretatiua, sed expressa excludens tacitam, & interpretatiuam.

6 Quintò, & vltimò, vt hæc licentia expressa, detur non ore tenus; sed in scriptis. Et hoc solum quantum ad forum exterius requiritur.

Dixi notanter (*infra valorem trium Iuliorum*) nam licet *supra in 2. casu* diximus posse Religiosum dare hanc quantitatem; in hoc verò quarto casu dicimus non posse donare hunc valorem, sed minorem. Ratio est, quia in secundo casu Bulla permittit religiosos posse donare leuiora, in hoc verò casu dicit, posse donare res minimas: ergo isti duo casus excepti non debent pari passu ambulare.

7 Hinc, Religiosus, qui absque supradictis conditionibus dat alteri religioso rem, quæ constat pretio trium, aut quatuor solidorum, non peccat mortaliter, nec incidit in Bullam. Ratio est, quia in omni lege etiam naturali, paruitas materię excusat à mortali, nam parum pro nihil à sapiente reputatur, & ideò est præter mentem Pontificis, ac proinde debet de raro fieri, aliter erit

contra

contra Bullam, quia licet furtum rei minimæ sit peccatum veniale, tamen quando ex reiteratis furtulis, quis deuenit ad summam notabilem peccat mortaliter iuxta Sot. *lib.5.q.3.art.3.*

QVÆST. CCXX.

Quis sit hic superior, qui potest hanc licentiam dare?

1 RESPONDEO eum omnem, qui toti Congregationi, vel Monasterio præest, vt est Generalis, Prouincialis, Abbas, Prior, Guardianus, Rector, Præpositus, immo, & Vicarius Generalis, Viceprouincialis, Supprior, Vicerector seu vicarius qui plenè vicibus Prælati fungitur, habens plenam Monasterij curam. Quia hi omnes sunt veri superiores, verámque bonorum Monasterij administrationem habentes.

QVÆST. CCXXI.

An Abbatissa, vel Priorissa possit eandem licentiam donandi concedere Monialibus, quam potest Prælatus religionis, suis religiosis?

1 RESPONDEO posse. Et ratio est, quia Abbatissa est verè superior habens liberam sui Monasterij administrationem, sicut Prælatus religionis. Ita Nauar. *comm.3.de reg.num.4.* Roder. *tom.2.de regul.quæst.17. art. vlt.* Cord. *sum qu.54.* Petr. Nauar. *de rest.cap.1.nu.169.* & Lop. *1.p.cap.155.*

QVÆST. CCXXII.

An quoties Religiosus vult donare, toties concurrere debeat consensus capituli, & licentia superioris?

1 GRAFF, *lib.3. casuum reseruatorum cap.4.nu.58.* affirmat.

At ego arbitror sufficere semel pro semper, non tamen passim, sed rarò, & non omnibus personis, & quibuscunque indistinctè, & ideo ita tenet frater Hieronym. à Sorbo *in compendio priuileg. verbo dare.* 2

Hinc, potest superior semel pro semper concedere licentiam ei, qui curam habet dispensæ, vt quoties accedunt fratres exteri ad Monasterium, & volunt comedere, possit eis dare ientaculum: & hortulano vt possit dare olera &c.

QVÆSTIO CCXXIII.

An superior possit suam authoritatem alteri inferiori delegare, vt possit concedere hanc licentiam aliis?

RESPONDEO de iure communi posse suam authoritatem alteri delegare. *text. & glo. cap. vlt. de off. ordin.* Sed est ne hoc ex Bulla, aut contra Bullam, vt in omnibus, & per omnia superior deleget hanc suam authoritatem? 1

Respondeo id non esse Bullæ conforme, in qua industria personæ superioris eligitur, potest tamen ipse delegare suam potestatem in certis, & determinatis causis, pro certis, & limitatis personis, pro certis, & limitatis rebus, & pro certis, & limitatis donatariis.

Quintus casus, in quo religiosi possunt facere donatiua, est, pro diuino cultu, vt est facere sepulchrum in die parasceues, pro apparatu, qui fit quādo celebratur festum patroni propriæ Ecclesiæ, pro musica quæ fit illo die ad alliciendos populos ad deuotionem. Hi tamen sumptus debent esse moderati, & non ad pompam, & ostentationem. 2

Sextus casus est pro subleuandis pauperibus, concurrentibus quatuor conditionibus.

Primò, vt dentur veris Christi pauperibus, & pro veris indigentiis, non fictis, & palliatis.

Secundò, vt dentur seruato ordine charitatis, id est, vt prius prouideatur fratribus monasterij, & de reliquo exteris.

3 Tertiò, de consilio, & consensu superioris copulatiuè, prius enim oportet, vt consulatur superior, & postea sequatur illius assensus, vt detur certa quantitas, & certis personis, & non sufficit tacita licentia, nec ratihabitio, sed consensus non post factum, sed antequam fiat.

Quartò, & vltimò habita necessitatis ratione, id est, vt iuxta indigentiā pauperū sit magna, vel parua eleemosyna.

4 Hinc, si religiosus de licentia sui superioris habet peculium, potest de eo suis consanguineis eleemosynas elargiri, iuxta tamen eorum indigentiam. Quod certum est iuxta Bullam, si ipsi sunt in extremis, quia nimirum non habent vitæ necessaria.

QVÆSTIO CCXXIV.

Sed dubium est, quando consanguinei sunt pauperes secundum decentiam status.

1 RESPONDEO posse. Et ratio est, quia hi vere pauperes sunt. Ita Caiet. 2. 2. *q.* 43. *ar.* 8. vbi ait: Meminerint Religiosi in primis, pauperes esse, non solum, qui egent cibo, & potu, aut veste, quæ sunt necessaria vitæ, sed qui egent opportunis ad conuenientiā sui status, & per hoc eleemosynaliter se posse distribuere illis, sicut, & aliis pauperibus.

2 Septimus casus, in quo conceditur Religiosis expendere aliquid est pro rebus licitis, vbi tria sunt obseruanda.

Primò, vt huiusmodi expensæ fiant à superiore, vel ab inferiori de superioris sui licentia.

Secundò, vt fiant pro rebus licitis, & non prohibitis per capitulum generale, vel prouinciale.

Tertiò, & vltimò, vt non excedant taxam præscriptam in capitulo generali, vel prouinciali, si extat hæc taxa.

Octauus casus, in quo religiosi possunt aliquid expendere, est causa hospitalitatis laudabilis, & Apostolica doctrina, sacrisque canonibus commendatæ. præsertim erga pauperes, & peregrinos. 3

Nonus casus est, pro hospitalitate debita, vbi sunt redditus ad id, vel ex fundatione, vel ex institutis, statutis, aut consuetudine aliquorum Monasteriorum, aut ex Testatorum, vel donantium voluntate.

Decimus, & vltimus casus est, in quo Religiosi possunt expendere aliquid est pro hospitalitate permissa erga ditiores, & personas potentiores, id est Cardinales, Episcopos, officiales, &c. Hi sumptus vt fieri possint iuxta Bullam quatuor concurrere debent. 4

Primò, vt huiusmodi personæ non inuitentur à Religiosis de industria, & consulto, sed obiter ratione transitus ob deuotionis, aut necessitatis causam. 5

Secundò, vt non recipiantur sumptuosè, sed decenter seruata frugalitate, & paupertate Religiosa.

Tertiò, vt comedant in refectorio communi, & ferculis communibus sint contenti.

Quartò, vt si huiusmodi hospites potentes ob verecundiam noluerint in refectorio comedere, & de ferculis communibus, tunc potest eis concedi, vt possint comedere in alio loco commodiori, & alia fercula meliora, conuenientia tamen Religioni. Vt si in Monasterio comeditur caro bouina, detur vitulina, si vitulina, dentur pulli gallinacei, & sic de similibus, ita tamen, vt semper religiosa paupertas elucescat. 6

Hinc, Religiosus qui studiose per se, vel per alios directe, vel indirecte inuitat aliquem ad conuiuium, & ad hospitium, 7

ſpitium, vel non diuertenti ad Monaſterium, ſed ad alium locum prope Monaſterium mittit illi eſculenta, & poculenta extra caſus expreſſos in hac conſtitutione, vt modo diximus in prima conditione peccat mortaliter, & incurrit in pœnas Bullæ.

Dixi notanter (*per ſe, vel per alios, directe, vel indirecte*) quia ſi Religioſus dicat alicui ſeculari, ſe non habere aliquid, quod poſſit præſentare viatori amico ſuo, & ſecularis mittit illi munera nomine Monaſterij, vel illius particularis religioſi, hic dicitur indirecte donare.

8 Hinc, qui ſcienter extra caſus permiſſos in Bulla magnifica, & ſumptuoſa conuiuia habet à Religioſis, peccat mortaliter, & tenetur Monaſterio reſtituere quod comedit. Ratio eſt, quia cum Religioſus non poſſit dare, alius non poteſt recipere, quia donans, & donatarius ſunt correlatiua.

Dixi notanter (*ſcienter*) quia ſi bona fide ad talia conuiuia, & comeſſationes accedit, non peccat, tenetur tamen reſtituere Monaſterio id, in quo inde factus eſt ditior.

QVÆSTIO CCXXV.

An in his caſibus in Bulla non conceſſis donatarius teneatur ſtatim in conſcientia reſtituere?

1 RATIO dubij eſt, quia pœna non debetur in conſcientia niſi poſt condemnationem, vt D. Tho. *2. 2. q. 62. ar.* 3. Nauar. *cap. 23. n. 66.* & multi alij affirmant: ergo qui accipit munera à Religioſis non tenetur ſtatim reſtituere niſi poſt ſententiam Iudicis.

Sed hoc non obſtante, omnino dicendum eſt, hunc teneri in conſcientia ſtatim reſtituere, nec poſſe iuxta Bullam in foro conſcientiæ abſolui, niſi prius cum effectu donatum reſtituat.

2 Nec ratio dubij obſtat, quia illa ſolum concludit, & vera eſt in iis, quæ vere, & proprie ſunt pœnæ, ſed reſtitutio non eſt pœna, ſed debitum: ergo ſtatim tenetur ad reſtitutionem nulla expectata ſententia, cum peccatum non remittatur, niſi reſtituatur ablatū.

QVÆSTIO CCXXVI.

Cuinam hæc reſtitutio fieri debeat?

RESPONDEO ipſi Monaſterio, de cuius bonis facta eſt donatio. Vnde iuxta Bullam, nec qui donauit, nec Monaſterium, nec capitulum, nec tota Religio poteſt hanc reſtitutionem remittere, nec vt in pauperes eroget concedere aliquo modo poteſt. At ſi ille qui reſtituere tenetur, eſſet vere pauper, & non eſſet ſoluendo, tunc poteſt Monaſterium ei tanquam pauperi tale debitum remittere. 1

QVÆSTIO CCXXVII.

Quot, & quinam ſint caſus extra Bullam, in quibus integrum eſt Religioſis aliquid donare abſque eo quod incidant in Bullam?

RESPONDEO ſex, quorū primus eſt, quando vere non eſt donatio, ſed alius contractus puta emptionis, vel venditionis, vel locationis, vel mutui, vel commodati. Vnde licite poteſt religioſus de licentia ſuperioris emere, & vendere, & mutuam dare pecuniam, vel dolium vini, vel tot modios tritici cum pacto, vt tantumdem poſtea ei reddatur. Similiter poterit Religioſus de licentia ſui ſuperioris permutare vnam rem cum alia æquiualenti, nimirum ſuam veſtem, ſuos libros. Quia vere non donat. 1

Circa quod cauendum eſt, ne ſit fictum, & palliatum mutuum, vt ſi Religioſus mutuo daret pecuniam reſtituendam ad Kalendas Græcas. Quia hoc eſſet indirecte donare.

4 Secundus casus est, quando est compensatio, vt si vnus religiosus inuitaret alium alterius religionis, quia ipse antea inuitauit illum, & sic est mera compensatio.

Tertius casus est, solutio debiti siue tacite, siue expresse conuenti. Vt quãdo Religiosus aliquid dat alicui, qui ei inseruit extra Monasterium, etiamsi tale obsequium præstet sine pacto accipiendi salarium, est enim hæc solutio debiti tacitè conuenti. Eadem ratione potest aliquid dari Aduocatis, Procuratoribus, & Notariis.

3 Quartus casus est remuneratio seruitiorum. Vt quando famuli pro certo salario inseruiunt Monasterio cum magna fidelitate, his enim vltra iustum salarium potest dari aliquid amplius, quia non est proprie donatio, sed beneficij remuneratio.

4 Quintus casus est antidoralis gratificatio: omnia enim iura permittunt, vt benefacienti benefaciamus, vt rectè docet D. Tho. 2. 2. *q.* 106. *ar.* 5. Quia vt sit vera donatio debet fieri ex mera liberalitate, at donatio quæ fit ex aliqua causa, non dicitur donatio, sed remuneratio: modo Constitutio Clem. VIII. aperte loquitur de donatione proprie ex liberalitate facta: ergo.

5 Dices, Bulla expresse prohibet etiam donationem, quæ fit in memoriam beneficiorum.

Respondeo Bullam loqui de sumptibus qui fiunt in honorem transitus alicuius superioris, Protectoris, vel ordinarij. Non tamen propter hoc tollit ius naturæ, quod iubet, vt benefacienti benefaciamus.

6 Sextus, & vltimus casus est redemptio vexationis, vt cum quis præter salarium, dat aliquid amplius Aduocatis, & Procuratoribus, ad hoc vt lites habeant bonum exitum: vel debens exigere quandã pecuniæ summam, quam sine strepitu iudicij recipere non potest, eo casu ad euitandas expensas in lite, potest remittere debitori aliquam partem debiti, & alteram partem sine expensis, & sine litigiis exigere. Et ratio huius est, quia hæc non est donatio, sed vexationis redemptio. Nam ad hoc vt sit vera donatio, debet fieri sine vlla causa, vt ait Nau. *in Apolog. de redd. rit. q.* 1. *Monit.* 82. sequutus D. Tho. 2. 2. *q.* 106. *ar.* 3. *ad* 4.

Hinc, Religiosus dum nauigat, vel iter facit, potest vltra iustam mercedem dare aliquid amplius nautis, victurinis, & cauponibus, ne ab eis iniuriis afficiantur Quia hoc non est dare, sed vexationem redimere. 7

QVÆSTIO CCXXVIII.

Quotnam sint huius constitutionis pœnæ?

RESPONDEO sex. Prima est, vt transgressor sit ipso facto priuatus omnibus, & singulis pro eo obtẽtis dignitatibus, gradibus, muneribus, & officiis. 1

Secunda, vt adhæc, & ad alia similia, vel dissimilia in futurũ obtinẽda officia perpetuo inhabilis, & incapax existat.

Tertia, vt perpetua infamia, & ignominia notatus existat.

Quarta, vt sit ipso facto voce actiua, & passiua priuatus.

Quinta, vt tanquam fur, & simoniacus accusari, denunciari, procedi, & inquiri queat. 2

Sexta, vt firmæ remaneant aliæ pœnæ inflictæ contra religiosos aliquid præmissorum committẽtes, si quæ fuerint siue à iure communi, siue per alias constitutiones Apostolicas, aut propria cuiusuis ordinis, Congregationis, Monasterij, aut loci statuta, vel consuetudines. Contra autem recipientes præter peccatum mortale cum onere restituendi, nulla alia pœna imponitur.

QVÆSTIO CCXXIX.

Quid nomine dignitatum, graduum, mune

munerum, & officiorum hoc loco intelligatur?

1 RESPONDEO nomine dignitatum intelligi Generalatum, Prouincialatum, Guardianatum, Prioratum, Abbatiatum, Rectoratum, officium Custodis, & alias huiusmodi dignitates, quæ cum honore, & superioritate sunt coniunctæ. Vndo officium sacristæ, vicariatus, supprioratus, officium lectoris, & prædicatoris, & confessoris non veniunt nomine dignitatum. Sed nomine graduum veniunt Lector, Prædicator: & nomine officij intelliguntur, vt sacrista, supprior, &c. Ita enim fuit declaratum per quemdam motum proprium Sixti V. quem fecit in declarationem alterius motus proprij, quem ipse fecerat contra illegitimos.

QVÆSTIO CCXXX.

An qui aliquid præmissorum committunt, statim in foro conscientiæ has pœnas incurrant?

1 ET quidem prima fronte videtur quod sic, quia Pontifex dicit, huius constitutionis transgressorem, priuationem dignitatum, & vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto absque vllo superioris decreto, aut ministerio incurrere.

2 Hoc tamen non obstante, communis tam Theologorum, quam Iurisperitorum sententia habet, hunc prædictas pœnas non incurrere, nisi sequuta sententia Iudicis. Ratio est, quia nemo debet esse exequutor pœnæ contra seipsum, vt docet D.Tho. *2.2.q.62.art. 3.* & Caiet. *ibidem.* Nauar. *cap.23.n.67.* & Sotus *lib 1. q. 6. ar. 6.* Vnde religiosus qui aliquid donauit contra Bullam, non tenetur statim resignare dignitates, & vocem actiuam, & passiuam. Et quamuis imponatur pœna per hæc verba, ipso facto incurrenda, nunquam tamen intelligitur, vt ipsemet reus teneatur subire pœnam, ante declarationem factam, fuisse commissum delictum; & ideo donec condemnetur, potest accipere, & dare vocem, & exercere officia, & dignitates, quia non intelligitur incidisse in pœnam, nisi secuta sententia declaratoria id est, nisi superior declaret fuisse commissum delictum, ac proinde illum esse tali pœna dignum, & tunc statim incidit in pœnas. Atque ita illa verba absque alia declaratione sunt intelligenda de declaratione pœnæ. Illa verò verba, *Ipso iure, ipsoque facto, absque vllo Iudicis decreto*, &c. intelliguntur, vt sententia declaratoria fiat sine strepitu iudicij, sed summarie, & de plano facto breui examine. Vnde apparente accusatore coram superiore, cum duobus testibus, tunc superior ad aliud non tenetur, nisi declarare fuisse commissum delictum, ac proinde delinquentem esse dignum tali pœna. Vnde Greg. XIII. in motu suo proprio de datis, & promissis pro iustitia, vel gratia eodem tenore verborum vsus est contra suæ constitutionis transgressores ibi. Eos omnes omni beneficio ipso iure priuamus, ac priuatos esse declaramus, ac inhabiles ad illa, & ad alia esse volumus. Et tamen Nauar. *in eius motus expositione*, & Molina *tom. 1. de iust. disput. 96.* docent, requiri hanc Iudicis sententiam, vt incurrantur. Et ideo ita tenent Sanch. *lib.6.cap.17.n.39.* Sossa *in eius explicat. n. 102.* & Sorbus Capuc. *in comp. priuileg. verbo dare.*

Hinc colligitur ratio, quare Clemens VIII. diuino lumine illustratus 3
nullã apposuit censurã in hac constitutione, quia in censuris nulla requiritur sententia declaratoria, sed statim incurruntur, vbi controuenitur, vt rectè docet Nauar. *cap.23.n.68.* & Sot. *lib.1.q.6. art.6.* & ideò ne illaquearentur tot animæ, apposuit tantum priuationem officiorum &c. Quare Pontifex sciens mundum esse positum in maligno, ita vt homines hodie magis timeãt perdere di

re dignitates, gradus, & officia, quam peccatum mortale, & censuras; ideo vt magis obseruetur hæc Bulla maluit apponere præfatas pœnas, quā censuras.

QVÆSTIO CCXXXI.

Quis possit in pœnis in hac constitutione statutis dispensare?

1 RODER. *to.1.de Regul.q.24. ar.17.* censet posse Generales, & Prouinciales religionum dispensare. Et probat, quia habent iurisdictionem quasi Episcopalem. At Episcopus potest dispensare in his pœnis iure latis, dum non expressè reseruantur, vt rectè docet Henriq. *lib.14. de irreg.cap.19. n.2.* Atqui hoc contingit in hoc casu: ergo.

2 At verò Graff. 1. *p.decis.lib.4.cap.23. nu.12.* negat posse superiores religionum in his pœnis dispensare.

Mihi autem videtur aliquanto distinctius, & explicatius ad hanc quæstionem esse respondendum. Vnde dico quod si res sit ad forum contentiosum deducta, Iudicisque sententia accesserit, certum est, neminem præter Romanum Pontificem posse in his pœnis dispensare.

QVÆST. CCXXXII.

Sed dubiū est, quando res est occulta.

1 ET quidem tenendo pœnas has non incurri absque Iudicis sentētia, non habet locū difficultas. Sed defendendo eas absque aliqua sententia incurri, dico posse Religionum Prælatos, vt Generales, Prouinciales, & Priores ordinum Mendicantium, & fruentium eorum priuilegiis in prædictis pœnis dispensare. Et ratio est, quia per priuilegium concessum à Pio V. & relatum à Roder. *to.1. de Regul.qu.61. art.9.* omnes superiores S. Dominici, & consequenter omnium ordinum Mendicantium, & fruentium eorum priuilegiis gaudent prorsus eadem facultate erga Religiosos, qua gaudent Episcopi erga suos subditos. At virtute Concil. Trid. *sess.24. c.6. de reform.* Episcopi possunt in his pœnis iure latis prouenientibus ex delicto occulto dispensare: ergo.

Immò per priuilegium concessum à Paulo III. societati Iesu, per quod datur facultas absoluendi ab omnibus peccatis etiam sedi Apostolicæ reseruatis, & à quibuscunque censuris, & pœnis ecclesiasticis ex illis resultantibus, possunt confessarij gaudentes tali priuilegio, prout omnes nostræ Congregationis confessarij gaudent, in foro conscientiæ à prædictis priuationibus, & inhabilitatibus absoluere. Quia prædictæ priuationes, & inhabilitates sunt pœnæ impositæ contra violatores prædictæ constitutionis. 2

3 Nec obstat Decretum sacræ Congregationis Illustr. Card. super negotiis Episcoporum, & Regularium publicatum Romæ die nona Mensis Ianuarij 1601. quia fuit declaratum Romano P.D. Ioanni Sipontino Generali Congregationis Clericorum Regularium, per dictam Congregationem Cardinalium, viuæ vocis oraculo, mentem S. Pontificis non fuisse tollere, & annullare per dictum Decretum priuilegia quoad absolutiones Regularium, sed tantum quoad sæculares personas.


Hæc sunt, quæ de voto paupertatis mihi visa sunt, dicenda.

Quæ omnia, & singula in hoc opere contenta sacrosanctæ Matris ecclesiæ Romanæ iudicio, & censuræ omnino subiicio, ad honorem, laudē, & gloriam sanctissimæ, & indiuiduæ Trinitatis, & Domini nostri Iesu Christi: Atque sanctissimæ suæ Genitricis Virginis Mariæ. Necnon ad honorem Almi Patris nostri Bernardi, & omnium cælestis curiæ beatorum.

FINIS.

INDEX

378.550



INDEX
QVÆSTIONVM OMNIVM, QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Vbi numerus paginam indicat.

PRIMI LIBRI QVÆSTIONES.

vota

An

SECVNDI LIBRI QVÆSTIONES.

 An

LIBRI TERTII QVÆSTIONES.

 absol

LIBRI QVARTI QVÆSTIONES.

 non

An

LIBRI QVINTI QVÆSTIONES.

An

An

 in

An

LIBRI SEXTI QVÆSTIONES.

An

in

An

LIBRI SEPTIMI QVÆSTIONES.

LIBRI OCTAVI QVÆSTIONES.

FINIS.

